MISSALE BRACARENSE

JUSSU ET AUCTORITATE

SUMMI PONTIFICIS PII XI

RECOGNITUM ET REFORMATUM

ET

ILLMI AC REVMI DOMINI

EMMANUELIS VIEIRA DE MATTOS

ARCHIPRESULIS BRACARENSIS ET HISPANIARUM PRIMATIS

SOLLICITUDINE IMPRESSUM





ROMÆ

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

MDCCCCXXIV

In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium terrestrium et infernorum.

ihs



PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Inter multiplices gravesque curas, quas Christus Dominus Petro Apostolo ejusque in regenda Ecclesia legitimis commisit Successoribus, eminet sane officium, a Prædecessoribus Nostris numquam intermissum, huc invigilandi, ut ubique terrarum sacrosanctum Missæ Sacrificium eo celebretur ordine et decore eaque reverentia et pietate, quæ tam augustum deceant Fidei christianæ mysterium.

Agitur enim de munda illa Deoque omnino digna Oblatione quam prænuntiavit Malachias propheta,[1] quæque rationes sacrificiorum Veteris Legis una omnes perfectissime complectitur. Agitur de unigenito Dei Filio, qui, ut tolleret peccata mundi, innocens ipse Agnus pro salute nostra immolari voluit;[2] quique, effuso semel in monte Calvariæ proprio Sanguine, idem hoc « verum et proprium Sacrificium »,[3] incruento tamen modo, in nostris quotidie renovat altaribus:[4] ubi et pergit adesse nobis individuus comes et in hac lacrimarum valle suavissimus consolator. Agitur de conficiendo maximo omnium Sacramento, in quo Redemptor, qui ipsa Caritas est,[1] divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.[2]

Est igitur Missæ Sacrificium fons inexhaustus bonorum, qui, si debita adeatur pietate, totus patet non solum offerenti sacerdoti, verum etiam populo assistenti; est divinus atque immensus oceanus, unde in homines bonæ voluntatis perennia manant gratiarum fluenta, quæ virtutes omnes christianas gignunt aluntque et ad summam provehunt perfectionem.

Inde militans Ecclesia vires accipit et arma, quibus hostes superet omnes in ejus perniciem conjuratos. Inde triumphanti in cælis Ecclesiæ nova usque proveniunt gaudiorum incrementa, ob auctiorem Dei gloriam et fratrum adhuc peregrinantium certiorem salutem. Inde tandem mira accipit solatia dolens, quæ in Igne purgatorio detinetur, Ecclesia, in quam e sacris altaribus ros defluit jucundus, quo cruciatuum ardor imminuitur fitque brevior, vel etiam omnino exstinguitur.[3]

Est præterea Sacrificium altaris, si rite intelligatur ea, quæ in præsenti viget Missæ Liturgia, eximia religionis schola, quæ, dum mentes saluberrimis illustrat Fidei veritatibus, corda simul cælesti inflammat caritate,

[1] Malach. cap. 1, v. 11 et cap. 3, v. 3-4.
[2] Ad Hebraeos cap. 2, v. 10 et 14 - Conc. Trid., Sess. 22, cap. 2.
[3] Conc. Trid., Sess. 22, can. 1.
[4] Conc. Trid., Sess. 22, can. 2.

[1] I Joann., cap. 4, v. 8.
[2] Conc. Trid., Sess. 13, cap. 2.
[3] Conc. Trid., Sess. 22, cap. 2 et can. 3.

quippe eosdem excitat fovetque pios sensus, quibus superni animantur Spiritus, aram sacram, regium Christi solium, reverenter circumstantes.

Sacros quoque Missæ ritus, antiquitus in variis Liturgiis observatos, etsi jam a suprema Ecclesiæ auctoritate mutatos vel abrogatos, utiliter sacerdotes investigabunt; ex hujusmodi enim studio non solum magna percipietur delectatio, verum etiam amplius illustrabitur et subtilius intelligetur ea, quæ nunc in variis viget Ritibus, Liturgia catholica. Exinde altior haurietur atque interior religionis spiritus, majorque in divinum cultum amor et reverentia, atque obsequentior devotio et obedientia erga Sedem Apostolicam, utpote cui soli jus competat ea statuendi, quæ decursu temporum in singulis Ecclesiæ Catholicæ Ritibus observanda sint et exsequenda.

Hisce tamen de antiquis Ritibus studiis præmittenda est debita scientiæ præparatio, quæ comitem habeat pietatem ac docilem humilemque obedientiam. Quæ si deficerent, profana evaderet et sterilis quævis de antiquis Missæ Liturgiis investigatio: contempta enim, sive ob ignorantiam, sive ob elatum inflatumque animum, suprema in rebus liturgicis auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ merito scientiam repudiat inflantem et cum Apostolo sapientiam loquitur inter perfectos,[1] periculum prorsus immineret ne error ille, qui modernismus audit, in res quoque liturgicas induceretur.

Libri missales, quibus celebratio sancti Sacrificii sapienter ordinatur, a catholicis cujuslibet Ritus adhibiti, jure merito magno semper in honore fuerunt, utpote monumenta christianæ pietatis et remotæ antiquitatis, in quibus Ecclesia suam asserit fidem vivam, spem firmam et ardentem caritatem cum indefesso precum spiritu. Ibi admirabili disponuntur ratione lectissima utriusque Testamenti excerpta seriesque variatissima precationum, quæ omnes intimam redolent pietatem et quorumvis orantium conditioni ac necessitati accommodantur. Ibi etiam habitus motusque indicantur ipsius corporis, dum mens pia recolit mysteria, olim in Cruce peracta et nunc in Altari renovanda.

Libri huiusmodi missales cum suis Ritibus et Cærimoniis magna semper in existimatione fuerunt apud Romanos Pontifices, qui etiam sedulo curarunt ne quid indecori, temporum lapsu, in eos irreperet. Quinimmo, maxima reverentia servatis omnino iis quæ imm bilia sunt utpote divinitus constituta, Se Apostolica sacram Liturgiam pro re nata p ficere semper studuit, thesauros seligendo cræ Scripturæ ac divinæ et ecclesiasticæ T ditionis, secundum Leges liturgicas sapien a se stabilitas.

Quæ cum ita sint, valde Nobis acceptu fuit, quod Venerabilis Frater Emmanuel Viei de Mattos, Archiepiscopus Bracarensis, nu parcens labori, ab initio usque sui episcop tus huc incubuit, ut novam atque accurati simam appararet editionem librorum litu gicorum, juxta sacrum et peculiarem Ritu quo Sedes illa Metropolitana a remotis utitu temporibus. Qui, cum nuper Breviarium ed derit, a Prædecessore Nostro fel. rec. Ben dicto XV approbatum,[1] prospero success Missalem quoque librum Typis Polyglotti Vaticanis nunc in lucem profert.

Hanc nacti opportunitatem, libenti gratu lamur animo bene meritis Sacerdotibus Bra carensibus, qui fervido studio et invicta con stantia vivum semper aviti sacrique sui Ritus amorem foverunt et cultum. Copiose igitur in eos descendat animarum sanctificator Spiritus, ut Liturgiam Bracarensem alacri studio et religiosa observantia prosequantur. Et quæ semper lux pura doctrinæ, quæ morum sanctitas per tot sæcula refulsit in metropoli Bracarensi, tum apud Antistites et Clerum, tum apud populum fidelem, hæc eadem, revirescente nunc venerabili Liturgia, novos emittat radios, ut illustris Archidiœcesis toti appareat Lusitaniæ nitidum velut speculum, in quo conspicere liceat speciosam christianæ vitæ imaginem.

Diligat igitur Clerus Bracarensis decorem Domus Dei ejusque revereatur sanctitudinem: assiduus sit in meditandis rebus liturgicis, a ita sacræ Liturgiæ leges observet, ut non solum ejus ad populum conciones, verum etiam actus quilibet liturgicus, debita gravitate et pietate peractus, Fidei christianæ et religionis diserta evadat prædicatio.

Lætetur de iis omnibus Bracarensis Archidiœcesis, cum illud tandem opus perfectum sit, quod ut perficeretur, tot ejus Antistites et Sacerdotes jampridem exoptarunt.

Nos autem votis libentissime annuentes tum Antistitum et Sacerdotum, tum postremæ Synodi Bracarensis, confirmantes quod jam fel. rec. Prædecessor Noster Benedictus XV

[1] I ad Cor., cap. 8, v. 1 et cap. 2, v. 6.

[1] Bulla « Sedis Hujus Apostolicæ », anno MCMXIX pridie Idus Majas.

solemniter ratum habuit in suis Litteris *Sedis Huius Apostolicæ*, per has Litteras decernimus et edicimus, ut Sacerdotes Archidiœcesis Bracarensis, sacrosanctum celebraturi Missæ Sacrificium, omnes et singuli hoc uno utantur Missali, uti nunc Auctoritate Nostra Apostolica recognitum, dispositum ac suprema approbatione Nostra munitum et confirmatum est.

Hæc vero edicimus, declaramus, sancimus, decernentes has nostras Litteras validas et efficaces semper esse ac fore; non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, decreti, concessionis, indulti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno millesimo nongentesimo vicesimo quarto, sexto Idus Decembris, in festo Immaculatæ Conceptionis B. M. Virginis, præcipuæ Lusitaniæ Patronæ, Pontificatus Nostri anno tertio.

O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

✠ A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. E. Præfectus.

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XXXI, n. 6.

Maurus Riggi,
Canc. Ap. Tabularii Præfectus.



DECRETUM

Quum per Bullam « Inter multiplices gravesque curas », datam a Sanctissi Domino nostro Pio Papa XI sexto Idus Decembris MCMXXIV, approbata fue haec editio Missalis Bracarensis, typis impressa Vaticanis, Sacra Rituum Co gregatio de eadem editione statuit ac decernit:

Vaticana hujus Missalis editio pro typica habenda est, ad quam futuræ impression omnino conformandæ erunt, ita ut in iis nihil immutare fas sit, nisi quod a Sede Apostolic probatum vel indultum fuerit aut injunctum. Quod si in posterum eadem Sancta Sede induxerit variationem aliquam aut mutationem vel emendationem in Missis, hac in edition Missalis Bracarensis insertis, mutationes et emendationes in Ritu Bracarensi continuo adhi bendæ erunt, etsi venerandus ille Ritus non expressis verbis memoretur. Item quotiescumque Sedes Apostolica novum Festum Ecclesiæ Universali injunxerit, continuo prædictum Festum Kalendario Bracarensi similiter inseratur; quod si Kalendarium Bracarense, die novo Festo assignata, Festo altioris ritus occupatum fuerit, servatis omnino legibus liturgicis, prædicto Festo, a Sede Apostolica injuncto, alius dies in Kalendario Bracarensi assignetur. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis.

Die 9 Decembris 1924.



✠ A. Card. VICO, Ep. Portuen. et S. Rufinæ,
S. R. C. Præfectus.

Alexander Verde, S. R. C. Secretarius.

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS

Annus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum: dies vero trecentos sexaginta quinque, et fere sex horas; tanto enim temporis intervallo sol Zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt; hinc annus ille intercalaris, Bissextus vel Bissextilis dicitur.

De anni correctione, ejusque necessitate, ac Kalendario Gregoriano

Quod dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant.

Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus ultra dies 365 contineret integras sex horas: et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem; qui causam dederunt ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII, non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582 præcedendo recesserat, quod a Concilio ad xij Kalendas Aprilis fuerat constitutum, et xiv Lunam Paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit et rationem, qua caveretur ut in posterum et Æquinoctium vernum et xiv Luna Paschalis a propriis sedibus nunquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad xij Kalendas Aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense Octobris ipsius anni 1582 eximerentur, ut post quartam diem Octobris sancto Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta Octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, uno momento temporis fuit correctus.

Ne autem in posterum idem error vitaretur, ne a xij Kalendas Aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis: qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, quartum etiam esse voluit annum 1600, anno correctionis proximum, post eum tamen qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur; quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900 Bissextiles non sint, anno vero 2000 more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29 continente; idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque annis perpetuo conservaretur.

Quatuor Tempora

Quatuor Tempora celebrantur quarta et sexta Feria ac Sabbato post tertiam Dominicam Adventus, post primam Dominicam Quadragesimæ, post Dominicam Pentecostes, post Festum Exaltationis sanctæ Crucis.

De Nuptiarum celebratione

Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. - 2 Solemnis tantum Nuptiarum benedictio vetatur a Dominica I Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive. - 3 Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam prædictis temporibus, eam permittere ex justa causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant.

De cyclo decennovennali Aurei numeri

Cyclus decennovennalis Aurei numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 1 usque ad 19, qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia: Anno 1577 numerus cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1; anno sequenti 1578 est 2; et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19, qui Aureus numerus cadet in annum 1595, post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596 Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597 sit 2, etc.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582 inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582, reperietur hoc modo:

6	7	8	9	10	11	12	13	14
15	16	17	18	19	1	2	3	4	5

Anno 1582 tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6, secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583, et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

Modus brevis cognoscendi Aureum numerum cujusque anni

Numero anni de quo quæris, adde unicam unitatem 1. Exempli gratia: 1833 adde 1: summam inde conflatam divide per 19; quod superest, erit Aureus numerus ipsius anni; si nihil superest, erit Aureus numerus 19.

De Epactis et Noviluniis

Epacta nihil aliud est quam numerus dierum quibus annus solaris communis dierum 365 annum communem lunarem dierum 354 superat: ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus solaris communis lunarem annum communem excedat: atque adeo sequenti anno Novilunia contingant 11 diebus prius quam anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus solaris lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni, efficiunt 22: ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius quam primo anno: Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33: a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquentur 3, atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30, quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12, ut abjectis 30, ex composito numero 41, habeatur rursus Epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima lunatio embolismica, currente Aureo numero 19, sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex lunationes embolismicæ, non redirent Novilunia post 19 annos solares ad eosdem dies, sed versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarii Romani. Sunt autem novemdecim Epactæ, quot et Aurei numeri, respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem

Aur. num.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Epactæ	xj	xxij	iij	xiv	xxv	vj	xvij	xxviij	ix	xx	j	xij	xxiij	iv	xv	xxvj	vij	xviij	xxix

Quia vero cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 annos solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri, et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 numeris Epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *, propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis numeris variæ decem et novem Epactæ, prout solaris anni ac lunaris æquatio exposcit; quæ quidem decem et novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, adduntурque semper 12 illi Epactæ, quæ respondet Aureo numero 19, ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros, et Epactas inter se respondentes ab anno correctionis 1582, post detractionem decem dierum, usque ad annum 1700 exclusive. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, reipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, una cum Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (detractis prius decem diebus) inclusive, usque ad annum 1700 exclusive

Aur. num.	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	1	2	3	4	5
Epactæ	xxvj	vij	xviij	xxix	x	xxj	ij	xiij	xxiv	v	xvj	xxvij	viij	xix	j	xij	xxiij	iv	xv

Itaque si Epacta quocumque anno proposito invenienda sit, quærendus est Aureus numerus illius anni in superiori ordine illius tabellæ, quæ illi tempori, in quo propositus annus continetur, congruit. Mox enim sub Aureo numero in inferiori ordine tabellæ reperietur Epacta anni propositi, vel certe hoc signum *. Ubi ergo illa Epacta vel signum* in Kalendario inventum fuerit, eo die Novilunium fiet. Invenietur autem Aureus numerus vel ex antecedente canone, vel ex tabella Epactarum proposito tempori congruente, tribuendo primum Aureum numerum illius tabellæ illi anno, a quo usus tabellæ incipit, et secundum Aureum numerum sequenti anno, etc. Eodem modo reperietur Epacta sine Aureo numero, si prima Epacta tabellæ tribuatur illi anno, a quo ejus usus incipit, et secunda Epacta sequenti anno, etc.

Exemplum: Anno correctionis 1582 Aureus numerus est 6, nempe primus primæ tabellæ, cujus usus incipit ab Idibus Octobris dicti anni 1582, detractis prius decem diebus. Erit ergo tunc Epacta xxvj, quæ sub Aureo numero 6 collocatur, fietque Novilunium die 27 Octobris et 26 Novembris et 25 Decembris. Item anno 1583 jam correcto Aureus numerus est 7, cui in eadem tabella supposita est Epacta vij, quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia indicabit: ut in Januario die 24, in Februario die 22, in Martio die 24, etc.

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1700 inclusive, usque ad annum 1900 exclusive

Aur. num.	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Epactæ	ix	xx	j	xij	xxiij	iv	xv	xxvj	vij	xviij	*	xj	xxij	iij	xiv	xxv	vj	xvij	xxviij

Alia Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ab anno 1900 inclusive, usque ad annum 2200 exclusive

Aur. num.	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Epactæ	xxix	x	xxj	ij	xiij	xxiv	v	xvj	xxvij	viij	xix	*	xj	xxij	iij	xiv	25	vj	xvij

Ad tollendam dubitationem de usu hujus novæ Tabulæ Epactarum, ostendemus rem exemplis. Anno 1901 tribuatur Epacta x, quæ sub Aureo numero 2 collocatur: fietque Novilunium 21 Januarii, 19 Februarii, 21 Martii. Item anno 1902 tribuatur Epacta xxj sub Aureo numero 3 collocata, quæ toto eo anno in Kalendario Novilunia monstrabit: ut in Januario die 10, in Februario die 8, in Martio die 10. Et sic deinceps per ordinem annis progredientibus, redeundo ad principium tabellæ quotiescumque eam percurreris. Rursus anno 1911 Epacta

non signatur numero, sed hoc signo *, quod collocatur sub Aureo numero 12, et in Kalendario toto eo anno Novilunia indicabit, nimirum in Januario die 1 et 31, in Martio (nam in Februario nullum tunc Novilunium, cum in eo signum hoc * non reperiatur) die 1 et 31, in Aprili die 29, etc.

Postremo: Anno 1916 Aureus numerus est 17, sub quo in ordine Epactarum quartæ tabellæ, quæ proposito anno congruit, reperitur Epacta 25 non antiquo numero, ut aliæ Epactæ, sed vulgari numero scripta. Ubicumque ergo anno 1916 in Kalendario Epacta 25 vulgari numero scripta reperitur, ibi Novilunium fit, ut in Januario die 6, in Februario die 4, in Martio die 6, in Aprili die 4, etc. Quotiescumque enim Epacta 25 respondet Aureis numeris majoribus quam 11, quales sunt posteriores octo a 12 usque ad 19, sumenda est in Kalendario Epacta 25 vulgari numero scripta; quando vero eadem Epacta respondet minoribus numeris quam 12, quales sunt priores undecim ab 1 ad 11 inclusive, accipienda est in Kalendario Epacta xxv antiquo numero scripta: atque hoc solum contingit in Epacta 25, in aliis numquam; quod ideo fit, ut anni lunares solaribus annis perfectius respondeant. Ob quam etiam causam in sex locis Kalendarii duæ Epactæ, scilicet xxv et xxiv sunt adscriptæ.

Tabella litterarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582 (detractis prius decem diebus) usque ad annum 1700 exclusive

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus tabellæ hic est. Anno correctionis 1582 post Idus Octobris (detractis prius decem diebus) tribuatur littera c primæ cellulæ, et sequenti anno 1583 littera b secundæ, et anno 1584 dentur litteræ A g tertiæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula, in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1700, dabit litteram Dominicalem propositi anni. Quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis: et tunc superior littera Dominicam diem ostendet in Kalendario a principio anni usque ad festum S. Matthiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

Exempli gratia: Sit invenienda littera Dominicalis anni 1587. Numera ab anno 1582, quem tribue primæ litteræ c, usque ad annum 1587, tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas litteras quascumque, superiorem et inferiorem, pro una cellula), cadetque annus 1587 in litteram d, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno littera Dominicalis d, annusque communis est, cum littera simplex occurrat. Rursus sit investiganda littera Dominicalis anni 1616. Numera ab anno 1582, ut dictum est, usque ad annum 1616, redeundo ad principium tabellæ, postquam eam percurreris, pervenlesque ad duas hasce litteras c b, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, cum duplex littera occurrat, superiorque littera c Dominicam diem indicabit a principio anni illius usque ad festum S. Matthiæ, inferior autem b in reliqua parte anni.

Alia Tabella litterarum Dominicalium ab anno 1901 inclusive, usque ad annum 2100 exclusive

f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A	g f	e	d
c	b A	g	f	e	d c	b	A	g	f e	d	c	b	A g

Usus autem hujus tabellæ hic est. Anno 1901 tribuatur littera f primæ cellulæ, et sequenti anno 1902 littera e, et sic deinceps ceteris annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris; nam cellula, in quam annus propositus cadit, dabit litteram Dominicalem propositi anni: quæ si unica occurrerit, annus erit communis; si vero duplex, Bissextilis: et tunc superior littera Dominicam diem ostendet in Kalendario a principio anni usque ad festum S. Matthiæ Apostoli, inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni.

De Indictione

Indictio est revolutio 15 annorum ab 1 usque ad 15, qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a Januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionum frequens usus est in Diplomatibus et Scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est: initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella Indictionis ab anno correctionis 1582

10	11	12	13		14	15	1
2	3	4	5	6	7	8	9

Nam si anno 1582 tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem quæ quæritur.

De Festis Mobilibus

Quoniam ex decreto sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua Festa mobilia pendent, celebrari debet die Dominico, qui proxime succedit xiv Lunæ primi mensis (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus xiv Luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21 mensis Martii contingit, vel propius ipsum sequitur), efficitur, ut si Epacta cujusvis anni inveniatur, et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum Martii inclusive, et quintum Aprilis inclusive (hujus enim Epactæ xiv Luna cadit vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21 Martii, vel eum propius sequitur), numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim; proximus dies Dominicus diem hunc xiv sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies xiv Lunæ caderet in diem Dominicum) sit dies Paschæ.

Exemplum: Anno 1605 Epacta est x et littera Dominicalis b. Et quoniam invenimus Epactam x inter diem 8 Martii et 5 Aprilis inclusive positam esse e regione diei 21 Martii, a quo inclusive, si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus xiv Lunam die 3 Aprilis,

quæ est Dominica, cum e regione illius sit littera Dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrant die xiv Lunæ, sumenda est littera Dominicalis b, quæ sequitur xiv Lunam, nempe ea quæ e regione diei 10 Aprilis collocatur: atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10 Aprilis. Item anno 1604 Epacta est xxix et duplex littera Dominicalis d c, cum annus ille sit Bissextilis. Si igitur ab Epacta xxix, quæ e regione diei 1 Aprilis ponitur inter diem 8 Martii et 5 Aprilis inclusive, numerentur dies 14, cadet xiv Luna in diem 14 Aprilis. Et quia tunc currit posterior littera Dominicalis, nempe c, quæ post diem 14 Aprilis, id est, post xiv Lunam collocata est e regione diei 18 Aprilis, celebrabitur eo anno Pascha die 18 Aprilis.

Ceterum ut facilius omnia Festa mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ Paschales, una antiqua, et nova altera. Ex antiqua ita Festa mobilia reperientur: In latere sinistro tabulæ accipiatur Epacta currens, et in linea litterarum Dominicalium sumatur littera Dominicalis currens, infra tamen Epactam currentem, ita ut si littera Dominicalis currens reperiatur e regione Epactæ currentis, assumenda sit eadem littera Dominicalis proxime inferior. Nam e regione hujus litteræ Dominicalis omnia Festa mobilia continentur.

Exemplum: Anno 1606 Epacta est xxj, et littera Dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur littera Dominicalis A, quæ primo infra Epactam xxj occurrit, reperietur e regione hujus litteræ Dominica Septuagesimæ die 22 Januarii, dies Cinerum 8 Februarii, Pascha 26 Martii, Ascensio Domini 4 Maji, Pentecostes 14 Maji, et Festum Corporis Christi 25 Maji. Dominicæ autem inter Pentecosten et Adventum eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3 Decembris; et sic de ceteris. Item anno 1605 Epacta est x, et littera Dominicalis b, quæ in tabula reperitur e regione Epactæ x. Quare sumenda est alia littera b, quæ proxime infra Epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 6 Februarii, diem Cinerum 23 Februarii, Pascha 10 Aprilis, etc.

Notandum autem est, quod quemadmodum in anno communi, cadente littera Dominicali e regione Epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem littera proxima infra Epactam, ut diximus; ita quoque in anno Bissextili, si alterutra duarum litterarum Dominicalium tunc currentium e regione Epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes litteræ proxime inferiores, ut Festa mobilia inveniantur.

Ex tabula vero Paschali nova ita eadem Festa mobilia reperientur: In cellula litteræ Dominicalis currentis quæratur Epacta currens. Nam e directo omnia Festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609 in cellula litteræ Dominicalis d, tunc currentis, e regione Epactæ xxiv, quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima die 15 Februarii, dies Cinerum 4 Martii, Pascha 19 Aprilis, etc.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia Festa mobilia in annis Bissextilibus per litteram Dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum sancti Matthiæ Apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum litterarum pro hoc, aut illo festo indagando accipienda sit; ita tamen, ut Septuagesimæ et diei Cinerum inventæ in Januario aut Februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem S. Matthiæ currit prior littera Dominicalis, quæ in Kalendario posteriorem semper sequitur; post festum autem S. Matthiæ, in Februario, licet posterior littera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, h ut dies 24 Februarii dicatur 25, et dies 25 dicatur 26, et Quod si dies Cinerum cadat in Martium, nihil addendu est, quia tunc et littera posterior currit, et dies men propriis numeris respondent, cum dies intercalaris F bruario sit additus. Imo nisi per posteriorem litteras investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima i anno Bissextili, currente Epacta xxiv vel xxv et litter Dominicali d c, ut in secundo ac tertio exemplo persp cuum fiet pro annis 4088 et 3784. Exempli gratia: Anno 20 Bissextili Epacta erit v et litteræ Dominicales A g. S igitur per posteriorem litteram, quæ est g, Festa mob lia investigentur, reperietur Septuagesima die 11 Febru rii et dies Cinerum 28 Februarii. Si autem addatur un dies, cadet Septuagesima in diem 12 Februarii, quæ et Dominica, et dies Cinerum in diem 29 Februarii, qu est Feria iv; Pascha autem et reliqua Festa in eos di cadent qui in tabula expressi sunt. Item anno 48 Bissextili Epacta erit xxiv et litteræ Dominicales d Si igitur per litteram c, quæ posterior est, inquirantu Festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21 Februar et si addatur unus dies, cadet in diem 22 Februarii, quæ est Dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10 Martii: quare nihil additur, etc. Rursus anno 3784 Bissextili Epacta erit xxv et litteræ Dominicales d c. Ergo iterum per posteriorem c reperietur Septuagesima die 21 Februarii, hoc est, addita 1 die, 22. Quod si per priorem litteram d in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, cum infra Epactas xxiv et xxv littera d indicet Septuagesimam die 15 Februarii, quod falsum esset, cum eo anno posterior littera c Pascha offerat die 25 Aprilis, ac proinde Septuagesima die 22 Februarii celebranda sit, ut liquido constat, si a die Paschæ Dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata Epactis ad sinistram præposuimus Aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem Kalendarii collocari solebant, ut ex iis Festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha ceteraque Festa mobilia a Concilio Nicæno usque ad annum 1582 quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex Aureis numeris ita distributis Festa mobilia eruuntur, quo ex Epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando Festa hæc celebrata fuerint anno 14 Quoniam eo anno Aureus numerus fuit 7, et litter Dominicalis d, si Aureus numerus 7 in sinistro later accipiatur, et prima littera d infra eum occurrens reperietur e regione hujus litteræ d, Septuagesima die 1 Februarii, dies Cinerum 18 Februarii, Pascha die 5 Aprilis, etc.

Adventus Domini celebratur semper die Dominica qui propinquior est festo S. Andreæ Apostoli, nempe a die 27 Novembris inclusive usque ad diem 3 Decembris inclusive; ita ut littera Dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario a die 27 Novembris usque ad diem 3 Decembris, indicet Dominicam Adventus. Ut verbi gratia, si littera Dominicalis est g, Dominica Adventus cadet in diem 2 Decembris: quia ibi est littera g in Kalendario, etc.

Ad finem tandem tabellarum Paschalium apposita est tabula temporaria multorum annorum, e regione quorum omnia Festa mobilia inveniuntur; quæ quidem tabula ex tabulis Paschalibus excerpta est, ex quibus infinitæ aliæ erui possunt pro quibuscumque annis

TABULA PASCHALIS ANTIQUA REFORMATA

Aureus Numer.	Cyclus Epactarum		Littera Dominic.	Septuagesima	Dies Cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Dom. post Pentec.	Dominica prima Adventus
16		xxiij									
5		xxij	d	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.	30 Apr.	10 Maji	21 Maji	28	29 Nov.
		xxj	e	19	5	23	1 Maji	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1 Dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviij	A	22	8	26	4	14	25	28	3
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27 Nov.
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1 Dec.
15		xij	g	28	14	1 Apr.	10	20	31	27	2
4		xj	A	29	15	2	11	21	1 Junii	27	3
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 Nov.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viij	d	1 Febr.	18	5	14	24	4	26	29
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1 Dec.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27 Nov.
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1 Junii	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1 Dec.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvij	A	12	1 Martii	16	25	4	15	25	3
19	25	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27 Nov.
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1 Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 Junii	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27 Nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABULA PASCHALIS NOVA REFORMATA

Litter. Domin.	Cyclus Epactarum	Septuagesima	Dies Cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Domin. post Pentec.	Dominica prima Adventus
D	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	18 Jan. 25 Jan. 1 Febr. 8 Febr. 15 Febr.	4 Febr. 11 Febr. 18 Febr. 25 Febr. 4 Mart.	22 Mart. 29 Mart. 5 Apr. 12 Apr. 19 Apr.	30 Apr. 7 Maji 14 Maji 21 Maji 28 Maji	10 Maji 17 Maji 24 Maji 31 Maji 7 Junii	21 Maji 28 Maji 4 Junii 11 Junii 18 Junii	28 27 26 25 24	29 Nov. 29 29 29 29
E	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	19 Jan. 26 Jan. 2 Febr. 9 Febr. 16 Febr.	5 Febr. 12 Febr. 19 Febr. 26 Febr. 5 Mart.	23 Mart. 30 Mart. 6 Apr. 13 Apr. 20 Apr.	1 Maji 8 Maji 15 Maji 22 Maji 29 Maji	11 Maji 18 Maji 25 Maji 1 Junii 8 Junii	22 Maji 29 Maji 5 Junii 12 Junii 19 Junii	28 27 26 25 24	30 Nov. 30 30 30 30
F	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	20 Jan. 27 Jan. 3 Febr. 10 Febr. 17 Febr.	6 Febr. 13 Febr. 20 Febr. 27 Febr. 6 Mart.	24 Mart. 31 Mart. 7 Apr. 14 Apr. 21 Apr.	2 Maji 9 Maji 16 Maji 23 Maji 30 Maji	12 Maji 19 Maji 26 Maji 2 Junii 9 Junii	23 Maji 30 Maji 6 Junii 13 Junii 20 Junii	28 27 26 25 24	1 Dec. 1 1 1 1
G	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	21 Jan. 28 Jan. 4 Febr. 11 Febr. 18 Febr.	7 Febr. 14 Febr. 21 Febr. 28 Febr. 7 Mart.	25 Mart. 1 Apr. 8 Apr. 15 Apr. 22 Apr.	3 Maji 10 Maji 17 Maji 24 Maji 31 Maji	13 Maji 20 Maji 27 Maji 3 Junii 10 Junii	24 Maji 31 Maji 7 Junii 14 Junii 21 Junii	28 27 26 25 24	2 Dec. 2 2 2 2
A	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	22 Jan. 29 Jan. 5 Febr. 12 Febr. 19 Febr.	8 Febr. 15 Febr. 22 Febr. 1 Mart. 8 Mart.	26 Mart. 2 Apr. 9 Apr. 16 Apr. 23 Apr.	4 Maji 11 Maji 18 Maji 25 Maji 1 Junii	14 Maji 21 Maji 28 Maji 4 Junii 11 Junii	25 Maji 1 Junii 8 Junii 15 Junii 22 Junii	28 27 26 25 24	3 Dec. 3 3 3 3
B	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	23 Jan. 30 Jan. 6 Febr. 13 Febr. 20 Febr.	9 Febr. 16 Febr. 23 Febr. 2 Mart. 9 Mart.	27 Mart. 3 Apr. 10 Apr. 17 Apr. 24 Apr.	5 Maji 12 Maji 19 Maji 26 Maji 2 Junii	15 Maji 22 Maji 29 Maji 5 Junii 12 Junii	26 Maji 2 Junii 9 Junii 16 Junii 23 Junii	27 26 25 24 23	27 Nov. 27 27 27 27
C	23 22 21 20 19 18 17 16 15 14 13 12 11 10 9 8 7 6 5 4 3 2 1 * 29 28 27 26 25 25 24	24 Jan. 31 Jan. 7 Febr. 14 Febr. 21 Febr.	10 Febr. 17 Febr. 24 Febr. 3 Mart. 10 Mart.	28 Mart. 4 Apr. 11 Apr. 18 Apr. 25 Apr.	6 Maji 13 Maji 20 Maji 27 Maji 3 Junii	16 Maji 23 Maji 30 Maji 6 Junii 13 Junii	27 Maji 3 Junii 10 Junii 17 Junii 24 Junii	27 26 25 24 23	28 Nov. 28 28 28 28

TABULA PASCHALIS ANTIQUA REFORMATA

Aureus Numer.	Cyclus Epactarum		Litteræ Dominic.	Septuagesima	Dies Cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Dom. post Pentec.	Dominica prima Adventus
16		xxiij									
5		xxij	d	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.	30 Apr.	10 Maji	21 Maji	28	29 Nov.
		xxj	e	19	5	23	1 Maji	11	22	28	30
13		xx	f	20	6	24	2	12	23	28	1 Dec.
2		xix	g	21	7	25	3	13	24	28	2
		xviij	A	22	8	26.	4	14	25	28	3
10		xvij	b	23	9	27	5	15	26	27	27 Nov.
		xvj	c	24	10	28	6	16	27	27	28
18		xv	d	25	11	29	7	17	28	27	29
7		xiv	e	26	12	30	8	18	29	27	30
		xiij	f	27	13	31	9	19	30	27	1 Dec.
15		xij	g	28	14	1 Apr.	10	20	31	27	2
4		xj	A	29	15	2	11	21	1 Junii	27	3
		x	b	30	16	3	12	22	2	26	27 Nov.
12		ix	c	31	17	4	13	23	3	26	28
1		viij	d	1 Febr.	18	5	14	24	4	26	29
		vij	e	2	19	6	15	25	5	26	30
9		vj	f	3	20	7	16	26	6	26	1 Dec.
		v	g	4	21	8	17	27	7	26	2
17		iv	A	5	22	9	18	28	8	26	3
6		iij	b	6	23	10	19	29	9	25	27 Nov.
		ij	c	7	24	11	20	30	10	25	28
14		j	d	8	25	12	21	31	11	25	29
3		*	e	9	26	13	22	1 Junii	12	25	30
		xxix	f	10	27	14	23	2	13	25	1 Dec.
11		xxviij	g	11	28	15	24	3	14	25	2
		xxvij	A	12	1 Martii	16	25	4	15	25	3
19	25	xxvj	b	13	2	17	26	5	16	24	27 Nov.
8	xxv	xxiv	c	14	3	18	27	6	17	24	28
			d	15	4	19	28	7	18	24	29
			e	16	5	20	29	8	19	24	30
			f	17	6	21	30	9	20	24	1 Dec.
			g	18	7	22	31	10	21	24	2
			A	19	8	23	1 Junii	11	22	24	3
			b	20	9	24	2	12	23	23	27 Nov.
			c	21	10	25	3	13	24	23	28

TABULA PASCHALIS NOVA REFORMATA

Litter. Domin.	Cyclus Epactarum	Septuagesima	Dies Cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Domin. post Pentec.	Dominica prima Adventus
D	23	18 Jan.	4 Febr.	22 Mart.	30 Apr.	10 Maji	21 Maji	28	29 Nov.
	22 21 20 19 18 17 16	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.	7 Maji	17 Maji	28 Maji	27	29
	15 14 13 12 11 10 9	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.	14 Maji	24 Maji	4 Junii	26	29
	8 7 6 5 4 3 2	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.	21 Maji	31 Maji	11 Junii	25	29
	1 * 29 28 27 26 25 25 24	15 Febr.	4 Mart.	19 Apr.	28 Maji	7 Junii	18 Junii	24	29
E	23 22	19 Jan.	5 Febr.	23 Mart.	1 Maji	11 Maji	22 Maji	28	30 Nov.
	21 20 19 18 17 16 15	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.	8 Maji	18 Maji	29 Maji	27	30
	14 13 12 11 10 9 8	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	26	30
	7 6 5 4 3 2 1	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.	22 Maji	1 Junii	12 Junii	25	30
	* 29 28 27 26 25 25 24	16 Febr.	5 Mart.	20 Apr.	29 Maji	8 Junii	19 Junii	24	30
F	23 22 21	20 Jan.	6 Febr.	24 Mart.	2 Maji	12 Maji	23 Maji	28	1 Dec.
	20 19 18 17 16 15 14	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.	9 Maji	19 Maji	30 Maji	27	1
	13 12 11 10 9 8 7	3 Febr.	20 Febr.	7 Apr.	16 Maji	26 Maji	6 Junii	26	1
	6 5 4 3 2 1 *	10 Febr.	27 Febr.	14 Apr.	23 Maji	2 Junii	13 Junii	25	1
	29 28 27 26 25 25 24	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.	30 Maji	9 Junii	20 Junii	24	1
G	23 22 21 20	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.	3 Maji	13 Maji	24 Maji	28	2 Dec.
	19 18 17 16 15 14 13	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.	10 Maji	20 Maji	31 Maji	27	2
	12 11 10 9 8 7 6	4 Febr.	21 Febr.	8 Apr.	17 Maji	27 Maji	7 Junii	26	2
	5 4 3 2 1 * 29	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.	24 Maji	3 Junii	14 Junii	25	2
	28 27 26 25 25 24	18 Febr.	7 Mart.	22 Apr.	31 Maji	10 Junii	21 Junii	24	2
A	23 22 21 20 19	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.	4 Maji	14 Maji	25 Maji	28	3 Dec.
	18 17 16 15 14 13 12	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.	11 Maji	21 Maji	1 Junii	27	3
	11 10 9 8 7 6 5	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.	18 Maji	28 Maji	8 Junii	26	3
	4 3 2 1 * 29 28	12 Febr.	1 Mart.	16 Apr.	25 Maji	4 Junii	15 Junii	25	3
	27 26 25 25 24	19 Febr.	8 Mart.	23 Apr.	1 Junii	11 Junii	22 Junii	24	3
B	23 22 21 20 19 18	23 Jan.	9 Febr.	27 Mart.	5 Maji	15 Maji	26 Maji	27	27 Nov.
	17 16 15 14 13 12 11	30 Jan.	16 Febr.	3 Apr.	12 Maji	22 Maji	2 Junii	26	27
	10 9 8 7 6 5 4	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.	19 Maji	29 Maji	9 Junii	25	27
	3 2 1 * 29 28 27	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	24	27
	26 25 25 24	20 Febr.	9 Mart.	24 Apr.	2 Junii	12 Junii	23 Junii	23	27
C	23 22 21 20 19 18 17	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.	6 Maji	16 Maji	27 Maji	27	28 Nov.
	16 15 14 13 12 11 10	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.	13 Maji	23 Maji	3 Junii	26	28
	9 8 7 6 5 4 3	7 Febr.	24 Febr.	11 Apr.	20 Maji	30 Maji	10 Junii	25	28
	2 1 * 29 28 27 26 25	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.	27 Maji	6 Junii	17 Junii	24	28
	25 24	21 Febr.	10 Mart.	25 Apr.	3 Junii	13 Junii	24 Junii	23	28

TABELLA TEMPORARIA

FESTORUM MOBILIUM

Anno Domini	Litteræ Domin.	Aureus numer.	Epacta	Septuagesima	Dies Cinerum	Pascha	Ascensio	Pentecostes	Corpus Christi	Indictiones	Domin. post Pentec.	Dominica prima Adventus
1924	f e	6	xxiv	17 Febr.	5 Mart.	20 Apr.	29 Maji	8 Junii	19 Junii	7	24	30 Nov.
1925	d	7	v	8 Febr.	25 Febr.	12 Apr.	21 Maji	31 Maji	11 Junii	8	25	29 Nov.
1926	c	8	xvj	31 Jan.	17 Febr.	4 Apr.	13 Maji	23 Maji	3 Junii	9	26	28 Nov.
1927	b	9	xxvij	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	10	24	27 Nov.
1928	A g	10	viij	5 Febr.	22 Febr.	8 Apr.	17 Maji	27 Maji	7 Junii	11	26	2 Dec.
1929	f	11	xix	27 Jan.	13 Febr.	31 Mart.	9 Maji	19 Maji	30 Maji	12	27	1 Dec.
1930	e	12	*	16 Febr.	5 Mart.	20 Apr.	29 Maji	8 Junii	19 Junii	13	24	30 Nov.
1931	d	13	xj	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.	14 Maji	24 Maji	4 Junii	14	26	29 Nov.
1932	c b	14	xxij	24 Jan.	10 Febr.	27 Mart.	5 Maji	15 Maji	26 Maji	15	27	27 Nov.
1933	A	15	iij	12 Febr.	1 Mart.	16 Apr.	25 Maji	4 Junii	15 Junii	1	25	3 Dec.
1934	g	16	xiv	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.	10 Maji	20 Maji	31 Maji	2	27	2 Dec.
1935	f	17	25	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.	30 Maji	9 Junii	20 Junii	3	24	1 Dec.
1936	e d	18	vj	9 Febr.	26 Febr.	12 Apr.	21 Maji	31 Maji	11 Junii	4	25	29 Nov.
1937	c	19	xvij	24 Jan.	10 Febr.	28 Mart.	6 Maji	16 Maji	27 Maji	5	27	28 Nov.
1938	b	1	xxix	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	6	21	27 Nov.
1939	A	2	x	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.	18 Maji	28 Maji	8 Junii	7	26	3 Dec.
1940	g f	3	xxj	21 Jan.	7 Febr.	24 Mart.	2 Maji	12 Maji	23 Maji	8	28	1 Dec.
1941	e	4	ij	9 Febr.	26 Febr.	13 Apr.	22 Maji	1 Junii	12 Junii	9	25	30 Nov.
1942	d	5	xiij	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.	14 Maji	24 Maji	4 Junii	10	26	29 Nov.
1943	c	6	xxiv	21 Febr.	10 Mart.	25 Apr.	3 Junii	13 Junii	24 Junii	11	23	28 Nov.
1944	b A	7	v	6 Febr.	23 Febr.	9 Apr.	18 Maji	28 Maji	8 Junii	12	26	3 Dec.
1945	g	8	xvj	28 Jan.	14 Febr.	1 Apr.	10 Maji	20 Maji	31 Maji	13	27	2 Dec.
1946	f	9	xxvij	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.	30 Maji	9 Junii	20 Junii	14	24	1 Dec.
1947	e	10	viij	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	15	26	30 Nov.
1948	d c	11	xix	25 Jan.	11 Febr.	28 Mart.	6 Maji	16 Maji	27 Maji	1	27	28 Nov.
1949	b	12	*	13 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	2	24	27 Nov.
1950	A	13	xj	5 Febr.	22 Febr.	9 Apr.	18 Maji	28 Maji	8 Junii	3	26	3 Dec.
1951	g	14	xxij	21 Jan.	7 Febr.	25 Mart.	3 Maji	13 Maji	24 Maji	4	28	2 Dec.
1952	f e	15	iij	10 Febr.	27 Febr.	13 Apr.	22 Maji	1 Junii	12 Junii	5	25	30 Nov.
1953	d	16	xiv	1 Febr.	18 Febr.	5 Apr.	14 Maji	24 Maji	4 Junii	6	26	29 Nov.
1954	c	17	25	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.	27 Maji	6 Junii	17 Junii	7	24	28 Nov.
1955	b	18	vj	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.	19 Maji	29 Maji	9 Junii	8	25	27 Nov.
1956	A g	19	xvij	29 Jan.	15 Febr.	1 Apr.	10 Maji	20 Maji	31 Maji	9	27	2 Dec.
1957	f	1	xxix	17 Febr.	6 Mart.	21 Apr.	30 Maji	9 Junii	20 Junii	10	24	1 Dec.
1958	e	2	x	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	11	26	30 Nov.
1959	d	3	xxj	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.	7 Maji	17 Maji	28 Maji	12	27	29 Nov.
1960	c b	4	ij	14 Febr.	2 Mart.	17 Apr.	26 Maji	5 Junii	16 Junii	13	24	27 Nov.
1961	A	5	xiij	29 Jan.	15 Febr.	2 Apr.	11 Maji	21 Maji	1 Junii	14	27	3 Dec.
1962	g	6	xxiv	18 Febr.	7 Mart.	22 Apr.	31 Maji	10 Junii	21 Junii	15	24	2 Dec.
1963	f	7	v	10 Febr.	27 Febr.	14 Apr.	23 Maji	2 Junii	13 Junii	1	25	1 Dec.
1964	e d	8	xvj	26 Jan.	12 Febr.	29 Mart.	7 Maji	17 Maji	28 Maji	2	27	29 Nov.
1965	c	9	xxvij	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.	27 Maji	6 Junii	17 Junii	3	24	28 Nov.
1966	b	10	viij	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.	19 Maji	29 Maji	9 Junii	4	25	27 Nov.
1967	A	11	xix	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.	4 Maji	14 Maji	25 Maji	5	28	3 Dec.
1968	g f	12	*	11 Febr.	28 Febr.	14 Apr.	23 Maji	2 Junii	13 Junii	6	25	1 Dec.
1969	e	13	xj	2 Febr.	19 Febr.	6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	7	26	30 Nov.
1970	d	14	xxij	25 Jan.	11 Febr.	29 Mart.	7 Maji	17 Maji	28 Maji	8	27	29 Nov.
1971	c	15	iij	7 Febr.	24 Febr.	11 Apr.	20 Maji	30 Maji	10 Junii	9	25	28 Nov.
1972	b A	16	xiv	30 Jan.	16 Febr.	2 Apr.	11 Maji	21 Maji	1 Junii	10	27	3 Dec.
1973	g	17	25	18 Febr.	7 Mart.	22 Apr.	31 Maji	10 Junii	21 Junii	11	24	12 Dec.
1974	f	18	vj	10 Febr.	27 Febr.	14 Apr.	23 Maji	2 Junii	13 Junii	12	25	1 Dec.
1975	e	19	xvij	26 Jan.	12 Febr.	30 Mart.	8 Maji	18 Maji	29 Maji	13	27	30 Nov.
1976	d c	1	xxix	14 Febr.	3 Mart.	18 Apr.	27 Maji	6 Junii	17 Junii	14	24	28 Nov.
1977	b	2	x	6 Febr.	23 Febr.	10 Apr.	19 Maji	29 Maji	9 Junii	15	25	27 Nov.
1978	A	3	xx	22 Jan.	8 Febr.	26 Mart.	4 Maji	14 Maji	25 Maji	1	28	3 Dec.
1979	g	4	ij	11 Febr.	28 Febr.	15 Apr.	24 Maji	3 Junii	14 Junii	2	25	2 Dec.
1980	f e	5	xiij	3 Febr.	20 Febr.	6 Apr.	15 Maji	25 Maji	5 Junii	3	26	30 Nov.
1981	d	6	xxiv	15 Febr.	4 Mart.	19 Apr.	28 Maji	7 Junii	18 Junii	4	24	29 Nov.
1982	c	7	v	7 Febr.	24 Febr.	11 Apr.	20 Maji	30 Maji	10 Junii	5	25	28 Nov.
1983	b	8	xvj	30 Jan.	17 Febr.	3 Apr.	12 Maji	22 Maji	2 Junii	6	26	27 Nov.

KALENDARIUM BRACARENSE

JANUARIUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
*	A	Kal.	1	Circumcisio Domini et Octava Nativitatis, Solemne II Ordinis.
				Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam - Ssmi Nominis Jesu, Solemne II Ordinis.
xxix	b	iv	2	Octava S. Stephani Protomart., Simplex.
xxviij	c	iij	3	Maternitas B. Mariæ V., Duplex majus. Com. Octavæ S. Joannis Ap. et Ev.
xxvij	d	Prid.	4	Octava Ss. Innocentium Mm., Simplex.
xxvj	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ, Semiduplex. Com. S. Telesphori Papæ et Mart.
25 xxv	f	viij	6	Epiphania Domini, Solemne I Ordinis cum Octava privilegiata II ordinis.
xxiv	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ, Simplex.
xxiij	A	vj	8	De Octava, Simplex.
xxij	b	v	9	De Octava, Simplex.
xxj	c	iv	10	De Octava, Simplex.
xx	d	iij	11	De Octava, Simplex. Com. S. Hygini Papæ et Mart.
xix	e	Prid.	12	De Octava, Simplex.
xviij	f	Idib.	13	Octava Epiphaniæ, Duplex majus.
xvij	g	xix	14	S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. S. Felicis Presbyteri et Mart.
xvj	A	xviij	15	S. Pauli primi Eremitæ, Conf., Duplex. Com. S. Mauri Abb.
xv	b	xvij	16	Ss. Quinque Martyrum Marochii, Duplex majus. Com. S. Marcelli I Papæ et Mart.
xiv	c	xvj	17	S. Antonii Abb., Duplex.
xiij	d	xv	18	Cathedra S. Petri Ap. Romæ, Duplex majus. Com. S. Pauli Ap. ac S. Priscæ Virg. et Mart.
xij	e	xiv	19	B. Gundisalvi de Amarante Conf., Duplex Com. Ss. Marii et Sociorum Mm. ac S. Canuti Regis, Mart.
xj	f	xiij	20	S. Sebastiani Mart. Duplex. Com. S. Fabiani Papæ et Mart.
x	g	xij	21	S. Agnetis Virg. et Mart., Duplex.
ix	A	xj	22	S. Vincentii Mart., Duplex. Com. S. Anastasii Mart.
viij	b	x	23	Desponsatio B. Mariæ Virg., Duplex majus. Com. S. Joseph Conf., Sponsi ejusdem B. M. V., S. Raymundi de Peñafort Conf. ac S. Emerentianæ Virg. et Mart.
vij	c	ix	24	S. Timothei Ep. et Mart., Duplex.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Ap., Duplex majus. Com. S. Petri Ap.
v	e	vij	26	S. Polycarpi Ep. et Mart., Duplex.
iv	f	vj	27	S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
iij	g	v	28	S. Agnetis Virg. et Mart. secundo, Simplex.
ij	A	iv	29	S. Francisci Salesii Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
j	b	iij	30	S. Martinæ Virg. et Mart., Semiduplex.
*	c	Prid.	31	S. Petri Nolasco Conf., Duplex.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ - Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph, Duplex majus. Com. Dominicæ et Octavæ.

FEBRUARIUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxix	d	Kal.	1	S. Ignatii Ep. et Mart., Duplex.
xxviij	e	iv	2	Purificatio B. Mariæ Virg., Solemne II Ordinis.
xxvij	f	iij	3	S. Blasii Ep. et Mart., Simplex.
25 xxvj	g	Prid.	4	S. Andreæ Corsini Ep. et Conf., Duplex.
xxv xxiv	A	Non.	5	S. Agathæ Virg. et Mart., Duplex.
xxiij	b	viij	6	S. Titi Ep. et Conf., Duplex. Com. S. Dorotheæ Virg. et Mart.
xxij	c	vij	7	S. Romualdi Abb., Duplex.
xxj	d	vj	8	S. Joannis de Matha Conf., Duplex.
xx	e	v	9	S. Cyrilli Ep. Alexandrini, Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. S. Apolloniæ Virg. et Mart.
xix	f	iv	10	S. Scholasticæ Virg., Duplex.
xviij	g	iij	11	Apparitio B. Mariæ Virg. immaculatæ, Duplex majus.
xvij	A	Prid.	12	Ss. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., Cc., Duplex.
xvj	b	Idib.	13	Sacrorum Vulnerum D. N. J. C., Duplex majus.

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xv	c	xvj	14	Ss. Theophili et Sociorum Mm., Duplex. Com. S. Valentini Presbyteri et Mart.
xiv	d	xv	15	Translatio S. Antonii Lusitani Conf., Duplex. Com. Ss. Faustini et Jovitæ Mm.
xiij	e	xiv	16	B. Joannis de Brito Mart., Duplex.
xij	f	xiij	17	Fuga in Ægyptum D. N. J. C. Duplex majus.
xj	g	xij	18	S. Theotonii Conf., Solemne II Ordinis. Com. S. Simeonis Ep. et Mart.
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ. Duplex majus. Com. S. Pauli Ap.
vj	e	vij	23	S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. Vigiliæ.
v	f	vj	24	S. Matthiæ Ap., Solemne II Ordinis.
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	S. Torquati Ep. et Mart., Duplex.
j	c	Prid.	28	

Quando fit Officium de Canticis Canticorum, sub ritu Semiduplici ex privilegio Ecclesiæ Bracarensi concessum, etiam Missa beatæ Mariæ Virginis secundum Temporis diversitatem dici debet, ut in Communi.

In anno bissextili mensis Februarius est dierum 29, et Festum S. Matthiæ celebratur die 25 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24 et die 25; et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem; ut, si in Januario littera Dominicalis fuerit A, mutetur in præcedentem, quæ est g, etc.; et littera f bis servit, 24 et 25.

MARTIUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
*	d	Kal.	1	Bb. Michaëlis Carvalho et Sociorum Mm., Duplex.
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	S. Casimiri Conf., Semiduplex. Com. S. Lucii I Papæ et Mart.
xxvj	A	iij	5	
25 xxv	b	Prid.	6	Ss. Perpetuæ et Felicitatis Mm., Duplex.
xxiv	c	Non.	7	S. Thomæ de Aquino Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xxiij	d	viij	8	S. Joannis de Deo Conf., Duplex majus.
xxij	e	vij	9	S. Franciscæ Romanæ Vid., Duplex.
xxj	f	vj	10	Ss. Quadraginta Martyrum, Semiduplex.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	S. Gregorii I Papæ, Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xviij	b	iij	13	Bb. Sanciæ et Mafaldæ Vv., Duplex.
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	S. Patricii Ep. et Conf., Duplex.
xiij	g	xv	18	S. Cyrilli Ep. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xij	A	xiv	19	S. Joseph, Sponsi B. M. V., Conf., Solemne I Ordinis.
xj	b	xiij	20	S. Martini Dumiensis Ep. et Conf., Duplex majus.
x	c	xij	21	S. Benedicti Abb., Duplex majus.
ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	In Festo Institutionis Ssmi Sacramenti, Solemne II Ordinis.
vj	g	viij	25	Annuntiatio B. Mariæ Virg., Solemne I Ordinis.
v	A	vij	26	S. Gabrielis Archangeli, Duplex majus.
iv	b	vj	27	S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
iij	c	v	28	S. Joannis a Capistrano Conf., Semiduplex.
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

Feria VI post Dom. Passionis – Septem Dolorum B. M. V., Duplex majus. Com. Feriæ.

APRILIS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	S. Francisci de Paula Conf., Duplex.
xxvij	b	iij	3	
25 xxvj	c	Prid.	4	S. Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xxv xxiv	d	Non.	5	S. Vincentii Ferrerii Conf., Duplex.
xxiij	e	viij	6	

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	S. Leonis I Papæ, Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xvij	d	Prid.	12	S. Victoris Mart., Duplex majus.
xvj	e	Idib.	13	S. Hermenegildi Mart., Semiduplex.
xv	f	xviij	14	S. Justini Mart., Duplex. Com. Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm.
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	S. Fructuosi Ep. et Conf., Duplex majus.
xij	b	xv	17	S. Aniceti Papæ et Mart., Simplex.
xj	c	xiv	18	S. Engratiæ Virg. et Mart., Duplex.
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
vij	g	x	22	Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm., Semiduplex.
vj	A	ix	23	S. Georgii Mart., Patron. min. Princ. Lusitaniæ, Duplex majus.
v	b	viij	24	S. Fidelis a Sigmaringa Mart., Duplex.
iv	c	vij	25	S. Marci Ev., Solemne II Ordinis.
iij	d	vj	26	S. Petri de Rates Ep. et Mart., Patroni Principalis Archidiœcesis, Solemne I Ordinis cum Octava communi. Com. Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm.
ij	e	v	27	Translatio S. Joannis Marci Ep. et Mart., Duplex. Com. Octavæ.
j	f	iv	28	S. Pauli a Cruce Conf., Duplex. Com. Octavæ et S. Vitalis Mart.
*	g	iij	29	S. Petri Mart., Duplex. Com. Octavæ.
xxix	A	Prid.	30	S. Catharinæ Senensis Virg., Duplex. Com. Octavæ.

Feria II post Dominicam in Albis - Gaudiorum B. Mariæ Virg., Solemne II Ordinis.

Feria IV infra Hebdomadam II post Octavam Paschæ – Solemnitas S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virg., Conf. et Ecclesiæ universalis Patroni, Solemne I Ordinis cum Octava communi.

Feria IV infra Hebdomadam III post Octavam Paschæ - Octava S. Joseph, Duplex majus.

MAJUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxviij	b	Kal.	1	Ss. Philippi et Jacobi App., Solemne II Ordinis.
xxvij	c	vj	2	S. Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. Octavæ.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis, Solemne II Ordinis. Com. diei Octavæ S. Petri Ep. et Mart., ac Ss. Alexandri I Papæ et Sociorum Mm., ac Juvenalis Ep. et Conf.
25 xxv	e	iv	4	S. Monicæ Vid., Duplex. Com. Translationis Reliquiarum S. Vincentii Mart.
xxiv	f	iij	5	S. Pii V Papæ et Conf., Duplex.
xxiij	g	Prid.	6	S. Joannis Ap. ante Portam Latinam, Duplex majus.
xxij	A	Non.	7	S. Stanislai Ep. et Mart., Duplex.
xxj	b	viij	8	Apparitio S. Michaëlis Archangeli, Duplex majus.
xx	c	vij	9	S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xix	d	vj	10	S. Antonini Ep. et Conf., Duplex. Com. Ss. Gordiani et Epimachi Mm.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	B. Joannæ Virg., Duplex. Com. Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. ac Pancratii Mm.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	S. Bonifatii Mart., Simplex.
xiv	b	Idib.	15	S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf., Duplex.
xiij	c	xvij	16	Anniversarium Consecrationis Archidiœcesis Bracarensis Sacratissimo Cordi Jesu, Solemne II Ordinis. Com. S. Ubaldi Ep. et Conf.
xij	d	xvj	17	S. Paschalis Baylon Conf., Duplex.
xj	e	xv	18	S. Venantii Mart., Duplex.
x	f	xiv	19	S. Petri Cælestini Papæ et Conf., Duplex. Com. S. Pudentianæ Virg.
ix	g	xiij	20	S. Bernardini Senensis Conf., Semiduplex.

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	Translatio S. Jacobi Intercisi Mart., Duplex.
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	S. Gregorii VII Papæ et Conf., Duplex. Com. S. Urbani I Papæ et Mart.
iij	f	vij	26	S. Philippi Nerii Conf., Duplex. Com. S. Eleutherii Papæ et Mart.
ij	g	vj	27	S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. S. Joannis I Papæ et Mart.
j	A	v	28	S. Augustini Ep. et Conf., Duplex.
*	b	iv	29	S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg., Semiduplex.
xxix	c	iij	30	S. Felicis I Papæ et Mart., Simplex.
xxviij	d	Prid.	31	S. Angelæ Mericiæ Virg., Duplex. Com. S. Petronillæ Virg.

Feria VI post Octavam Ssmi Corporis Christi – Sacratissimi Cordis Jesu. Solemne I Ordinis cum Octava communi.

Feria VI ante Dom. III post Pentecosten – Octava Sacratissimi Cordis Jesu. Duplex majus.

JUNIUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxvij	e	Kal.	1	
25 xxvj	f	iv	2	Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Ep., Mm., Simplex.
xxv xxiv	g	iij	3	S. Ovidii Ep. et Mart., Duplex.
xxiij	A	Prid.	4	S. Francisci Caracciolo Conf., Duplex.
xxij	b	Non.	5	S. Bonifatii Ep. et Mart., Duplex.
xxj	c	viij	6	S. Norberti Ep. et Conf., Duplex.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	S. Quiteriæ Virg. et Mart., Duplex.
xviij	f	v	9	Ss. Primi et Feliciani Mm., Simplex.
xvij	g	iv	10	S. Margaritæ Reginæ, Vid., Semiduplex.
xvj	A	iij	11	S. Barnabæ Ap., Duplex majus.
xv	b	Prid.	12	Coronatio B. Mariæ Virg. Immaculatæ de Monte Sameiro. Solemne II Ordinis. Commemoratio S. Joannis a S. Facundo Conf. et Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm.
xiv	c	Idib.	13	S. Antonii Lusitani Conf., Solemne II Ordinis.
xiij	d	xviij	14	S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xij	e	xvij	15	Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm., Simplex.
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	B. Teresiæ Reginæ Portugaliae Vid., Duplex.
ix	A	xiv	18	S. Ephrem Syri, Diac., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. Ss. Marci et Marcelliani Mm.
viij	b	xiij	19	S. Julianæ de Falconeriis Virg., Duplex. Com. Ss. Gervasii et Protasii Mm.
vij	c	xij	20	S. Silverii Papæ et Mart., Simplex.
vj	d	xj	21	S. Aloisii Gonzagæ Conf., Duplex.
v	e	x	22	Bb. Francisci Pacheco et Sociorum Mm., Duplex. Com. S. Paulini Ep. et Conf.
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptistæ. Solemne I Ordinis cum Octava communi.
ij	A	vij	25	S. Gulielmi Abb., Duplex. Com. Octavæ.
j	b	vj	26	S. Pelagii Mart., Duplex. Com. Ss. Joannis et Pauli Mm., et Octavæ.
*	c	v	27	De Octava, Simplex.
xxix	d	iv	28	S. Irenæi Ep. et Mart., Duplex. Com. Octavæ et Vigiliæ.
xxviij	e	iij	29	Ss. Petri et Pauli App., Solemne I Ordinis cum Octava communi.
xxvij	f	Prid.	30	Commemoratio S. Pauli Ap., Duplex majus. Com. S. Petri Ap. et Octavæ S. Joannis Baptistae.

Sabbato post Octavam Corporis Christi – Purissimi Cordis B. Mariæ Virg., Duplex majus.

JULIUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxvj	g	Kal.	1	Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C., Solemne II Ordinis. Com. diei Octavæ S. Joannis Baptistæ.
25 xxv	A	vj	2	Visitatio B. Mariæ Virg., Solemne II Ordinis. Comme-

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
				moratio Ss. Processi et Martiniani Mm.
xxiv	b	v	3	S. Leonis Papæ et Conf. Semiduplex Com. Octavæ.
xxiij	c	iv	4	S. Elisabeth Reginæ Portugaliæ, Duplex majus. Com. Octavæ.
xxij	d	iij	5	S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf., Duplex. Com. Octavæ.
xxj	e	Prid.	6	Octava Ss. Petri et Pauli App., Duplex majus.
xx	f	Non.	7	Ss. Cyrilli et Methodii Epp. et Cc., Duplex.
xix	g	viij	8	Puritas B. Mariæ Virg., Duplex majus.
xviij	A	vij	9	S. Angeli Custodis Regni Portugaliæ. Duplex majus.
xvij	b	vj	10	Ss. septem Fratrum Mm. et Ss. Rufinæ et Secundæ Vv. ac Mm., Semiduplex.
xvj	c	v	11	S. Pii I Papæ et Mart., Simplex.
xv	d	iv	12	S. Joannis Gualberti Abb., Duplex. Com. Ss. Naboris et Felicis Mm.
xiv	e	iij	13	S. Anacleti Papæ et Mart., Semiduplex.
xiij	f	Prid.	14	S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.
xij	g	Idib.	15	Bb. Ignatii de Azevedo et Sociorum Mm., Duplex. Com. S. Henrici Imperatoris, Conf.
xj	A	xvij	16	Commemoratio B. Mariæ Virg. de Monte Carmelo. Duplex majus.
x	b	xvj	17	S. Alexii Conf., Semiduplex.
ix	c	xv	18	S. Camilli de Lellis Conf., Duplex. Com. Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Mm.
viij	d	xiv	19	S. Vincentii a Paulo Conf., Duplex.
vij	e	xiij	20	S. Hieronymi Æmiliani Conf., Duplex. Com. S. Margaritæ Virg. et Mart.
vj	f	xij	21	S. Praxedis Virg., Simplex.
v	g	xj	22	S. Mariæ Magdalenæ Pœnitentis, Duplex.
iv	A	x	23	S. Apollinaris Ep. et Mart., Duplex. Com. S. Liborii Ep. et Conf.
iij	b	ix	24	Vigilia. Com. S. Christinæ Virg. et Mart.
ij	c	viij	25	S. Jacobi Ap. Solemne II Ordinis. Com. S. Christophori Mart.
j	d	vij	26	S. Annæ Matris B. M. V., Solemne II Ordinis.

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
*	e	vj	27	Bb. Rodulphi Aquaviva et Sociorum Mm., Duplex. Com. S. Pantaleonis Mart.
xxix	f	v	28	Dedicatio Ecclesiæ Primatialis et Metropolitanæ Bracarensis. Solemne I Ordinis cum Octava communi. Com. Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Conf.
xxviij	g	iv	29	S. Marthæ Virg., Duplex. Com. Octavæ ac Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm.
xxvij	A	iij	30	De Octava, Simplex. Com. Ss. Abdon et Sennen Mm.
25 xxvj	b	Prid.	31	S. Ignatii Conf., Duplex. Com. Octavæ.

AUGUSTUS

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxv xxiv	c	Kal.	1	S. Petri ad Vincula, Duplex majus. Com. S. Pauli Ap., Octavæ ac Ss. Machabæorum Mm.
xxiij	d	iv	2	S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. Octavæ ac S. Stephani I Papæ et Mart.
xxij	e	iij	3	Inventio S. Stephani Protomart., Semiduplex. Com. Octavæ.
xxj	f	Prid.	4	S. Dominici Conf., Solemne II Ordinis. Com. diei Octavæ Dedic. Ecclesiæ Primatialis.
xx	g	Non.	5	Dedicatio S. Mariæ ad Nives. Duplex majus.
xix	A	viij	6	Transfiguratio D. N. J. C.. Solemne II Ordinis. Commemoratio Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.
xviij	b	vij	7	S. Cajetani Conf., Duplex. Com. S. Donati Ep. et Mart.
xvij	c	vj	8	Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Mm., Semiduplex.
xvj	d	v	9	Vigilia. Com. S. Romani Mart.
xv	e	iv	10	S. Laurentii Mart., Solemne II Ordinis cum Octava simplici.
xiv	f	iij	11	Dedicatio Ecclesiæ Boni Jesu a Monte, Duplex majus. Com. Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm.
xiij	g	Prid.	12	S. Claræ Virg., Duplex.
xij	A	Idib.	13	Ss. Hippolyti et Cassiani Mm., Simplex.
xj	b	xix	14	Vigilia. Com. S. Eusebii Conf.

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
x	c	xviij	15	Assumptio B. Mariæ Virg., Titul. Eccl. Cathedr., Solemne I Ordinis cum Octava communi.
ix	d	xvij	16	S. Joachim, Patris B. M. V., Conf., Solemne II Ordinis.
viij	e	xvj	17	S. Hyacinthi Conf., Duplex. Com. Octavæ Assumptionis ac diei Octavæ S. Laurentii Mart.
vij	f	xv	18	De Octava Assumptionis, Simplex. Com. S. Agapiti Mart.
vj	g	xiv	19	De Octava, Simplex.
v	A	xiij	20	S. Bernardi Abb., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. Octavæ.
iv	b	xij	21	S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid., Duplex. Com. Octavæ.
iij	c	xj	22	Octava Assumptionis B. Mariæ Virg., Duplex majus. Com. Ss. Timothei et Sociorum Mm.
ij	d	x	23	S. Philippi Benitii Conf., Duplex. Com. Vigiliæ.
j	e	ix	24	S. Bartholomæi Ap., Solemne II Ordinis.
*	f	viij	25	S. Ludovici Regis, Conf., Semiduplex.
xxix	g	vij	26	S. Zephyrini Papæ et Mart., Simplex.
xxviij	A	vj	27	S. Josephi Calasanctii Conf., Duplex.
xxvij	b	v	28	S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. S. Hermetis Mart.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ, Duplex majus. Com. S. Sabinæ Mart.
25 xxv	d	iij	30	S. Rosæ Limanæ Virg., Duplex. Com. Ss. Felicis et Adaucti Mm.
xxiv	e	Prid.	31	S. Raymundi Nonnati Conf., Duplex.

SEPTEMBER

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxiij	f		1	S. Ægidii Abb., Simplex. Com. Ss. duodecim Fratrum Mm.
xxij	g	iv	2	S. Stephani Regis, Conf., Semiduplex.
xxj	A	iij	3	
xx	b	Prid.	4	
xix	c	Non.	5	S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf., Semiduplex.
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	Nativitas B. Mariæ Virg., Solemne II Ordinis cum Octava simplici. Com. S. Hadriani Mart.
xv	g	v	9	S. Gorgonii Mart., Simplex.
xiv	A	iv	10	S. Nicolai a Tolentino Conf., Duplex.
xiij	b	iij	11	Ss. Proti et Hyacinthi Mm., Simplex.
xij	c	Prid.	12	Ssmi Nominis Mariæ, Duplex majus.
xj	d	Idib.	13	
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis, Duplex majus.
ix	f	xvij	15	Septem Dolorum B. Mariæ Virg., Solemne II Ordinis. Com. S. Nicomedis Mart.
viij	g	xvj	16	Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep., Mm., Semiduplex. Com. Ss. Euphemiæ et Sociorum Mm.
vij	A	xv	17	Impressio sacrorum Stigmatum S. Francisci Conf., Duplex.
vj	b	xiv	18	S. Josephi a Cupertino Conf., Duplex.
v	c	xiij	19	Ss. Januarii Ep. et Sociorum Mm., Duplex.
iv	d	xij	20	Ss. Eustachii et Sociorum Mm., Duplex. Com. Vigiliæ.
iij	e	xj	21	S. Matthæi Ap. et Ev., Solemne II Ordinis.
ij	f	x	22	S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf., Duplex. Com. Ss. Mauritii et Sociorum Mm.
j	g	ix	23	S. Lini Papæ et Mart., Semiduplex. Com. S. Theclæ Virg. et Mart.
*	A	viij	24	B. Mariæ Virg. de Mercede, Duplex majus.
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Mm., Simplex.
xxvij	d	v	27	Ss. Cosmæ et Damiani Mm., Semiduplex.
25 xxvj	e	iv	28	S. Wenceslai Ducis, Mart., Semiduplex.
xxv xxiv	f	iij	29	Dedicatio S. Michaëlis Archangeli, Solemne I Ordinis.
xxiij	g	Prid.	30	S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct., Duplex.

OCTOBER

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxij	A	Kal.	1	S. Remigii Ep. et Conf., Simplex.
xxj	b	vj	2	Ss. Angelorum Custodum, Duplex majus.

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	S. Francisci Conf., Duplex majus.
xviij	e	iij	5	Ss. Placidi et Sociorum Mm., Simplex.
xvij	f	Prid.	6	S. Brunonis Conf., Duplex.
xvj	g	Non.	7	Sacratissimi Rosarii B. Mariæ Virg., Solemne II Ordinis. Com. S. Marci Papæ et Conf., ac Ss. Sergii et Sociorum Mm.
xv	A	viij	8	S. Birgittæ Vid., Duplex.
xiv	b	vij	9	Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm., Semiduplex.
xiij	c	vj	10	S. Francisci Borgiæ Conf., Patron. Princip. Nationis Lusitanæ, Solemne I Ordinis cum Octava communi.
xij	d	v	11	De Octava, Simplex.
xj	e	iv	12	De Octava, Simplex.
x	f	iij	13	S. Eduardi Regis, Conf., Semiduplex. Com. Octavæ.
ix	g	Prid.	14	S. Callisti I Papæ et Mart., Duplex. Com. Octavæ.
viij	A	Idib.	15	S. Teresiæ Virg., Duplex. Com. Octavæ.
vij	b	xvij	16	De Octava, Simplex.
vj	c	xvj	17	Translatio S. Petri de Rates Ep. et Mart., Patroni Principalis Archid. Bracaren., Solemne II Ordinis. Com. diei Octavæ S. Francisci Borgiæ et S. Hedwigis Vid.
v	d	xv	18	S. Lucæ Ev., Solemne II Ordinis.
iv	e	xiv	19	S. Petri de Alcantara Conf., Duplex.
iij	f	xiij	20	S. Joannis Cantii Conf., Duplex.
ij	g	xij	21	S. Hilarionis Abb., Simplex. Com. Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm.
j	A	xj	22	Translatio S. Martini Dumiensis Ep. et Conf., Semiduplex.
*	b	x	23	S. Irenæ Virg. et Mart., Duplex.
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm., Simplex.
xxvij	e	vij	26	S. Evaristi Papæ et Mart., Simplex.
xxvj	f	vj	27	B. Gundisalvi de Lagos Conf., Duplex. Com. Vigiliæ.
25 xxv	g	v	28	Ss. Simonis et Judæ App., Solemne II Ordinis.
xxiv	A	iv	29	Translatio S. Elisabeth Reginæ Vid., Semiduplex.
xxiij	b	iij	30	Officium pro Gratiarum actione ob Victoriam de Saracenis relatam, Duplex majus.
xxij	c	Prid.	31	Vigilia.

NOVEMBER

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xxj	d	Kal.	1	Omnium Sanctorum, Solemne I Ordinis cum Octava communi.
xx	e	iv	2	Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, Duplex.
xix	f	iij	3	De Octava Omnium Sanctorum, Simplex.
xviij	g	Prid.	4	S. Caroli Ep. et Conf., Duplex. Com. Octavæ ac Ss. Vitalis et Agricolæ Mm.
xvij	A	Non.	5	In Commemoratione Sanctorum, quorum Corpora et Reliquiæ in Ecclesiis Archidiœcesis Bracarensis asservantur, Duplex majus. Com. Octavæ.
xvj	b	viij	6	B. Nonii de S. Maria Conf., Duplex majus. Com. Octavæ.
xv	c	vij	7	De Octava, Simplex.
xiv	d	vj	8	Octava Omnium Sanctorum, Duplex majus. Com. Ss. Quatuor Coronatorum Mm.
xiij	e	v	9	Dedicatio Archibasilicæ Ssmi Salvatoris, Solemne II Ordinis. Com. S. Theodori Mart.
xij	f	iv	10	S. Andreæ Avellini Conf., Duplex. Com. Ss. Tryphonis et Sociorum Mm.
xj	g	iij	11	S. Martini Ep. et Conf., Duplex. Com. S. Mennæ Mart.
x	A	Prid.	12	S. Martini I Papæ et Mart., Semiduplex.
ix	b	Idib.	13	S. Didaci Conf., Semiduplex.
viij	c	xviij	14	S. Josaphat Ep. et Mart., Duplex.
vij	d	xvij	15	S. Gertrudis Virg., Duplex.
vj	e	xvj	16	Patrocinium B. Mariæ Virg., Duplex majus.
v	f	xv	17	S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf., Semiduplex.
iv	g	xiv	18	Dedicatio Basilicarum Ss. Petri et Pauli App., Duplex majus.
iij	A	xiij	19	S. Elisabeth Vid., Duplex. Com. S. Pontiani Papæ et Mart.
ij	b	xij	20	S. Felicis de Valois Conf., Duplex.
j	c	xj	21	Præsentatio B. Mariæ Virg., Duplex majus.

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
*	d	x	22	S. Cæciliæ Virg. et Mart., Duplex.
xxix	e	ix	23	S. Clementis I Papæ et Mart., Duplex. Com. S. Felicitatis Mart.
xxviij	f	viij	24	S. Joannis a Cruce Conf., Duplex. Com. S. Chrysogoni Mart.
xxvij	g	vij	25	S. Catharinæ Virg. et Mart., Duplex.
25 xxvj	A	vj	26	S. Silvestri Abb., Duplex. Com. S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.
xxv xxiv	b	v	27	S. Jacobi Intercisi Mart., Duplex.
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Bb. Dionysii a Nativitate et Redempti a Cruce Mm., Duplex. Com. Vigiliæ ac S. Saturnini Mart.
xxj	e	Prid.	30	S. Andreæ Ap., Solemne II Ordinis.

DECEMBER

Cyclus Epactarum	L. D.		D. M.	MENSIS
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iv	2	S. Bibianæ Virg. et Mart., Semiduplex.
xviij	A	iij	3	S. Francisci Xaverii Conf., Duplex majus.
xvij	b	Prid.	4	S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. S. Barbaræ Virg. et Mart.
xvj	c	Non.	5	S. Geraldi Ep. et Conf., Duplex majus. Com. S. Sabbæ Abb. – In Civit. Bracaren. - S. Geraldi Ep. et Conf., Patroni Principalis Civitatis, Solemne I Ordinis cum Octava communi.
xv	d	viij	6	S. Nicolai Ep. et Conf., Duplex. - In Civit. Com. Octavæ.
xiv	e	vij	7	S. Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct., Duplex. Com. Vigiliæ. - In Civit. Com. Octavæ et Vigiliæ.
xiij	f	vj	8	Conceptio Immaculata B. Mariæ Virg., Patrona Principalis Lusitaniæ, Solemne I Ordinis cum Octava communi.
xij	g	v	9	De Octava Conceptionis, Simplex. - In Civit. Com. Octavæ S. Geraldi.
xj	A	iv	10	De Octava Conceptionis, Simplex. Com. S. Melchiadis Papæ et Mart. - In Civit. Com. Octavæ S. Geraldi et S. Melchiadis.
x	b	iij	11	S. Damasi I Papæ et Conf., Duplex majus. Com. Octavæ Conceptionis. - In Civit. Com. Octavarum Conceptionis et S. Geraldi.
ix	c	Prid.	12	De Octava Conceptionis, Simplex. In Civit. Octava S. Geraldi Ep. et Conf., Duplex majus. Com. Octavæ Conceptionis.
viij	d	Idib.	13	S. Luciæ Virg. et Mart., Duplex. Com. Octavæ.
vij	e	xix	14	De Octava Conceptionis, Simplex.
vj	f	xviij	15	Octava Conceptionis Immaculatæ B. Mariæ Virg., Duplex majus.
v	g	xvij	16	S. Eusebii Ep. et Mart., Semiduplex.
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	Expectatio Partus B. Mariæ Virg., Duplex majus.
ij	c	xiv	19	Translatio S. Geraldi Ep. et Conf., Semiduplex. - In Civitate, Duplex majus.
j	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	S. Thomæ Ap., Solemne II Ordinis.
xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia.
xxvj	b	viij	25	Nativitas D. N. J. C., Solemne I Ordinis cum Octava privilegiata III ordinis. Com. S. Anastasiæ Mart. in secunda Missa.
25 xxv	c	vij	26	S. Stephani Protomart., Solemne II Ordinis cum Octava simplici. Com. Octavæ Nativitatis.
xxiv	d	vj	27	S. Joannis Ap. et Ev., Solemne II Ordinis cum Octava simplici. Com. Octavæ Nativitatis.
xxiij	e	v	28	Ss. Innocentium Mm., Solemne II Ordinis cum Octava simplici. Com. Octavæ Nativitatis.
xxij	f	iv	29	S. Thomæ Ep. et Mart., Duplex. Com. Octavæ Nativitatis.
xxj	g	iij	30	De Octava Nativitatis, Simplex.
19 xx	A	Prid.	31	S. Silvestri I Papæ et Conf., Duplex. Com. Octavæ Nativitatis.

Hæc Epacta 19 nigra nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero xix.

LITURGIA BRACARENSIS

Sectio I - Fundamentalia sacræ Liturgiæ Bracarensis principia.

Liturgia Bracarensis est complexus rerum, verborum et actionum, quæ in alma Ecclesia Bracarensi, ad cultum externum Deo debitum reddendum et ad salutem animarum, ordinantur.

2 Omnia, quæ ad essentiam Sacrificii Missæ et Sacramentorum pertinent, auctorem habent ipsam increatam Sapientiam, Christum Dominum; reliquæ vero Liturgiæ Bracarensis partes, quæ ad sacrorum Rituum decorem et venerationem spectant, ex veneranda Ecclesiæ Bracarensis traditione originem ducunt, et pendent tum ex generalibus Liturgiæ normis a Sede Apostolica traditis, tum præcipue ab explicita et formali approbatione Summi Pontificis, cui unice a Christo Domino concredita est vicaria potestas sacros Ritus instituendi vel approbandi.

3 Omnes Liturgiæ Bracarensis Ritus, Rubricæ et Cæremoniæ peculiari studio et diligenti devotione serventur; eodem tamen studio et devotione audienda sunt et prompte servanda omnia et singula Sedis Apostolicæ Decreta, quibus omnes Catholicæ Liturgiæ obedientiam et reverentiam præstare debent. Si ergo Dominus Archiepiscopus, in visitandis Ecclesiis et Oratoriis, etiam privatis, semel in anno obeundis, sive per se sive per alios Sacerdotes in re liturgica bene doctos, aliqua invenerit quæ sanctis Liturgiæ Bracarensis Ritibus vel Sedis Apostolicæ Decretis sint contraria, ea mox, ceu abusus et corruptelas, removenda curet, non obstante quocumque prætextu vel contraria consuetudine.

4 Quando in fontibus propriis Liturgiæ Bracarensis aliquid desit, quod necessarium sit ad sacras functiones peragendas, semper recurrendum est ad fontes liturgicos Sedis Apostolicæ; si vero dubium exsurgat circa aliquem Liturgiæ Bracarensis Ritum, ad judicium recurratur Summi Pontificis, quem in re liturgica Ritus Bracarensis semper ut supremum et infallibilem veneratus est Magistrum et Ducem.

Sectio II - De locis ad Missam celebrandam necessariis.

Locus ad Missam celebrandam duplex est, unus remotus et alter proximus: Locus remotus est Ecclesia et Oratorium publicum vel semipublicum aut privatum; locus proximus est Altare.

Tit. 1 - De loco remoto Sacrificii, seu de Ecclesia.

Missa jure ordinario celebrari licet in Ecclesiis vel Oratoriis, solemniter consecratis vel saltem benedictis a legitima auctoritate.

2 Ecclesia et Oratorium publicum seu Capella publico fidelis populi usui, ad divinum cultum peragendum, perpetuo inserviunt: Oratorium semipublicum vero inservit commodo alicujus communitatis vel personarum cœtus; Oratorium tandem privatum in ædibus privatis, in commodum alicujus personæ vel familiæ, erigitur.

3 Sine speciali Indulto Sanctæ Sedis Oratorium privatum erigi non potest; erectioni vero Ecclesiae et Oratorii publici et semipublici sufficit auctoritas domini Archiepiscopi.

4 Solemniter consecratæ sint saltem Ecclesiæ Cathedralis et parochiales: aliæ Ecclesiæ inferiores et Oratoria publica vel consecrari vel saltem solemniter benedici debent; Oratoria privata simplici benedictione loci seu domus novæ privatim benedicuntur; Oratorii tandem semipublici benedictio erit vel solemnis vel privata loci, habita circumstantiarum ratione, a domino Archiepiscopo ponderanda et judicanda.

5 In privato Oratorio Missam celebrare non liceat sequentibus diebus: in ultimo Triduo majoris Hebdomadæ, in Festis Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, Assumptionis et Conceptionis B. M. V., S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli et Omnium Sanctorum et in Dominicis in quas transfertur solemnitas externa Patroni principalis loci et Ssmi Corporis Christi. At Sacerdos, cui Sedes Apostolica ob infirmitatem Oratorium privatum concessit, semper, etiam in omnibus supramemoratis diebus, celebrare potest.

6 Ecclesiæ et Oratoria ad divinum cultum exclusive mancipantur: nihil igitur eorum sanctitatem offendat, nihil in eis sit profanum; sed omnia honesta, integra, munda et pulchra sint: numquam ad conventus, qui religiosi non sint, aperiantur.

7 Missam celebrare non liceat in Ecclesiis, quae: *a*) pollutæ sint illis actionibus a Jure statutis, quae earum sanctitatem offendunt; vel *b*) exsecratæ per destructionem majoris partis parietum, aut per amplificationem quæ partibus præexistentibus prævaleat; vel *c*) interdictæ per superiorum prohibitionem, ne divina ibi celebrentur vel audiantur.

Tit. 2 - De Sacrario Ecclesiæ adnexo, et de ejus supellectili.

Sacrarium, Ecclesiæ vel Oratorio adnexum, amplum sit et locum occupet siccum: abundet in eo munditiés, ordo, lux et aër.

2 In aptiori loco Sacrarii adsit semper Crux cum imagine Crucifixi. Armaria, ad sacram supellectilem asservandam, magna sint et commoda; et ita construenda, ut sacra Paramenta sine plicatura recipere valeant. Decens vas aquarium exstruatur, cui proxime apponentur lintea pro Sacerdotibus et sacris Ministris, singulis hebdomadibus commutanda: addatur etiam linteum pro Ministris inferioribus vel pro laicis Missæ inservientibus.

3 Adsit in Sacrario mensa, panno laneo viridi vel violaceo cooperta, super quam extendenda sunt sacra Paramenta, ante et post Missæ Sacrificium. Non desint etiam thecæ, quarum una pro Hostiis ad Sacrificium Missæ necessariis, alia pro particulis ad communionem fidelium destinatis.

4 In Sacrario expositæ sint Bullæ, Pastorales, circulares et monitiones ad cultum pertinentes, et tabella legatorum piorum et obligationum perpetuarum. Duo adsint etiam libri, in quorum priore Parochus vel Rector Ecclesiæ omnes Missarum intentiones et eleemosynas, a fidelibus quotidie oblatas, describet; in altero, ordinate et per partes, recensenda sint omnia et singula, quæ in Sacrario et Ecclesia vel Oratorio inveniuntur.

Tit. 3 - De loco proximo Sacrificii, seu de Altari.

Altare, super quo Missæ Sacrificium offertur, ex lapide duro et compacto esse debet et ab Episcopo consecratum. Altare elegans et pulchrum sit, Dominum enim et Salvatorem nostrum repræsentat.

2 Altare est fixum seu immobile, et portatile seu mobile. Altare fixum una et integra lapidea tabula constare debet, quæ suo stipiti seu basi, saltem in quatuor angulis, cæmento conjungatur. Altare portatile ab uno in alium locum transferri potest, et, pro Missæ celebratione, mensæ fixæ Altaris inseratur, tantæque sit longitudinis et latitudinis, ut Calicis pedem, Hostiam et Pyxidem, cum particulis pro fidelium communione, integre excipere valeat.

3 Super mensam Altaris incidendæ sunt quinque Cruces in locis unctionum, una in medio prope sepulcrum Reliquiarum et ceteræ in quatuor angulis.

4 Sepulcrum Reliquiarum Altaris fixi quadrangulare esse debet, et, recondita in eo capsula Reliquiarum, a Pontifice operculo lapideo cæmento est claudendum. Capsula Reliquiarum, in sepulcro Altaris fixi claudenda, ex lamina plumbea vel argentea sit et bene expolita intus et extra. In ea recondantur sacræ Reliquiæ, grana tria incensi et instrumentum consecrationis, et, suo operculo clausa, sigillo Pontificis muniatur. In Altari portatili vero capsula non requiritur; sed Reliquiæ et tria grana thuris immediate in sepulcro recondantur.

5 Reliquiæ, in sepulcro Altaris recondendae, corporis sint et non vestium vel hujusmodi, et Martyrum esse debent, cum quibus tamen uniri possunt in Altari fixo Reliquiæ Confessorum, in quorum honore Ecclesia vel Altare dedicatur; plurium Sanctorum sint etiam Reliquiæ, ut verificentur verba Celebrantis: **Quorum Reliquiæ hic sunt.** In Altari portatili recondendæ sunt Reliquiæ saltem duorum Martyrum.

6 Altare, sive fixum sive portatile, exsecratur seu consecrationem amittit, si enormiter frangitur: enormis autem fractio dicetur, si lapis sit effractus in duas vel plures notabiles partes, aut intra signa vel sigilla consecrationis, vel si amoveatur aut frangatur claustrum lapideum sepulcri Reliquiarum vel ejus operculum, aut aliquas habeat scissuras.

7 Altare fixum, non autem portatile, exsecratur per amotionem tabulæ lapideæ seu mensæ superioris a sua basi; et quoties abscissa fuerit aliqua ex partibus, in quibus chrismatis unctiones factæ sunt ad conjungendam tabulam Altaris cum suo stipite.

8 Item Altare fixum, non autem portatile, profanatur, dum Ecclesia polluitur; non vero dum, per destructionem parietum, Ecclesia suam amittit consecrationem.

9 Numquam liceat Missam celebrare in Altari exsecrato vel profanato, usquedum Altaris consecratio non renovetur vel reconcilietur Ecclesia.

10 Altare majus tres gradus inferiores habere debet, vel quinque, si Altaris amplitudo hoc requirat; Altaria minora vero duos tantum, quorum unus sit ipsum suppedanei scabellum, ligneis tabulis instructum. Licet Ecclesia vel publicum Oratorium consecrata non sint, consecrari tamen decet ut fixum saltem Altare majus.

11 Parochi, Ecclesiarum Rectores, Capellani et Sacristæ, qui præ ceteris decorem domus Dei ex officio diligere debent, diligenter curent ut Altaria sæpe expolliantur et mundentur, et, occasione solemniorum festivitatum, sumptuosius ornentur.

Tit. 4 - De Altaris ornamentis.

Altare est ipse Christus, qui stat ante Thronum, in quo et per quem oblationes fidelium Deo Patri offeruntur; ideo pretiosis vestimentis ornari debet.

2 Altare, præter chrismale seu pannum lineum, album et ceratum super mensam consecratam ponendum, tribus mappis seu tobaleis lineis, mundis et benedictis operiatur, quarum superior ita longa sit, ut ab utraque parte Altaris ad terram pertingat, nisi omittatur antipendium, ut infra, n. 3; tunc enim hæc mappa totam mensam cooperire debet et aliæ duæ breviores esse possunt, majorem tamen mensæ partem tegant, vel saltem lapidem consecratum. Finitis Missis, purissima scopula mundentur mappæ et tegantur stragulo viridi, quod tamen, tempore Sacrificii et expositionis Ssmi Sacramenti, ab Altari removeri debet.

3 Pallium seu antipendium est paramentum sericum, quo pars anterior seu frons Altaris semper ornari debet, nisi hæc pars opera et artificio egregie decoretur, vel columellis sustentetur aut ad formam tumbæ sit confecta. Pallium decens et pulchrum sit et bene extensum et explicatum, et coloris, quoad fieri potest, diei vel Officio convenientis.

4 Crux cum Imagine Crucifixi, quod est principale ornamentum Altaris, inter candelabra collocari debet, ut Celebranti et fidelibus Christi passio in memoriam revocetur, cujus passionis Missæ Sacrificium incruenta est sed realis expressio: est signum Regis in regia sua. Crux candelabris ita promineat, ut Celebrans et fideles Crucifixum facile et commode intueri possint. Imago Crucifixi pulchra ac decora sit, ut devotionem excitet. Crucem Altaris substituere nequit parva Crux, super tabernaculum Ssmi Sacramenti collocata. Crux de præcepto non est, quando, vel Altare præcipua et magna Crucifixi effigie etiam depicta ornatur, vel in eo expositum sit Ssmum Sacramentum.

5 Sint etiam hinc inde in utroque latere Crucis candelabra cum candelis, ex pura apum cera confectis: sex in Altari majori, quatuor in aliis. Duas tantum candelas accendere licet pro Missa privata Sacerdotis, Episcopo inferioris; quatuor pro missa privata Pontificis vel pro Missis non stricte privatis; sex pro Missa solemni et Pontificali, cui septima apponitur, quando eam solemniter celebret Dominus Archiepiscopus. Tempore pœnitentiæ, quando Officio diei correspondent Paramenta violacea, et in Missis solemnibus Defunctorum, cerei flavi adhibeantur. In solemni expositione, et quando Feria V in Cœna Domini in Horto et Feria VI Parasceves in Sepulcro Ssmum Sacramentum reponitur, duodecim saltem candelæ in Altari accendendæ sunt; in expositione autem privata, saltem sex.

6 Luminare in Altari significat Christum Dominum, qui est vera Lux nostra; nostram exhibet etiam reverentiam sacris Mysteriis ostendendam et excitat fidem, devotionem ac zelum ad opera bona, quibus lux mundi esse debemus; ideo Celebrans nunquam Missam incipiat, antequam ardeant cerei, nec illos exstingui sinat ante lectionem ultimi Evangelii.

7 Conopæum, quo tabernaculum Ssñi Sacramenti cooperiri debet, sit decens et pulchrum et panno pretioso contextum: conveniat cum Officio diei vel sit saltem albi coloris; in expositione vero Sanctissimi Sacramenti sit semper album et in Missis solemnibus pro Defunctis semper violaceum.

8 In Festis solemnioribus splendidior sit ornatus Altarium, quam in aliis diebus: pulchriora et pretiosiora sint antipendium et conopæum, et, si fieri potest, argentea sint Crux et candelabra, aut saltem inargentata vel inaurata.

9 Tabellæ Secretarum in medio et in utroque latere Altaris apponendæ sunt; sed, excepto tempore Missæ, ab Altari removeantur, quando in eo expositum sit Ssñum Sacramentum.

10 Missale bene firmiterque religatum sit, folia sint exterius inaurata, et, ne lacerentur, funiculi ordine suo semper disponantur. Missali supponendus est pulvillus vel legile: pulvillus sit coloris Missæ convenientis; legile tegatur velo coloris Officio respondentis, nisi argenteum sit vel affabre factum, tunc enim nudum Missali supponatur.

11 In celebratione sanctæ Missæ adhibeatur semper Missale Bracarense; quando autem Sacerdotes Bracarenses celebrare debeant in Ecclesia diversi Ritus, qui latinus sit, ubi copia Missalis Bracarensis non habetur, Missali illius Ecclesiæ secure utantur, servatis tamen legibus proprii Ritus et aliis omnibus quæ infra, sect. V, tit. 9, n. 6, præscribuntur.

12 Vasa cum floribus frondibusque naturalibus vel artificialibus collocanda sunt inter candelabra vel super gradus Altaris, numquam vero ante Tabernaculum vel super mensam Altaris. Tempore lætitiæ, ut in Festis, hæc vasa aliaque decentia et pulchra ornamenta conveniunt; non autem decent tempore pœnitentiæ, quando adhibentur Paramenta nigra vel violacea: excipiuntur Dominicæ III Adventus et IV Quadragesimæ, in quibus vasa cum floribus non prohibentur.

13 Prope Altare, nunquam vero super Altare, ponuntur in parva mensa seu credentia, campanula, pelvicula cum ampullis et manutergium. Campanula, a ministro pulsanda, etiam in Oratoriis, ad Sanctus et ad utramque elevationem, decens et munda sit: pulsari autem nequit tempore expositionis Ssñi Sacramenti, nisi in Missa quæ ad Altare expositionis celebratur, nec durante recitatione divini Officii, in Missis privatis Altarium, quæ sunt in conspectu Chori, nec tempore quo per Ecclesiam fiunt preces vel Processiones aut absolutiones Defunctorum ad feretrum. Ampullæ, ob munditiem et ut melius et certius vinum ab aqua distingui possit, vitro perlucido vel cristallo confectæ sint.

14 Nunquam super Altare quidquam ponatur, quod ad Missæ Sacrificium vel ad ipsius Altaris ornatum non pertineat. Tempore expositionis Ssñi Sacramenti ab Altari removeantur etiam thecæ Reliquiarum vel imagines Sanctorum, quæ forsan inter candelabra inveniantur, eorumque loco convenienter ponuntur vascula cum floribus, ut supra, n. 12; tempore autem Passionis neque thecæ et imagines Sanctorum neque vasa cum floribus super Altare tolerantur.

15 Amplo et pulchro tapete cooperiantur, saltem in solemnioribus festivitatibus, suppedaneum et gradus inferiores Altaris majoris; aliorum vero Altarium saltem suppedanea tapetibus ornentur. Tapetes Altarium pulchri sint, sed non nimis ornati et nunquam aliquid profani vel sacri exhibeant. A denudatione Altarium, in Feria V in Cœna Domini, usque ad initium Officii Sabbati Sancti, et in Missis solemnibus pro Defunctis tapetes adhibere non licet.

16 Omnium speciosior Altaris ornatus et totius decoris initium est mundities; omnia igitur in Altari nitida sint et munda: nitori et Altaris decentiæ invigilent Sacerdotes Bracarenses, hoc pium sit et honorificum eorum studium et officium, ut fideles sint Sanctuarii custodes et glorificari inde a Christo Domino mereantur.

Tit. 8 - De aliis Ecclesiæ ornamentis ad Missam celebrandam necessariis.

Presbyterium uno saltem gradu pavimento Ecclesiæ emineat, simulque balaustrio marmoreo vel clathris ferreis aut ligneis, eleganter elaboratis, claudatur; et, saltem in solemnioribus festivitatibus, pannis viridibus contegatur.

2 Dum sacra Officia celebrantur, nullus laicus, qua cumque sit dignitate, Presbyterium ingrediatur et multo minus in eo sedem habeat; Clerici autem et socii confraternitatum illuc absque superpelliceo ingredi non possunt; Tertiariis vero sæcularibus, dummodo habitum talarem Ordinis deferant, licet.

3 Sedes, in Presbyterio paranda, diversa esse debet pro diversa Celebrantis dignitate: domino Archiepiscopo, solemniter celebranti, paratur thronus, in cujus medio collocatur sedes cameralis; aliis Episcopis et nonnullis Prælatis, faldistorium; cuicumque alii Sacerdoti, Episcopo inferiori, scamnum.

4 Thronus, ad quem per tres gradus ascendi debet quique suppedaneum habet tapete coopertum, est sedes in modum cathedræ immobilis cum præalto dorso et baldachino superposito, quadrangulari et colori festivitatis conformi. Thronus est fixus et permanens in Ecclesia Cathedrali, in aliis Ecclesiis erigitur, quando solemniter celebratur Pontificale. Alii Episcopo cedere potest Pontifex jus throni, cum assistentia Canonicorum sibi debita; nisi Cardinalis sit, tunc enim non decet ut thronum cedat, nisi ei qui eadem dignitate sit ornatus.

5 Faldistorium collocatur a latere Epistolæ, prope infimum gradum anteriorem Altaris, ita ut Episcopus in eo sedens habeat ad dexteram suam Altare, et respiciat eam partem quam facies Altaris respicit.

6 Scamnum cum dorso in cornu Epistolæ ante gradus laterales Altaris collocetur et ita amplum sit ut Celebrans commode sedere possit cum sacris Ministris. Scamnum diebus festis panno viridi cooperiatur, aliis diebus panno violaceo; Feria autem VI Majoris Hebdomadæ, et in Missis solemnibus Defunctorum, scamnum sit omnino nudum.

7 Excepto Pontifice, solemniter in throno celebrante, nemini liceat uti sedibus cameralibus intra Presbyterium. Pro Ministris inferioribus in Presbyterio subsellia lignea sint, nec prope scamnum Celebrantis collocentur.

8 Sedilia, in navi Ecclesiæ ad fidelium commodum disponenda, solido ligno conficiantur: eorum forma sit elegans, sed simplex, severa et practica. Genuflexoria cum sedilibus connexa non sint nimis angusta et alta, nec e converso nimis lata et depressa, sed naturalia et commoda. Sedilia ita disponantur, ut fideles terga non vertant Altaribus, ei præsertim ubi Sanctissimum Sacramentum asservatur.

9 Chorus, ubi adstant cantores, Ecclesiæ dignitati Clerique multitudini apte respondeat. In Choro non deficiant legilia nec sufficentia Antiphonarii et Gradualis exemplaria. Fœminis nunquam liceat Chorum ingredi, dum divina Officia peraguntur.

10 Silentium, quod in Ecclesia a Sacerdotibus et fidelibus diligenti et constanti studio servari debet, præcipue cantoribus est inculcandum. Si cui ex non prævisa necessitate in Choro loquendum est, hoc submissa voce fiat. Errata dissimulentur et nullus sit qui risu vel gestu incomposito rem divinam perturbet.

11 Cantores modeste et cum religiosa et christiana gravitate vocem modulentur, non humanæ laudis cupidi, sed in laudes Dei celebrandas et excitandam fidelium pietatem intenti; ut eorum cantus vere dici possit et sit oratio cantata. Nulla igitur sint profana, mundana et theatralia: omnia sint distincta, intelligibilia et devota. Intra Missam solemnem nullum cantum admittant Sacerdotes Bracarenses, qui non sit stricte et rigorose liturgicus et ab Apostolica Sede recognitus et approbatus.

12 Organum optime exstructum sit, vocis suavitate excellat, atque Ecclesiæ amplitudini respondeat. Organum unice consociet cantum religiosum, sive liturgicum sive popularem. Organum pulsatur diebus Dominicis et Festis et quotiescumque Missa solemniter celebratur; post Missam vero Feriæ V in Cœna Domini taceat Organum usque ad Glória in Missa Sabbati Sancti, et in Dominicis et Feriis Adventus et Quadragesimæ (excepta Missa in Dominicis Gaudéte et Lætáre) intra Missam tantum, ac in Officio et Missa pro Defunctis. Numquam consociet Organum cantum popularem, qui prævie non sit a domino Archiepiscopo examinatus et legitime approbatus.

Sectio III - De Vasis sacris.

Vasa sacra maxima reverentia tractanda sunt; significant enim Sepulcrum Christi Domini, sacrum divini Salvatoris Corpus et Sanguinem tangunt et a Pontifice sacra unctione consecrantur.

2 Intra Missam ea tangere possunt solummodo Sacerdos et Ministri sacri; extra Missam vero, quando vacua sunt, etiam Clerici saltem prima tonsura initiati vel ii qui eorum custodiam habent.

3 Numquam permittatur laicis, vel præparare Calicem in Sacrario pro Missa celebranda, vel ad Altare deferre Calicem, Pyxidem vel alia vasa sacra: hoc lædit reverentiam vasis sacris debitam, hunc honorem numquam laicis cedant Bracarenses Sacerdotes et Ministri sacri.

4 Sæpe mundentur intrinsecus et extrinsecus vasa sacra; et, si Calices et Patenæ interius aurum amiserint, denuo inaurentur sed non consecrentur.

Tit. 1 - De vasis sacra unctione consecratis.

Calix vel aureus sit, vel argenteus cum cuppa intus inaurata, vel habeat saltem cuppam argenteam intus inauratam.

2 Patena ex eadem materia confici debet ac Calicis cuppa; et, quando non sit ex auro, semper sit deaurata saltem in parte superiori.

Tit 2 - De vasis simpliciter benedictis.

Pyxides, et earum operculum cum Cruce, confici possunt ex auro vel argento, aut ex alio quocumque solido decentique metallo; intus tamen sint semper deauratæ. Idem dicatur de materia Custodiæ, in qua reponitur Corpus Domini in ultimo triduo Hebdomadæ Sanctæ, Capsulæ, Lunulæ et Ostensorii.

2 Pyxides semper velo albo, ex pretiosa tela serica, aurea vel argentea confecto, cooperiri debent.

3 In Ecclesiis parochialibus sint saltem duæ Pyxides, quarum major seu Ciborium ad communionem fidelium, minor vero ad communionem infirmorum adhibeatur. Adsit etiam parva Custodia aurea vel argentea intus inaurata, quæ, in casu longioris et difficilioris itineris, in bursa serica albi coloris includitur et collo Sacerdotis decenter appenditur.

4 In promptu sit etiam Capsula, intus inaurata, ad asservandam Hostiam consecratam in Ostensorio exponendam.

5 Lunula ad sustentandam Hostiam consecratam, in expositione Sanctissimi Sacramenti, aurea esse debet vel ex argento intus inaurata. Data Benedictione Sanctissimi Sacramenti, in Capsula cum Hostia commode reponetur.

6 Ostensorium ad nihil aliud adhiberi liceat, nisi ad Sacram Eucharistiam solemniter exponendam.

Sectio IV - De Paramentis sacris et de linteis.

Sacerdos Bracarensis bene cognoscat, tum materiam et formam Paramentorum et linteorum, tum eorum significationem mysticam et moralem, ut sacram Liturgiam fidelius et devotius colat et Christianum populum convenientius edoceat.

2 Lintea et Paramenta sacra constent semper materia, forma et colore in Ecclesia Latina usitatis, neque mutentur umquam, nisi Sedes Apostolica aliud decreverit.

3 Paramenta semper benedicta esse debent, adhibita formula Pontificalis, vel Missalis aut Ritualis, prout benedicens est Episcopus vel simplex Sacerdos.

4 Indumenta, in celebratione Missæ Bracarensis usitata, sunt: Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola et Planeta, quibus additur pro Missa solemni et aliis functionibus: Dalmatica, Tunicella, Pluviale, Velum humerale, Superpelliceum et rochettum. Lintea vero, seu Paramenta Calicis, sunt: Corporale, Palla, Purificatorium, Velum, et Bursa, quibus additur manutergium.

Tit. 1 - De Amictu, Alba et Cingulo.

Amictus ex lino vel cannabe esse debet: in medio ejus parva crux designetur. Amictus indicat tum fortitudinem operum simul cum spe vitæ æternæ et firma fiducia in Deum, tum custodiam linguæ, caute servandam.

2 Alba seu tunica talaris ex ligno vel cannabe sit confecta: ampla esse debet, et ita sit longa, ut, ad cingulum circumcirca elevata, honeste vestes tegere et ad altitudinem digiti super terram æqualiter fluere queat. Alba Ministrum sacrum admonet de animi munditie, per mortificationem et laborem comparanda.

3 Cingulum seu funiculus, quocum Alba circumcirca stringitur et elevatur, ex lino vel cannabe esse debet, et significat continentiam a Sacerdotibus et Ministris sacris sancte servandam.

Tit. 2 - De Manipulo et Stola.

Manipulus ex eadem Stolæ et Planetæ materia et colore esse debet, et utraque extremitas lacinilis seu frangiis ornari potest. Celebranti et sacris Ministris adhibendus est Manipulus in Missis tantum, et quando canenda est Epistola, Evangelium et Præco-

nium Paschale. Acolytus, qui, in casu necessitatis, ad Altare ministrat, licet alia Subdiaconi Paramenta induere possit, numquam tamen Manipulum. Manipulus significat, tum zelum apostolicum a viro ecclesiastico semper adhibendum, tum labores et tribulationes vitæ sacerdotalis, tum æternam mercedem huic zelo, laboribus et tribulationibus debitam.

2 Stola ex serico esse debet, et frangiis ad extremitates ornari potest. Sacerdotibus adhibenda est Stola dum Missam celebrant, et etiam Diaconis, quando in Missa solemni ad Altare ministrant. Stola, quatenus collo imponitur, significat jugum et onus sacri ministerii, et patientiam in eo ferendo necessariam; quatenus vero vestis distinctiva est et ornatus, significat vestem candidam innocentiæ in accessu ad sacra Mysteria requisitam, et vestem gloriæ, immortalitatis et felicitatis promerendam. Stola vero, quæ Tempore Adventus et Quadragesimæ et aliis diebus infra, tit. 8, n. 6 notatis, adhibetur ante Evangelium usque ad Communionem, licet habeat eamdem longitudinem ac Stola communis, hanc tamen latitudine superat: cumque non sit vere Stola, sed pro Casula complicata adhibeatur, Cruces habere non debet.

Tit. 3 - De Planeta, Dalmatica et Tunicella.

Planeta seu Casula ultimum et specialius est inter indumenta Sacerdotis Missam celebrantis: ex serico confici debet, et, ad ampliorem ornatum et decorem, serico addi valent filamenta aurea vel argentea.

2 Planetæ plicatæ eadem forma et materia esse debent ac Planetæ Celebrantis: iis utuntur sacri Ministri in Missis pro quibus prohibetur usus Dalmaticæ et Tunicellæ ut infra, tit. 8, num. 6 notatur; in minoribus tamen Ecclesiis, ubi non adest copia indumentorum, sacri Ministri Sacerdoti assistere possunt absque Planetis plicatis, dimissa tamen Dalmatica et Tunicella.

3 Planeta designat tum caritatem, quæ omnibus virtutibus supereminet, tum Crucem Domini, jugum nempe amoris, suavitatis et dulcedinis, cujus pondus Sacerdos libenti et constanti animo ferre debet.

4 Dalmatica et Tunicella, quas induunt sacri Ministri, cum in Missa solemni ministrant Celebranti, ex eadem fere forma fieri debent, nisi quod manicæ in Dalmatica latiores sunt sed breviores. Quoad pretiositatem vero Dalmatica et Tunicella conformes sint Planetæ Celebrantis. Hæc indumenta vestes sunt solemnitatis et gaudii, et significant amorem justitiæ, spiritualem lætitiam et salutis æternæ spem, quibus animari debent sacri Ministri, præcipue dum assistunt Sacerdoti, sacra Mysteria celebranti.

Tit. 4 - De Pluviali, Velo humerali, Superpelliceo et Rochetto.

Pluviale seu Cappa ex eadem Planetæ materia et colore esse debet, et decet ut in tota sua latitudine fascia decoretur. Celebrans, pro diversitate sacrarum functionum, Pluviale induit super Stolam, et super Albam vel Superpelliceum. Pluviale, humeris impositum, ante pectus connecti debet fibulis aureis vel argenteis, et, quando eo utitur Celebrans, semper deponit Manipulum.

2 Velum humerale ex serico conficiatur, et pretiosius sit vel commune, prout solemniora vel communia sint Festa quæ celebrantur. Color Veli humeralis congruens sit colori Paramentorum; excipiuntur delatio et benedictio Ssmi Sacramenti et solemnitas Feriæ VI in Parasceve, in quibus velum humerale semper albi coloris esse debet. Firmatur ante pectus ligulis sericis vel uncinis auratis vel argenteis.

3 Superpelliceum amplas largasque manicas habeat, et ita longum sit, ut fere usque ad genua pertingat: præstat ut sit ex lino vel cannabe, uti Alba, ex qua originem ducit. Superpelliceo nulla ligula ex serico apponenda est; sed duobus funiculis, aut simplici globulo vel uncino collo adstringendum est. Superpelliceum est vestis sacra, adhibenda a Ministris inferioribus Altari inservientibus et a Sacerdotibus in Sacramentorum administratione et in aliis ecclesiasticis functionibus. Resplendeat in Superpelliceo mundities et simul in ornatu christiana simplicitas et modestia. Superpelliceum significat vitæ innocentiam, puritatem et sanctitatem, quibus coram hominibus lucere debent Ecclesiæ Ministri.

4 Rochettum ex eadem materia et forma esse debet ac Superpelliceum, ratione communis originis ex Alba, longiores tamen et angustiores manicas habet. Rochetto uti possunt solummodo Dignitates Cleri, quibus ejus usus fuerit concessus; in eo tamen nulla artificiosi operis species aut affectata elegantia ostentetur. Rochettum non habetur ut vestis sacra, ideoque eo uti minime licet in iis ad quæ destinatur Superpelliceum.

Tit. 5 - De Corporali, Palla et Purificatorio.

Corporale ex tela subtilissima et purissima lini vel cannabis esse debet, nec serico vel auro intextum, sed totum album; et tantæ sit longitudinis et latitudinis, ut medium Altare abunde cooperiat. Ita in Bursa inseritur, ut primo plicetur super mediam pars anterior, deinde posterior; postea quæ ad dexteram, et ultimo quæ ad sinistram manum est. Corporale ab Episcopo vel ab alio facultatem habente simul cum Palla benedici debet. Cum Corporalia significent linteamina, quibus Corpus Christi in sepulcro involutum fuit, et in iis mundissimum Corpus Domini super Altare deponatur; ideo sine ulla macula, sed semper munda et candida esse debent.

2 Palla inservit ad tegendum os seu cuppam Calicis, benedicitur sicut Corporale et eamdem significationem habet: ei tribuenda est igitur cura et reverentia Corporali debita. Quoad materiam iisdem legibus subjacet ac Corporale; cum autem, juxta Ritum Bracarense, in elevatione post Consecrationem Sanguinis, Calix Palla coopertus exponi debet adorationi fidelium, expedit, ne facile decidat, ut tela Pallæ duplicetur et roboretur lamina lignea vel alterius materiæ inter duplicem telam inserta; ita tamen ut pars quæ Calicem tangit facile amoveri possit, ut abluatur.

3 Purificatorium est linteum, ex lino vel cannabe confectum, quod semel aut bis duplicatum super os Calicis deponitur, quando Celebrans exit e Sacrario ad Missam celebrandam usque ad præparationem Calicis, et versus finem Missæ post ipsius Calicis extersionem. Inservit ad extergendum tum Calicem, ante ejus præparationem ad Altare, tum Patenam post Pater noster, tum digitos Celebrantis vino et aqua ablutos, ante Calicis purificationem et tandem os Celebrantis ac ipsum Calicem post ablutionis sumptionem. Purificatorium non benedicitur, et singulis saltem hebdomadis renovari debet.

4 Cum sancta sancte tractanda sint, post usum Missæ solis Sacerdotibus et sacris Ministris licet Corporale, Pallam et Purificatorium tangere; quæ, priusquam lavanda vel reficienda sint, ab eis ablui debent aqua munda, in sacrarium projicienda.

Tit. 6 – De Velo Calicis et Pyxidis, et de Bursa.

Velum Calicis inservit ad tegendum Calicem et Patenam ante Offertorium et post Communionem, ob reverentiam vasis sacris debitam: ex eadem Paramentorum materia et colore esse debet, vel saltem ex serico sit et Paramentis conveniat quoad colorem, et ita amplum sit ut totum Calicem cooperire valeat. Velum Pyxidis item ex serico conficiatur et semper albi sit coloris.

2 Bursa ad Corporale asservandum ejusdem etiam materiæ et coloris Paramentorum esse debet, et, in distributione Communionis extra Missam, colori Stolæ conveniat. Parva autem Bursa, ad Capsulam vel Pyxidem asportandam pro Communione infirmorum, ex serico fortiter contexto albi coloris esse debet. Fundus hujus bursæ solidus sit et rotundus, ita ut Capsulam vel pedem Pyxidis circumdet. Parva Bursa funiculis sericis muniatur, ut occludi, aperiri atque Sacerdotis collo commode appendi possit.

Tit. 7 – De colore Paramentorum.

Paramenta Altaris, Celebrantis et Ministrorum esse debent coloris convenientis Officio et Missæ diei, excipiuntur:

a) Missæ de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, tempore expositionis Ssmi Sacramenti celebratæ, quæ dicuntur in colore violaceo;

b) Missa de Dominica infra Octavam Corporis Christi, in qua, nisi omittenda sit Commemoratio de Octava, adhibetur color albus.

2 Liturgia Bracarensis quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo et Nigro.

3 Albo colore utitur:

a) In sequentibus Missis de Tempore: De Nativitate Domini et de Dominica et aliis diebus infra Octavam Nativitatis; de Circumcisione et Octava, sicubi celebretur; de Vigilia et Festo Epiphaniæ et per totam Octavam; de Feria V in Cœna Domini et Sabbato Sancto, in Officio Missæ, et Diaconus in cantu Præconii paschalis in benedictione Cerei; de Paschate et per totam Octavam; in omnibus Dominicis et Feriis, Missis Rogationum exceptis, a Dominica I post Pascha usque ad Feriam VI post Octavam Ascensionis inclusive; de Festo Ssmi Corporis Christi et per Octavam, etiam de Dominica infra Octavam, dummodo in Missa fiat Commemoratio Octavæ.

b) In sequentibus Festis Domini: De Ssma Trinitate, de Ssmo Nomine et Corde Jesu, de Transfiguratione Domini et in Dedicatione Ecclesiæ vel Altaris consecratione.

c) In omnibus Festis et Missis beatæ Mariæ Virginis, Festo Dolorum excepto, Tempore Passionis.

d) In sequentibus Festis Sanctorum: De S. Angelis, de Nativitate S. Joannis Baptistæ, de S. Joseph, de Festo Principali S. Joannis Evangelistæ, de utraque Cathedra S. Petri, de Conversione S. Pauli, de festo S. Petri ad Vincula, de Festo Omnium Sanctorum, de Festis Confessorum Pontificum et non Pontificum, de Festis Doctorum et Abbatum, de Festis Virginum et non Virginum, quæ non sint Martyres.

e) In omnibus Octavis Festorum, quæ supra, litt. b), c) et d) recensentur.

f) In sequentibus Missis votivis, quocumque tempore celebrentur: de omnibus Festis supra, litt. a), b), c) et d) notatis, si de eis Missæ celebrari valeant; de Creatione et Coronatione Summi Pontificis et in earum anniversario; de anniversario Electionis vel Consecrationis domini Archiepiscopi; pro Sponsis.

4 Rubeo colore utitur:

a) In Vigilia et Festo Pentecostes et per Octavam.

b) In sequentibus Festis Domini: De S. Cruce, de pretiosissimis Plagis et Sanguine Domini, et de Mysteriis et Instrumentis Passionis.

c) In sequentibus Missis de Sanctis: De Decollatione S. Joannis Baptistæ, de Natali Ss. Petri et Pauli, de Festis aliorum Apostolorum, exceptis iis quæ supra, num. 3, litt. d) notantur, de S. Joanne ante Portam Latinam, de Commemoratione S. Pauli, de Festis Ss. Martyrum, etiam Ss. Innocentium, dummodo in Dominica vel ritu Solemni I ordinis celebrentur, de Festis Virginum et non Virginum, quæ sint Martyres, de Commemoratione omnium Sanctorum, quorum Reliquiæ in Ecclesiis Archidiœcesis Bracarensis asservantur.

d) In omnibus Octavis Festorum, quæ supra, litt. b) et c) recensentur.

e) In sequentibus Missis votivis, quocumque tempore celebrentur: De omnibus Festis supra, litt. b) et c) notatis, si de eis Votivæ celebrari valeant, in Votivis de Spiritu Sancto vel ad postulandam gratiam Spiritus Sancti et in Votiva pro eligendo Summo Pontifice.

5. Viridi colore utitur in sequentibus Missis de Tempore, tam de Dominica privata vel communi, etiamsi occurrat infra Octavam Festi, cui color albus vel rubeus conveniat, quam de Feria minori:

a) Ab Octava Epiphaniæ usque ad Sabbatum ante Dominicam Septuagesimæ inclusive.

b) A Feria II post Dominicam I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, excepta Dominica infra Octavam Ssmi Corporis Christi, si in ea fiat Commemoratio Octavæ, ut supra, num. 3, litt. a) notatur.

6 Violaceo colore utitur:

a) In sequentibus Missis de Tempore, tam de Dominica privata, quam de Feria majori vel minori: A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis inclusive; a Dominica Septuagesimæ usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive; in Feria II Rogationum; in Feriis IV Temporum Septembris et in Missis Litaniarum majorum et minorum.

b) In Festo Dolorum beatæ Mariæ Virginis, Tempore Passionis; in Missis de Ss. Innocentibus, dummodo eorum Festum non celebretur in Dominica vel ritu Solemni I ordinis, ut supra, num. 4, litt. c) notatur, et in omnibus Vigiliis communibus, excepta Vigilia Ascensionis, ut supra n. 3, litt. a) dicitur.

c) In sequentibus Missis votivis, quocumque tempore celebrentur: De Passione Domini, pro Fidei propagatione, contra paganos, ad tollendum schisma, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro remissione peccatorum, pro peregrinantibus et iter agentibus, pro infirmis, ad postulandam gratiam bene moriendi et pro quacumque necessitate.

d) In Missis, quæ in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum celebrentur, tempore expositionis Ssmi Sacramenti, aut occasione Orationis XL Horarum vel Adorationis Perpetuæ.

c) In sequentibus sacris functionibus: Sabbato Sancto, ante Missam, excepto **Exsúltet**, ut supra num. 3, litt. a) notatur; in Vigilia Pentecostes, a prima Prophetia usque ad benedictionem Fontis inclusive; in Missa et in Processionibus Litaniarum majorum et minorum; in benedictione Candelarum, in Purificatione B. M. V., et in benedictione Cinerum et Palmarum.

7 Nigro colore utitur Feria VI in Parasceve et in omnibus Missis Defunctorum, exceptis casibus supra, num. 6, litt. d), notatis.

Tit. 8 - De qualitate Paramentorum.

Celebrans numquam sacra Paramenta ad Missam celebrandam induat, quin deferat vestem convenientem, quæ ad talos pertingat.

2 In Officio Missæ, Celebrans semper utitur Planeta super Albam; si autem sit Episcopus, et solemniter celebret, super Dalmaticam et Tunicellam.

3 Pluviali utitur in Processionibus, et Benedictionibus quæ fiunt in Altari. Item in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur Assistens Celebranti in Missa Pontificali. Item quando Celebrans post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.

4 Cum Celebrans utitur Pluviali, semper deponit Manipulum, et, ubi Pluviale haberi non potest, in Benedictionibus quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine Planeta cum Alba et Stola.

5 Dalmatica et Tunicella utuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, et Processionibus, et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.

6 In diebus vero jejuniorum, (præterquam in Vigiliis Sanctorum), in Dominicis et Feriis Adventus et Quadragesimæ ac in Vigilia Pentecostes ante Missam, item in Benedictione Candelarum et Processione, in die Purificationis B. Mariæ, et in benedictione Cinerum ac Palmarum et Processione, in Ecclesia Primatiali et saltem in præcipuis Ecclesiis Archidiœcesis Bracarensis utuntur Planetis plicatis ante pectus: quam Planetam Diaconus demittit cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur: aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ; et, facta Communione, resumit Planetam, ut prius. Similiter Subdiaconus demittit eam, cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba, et, ea finita et osculata Celebrantis manu, Planetam resumit, ut prius.

7 A regula præcedentis numeri excipiuntur: in Adventu, Dominica **Gaudéte**, etiam si ejus Missa infra Hebdomadam resumatur; in Quadragesima, Missa **Lætáre**; Vigilia Nativitatis Domini; Sabbato Sancto in benedictione Cerei et in Missa, ac in Quatuor Temporibus Pentecostes, in quibus Ministri sacri uti non debent Planetis plicatis, sed Dalmatica et Tunicella.

8 In minoribus autem Ecclesiis, ubi copia Paramentorum haberi nequit, prædictis diebus, supra n. 6 notatis, Ministri sacri, Alba tantum amicti, Celebranti inserviunt: Subdiaconus cum Amictu, Diaconus autem cum Stola ab humero sinistro pendente sub dexterum.

Sectio V - Rubricæ generales.

Missa quotidie dicitur secundum Ordinem Officii, de Festo Solemni, vel Duplici, vel de Canticis Canticorum, vel Semiduplici, vel Simplici: de Dominica, vel Feria, vel Vigilia, vel Octava: et, extra Ordinem Officii, Votiva, vel pro Defunctis.

Tit. 1 - De Solemni et Duplici.

Missa dicitur de Solemni et Duplici illis diebus, quibus in Kalendario ponitur hæc nota **Solemne** vel **Duplex**, et in Festis mobilibus, quandocumque Officium est Solemne vel Duplex. In Solemnibus et Duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi aliqua Commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, ut in propriis Missis assignatum est. Quando in Solemni vel Duplici dici debeat **Glória in excélsis Deo** et **Credo**, inferius in tit. 11 et 14 ponitur.

Tit. 2 - De Canticis Canticorum.

Missa de beata Maria Virgine dicitur, secundum Temporis diversitatem, in omnibus Sabbatis per Annum, in quibus Officium fit de Canticis Canticorum; vel, si hoc Officium impeditum fuerit Festo Duplici, vel Solemni, etiam translato, vel Dominica anticipata, aut occurrenti Octava, vel Vigilia privilegiata, celebratur Missa beatæ Mariæ, cum Officio de Canticis, Feria VI præcedenti; quod si Feria VI fuerit impedita, dicitur Feria V; ubi autem Feria V etiam Officio occurrenti impediatur, Missa et Officium illa Hebdomada omittuntur.

Tit. 3 - De Semiduplici et Simplici.

Missa de Semiduplici vel Simplici dicitur, quando in Kalendario ponitur vox **Semiduplex** vel **Simplex**. In Semiduplicibus et Simplicibus dicuntur plures Orationes, ut infra dicetur in tit. 12 de Orationibus.

Tit. 4 - De Dominica.

Missa de Dominica dicitur, sicut propriis locis notatur: si est Privata I ordinis semper dicitur proprio die; si est Privata II ordinis, semper etiam proprio die dici debet, nisi occurrat Solemne I ordinis, tunc enim de ea fit tantum Commemoratio et legitur ultimum Evangelium; de Dominica tandem communi dicitur semper Missa, nisi occurrat Solemne, aut Festum Domini, vel Octava item Domini privilegiata, et tunc de ea fit solum Commemoratio et legitur ultimum Evangelium. In Missa de Dominica dicuntur plures Orationes, ut infra, tit. 12, notatur.

2 Si Missa alicujus Dominicæ (non vero Dominicæ in die 5 Januarii repositæ, nec Dominicæ post Epiphaniam aut Pentecosten in Sabbato anticipatæ) sua die ab Officio nobiliori impediatur, et nulla infra Hebdomadam subsequentem occurrat dies, in qua fieri valeat Officium de Feria Missam propriam non habente; tunc ipsa Dominicæ Missa (inclusa etiam Missa Dominicæ infra Octavas Nativitatis et Epiphaniæ, si infra respectivam Octavam celebrari nequeat) resumitur prima infra Hebdomadam die, in qua unum e sequentibus persolvatur Officiis, selecto quidem Officio, si suppetat, juxta hunc ordinem, minus nobili, scilicet: a) de Festo simplici; b) de die infra Octavam simplicem; c) de die infra Octavam communem, vel, hac deficiente, de die infra Octavam privilegiatam, pro particulari tantummodo Ecclesia concessam; excepta tamen die in quam simul inciderit Feria Missam propriam habens, aut quælibet Vigilia; d) denique de die infra Octavam in Universali Ecclesia privilegiatam, dummodo agatur de Dominica infra respectivam Octavam occurrente, et non de alia Dominica ante eam Octavam impedita, et nulla item occurrat Vigilia. In hujusmodi porro resumptionis die, dicitur unica Missa conventualis de ipsa Dominica,

et in eadem Missa fit Commemoratio de Officio diei et aliæ quæ occurrant.

3 Missæ autem privatæ dici possunt, aut de Officio diei, cum Commemoratione Dominicæ, aut de ipsa Dominica, cum Commemoratione Officii diei; additis in utraque Missa aliis Commemorationibus, ut supra, n. 2.

Tit. 5 - De Octava.

Missa infra Octavas dicitur sicut in die Festi, nisi propria Missa habeatur. In Missis de diebus infra Octavas dicuntur plures Orationes, ut infra, tit. 12 de Orationibus, dicitur.

Tit. 6 - De Feria et Vigilia.

Missa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octava, vel Officium de Canticis Canticorum. In Feriis tamen Quadragesimæ post Feriam IV Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, in Feriis Quatuor Temporum, extra Octavam Pentecostes, et in Vigiliis Communibus, si occurrat Officium Solemne, aut Duplex, vel Semiduplex, aut Officium de Canticis Canticorum, in Ecclesiis in quibus adest obligatio Chori, duæ dicuntur Missæ conventuales: una post Tertiam de Officio diei, sine Commemoratione Feriæ aut Vigiliæ, sed cum aliis Commemorationibus forte occurrentibus; altera post Nonam de Feria aut Vigilia, sine Commemoratione Officii diei. Harum tamen una tantum dicitur in Choro, cum assistentia Choralium; altera vero, sine hujusmodi assistentia, legitur extra Chorum.

2 Missa, ut supra, n. 1, in Choro dicenda cum assistentia Choralium, in Solemnibus et per Octavas privilegiatas II ordinis, est Missa post Tertiam de Officio currenti; in reliquis vero Duplicibus majoribus vel minoribus et Semiduplicibus, et in Officio de Canticis Canticorum, Missa de Officio diei dicitur extra Chorum post Tertiam, quia tunc Missa conventualis cum assistentia Choralium est semper de Feria aut Vigilia, quæ dicitur post Nonam. In Solemnibus vero I ordinis nihil umquam fit de Vigilia non privilegiata, juxta Rubricas, et ideo una tantum dicitur Missa. De die item infra Octavam communem, si in Feriis aut Vigiliis supra recensitis occurrat, non dicitur Missa conventualis, sed fit tantum Commemoratio in Missa de Feria vel Vigilia.

3 Missæ autem privatæ, omnibus diebus supra, n. 1 et 2 recensitis, ad libitum Celebrantium dici possunt aut de Feria vel Vigilia, cum Commemoratione Officii diei; aut de Officio diei, cum Commemoratione Feriæ vel Vigiliæ. Si tamen Officium occurrens sit Solemne I vel II ordinis, aut Octava privilegiata II ordinis, Missa privata de Feria vel Vigilia non permittitur.

4 Si qua ex dictis Feriis et Vigilia simul occurrant, Missa conventualis dicitur de Feria cum Commemoratione Vigiliæ; Missæ autem privatæ dici possunt, aut de Feria cum Commemoratione Vigiliæ, aut de Vigilia cum Commemoratione Feriæ,

5 At, si cum Feria et Vigilia occurrat Officium Solemne, vel Duplex, vel Octavæ privilegiatæ, vel de Canticis Canticorum, vel Festi Semiduplicis, duæ dicuntur Missæ conventuales, ut supra, scilicet: a) De Solemni et Octava dicitur in Choro, sine Commemoratione Feriæ et Vigiliæ, sed cum aliis Commemorationibus forte occurrentibus, et extra Chorum legitur Missa de Feria cum sola Commemoratione Vigiliæ; Missæ autem privatæ dici debent de Solemni vel Octava privilegiata, cum omnibus aliis Commemorationibus, juxta Rubricas. b) E contra vero in occurrentia cum aliis Officiis, dicitur in Choro Missa de Feria cum Commemoratione Vigiliæ, et extra Chorum legitur Missa de Officio currenti, cum aliis Commemorationibus ut supra; Missæ autem privatæ dici possunt, aut de Feria, aut de Vigilia aut de Officio diei, cum Commemoratione de iis de quibus non dicitur Missa.

6 Item in Feria II Rogationum, si occurrat Officium Solemne, vel Duplex, vel Octavæ privilegiatæ, vel Festi Semiduplicis, duæ dicuntur Missæ conventuales, una in Choro et alia extra Chorum, ut supra n. 1 et 2; sed, ubi fit Processio, occurrente Solemni I vel II ordinis, utraque Missa dicitur in Choro, scilicet, Missa de Officio diei et Missa de Rogationibus.

7 In reliquis diebus Litaniarum, tum majorum tum minorum, in quibus occurrat Officium Solemne, aut Duplex, aut Semiduplex, aut diei Octavae Simplicis aut Festi item Simplicis, aut Vigiliæ Ascensionis:

a) Si non fiat Processio, dicitur unica Missa conventualis de eodem Officio, cum Commemoratione Rogationum. Dicitur etiam unica Missa conventualis de Rogationibus in Feria III Rogationum, si Officium fuerit de Feria currenti; et unica pariter Missa conventualis de Vigilia Ascensionis, cum Commemoratione Octavæ ac Rogationum, si ipsa Vigilia in Officio diei infra Octavam communem commemorata fuerit. At, si eadem Vigilia ab Officio vel Solemni, quod non sit I ordinis ut supra n. 2, vel Duplici, vel Octavæ privilegiatæ, vel Festi Semiduplicis fuerit impedita, duæ dicuntur Missæ conventuales, ut supra n. 1 et 2, cum Commemoratione Rogationum in Missa Vigiliæ.

b) Si vero fiat Processio, tres dicuntur Missæ conventuales: prima de Officio diei post Tertiam et extra Chorum; altera de Vigilia Ascensionis, post Sextam et etiam extra Chorum, commemorata in Feria IV Rogationum; tertia de Rogationibus post Nonam, et hæc dicitur in Choro cum assistentia Choralium. Si autem Officium fuerit Solemne aut de Octava Paschatis, dicitur in Choro tam Missa conventualis de Officio diei quam de Rogationibus, ut supra, et Missa de Vigilia dicitur extra Chorum, nisi Officium fuerit Solemne I ordinis, tunc enim omittitur Missa de Vigilia. Attamen in Feria III Rogationum non dicitur Missa conventualis de Officio diei infra Octavam communem vel diei Octavæ aut Festi Simplicis, sed de eis fit tantum Commemoratio in Missa Rogationum; in Feria autem IV Rogationum, in Missa de Vigilia Ascensionis, fit Commemoratio de Officio ipsius diei infra Octavam.

c) Missæ autem privatæ de Rogationibus permittuntur tantum in Feria II Rogationum, si Solemne I vel II ordinis non occurrerit; et in Feria III Rogationum, si Officium fuerit de Feria currenti. In omnibus autem diebus Litaniarum, fit Commemoratio Rogationum in omnibus Missis privatis, quae non sint Defunctorum; et etiam in Missis cantatis et Conventualibus, nisi vel ipsa Missa de Rogationibus celebretur in cantu vel sit Conventualis.

8 In Ecclesiis autem in quibus una tantum habeatur Missa conventualis, quoties occurrat aliqua ex Feriis vel Vigiliis, n. 1 ad 5 recensitis, et, si non fiat Processio, in Feria II Rogationum, ipsa Missa conventualis, in Solemnibus et per Octavas privilegiatas II ordinis, dicitur de Officio diei cum Commemoratione Feriæ et Vigiliæ; exceptis Solemnibus I ordinis, in quibus non fit Commemoratio Vigiliæ. Contra vero in Duplicibus majoribus et minoribus, in Officio de Canticis Canticorum et in Semiduplicibus, eadem Missa dicitur de Feria aut

Vigilia, cum Commemoratione Officii diei; et, si Feria ac Vigilia simul occurrant, dicitur Missa de Feria, cum Commemoratione Officii diei ac Vigiliæ, et aliis Commemorationibus forte occurrentibus. Item in diebus Litaniarum, tam majorum quam minorum, si fiat Processio, et in Ecclesia habeatur unica Missa, ea dicitur de Rogationibus, cum Commemoratione Officii diei; nisi hoc fuerit Solemne I ordinis, quo in casu dicitur Missa de Festo, cum Commemoratione Rogationum.

9 In Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato infra Hebdomadam IV Quadragesimæ, Missa, in qua Ordines conferantur, semper dicitur de Sabbato: et in ea, si alia ibi non habeatur Missa cantata vel conventualis, fit Commemoratio de Officio currenti, etiam Solemni I vel II ordinis, cum aliis Orationibus quæ occurrant.

10 Si Festum habens Vigiliam celebretur Feria secunda, Missa Vigiliæ dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium, excepta Vigilia Nativitatis Domini et Epiphaniæ.

11 Missa Vigiliæ, in Adventu occurrentis, Vigilia Nativitatis excepta, dicitur cum Commemoratione Feriæ Adventus, licet de ea non sit factum Officium.

12 Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigiliis Ascensionis et Pentecostes.

Tit. 7 - De Missis Votivis.

Missæ votivæ privatæ dici possunt pro arbitrio Sacerdotum, servatis tamen regulis infra notandis; attamen, quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat. Si autem, servatis semper Rubricarum normis, Missæ votivæ privatæ celebrantur, id nunquam fiat, nisi rationabili de causa; rationabilis autem causa erit petitio facta a dante eleemosynam, ut celebretur Missa votiva in sensu liturgico, vel specialis Celebrantis devotio erga aliquod Mysterium vel Sanctum; non esset tamen rationabilis causa, si per Missam votivam Celebrans, aut longam Epistolam vel longum Evangelium evitare, aut citius a Missa se expedire vellet.

2 Missæ de sancta Maria dicuntur ex privilegio in Archidiœcesi Bracarensi ratione Officii de Canticis Canticorum; possunt tamen diversa ratione dici ut votivæ, quando pro re gravi et publica simul causa solemniter celebrantur.

3 Aliis diebus infra Hebdomadam, dici potest aliqua ex Missis votivis, etiam in Missa principali, quæ vocatur conventualis, secundum ordinem dierum, in fine Missalis assignatum; servatis tamen regulis, infra exponendis.

4 Missæ votivæ privatæ sine cantu prohibentur in omnibus Officiis Solemnibus, in Duplicibus, in Dominicis, licet anticipatis, vel, etiam quoad Officium, repositis, in Officio de Canticis Canticorum, per Octavas privilegiatas, in Feriis Quatuor Temporum, in Feriis Adventus a die 17 ad 23 Decembris inclusive occurrentibus, in Feriis Quadragesimæ a die Cinerum et Passionis ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive, in Feria II Rogationum, in Vigiliis et in diebus Octavis Simplicibus, etiam si de eis Commemoratio tantum facta fuerit in Officio, necnon diebus in quibus primo resumenda sit Missa Dominicæ impedita. Missæ igitur votivæ privatæ sine cantu legi tantum possunt, ex rationabili tamen causa, ut supra n. 1 notatur, in Festis Semiduplicibus, diebus infra Octavas communes, Feria VI post Octavam Ascensionis, et in omnibus Officiis ritus Simplicis superius non exceptis.

5 Missa votiva pro Sponsis, cum propria benedictione, permittitur quotidie per Annum extra tempus clausum; et etiam tempore clauso, quoties Dominus Archiepiscopus ex justa causa benedictionem nuptiarum permiserit. Excipiuntur Dominicæ, Festa de præcepto, licet suppressa, Solemnia, Octavæ et Feriæ privilegiatæ I et II ordinis et Vigiliæ privilegiatæ. In iis autem casibus exceptis dicitur Missa de die, in eaque additur Oratio pro Sponsis, sub unica conclusione cum prima, atque datur benedictio pro eis propria. Haec porro benedictio nunquam dari potest extra Missam, si aut Missa pro Sponsis, aut ejus Commemoratio, ideoque benedictio locum habere nequeat, si Sponsi non sint præsentes, vel si uterque vel alteruter alias benedictionem acceperit; servata nihilominus, sicubi vigeat, consuetudine benedictionis, ut supra impertiendæ, si hanc vir tantum obtinuerit. Quod si nuptiæ tempore clauso contractæ fuerint, non concessa a Domino Archiepiscopo venia benedictionis nuptiarum, Missa cum propria benedictione differtur ad diem in qua, extra tempus clausum, Missa pro Sponsis vel ejus Commemoratio permittitur.

6 Singulis diebus, extra Dominicas privatas I ordinis, Vigilias Nativitatis Domini et Pentecostes, Ferias privilegiatas, Solemnia I ordinis et Commemorationem Omnium Fidelium Defunctorum, permittitur, pro re gravi et publica simul causa, Missa votiva solemnis, quæ scilicet de mandato vel saltem consensu Domini Archiepiscopi, pro qualibet vice obtinendo, in cantu celebratur cum concursu populi. Hæc tamen Missa cani nequit die in qua fiat Officium aut Commemoratio, vel occurrat Vigilia aut dies infra Octavam quamvis Simplicem, de identico Domini Mysterio, vel de eadem Sancti Persona, de qua esset canenda Missa; tunc enim, loco Missæ votivæ, canitur Missa Officio vel Commemorationi, Vigiliæ aut Octavæ conveniens, cum Commemorationibus quæ in ipsa Missa votiva faciendæ essent, ut infra, tit. 10 n. 5, habetur. Aliis vero diebus in quibus hujusmodi Missa ut supra, vel ut infra, n. 14, impediatur, sed ejus Commemoratio, juxta eumdem tit. 10, n. 5, non vetetur, in Missa cantata diei currentis, etsi conventualis, sub unica conclusione additur Oratio de Missa votiva impedita, et fiunt tantummodo Commemorationes quæ huic Missæ conveniunt.

7 In anniversariis electionis et coronationis Summi Pontificis, in omnibus Missis, juxta normas numero proxime sequenti statuendas, additur Oratio pro Papa. Missa vero votiva, quæ pro iisdem anniversariis in Missali assignatur, modo privato celebrari nequit.

8 In anniversariis autem electionis, vel, si Dominus Archiepiscopus ex alia Sede translatus fuerit, translationis, et consecrationis Domini Archiepiscopi, in Ecclesiis Primatiali et Collegiatis Archidiœcesis, præter Missam de die vel aliam, ut supra, accedente quidem Domini Archiepiscopi mandato, in Choro canitur etiam Missa de ipso anniversario; dummodo non occurrat Officium Missas votivas pro re gravi impediens, quo in casu de anniversario fit tantum Commemoratio, ut supra, n. 6, dictum est. Hæc Missa modo privato celebrari nequit. At in omnibus Ecclesiis, etiam Regularium, dummodo saltem Commemoratio Missæ votivæ, juxta tit. 10, n. 5, non prohibeatur, ad omnes Missas cantatas et conventuales, si Missa de ipso anniversario non canatur, et ad omnes Missas privatas, præter quam Defunctorum, ultimo loco, post Orationes a Rubricis præscriptas, additur Oratio pro Domino Archiepiscopo.

9 Quod si hujusmodi anniversaria Summi Pontificis vel Domini Archiepiscopi in perpetuum a Solemni I ordinis, aut a Vigilia Nativitatis Domini, aut a Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum impediantur,

fixe reponuntur in proximiori sequenti die, in Kalendario Bracarensi libera a Festo Solemni I ordinis. Et similiter in proximiori sequenti die libera fixe reponitur anniversarium Domini Archiepiscopi, si eadem die occurrat cum alterutro anniversario Summi Pontificis.

10 In ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, etsi ejus Officium ab Officio nobiliori impeditum fuerit, celebratur Missa de Dedicatione, ad modum votivæ solemnis pro re gravi, ut supra n. 6 disponitur; et in ea, sub unica conclusione cum prima Oratione, additur Commemoratio Mysterii vel Sancti, in cujus honorem Ecclesia dedicatur. Hæc tamen Missa prohibetur in Solemnibus I ordinis Domini, primariis Universalis Ecclesiæ, et in Dominica Palmarum; quibus diebus Commemoratio tantum Dedicationis et Titularis additur in Missa diei, ut supra, n. 6.

11 Similiter in ipsa die consecrationis Altaris dicitur Missa de Dedicatione, et fit Commemoratio Mysterii vel Sancti, in cujus honorem Altare dedicatur; sed, si occurrat Officium Missas votivas pro re gravi excludens, dicitur Missa diei, cum Commemoratione Dedicationis ac Titularis, ut supra, n. 6 et 10.

12 In benedictione primarii lapidis et in benedictione solemni alicujus Ecclesiæ, dicitur Missa de Mysterio vel Sancto, in cujus honorem Ecclesia fundatur vel benedicitur; dummodo pariter non occurrat dies Missas votivas pro re gravi excludens, quo in casu in Missa diei additur Commemoratio Titularis, ut supra, n. 6.

13 Singulis diebus liberis ab Officio Solemni et Duplici, a Dominica quavis, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, et ab aliqua ex Feriis, Vigiliis aut Octavis privilegiatis, permittuntur Missæ votivæ in cantu, quamvis non sint pro re gravi et publica simul causa.

14 Attamen Missæ superius indicatæ, exceptis Missis n. 10-12 comprehensis, sicut et Missæ inferius, tit. 9, n. 1-5 recensendæ, quamvis eas ritus diei currentis alioquin permitteret, prohibentur in Ecclesiis ubi cujuslibet Missæ conventualis onus urgeat, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; et, in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus, prohibentur etiam die 2 Februarii, si fiat benedictio Candelarum, et in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

Tit. 8 - De Missis Defunctorum.

In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missæ pro Defunctis permissæ sunt.

2 Prima die cujusque mensis, extra Adventum, Quadragesimam et Tempus Paschale, in qua Officium fiat de Feria, in Choro, loco Missæ de Officio diei, dicitur Missa conventualis de Requie pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis; et in omnibus Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, etiam in iis Ecclesiis aut Oratoriis in quibus non adsit obligatio Chori, pænultimo loco inter omnes Orationes, comprehensis iis quæ ad Celebrantis libitum sint dicendæ, additur Oratio Fidélium, non omissa ob eam ulla ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis. Hæc tamen Missa omittitur mense Novembri, in quo Omnium Fidelium Defunctorum Commemorationem universa celebrat Ecclesia. Quod si prima die libera mensis, ut supra, occurrat Feria Quatuor Temporum, aut aliqua Vigilia, aut primo resumenda est Missa Dominicæ præcedentis impedita, eadem Missa conventualis pro Defunctis et Oratio Fidélium dicuntur in proximiori sequenti die similiter non impedita.

3 Præterea Feria II cujusque Hebdomadæ, extra Quadragesimam et Tempus Paschale, in qua fiat Officium de Feria, dummodo aliqua Vigilia non occurrat, aut primo resumenda non sit Missa Dominicæ præcedentis impedita, in Choro, loco Missæ conventualis de die, dici potest Missa pro Defunctis. Si vero Missa conventualis celebretur de Feria currenti vel votiva de Ssma Trinitate, pænultimo loco, ut supra, n. 2, additur Oratio Fidélium pro Defunctis. Quæ item Oratio, etiam in Ecclesiis aut Oratoriis in quibus non adsit obligatio Chori, additur insuper in omnibus Missis privatis, quæ non sint Defunctorum.

4 In Ecclesia in qua agitur exsequiale funus alicujus Defuncti, etiam absente rationabilem ob causam vel jam sepulto cadavere, permittitur unica Missa cantata, vel etiam, pro pauperibus, lecta pro die obitus. Hæc vero prohibetur in Solemnibus I ordinis primariis Universalis Ecclesiæ, exceptis Feria II et III post Pascha et Pentecosten in quibus permittitur, in Festis Dedicationis ac Tituli Ecclesiæ ipsius in qua funus agi deberet, necnon Patroni principalis loci, et, pro Religiosis Institutis, in Festis Tituli aut Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis; dummodo hæc Festa non fuerint eo anno quoad solemnitatem translata, quo in casu prohibetur in Dominicis in quibus agitur solemnitas externa Festorum hujusmodi. Quoties autem a Rubricis, ut supra, hæc Missa impediatur, transferri potest in proximiorem sequentem diem, similiter non impeditam. Quod si in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum agatur funus alicujus Defuncti, sumatur prima Missa, et in Ecclesiis et Oratoriis ubi prima Missa solemniter celebrata fuerit, aut pro Officio diei distincte sit dein celebranda, dicatur secunda, aut demum tertia Missa; addita tamen in ipsa Missa exsequiali, sub unica conclusione, Oratione pro eodem Defuncto, ut pro die Obitus.

5 Item in Ecclesia, aut Oratorio publico, ubi funus Defuncti solemniter agitur, dummodo Sacrificium pro ipso Defuncto applicetur, ipsa die dici possunt Missæ privatæ de Requie pro die obitus, ut supra, nisi occurrat Officium Missas Defunctorum sequenti numero indicatas impediens. Missæ hujusmodi privatæ pariter celebrari possunt unico die ad libitum, ab obitu usque ad depositionem Defuncti, in Oratoriis semipublicis, quæ, deficiente Ecclesia vel Oratorio publico, horum locum teneant; necnon quotidie per idem tempus in Oratoriis semipublicis, quæ locum teneant Ecclesiæ aut Oratorii publici, et in Oratoriis stricte privatis domus Defuncti, dummodo cadaver sit physice præsens in domo, ubi erecta sunt ipsa Oratoria, et dies impedita non occurrat.

6 In die autem III, VII, XXX et anniversaria ab obitu vel depositione Defunctorum, et opportuniori die post acceptum mortis nuntium, in qualibet Ecclesia permittitur unica Missa pro Defuncto, cantata vel etiam lecta; dummodo non occurrat Dominica, aut Festum de præcepto, licet suppressum, Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, Solemne I vel II ordinis, etiam translatum, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis et Octavis privilegiatis: quo in casu, hujusmodi Missa in proximiorem diem, pariter non impeditam, anticipari, si anticipari valeat, aut transferri potest, dummodo in cantu celebretur.

7 Idem servatur pro unica Missa cantata in anniversariis quæ extra diem obitus ex fundatione celebrantur, vel quæ pro omnibus Defunctis alicujus cœtus semel quolibet anno habentur. Idem quoque servatur pro Missis quæ per octiduum, a Commemoratione

Omnium Fidelium Defunctorum inclusive computandum, pro fidelium pietate pariter in cantu peraguntur; quæ tamen Missæ extra octiduum ipsum anticipari et transferri nequeunt.

8 Item, in Ecclesia vel Oratorio publico ac principali sepulcreti, immo et in quolibet Sacello sepulcreti rite erecto vel erigendo, Missæ quæ inibi celebrari permittuntur, possunt esse de Requie; dummodo non occurrat Dominica, aut Festum de præcepto, licet suppressum, Solemne I vel II ordinis, etiam translatum, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis vel Octavis privilegiatis. Hoc tamen privilegium non favet aliis Ecclesiis vel Capellis extra cœmeterium, subter quas, licet ad legitimam distantiam, alicujus defuncti cadaver quiescit; neque Ecclesiis, Oratoriis publicis et Sacellis sepulcreti, in quo olim cadavera sepeliebantur, quod sepulcretum tamen qualibet ex causa derelictum est, ita ut Defuncti sepeliri in eo non amplius soleant; neque Ecclesiis, quæ, licet circumjacens habeant cœmeterium, tamen adjunctum chorale onus, aut curam animarum adnexam habent.

9 Missæ quotidianæ Defunctorum, quæ celebrentur in cantu, permittuntur singulis diebus in quibus non fiat Officium Solemne, Duplex, de Canticis Canticorum, neque occurrat Dominica, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, aut aliqua ex Feriis, Vigiliis vel Octavis privilegiatis. Missæ vero quotidianæ Defunctorum sine cantu, iis tantum permittuntur diebus in quibus fiat Festum Semiduplex, Officium de die infra Octavam communem, de Feria VI post Octavam Ascensionis, de Feria majori Adventus, de Festo simplici et de Feria minori per Annum; dummodo Octavæ privilegiatæ, Feriæ Quatuor Temporum, Feria II Rogationum, Feriæ Antiphonarum majorum a die 17 ad 23 Decembris inclusive, aliqua Vigilia, aut dies Octava simplex non occurrant, nec primo resumenda sit Missa alicujus Dominicæ impedita. In Quadragesima, Missæ quotidianæ Defunctorum sine cantu permittuntur prima tantum die cujusque Hebdomadæ libera, in qua nempe fiat de Festo Semiduplici aut de Feria non privilegiata, juxta Kalendarium Ecclesiæ in qua Missa celebratur.

10 In omnibus Missis quæ n. 4-7 recensentur, et in Missis quæ respondent Officio Defunctorum celebrata sub ritu Duplici, una tantum dicitur Oratio; in reliquis tres dicuntur. Si Missa applicetur pro Defunctis in genere, dicuntur Orationes quæ in Missa quotidiana Defunctorum prostant; si vero applicetur pro Defunctis certo designatis, prima dicitur pro iisdem Defunctis (deficiente vel ignorata designatione, Oratio Deus, véniæ largitor), secunda ad libitum, tertia Fidélium pro omnibus Defunctis. In omnibus tamen quotidianis Missis lectis addere licet ad libitum Sacerdotis alias Orationes, ut infra tit. 12, n. 9, dicetur, dummodo impar cum aliis præscriptis servetur numerus et ultimo loco ponatur semper Oratio Fidélium.

11 Item Sequentia pro Defunctis integre dici debet in omnibus Missis, etiam privatis lectis, cum unica Oratione, et in Missis quotidianis in cantu et conventualibus, cantatis vel lectis, in quibus sive una sive tres dicantur Orationes; in aliis vero Missis quotidianis lectis, in quibus unica non dicitur Oratio, Sequentia dici vel omitti potest ad libitum Sacerdotis.

12 Quælibet tamen Missa Defunctorum, etiam in die aut pro die obitus, in Ecclesiis ubi habeatur expositio Ssmi Sacramenti, prohibetur toto expositionis tempore, præterquam Missæ de Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum. Prohibetur etiam quoties urgeat obligatio Missæ cujuslibet conventualis vel parochialis, cui per alios Sacerdotes satisfieri nequeat; item in Ecclesiis unam tantum Missam habentibus prohibetur die 2 Februarii, Feria IV Cinerum, Dominica Palmarum et Vigilia Pentecostes, si respective fiat benedictio Candelarum, Cinerum, Palmarum, aut Fontis Baptismalis, et in Litaniis majoribus et minoribus, si fiat Processio.

Tit. 9 – De occurrentia et Translatione Festorum.

Si Festum Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ Ecclesiæ, aut etiam Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, per accidens impediatur, de eo in sua die permittitur una Missa in cantu, vel Commemoratio in Missa cantata diei currentis, quamvis conventualis, juxta ea quæ de Missis votivis solemnibus, tit. 7, n. 6, habentur.

2 Idem etiam servatur in Ecclesiis, ubi cum magno populi concursu, cujus rei judex est Dominus Archiepiscopus, celebretur Festum quod transferri aut commemorari vel accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus mentio illa die fiat in Martyrologio Romano, vel in ejus appendice pro Archidiœcesi Bracarensi a Sancta Sede approbata. Hujusmodi tamen Missa dicenda est cum Commemorationibus, quæ respondeant ritui Solemni I vel II ordinis, si sub hoc ritu Festum in Kalendario Bracarensi fuerit inscriptum; secus cum omnibus Commemorationibus ritui Duplici majori et minori congruentibus, juxta Rubricas.

3 In Dominicis communibus per Annum, in Ecclesiis et Oratoriis publicis aut semipublicis, ubi reponatur solemnitas externa Festi Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ Ecclesiæ, aut etiam Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, quod infra præcedentem Hebdomadam occurrerit, cani potest Missa de solemnitate translata, et de ea pariter legi potest unica Missa, nisi occurrat Solemne I ordinis. Quod si solemnitas externa transferenda sit in Dominicam privatam, aut in Dominicam, ut supra, impeditam, Missæ de solemnitate externa prohibentur; sed in Missa cantata diei currentis, etsi Conventuali, et in altera lecta, fit Commemoratio de solemnitate externa, juxta normas pro Missis votivis solemnibus traditas tit. 7, n. 6.

4 De Festis duplicibus majoribus vel minoribus aut semiduplicibus, quæ perpetuo vel accidentaliter impediantur, dici possunt Missæ etiam privatæ ad libitum Sacerdotis; dummodo Officium impediens non fuerit Solemne I vel II ordinis, Dominica quævis, licet anticipata, vel, etiam quoad Officium, reposita, Octava privilegiata I et II ordinis, dies Octava privilegiata III ordinis, vel aliqua ex Feriis vel Vigiliis privilegiatis.

5 Singulis diebus, in quibus non occurrat Officium duplex, Dominica quævis, etiam anticipata, vel, licet quoad solam Missam, primo reposita, Octava privilegiata, Feria Quadragesimæ a die Cinerum, Passionis, Quatuor Temporum et II Rogationum, aut quælibet Vigilia, dici possunt, ritu festivo, Missæ etiam privatæ de quovis Officio ad Laudes commemorato, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus mentio illa die fiat in Martyrologio Romano, vel in ejus appendice pro Ecclesia Bracarensi approbata; salvis amplioribus privilegiis, quæ in præsenti tit. 9, n. 1-4, ac tit. 7, n. 13 sunt indicata.

6 Omnes et singuli Sacerdotes Bracarenses Missam, etsi Regularium propriam, omnino celebrent juxta Kalendarium Ecclesiæ, vel Oratorii publici, in quo celebrant; exclusis tamen peculiaribus ritibus, Ordinum et Ecclesiarum propriis, qui Liturgiæ Bracarensi non sint

conformes. Idem servetur in Oratorio semipublico, sive in Capella principali Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum et similium. Si vero, juxta Kalendarium Ecclesiæ aut Oratoriorum præfatorum, Missæ votivæ vel aliæ permittantur, easdem celebrare valeant, servatis tamen Rubricis et Decretis. In Oratoriis autem privatis, Missam semper conformare debent Kalendario Bracarensi. Quando vero Officium Ecclesiæ vel Oratorii publici vel semipublici sit ritus Semiduplicis vel Simplicis, et Officium Kalendarii Bracarensis Solemne I vel II ordinis, Missam celebrare possunt Sacerdotes Bracarenses juxta proprium Kalendarium.

7 Pari lege Missali et Kalendario Bracarensi omnino conformari debent Sacerdotes Ritus Romani vel alterius Ritus Latini, qui Missam celebrant in Ecclesiis et Oratoriis publicis et semipublicis, jurisdictioni Domini Archiepiscopi Bracarensis subjectis.

Tit. 10 – De Commemorationibus.

In Missa diei fiunt omnes Commemorationes quæ præscribuntur ad Laudes, juxta Kalendarium Ecclesiæ, aut Oratorii publici vel semipublici, in quo Missa celebratur, ut supra, tit. 9, n. 6-7, notatur.

2 Commemorantur autem in Missa, licet ad Laudes Officii de eis nihil factum fuerit:

a) Vigiliæ communes in Feriis Adventus, extra Quatuor Tempora, occurrentes; de quibus, quamvis non sit factum Officium neque Commemoratio, dicitur Missa, cum Commemoratione Feriæ.

b) Vigiliæ communes in Feriis Quadragesimæ et Quatuor Temporum (vel in Dominica quoad Officium in Sabbato anticipata, aut in Vigilia digniori) occurrentes, et Dominicæ, quoad Missam, juxta tit. 4, n. 2-3, repositæ; de quibus ad Missam fit Commemoratio, quamvis facta non sit in Officio.

c) Dies Litaniarum, tam majorum quam minorum; de quibus fit Commemoratio ad Missam, quamvis, extra Feriam II Rogationum, nihil factum sit ad Laudes.

d) Dies Octava communis, et Festum aliquod Duplex et Semiduplex, in Solemnibus I ordinis ad Laudes commemorata, sicut et dies Octava simplex vel Festum simplex in Solemnibus II ordinis pariter commemorata; de quibus Commemoratio fit tantum in Missis privatis, non vero in Missis cantatis vel conventualibus.

3 E contra vero nihil fit in Missa, licet ad Laudes Officii commemorentur:

a) Commemorationes ad Laudes Officii, in Vigilia Pentecostes et in Dominica Palmarum occurrentes.

b) Commemorationes communes de Cruce, et aliæ in Ritu Bracarensi usitatæ; tales enim Commemorationes nullum influxum habent in Missam. Quod si interdum in Missa dicenda sit Oratio A cunctis pro Commemoratione Sanctorum, hoc non ideo fit quia de Sanctis facta sit Commemoratio in Officio, sed quia est Oratio pro diversitate Temporum assignata.

4 Idem servatur pro Missis privatis votivis, et pro Missis quæ celebrentur juxta tit. 9, n. 4-5; omissa tamen ea Commemoratione, de qua dicitur Missa, et cauto ut, post Orationem Missæ propriam, de eo primo dicatur Oratio de quo celebratum fuerit Officium, nisi huic Orationi præmittenda sit Commemoratio a Missa inseparabilis, ut S. Pauli Apostoli in Missa S. Petri Apostoli, et vicissim, et S. Josephi in Missa Desponsationis B. Mariæ Virginis.

5 In Missis autem votivis solemnibus pro re gravi et publica simul causa, aliisque Missis tit. 7, n. 6-12, ac tit. 9, n. 1, recensitis, in Missis de Solemni I ordinis impedito quod cum magno populi concursu, juxta eumdem tit. 9, n. 2, celebretur, et in Missis de solemnitate externa Solemnis I ordinis in Dominicam, juxta ipsum tit. 9, n. 3, translata, fit tantum Commemoratio de Solemni II ordinis, et, in ipsa die Dedicationis Ecclesiæ, etiam de Solemni I ordinis occurrenti, de Dominica quavis, de Feria majori, de Rogationibus, et de aliqua ex Vigiliis aut Octavis privilegiatis; de aliis vero Officiis nihil fit. In Missa autem de Solemni II ordinis impedito, quod cum magno populi concursu, juxta tit. 9, n. 2, celebretur, et in Missis de solemnitate externa Solemnis item I ordinis in Dominicam translata, fiunt omnes Commemorationes ea die occurrentes, præterquam de die infra Octavam communem, et, extra Missas privatas, de Festo vel die Octava Simplici. Quoties tamen aliqua ex Missis hujusmodi juxta superiores Rubricas impediatur, in Missa diei currentis, quamvis cantata vel conventuali, fieri potest Commemoratio Missæ secus dicendæ, sub unica conclusione cum prima Oratione; nisi occurrat Commemoratio Omnium Fidelium Defunctorum, aut, pro Missis tit. 7, n. 10-12, non comprehensis, Solemne I ordinis primarium Universalis Ecclesiæ, præterquam Feriæ II et III Paschatis vel Pentecostes, in quibus id permittitur; aut nisi Officium vel Commemoratio sit de identico Domini Mysterio, vel de eadem Sancti Persona.

6 Attamen, si plures habeantur Missæ cantatæ aut Conventuales, vel aliæ habeantur Missæ in cantu præter conventualem, in nulla ex eis, ad tramitem sequentis n. 9, aliqua fit Commemoratio de aliis, neque dicuntur Præfatio aut aliæ partes, ut Credo, Communicántes, Hanc igitur, quæ vel propriæ sint alterius Missæ, vel propriæ item alicujus Commemorationis in altera Missa factæ vel faciendæ. Commemorationes nempe, quæ aliqua die occurrant, si plures Missæ in cantu vel conventualiter dicantur, fiunt in Missa cujus indolem seu rationem participant. Itaque, si una tantum, vel nulla ex his Missis sit de currenti die, in Missa diei currentis, aut secus in prima ex Missis ea die in cantu vel conventualiter celebratis, omnes fiant Commemorationes occurrentes; et in aliis Missis dicuntur Orationes quæ Missis votivis conveniant. Si vero plures ita celebrentur Missæ ea die occurrentes, juxta Rubricas, Commemoratio de Vigilia fiat in Missa Feriæ, et de Octava in Missa Festi, et vicissim. Orationes autem pro diversitate Temporum assignatæ, si juxta Missæ et Commemorationis in ea faciendæ ritum admittantur sicut et Collectæ ab Ordinario imperatæ, in qualibet Missa dicuntur; ita tamen, ut Orationes quæ infra Octavam vel in Vigilia aliter quam pro tempore occurrenti fuerint præscriptæ, dicantur in Missis tantum de Octava aut de Vigilia, vel cum earum Commemoratione celebratis, in ceteris vero Missis dicantur Orationes Tempori assignatæ.

7 Idem servatur quoad Præfationem de Octava communi, ac de Feria VI post Octavam Ascensionis, etiam non commemoratis in Officio, necnon quoad Præfationem de Nativitate Domini a die 2 ad 4 Januarii inclusive, ac Præfationem de Tempore Paschali in Feriis communibus ejusdem Temporis; quæ pariter in una tantum ex Missis cantatis vel conventualibus adhibentur, nempe in Missa propria, si dicatur, secus in Missa de Officio diei, et, ea deficiente, in prima ex Missis ea die, ut supra, in cantu vel conventualiter celebratis.

8 De Festo duplici aut semiduplici, cujus facta est Commemoratio per modum Simplicis in Officio, etiam in Missa fit Commemoratio, non excepta Missa solemni

in Solemnibus II ordinis, sed excepta Dominica Palmarum ac Vigilia Pentecostes. De Festo simplici fit Commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est Commemoratio in primis Vesperis; quando autem de eo fit Commemoratio tantum ad Laudes, in Missa solemni non fit Commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis. Excipitur pariter Dominica Palmarum et Vigilia Pentecostes, in quibus nulla fit Commemoratio, etiam in Missis privatis, de Festo simplici occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit Commemoratio, quando in ea agitur de Festo solemni vel de aliquo Festo Domini. De Octava fit Commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod Festum, nisi illud Festum fuerit de exceptuatis in Rubrica Breviarii de Commemorationibus, Tit. XVIII. Item quando infra Octavam fit de Dominica.

9 De Feria fit Commemoratio in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Rogationibus et Vigiliis, quando Missa dicenda est de Festo illis Temporibus occurrente. Sed in Ecclesiis Primatiali et Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant, in Feriis, Rogationibus et Vigiliis prædictis, quæ habent Missas proprias, dicuntur duæ Missæ, alia de Feria, Rogationibus et Vigilia, absque ulla utrorumque Commemoratione; in Solemnibus tamen I ordinis nihil fit de Vigilia occurrente, ut dictum est supra.

10 Quando infra Hebdomadam dicuntur Missæ votivæ, post primam Orationem semper dicitur Oratio ejus, de quo fit Officium, ut supra explicatum est in propria Rubrica.

11 Quando fit Commemoratio de Feria Quatuor Temporum, pro Feriæ Commemoratione dicitur prima Oratio, quæ concordat cum Officio.

12 Quando plures fieri debent Commemorationes servetur ordo ut in Breviario. Primo loco fit Commemoratio de Officio diei, deinde hic ordo servetur: 1 - de Dominica qualibet, vel de Vigilia Epiphaniæ; 2 - de die infra Octavam Epiphaniæ et Corporis Christi; 3 - de die Octava Duplici majori; 4 - de Duplici majori; 5 - de Duplici minori; 6 - de Semiduplici; 7 - de die infra Octavam Nativitatis Domini vel Ascensionis; 8 - de die infra Octavam communem; 9 - de Feria VI post Octavam Ascensionis; 10 - de Feria majori; 11 - de Vigilia communi; 12 - de die Octava simplici; 13 - de Simplici. De ultimo Officio fit Commemoratio ante Commemorationes Communes et votivas. Inter Commemorationes communes servetur ordo, in Missali propriis locis præscriptus; inter votivas vero servetur dignitas Orationum, ut de Ssma Trinitate, de Spiritu Sancto, de Ssmo Sacramento, de S. Cruce ante votivam de B. Maria, et de Angelis, de S. Joanne Baptista et S. Joseph ante Apostolos et similiter in aliis.

13 Si facienda sit Commemoratio pro Defunctis, semper ponitur pænultimo loco. In Missis autem Defunctorum nulla fit Commemoratio pro vivis, etiam si Oratio esset communis pro vivis et defunctis.

Tit. 11 - De Introitu, Kýrie eléison et Hymno Angelico Glória in excélsis.

Introitus semper eodem modo dicitur cum Glória Patri, ut in Ordinario, præterquam Tempore Passionis et in Missis Defunctorum, ut etiam ibi adnotatum est.

2 Kýrie, eléison dicitur novies post Introitum, alternatim cum ministro, id est, ter Kýrie, eléison, ter Christe, eléison, ter Kýrie, eléison.

3 Glória in excélsis dicitur quandocumque in Matutino dictus est Hymnus Te Deum, præterquam in Missis Feriæ V in Cœna Domini et Sabbati Sancti, in quibus Glória in excélsis dicitur, quamvis in Officio non sit dictus Hymnus Te Deum.

4 In Missis votivis Glória in excélsis numquam dicitur, nisi: *a*) in Missa beatæ Mariæ, quando dicitur Officium de Canticis Canticorum; *b*) in Missis Angelorum; *c*) in omnibus Missis votivis privilegiatis infra in Rubrica de Symbolo recensitis; *d*) in Missis quæ celebrantur de aliquo Sancto vel Mysterio, infra Octavam quamvis simplicem eorum Festi; et *e*) quando Missa votiva pro re gravi et publica simul causa solemniter dicenda sit, dummodo Missa non celebretur cum Paramentis violaceis. Neque dicitur etiam Glória in excélsis in Missis Defunctorum.

5 In Missis Dominicæ anticipatæ, vel, etiam quoad Officium, repositæ, semper dicitur Glória in excélsis; non vero in Missis de Dominica infra Hebdomadam resumendis, nisi sit infra Octavas in Universali Ecclesia privilegiatas aut infra Tempus Paschale, vel nisi agatur de Missa Dominicæ infra Octavam sive Nativitatis sive Epiphaniæ respective post diem 1 et 13 Januarii resumenda.

Tit. 12 - De Orationibus

In Missis de Officio solemni, duplici et diei Octavæ privilegiatæ vel communis, dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio, ut dictum est supra, tit. 1.

2 In Missis de Officio semiduplici et simplici, extra Tempus Passionis atque Octavas Paschatis et Pentecostes, post Orationem diei, duæ dicuntur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ seu Commemorationes communes, ut infra, n. 3. Altera tamen ex eis omittitur, si aliqua fiat Commemoratio; et utraque, si duæ jam Commemorationes occurrerint. Idem servatur in Missis votivis, quæ in die ritus Semiduplicis aut Simplicis, pro re non gravi vel pro privata causa, juxta tit. 7, n. 4 et 13 celebrentur; in quibus, addita semper secundo loco Commemoratione Officii diei, nisi huic præponenda sit Commemoratio a Missa inseparabilis, ut supra, tit. 10, n. 4, dicitur tertio loco prima ex Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, quoties alia Commemoratio non occurrerit. A Dominica autem Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, et per Octavam Pentecostes, unica additur Oratio pro diversitate Temporum assignata; quæ pariter omittitur, si qua fiat Commemoratio. Orationi tamen ad libitum pro diversitate Temporum assignata substitui potest Collecta, si qua exstet, ab Ordinario imperata. Si autem Oratio ad libitum præferatur, in Missis cantatis et Conventualibus eligitur ad libitum Præfecti Capituli vel Superioris Communitatis; in Missis privatis vero, et, ubi Capitulum et Communitas desit, etiam in cantatis ad libitum Celebrantis. Orationes tamen hujusmodi omittuntur in Dominica Palmarum et in Vigilia Pentecostes; in quavis insuper Dominica, si fiat Commemoratio alicujus Octavæ, et in omnibus Missis in quibus pariter agatur Commemoratio Duplicis aut Missæ votivæ pro re gravi et publica simul causa celebratæ, aut alicujus ex Missis, t. 7, n. 7-12 ac t. 9, n. 1-3 recensitis.

3 Commemorationes communes seu Orationes, pro diversitate Temporum assignatæ, sunt sequentes:

a) Per Adventum, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis,

2ª Oratio de Sancta Maria, Deus, qui de beátæ, 3ª Contra persecutores Ecclesiæ, Ecclésiæ tuæ, vel pro Papa, Deus, ómnium fidélium pastor.

b) A Nativitate Domini usque ad diem 2 Februarii inclusive, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de omnibus Sanctis, 2ª Oratio de Sancta Maria, Deus, qui salútis, 3ª Contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

c) A die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ, et a Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, exceptis tamen omnibus Octavis et Vigiliis, si de eis fiat saltem Commemoratio; item exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de omnibus Sanctis, 2ª Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, A cunctis, 3ª ad libitum.

d) Per omnes Octavas, tam privilegiatas quam communes, et in diebus Octavis simplicibus, quæ infra Tempus, litt. c) descriptum incidant, et in Vigiliis, quæ infra idem Tempus vel in Quadragesima usque ad Sabbatum post Dominicam IV inclusive occurrant, si de Octava vel Vigilia fiat saltem Commemoratio, et dummodo Octava ipsa vel Vigilia non sit de beata Maria Virgine aut de Omnibus Sanctis, 2ª Oratio de sancta Maria, Concéde, 3ª Contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

e) A Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam IV Quadragesimæ inclusive, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et exceptis pariter Vigiliis ac Missa Votiva de omnibus Sanctis, ut supra litt. d) dictum est, 2ª Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, A cunctis, 3ª pro vivis et defunctis, Omnipotens.

f) A Dominica Passionis usque ad Sabbatum in Albis inclusive, et per Octavam Pentecostes, 2ª tantum Oratio contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

g) A Dominica in Albis usque ad Feriam VI post Octavam Ascensionis inclusive, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, 2ª Oratio de sancta Maria, Concéde, 3ª Contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa.

h) In omnibus Missis de beata Maria Virgine (ad quam refertur etiam Missa de Festo Circumcisionis Domini, et de Festo Sanctæ Familiæ, et utriusque Festi Octava, sicubi hæc celebrari debeat), necnon in Vigilia et per Octavam atque in Missa votiva Omnium Sanctorum, extra Tempus supra litt. f) descriptum, 2ª Oratio de Spiritu Sancto, Deus, qui corda fidélium, 3ª Contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa. Quod si de beata Maria Virgine, vel de Omnibus Sanctis, in horum Vigilia et per Octavam, fit tantum Commemoratio, 3ª Oratio de Spiritu Sancto, si tertia Oratio de Tempore addenda sit.

4 In Consecratione Episcopi et in Collatione Ordinum, in Missa de die dicitur, sub unica conclusione cum prima, Oratio propria quæ assignatur in Missali.

5 In anniversario propriæ ordinationis sacerdotalis, a die fixa mensis computando, si Vigilia Nativitatis vel Pentecostes, Dominica Palmarum aut Solemne I ordinis non occurrerit, secus autem in proximiori sequenti die, quæ a Solemni item I ordinis sit libera, cuivis Sacerdoti licet, extra Missam Defunctorum, et post Orationes a Rubricis præscriptas, addere Orationem pro seipso Sacerdote, ut inter Orationes diversas.

6 Orationes seu Collectæ ab Ordinario imperatæ numquam plures sint quam duæ; eæque ponuntur, et numquam sub unica conclusione cum Oratione Missæ, ultimo loco post Orationes a Rubricis præscriptas, vel loco Orationis ad libitum pro diversitate Temporum assignatæ, quoties nempe tertia Oratio ad libitum sit eligenda.

7 Omitti tamen debent, propter respectivam Missam vel Commemorationem:

a) Si ordinario modo imperatæ fuerint, in omnibus Solemnibus I et II ordinis, in Dominicis privatis, nisi loco Orationis ad libitum prima ex iis eligatur, in Feriis Vigiliis et Octavis privilegiatis, in Missis votivis pro re gravi et publica simul causa vel ad instar Solemnium, ut supra, t. 7, n. 7-12 et t. 9, n. 1-3, celebratis, et quoties in Missa, juxta Rubricas, jam quatuor dictæ sint Orationes; quinimmo Collectæ pro Defunctis (quæ, secus atque aliæ Collectæ, in Missis etiam de Requie tres admittentibus Orationes, quovis anni Tempore, locum habent) omitti insuper debent Tempore Paschali, et in omnibus Missis quæ ab Officio duplici vel semiduplici aut cum alterutrius Commemoratione celebrentur. Et, si jussa fuerit Oratio contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, in diebus in quibus alterutra a Rubricis præscribitur, unica Oratione utrumque adimpletur præceptum.

b) Si tamen, jubente Domino Archiepiscopo, hujusmodi Collectæ fuerint dicendæ pro re gravi, omittuntur tantum in Vigiliis Nativitatis et Pentecostes, in Dominica Palmarum et in omnibus Solemnibus I ordinis.

c) Quod si expresse eæ ordinentur dicendæ etiam in Solemnibus I ordinis, tunc omittuntur tantum in Nativitate Domini, Epiphania Domini, Feria V in Cœna Domini, Sabbato Sancto, Dominica Resurrectionis, Ascensione Domini, Pentecoste, Festo SSmæ Trinitatis et Festo SSmi Corporis Christi.

8 Ordo autem in dicendis hujusmodi Collectis, præter Collectam pro Defunctis, pænultimo semper loco inter Orationes etiam ad Celebrantis libitum permissas collocandam, est sequens: Prius ponitur Collecta dicenda pro re gravi, si habeatur. Si vero ambæ Collectæ sint jussæ pro re gravi aut non gravi, prius ponitur, juxta ordinem Litaniarum, Collecta de aliquo Mysterio vel Sancto, quæ præcepta fuerit; postea quæ desumenda sit ex Missis votivis diversis vel ex Orationibus quæ in fine Missalis habentur, servato, si ambæ sint hujusmodi, eodem ordine quo in Missali prostant.

9 In omnibus Missis lectis, Missa quidem conventuali excepta, quæ in die ritus Simplicis, extra Ferias majores privilegiatas, vel de occurrenti Officio celebrentur, vel ex votivis pro re non gravi nec publica simul causa eligantur, tres, aut quinque et etiam dici possunt septem ad Celebrantis libitum Orationes, et in iis, extra Tempus Paschale, etiam Oratio Fidélium pro Defunctis apponi. Cauto tamen semper ut Orationes hujusmodi:

a) Post Orationes a Rubricis præscriptas et Collectas ab Ordinario imperatas locum habeant; et cum eis septenarium numerum non excedant, atque imparem præterea numerum retineant vel inducant.

b) Inter se illum ordinem servent, qui supra n. 8 pro duabus Collectis, cum ambæ sint pro re gravi aut non gravi, est præfinitus; et Oratio Fidélium pro Defunctis pænultimum semper locum inter alias occupet.

10 Quando dicuntur plures Orationes et una Oratio eadem sit cum alia ibidem dicenda, Oratio ejusmodi, illa scilicet quæ eadem est, non aliæ, commutetur cum alia de Communi, vel Proprio, quæ sit diversa. Idem servetur in Secretis et Orationibus post Communionem.

11 In Feriis Quatuor Temporum, et ubi plures leguntur Lectiones, hujusmodi plures Orationes dicuntur

post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in Proprio Missarum de Tempore notatur.

12 Ante primam Orationem dicitur semper Dóminus vobiscum et ante primam, post Dóminus vobiscum, et secundam tantum dicitur Orémus.

13 Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum et ultima cum sua conclusione terminatur, in qua hic modus servari debet:

a) Si Oratio dirigatur ad Patrem, triplici modo terminatur: 1) Ordinarie ita concluditur: Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen. 2) Si autem in principio vel in medio Orationis explicita, vel etiam implicita, facta sit mentio Filii, conclusio erit: Per eùmdem Dóminum, etc., ut supra. 3) Si vero in fine Orationis explicita, vel etiam implicita, facta sit mentio Filii, tunc, omissis verbis Per Dóminum, etc., statim dicitur: Qui tecum vivit et regnat, etc., ut supra.

b) Si Oratio dirigitur ad Filium, duplici modo terminatur: 1) Ordinarie ita concluditur: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen. 2) Si autem in Oratione facta sit mentio Patris, conclusio erit: Qui vivis et regnas cum eódem Deo Patre, etc.

c) Si in Orationibus, ad Patrem vel Filium directis, facta sit mentio Spiritus Sancti, conclusio erit:... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti, etc.

Tit. 13 - De Epistola, Graduali, Allelúja, Tractu et Sequentia.

Post ultimam Orationem, dicitur Epistola: qua finita, a Ministris respondetur Deo grátias. Et similiter quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur Deo grátias, præterquam in fine quintæ Lectionis Danielis in Sabbatis Quatuor Temporum, et in fine Lectionum Feriæ Sextæ in Parasceve et Sabbati Sancti.

2 Post Epistolam dicitur Graduale, quod semper dicitur, præterquam Tempore Paschali, ut infra notatur: et, post Graduale, dicuntur duo Allelúja, deinde Versus, et, post Versum, unum Allelúja, nisi dicatur Sequentia; tunc enim tertium Allelúja non dicitur post ultimum Versum, sed immediate post Sequentiam.

3 A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum, post Graduale non dicitur Allelúja, neque dicitur in Missa de Feria in Adventu, Quatuor Temporibus, et Vigiliis quæ jejunantur, exceptis Vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica, Vigilia Paschatis ac Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in Festo Sanctorum Innocentium, nisi venerit in Dominica aut ritu gaudeat Solemni I ordinis.

4 A Septuagesima usque ad Pascha, post Graduale, loco Allelúja, dicitur Tractus: qui Tractus prædicto Tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut suis locis notatur, nec dicitur in Feriis a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando in Officio feriali repetitur Missa Dominicæ.

5 Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur unum Allelúja ante, et duo post primum Versum, et post secundum Versum iterum dicitur unum Allélúja.

6 Sequentia, quæ aliquibus assignatur Festis, addenda est etiam in Missis in cantu et conventualibus quæ de Octava eorumdem Festorum dicantur: in Missis autem privatis lectis de die infra Octavam, non autem de die Octava, dici vel omitti potest ad libitum Celebrantis. Excipiuntur tamen Octavæ Paschatis et Pentecostes, in quibus Sequentia semper dicitur.

Tit. 14 - De Evangelio et Symbolo.

Dicto Graduali, seu Allelúja, vel Tractu, aut Sequentia, dicitur Evangelium. Et in principio Evangelii, dicitur: Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Deinde: Inítium vel Sequéntia sancti Evangélii secúndum N. ℟. Glória tibi, Dómine. In fine Evangelii a Ministro respondetur: Laus tibi, Christe, quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quæ legitur in tono Evangelii, præterquam in Parasceve. Postea, si dicendum est, dicitur Credo.

2 Post Evangelium dicitur Symbolum in omnibus Missis festivis ritus Solemnis, vel Duplicis, vel Semiduplicis, quoties Credo conveniat, aut Missæ quæ celebratur, aut alicui ex Commemorationibus occurrentibus. Itaque dicitur Credo:

a) In omnibus Dominicis, licet anticipatis, vel, etiam quoad Officium, repositis, et in Vigilia Epiphaniæ, etsi tantum commemoratis in Officio nobiliori, cui Credo per se non conveniat;

b) In Festis primariis et secundariis Domini et beatæ Mariæ Virginis eorumque Octavis;

c) In Festis Angelorum, S. Joseph, Apostolorum, Evangelistarum, Doctorum, S. Mariæ Magdalenæ et Omnium Sanctorum eorumque Octavis;

d) In die et anniversario Dedicationis Ecclesiæ, et per Octavam; item in benedictione primarii lapidis et solemni benedictione Ecclesiæ;

e) In Festis Patroni loci, Ordinis seu Congregationis, Tituli Ecclesiæ (non vero Capellæ vel Altaris in Ecclesia), Sancti Fundatoris et Tituli Ordinis seu Congregationis eorumque Octavis;

f) In Festo saltem duplici alicujus Sancti, in Ecclesia, in qua asservatur ejus reliquia insignis, etiamsi non sit publice exposita;

g) Quando fit Commemoratio alicujus ex Octavis privilegiatis vel communibus, supra litt. *b*), *c*), *d*), et *e*) recensitis, dummodo hæc Commemoratio fiat in Missis Festivis ritus Duplicis vel Semiduplicis;

h) In omnibus Missis votivis quæ pro re gravi et publica simul causa solemniter celebrantur;

i) In sequentibus Missis votivis privilegiatis: 1° in die et anniversario Creationis et Coronationis Summi Pontificis; 2° in anniversario electionis sive translationis et consecrationis Domini Archiepiscopi; 3° in Missa votiva Ssmi Cordis Jesu, prima Feria VI cujusque mensis celebrata; 4° in Missis de solemnitate externa Festi solemnis I vel II ordinis, in Dominicam translata; 5° in unica Missa sua die cantata de Festo Patroni principalis, aut Tituli vel Dedicationis propriæ Ecclesiæ, aut etiam Tituli vel Sancti Fundatoris Ordinis seu Congregationis, per accidens impedito; item si in Missa Officii nobilioris tantummodo commemoretur; 6° in unica Missa, magno populi concursu cantata, de Festo, quod transferri aut commemorari vel accidentaliter omitti debeat, aut de Mysterio, Sancto vel Beato, cujus mentio fiat in Martyrologio romano vel in ejus appendice pro Ecclesia Bracarensi a Sede Apostolica approbata.

3 Numquam autem dicitur Credo:

a) In Missis Dominicæ, infra Hebdomadam resumendis, nisi agatur de Missis Dominicæ infra Octavas in Universali Ecclesia privilegiatas occurrentis, quæ infra respectivæ Octavæ ambitum sint resumendæ;

b) In Missis de ceteris Sanctis, supra n. 2 non commemoratis, licet hi celebrentur ritu Solemni I vel II ordi-

nis, ut S. Joannes Baptista et S. Anna, et SS. Martyres, ut S. Laurentius, nisi tales Sancti sint Tituli Ecclesiæ vel Patroni principales loci;

c) In aliis Missis ritus Simplicis, etiamsi Symbolum alicui ex Commemorationibus occurrentibus conveniret: nisi Officium sit de diebus infra Octavas privilegiatas vel Communes, ut supra n. 2 notatur, quæ, licet in Liturgia Bracarensi ritu Simplici celebrentur, servant tamen jus ad Credo et ad omnia alia, quæ sunt Octavis propria. Hæc valent etiam de privilegiata Missa votiva pro Sponsis, quæ semper habet ritum Simplicem, ideoque numquam Credo admittit.

Tit. 15 – De Offertorio et Secretis.

Post Symbolum, vel, si non sit dicendum, post Evangelium, dicitur: Dóminus vobiscum. Orémus; deinde Offertorium; postea fit oblatio cum Orationibus, ut in Ordine Missæ.

2 Oblatione facta, dicuntur Orationes secretæ, secundum ordinem Orationum, quæ clara voce in principio Missæ dictæ sunt; sed ante primam Orationem non dicitur Dóminus vobiscum, nec aliquid aliud, sed dicto Suscipiat Dóminus sacrifícium, etc., absolute dicuntur; neque etiam ante secundam Orationem dicitur Orémus. Terminantur autem prima et ultima Oratio, ut in Rubrica de Orationibus, tit. 12, n. 13, dictum est: et secreto dicuntur usque ad illa verba in conclusione, Per ómnia sǽcula sæculórum, quæ clara voce proferuntur, et deinde incipit Præfatio.

Tit. 16 – De Præfatione et Canone.

Præfationes dicuntur, ut in Ordine Missæ adnotatum est. In qualibet Missa dicitur semper ejus Præfatio propria, si habeatur, etiamsi facienda sit Commemoratio unius vel alterius Officii etiam Præfationem propriam habentis.

2 Si autem Missa, quæ dicitur, Præfationem propriam non habeat, tunc dicitur Præfatio propria Missæ sive Officii primo loco inter cetera, quæ Præfationem propriam habeant, commemorati; quodsi in Missa aut nulla fiat Commemoratio aut Commemorationes fiant Præfationem propriam non habentes, tunc dicitur Præfatio de Octava communi, vel de Tempore, vel demum Præfatio communis, prout Festum, de quo dicitur Missa, occurrit vel non in Octavis communibus vel Temporibus, Præfationem propriam habentibus.

3 Pro Dominicis censetur Præfatio propria, etiamsi fiat Commemoratio Officii Præfationem propriam habentis:

a) Præfatio de Ssma Trinitate, quæ dicitur a Dominica II post Epiphaniam usque ad Dominicam Quinquagesimæ inclusive; a Dominica I post Pentecosten usque ad Dominicam IV Adventus inclusive, et in Dominicis anticipatis post Octavam Epiphaniæ vel Pentecostes. Cauto tamen quod in Dominica II post Pentecosten dicenda est Præfatio de Ssma Trinitate solum, quando in Missa de Dominica non fit Commemoratio Octavæ Ssmi Corporis Christi: quod tunc fit, quando in Dominica infra hanc Octavam duæ Missæ dicuntur in cantu vel conventualiter, una de solemnitate externa translata Festi Ssmi Corporis Christi, altera de Dominica, in quibus Missis de alterutra, ut supra, tit. 10, n. 6, non fit Commemoratio. Secus dicitur Præfatio de Nativitate Domini, quæ, ut infra litt. *c*), censetur hujus Dominicæ infra Octavam propria.

b) Præfatio de Tempore, et quidem Præfatio de Tempore Quadragesimæ a Dominica I ad IV Quadragesimæ inclusive, Præfatio de Tempore Passionis in Dominicis Passionis et Palmarum, Præfatio de Tempore Paschali a Dominica I ad V post Pascha inclusive.

c) Præfatio de Octava privilegiata, in Dominicis infra Octavas Nativitatis, Epiphaniæ, Ascensionis et etiam Corporis Christi, nisi Commemoratio hujus Octavæ omittenda sit, ut supra, litt. *a*), notatur; tunc enim dicitur Præfatio de Ssma Trinitate.

4 Pro Missa denique Rogationum, etiamsi dicatur in Litaniis majoribus infra Octavam Paschatis, et pro Missa Vigiliæ Ascensionis, censetur propria Præfatio de Tempore Paschali in hoc potíssimum, etiam infra Octavam Paschatis, nisi in ea fiat Commemoratio Octavæ, quo in casu dici debet in hac potíssimum die.

5 Excipiuntur a regulis supra, n. 1-4, recensitis:

a) Omnes Missæ de beata Maria Virgine, quæ dicuntur a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis inclusive, in quibus dicitur Præfatio de Nativitate Domini.

b) Missæ de Dedicatione Ecclesiæ vel de aliquo Festo Domini, quod propriam Præfationem non habeat, in quibus adhibetur Præfatio communis, exclusis Præfationibus propriis Officii commemorati vel Octavæ, quæ non sint de aliquo Mysterio Domini, et Præfatione de Tempore Quadragesimæ.

c) Missæ de Tempore Adventus, in quibus numquam adhibetur Præfatio de beata Maria Virgine.

6 Quando plures habeantur Missæ cantatæ aut Conventuales, vel etiam aliæ habeantur Missæ in cantu præter conventualem, in nulla earum adhibetur Præfatio quæ sit propria alterius Missæ, vel propria item alicujus Commemorationis in altera Missa factæ vel faciendæ.

7 Idem servatur quoad Præfationem de Octava communi, ac de Feria VI post Octavam Ascensionis, etiam non commemoratis in Officio, necnon quoad Præfationem de Tempore Paschali in Feriis communibus ejusdem Temporis; quæ pariter in una tantum ex Missis cantatis vel conventualibus adhibentur, nempe in Missa propria, si dicatur, secus in Missa de Officio diei, et, ea deficiente, in prima ex Missis ea die, ut supra, in cantu vel conventualiter celebratis.

8 Post Præfationem incipitur Canon Missæ secreto: in quo serventur omnia, ut in Ordine Missæ. Ubi vero infra actionem Communicántes, et Hanc igitur, vel alia variari contingit, suo loco in propriis Missis adnotatur.

Tit. 17 – De Communione, Orationibus post Communionem, Ite, Missa est, vel Benedicámus Dómino, aut Requiéscant in pace, et de Benedictione.

Expleto Canone, et aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta, dicitur Communio, et Orationes post Communionem, eo modo et ordine, ut in principio Missæ.

2 Post ultimam Orationem, repetitur Dóminus vobiscum, et dicitur: Ite, missa est, vel Benedicámus Dómino, aut Requiéscant in pace, pro Temporis ratione vel Missarum diversitate. Dicitur Ite, missa est, ℟. Deo grátias, quandocumque dictum est Glória in excélsis: quando vero in Missis vivorum omittitur Glória, dicitur Benedicámus Dómino, ℟. Deo grátias; in Missis tandem Defunctorum dicitur Requiéscant in pace, ℟. Amen.

3 Dicto Ite, missa est et Deo grátias, immediate datur Benedictio In unitáte Sancti Spíritus ✠ benedicat vos Pater et Fílius: sed, quando dicitur Benedicámus Dómino, datur antea sola Benedictio, omissis verbis In unitáte etc.; in Missis vero Defunctorum nulla datur Benedictio. Deinde dicitur Pláceat tibi et reliqua, ut in Ordine Missæ.

Tit. 18 – De Evangelio in fine Missæ.

In qualibet Missa, etiam votiva et non excepta Missa votiva solemni, in qua facta fuerit Commemoratio de Dominica, licet anticipata vel, etiam quoad Officium, reposita, de Feria Quadragesimæ, a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, de Feria Quatuor Temporum Adventus et mensis Septembris, de Feria II Rogationum, de Vigilia qualibet, de die Octava privilegiata Epiphaniæ et de die infra Octavam privilegiatam I ordinis Paschatis et Pentecostes, semper legitur in fine Evangelium ex Missa respectivi Officii commemorati, Dominicæ nempe, Feriæ, Vigiliæ aut Octavæ, dummodo hoc (etsi tantum a principio) non sit idem Evangelium, quod lectum fuerit in Missa.

2 Si autem Feria et Vigilia, vel duæ Vigiliæ simul occurrant, de ea dicitur Evangelium, de qua primo facta est Commemoratio.

3 Denique, si nullum Dominicæ, Feriæ, Vigiliæ, aut alicujus ex Octavis supra, n. 1, recensitis, Evangelium in fine Missæ fuerit legendum, dicitur, etiam in Missis de Dominica, ultimum pariter Evangelium Missæ sive Officii primo loco inter cetera, quæ Evangelium stricte proprium habeant, commemorati.

4 Evangelium, de quo numero præcedenti, tunc stricte proprium dicitur, quando memorat aut Mysterium Festi historice vel prophetice, aut Personam, cujus Festum agitur. Unde non est in fine Missæ dicendum, utpote non proprium, Evangelium solummodo appropriatum, vel ex aliquo Communi assignatum, vel per Octavam e Festo repetitum.

5 Non autem legitur ultimum Evangelium Officii commemorati, si idem sit ac Evangelium, quod lectum fuerit in Missa (etsi tantum a principio); nec Evangelium Dominicæ IV Adventus, quando in eam incidit Vigilia Nativitatis; nec Evangelium Dominicæ quæ a die 2 ad 4 Januarii occurrat; nec Evangelium Dominicæ, quando in Missis privatis fit Commemoratio Dominicæ præcedentis impeditæ, ideoque infra Hebdomadam resumendæ.

6 Dicitur Evangelium S. Joannis:

1° In omnibus Missis Defunctorum;

2° In sequentibus Missis, quæ non sunt de Requie:

a) In Missis, in quibus nulla facta fuerit Commemoratio;

b) In Missis, in quibus, licet facta fuerit Commemoratio de aliqua ex supra recensitis Dominicis, Feriis, Vigiliis et Octavis, vel de Festo cum Evangelio stricte proprio, eorum tamen Evangelium idem sit (etsi tantum a principio) ac Evangelium, quod lectum fuerit in Missa;

c) In Vigilia Nativitatis, occurrenti in Dominica IV Adventus;

d) In Dominica quæ occurrat a die 2 ad 4 Januarii;

e) In Missis privatis de Officio diei, in quibus juxta Rubricas fit Commemoratio Dominicæ præcedentis impeditæ, ideoque infra hebdomadam primo resumendæ;

f) In omnibus Missis in Dominica Palmarum celebratis, in quibus facta fuerit benedictio Palmarum.

7 In tertia Missa de die Nativitatis Domini, legitur in fine Evangelium de Epiphania Cum natus esset Jesus; et in Dominica Palmarum, in omnibus Missis, in quibus facta non fuerit benedictio Palmarum, in fine legitur Evangelium Cum appropinquásset Jesus, quod in benedictione Palmarum ponitur.

Tit. 19 – De ordinanda Missa ex supradictis Rubricis.

Supradictis Rubricis cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum de Tempore, vel de Sanctis, secundum qualitatem Officii. Si Proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum sit, et propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa præcedentis Dominicæ, omissis Glória in excélsis, et Symbolo, præterquam Tempore Paschali, in quo, excepta Missa Rogationum, semper dicitur Glória in excélsis, ut supra, tit. 11, n. 5, notatur; et in Adventu prætermittitur Allelúja post Graduale, cum suo Versu. Si dicenda sit Missa votiva, requiratur in fine Missalis post Commune Sanctorum. Si plures Orationes dicendæ sint, requirantur post Missas votivas suo loco de singulis rebus singulæ. Si pro Defunctis dicenda sit Missa, habetur post Missas votivas, cum Collectis diversis circa finem Missalis. Ordo totius Missæ, cum Præfationibus, Canone et aliis dicendis, habetur suo loco, cum Proprio Missarum de Tempore.

Tit. 20 – De Hora celebrandi Missam.

Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora, ab aurora usque ad meridiem, dici potest.

2 Hora autem Missam conventualem et solemnem celebrandi varia est pro diversitate Temporum et Missarum:

a) Post mediam noctem, dicto Te Deum laudámus, prima Missa in die Nativitatis Domini;

b) Post Primam dicitur secunda Missa in aurora Nativitatis Domini, dictis Laudibus et Prima; dicuntur Missæ votivæ pro re non gravi, ex fundatione vel alia obligatione celebrandæ, et, exceptis casibus infra litt. *e*) notatis, Missæ Defunctorum, et, ubi dicuntur eorum Vigiliæ mane, post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro Defunctis;

c) Post Tertiam dicitur tertia Missa in die Nativitatis Domini; dicuntur Missae in Festis solemnibus, duplicibus et semiduplicibus, etiam Tempore Adventus et Quadragesimæ celebrandis, in Officio de Canticis Canticorum, in Dominicis et infra Octavas, in Vigilia Nativitatis Domini, si venerit in Dominica, et in Vigilia Epiphaniæ, sive in Dominica sive in Feria occurrerit;

d) Post Sextam dicitur in Festis simplicibus et Feriis per Annum, in Vigilia Ascensionis, et dicuntur Missæ votivæ, quæ, loco Conventualis de Feria, suffici possunt.

e) Post Nonam dicuntur Missæ de Tempore in Adventu, Quadragesima et Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes; Missæ in Vigilia Nativitatis Domini, extra Dominicam occurrente, in Vigilia Pentecostes et in reliquis Vigiliis supra, litt. *c*) et *d*) non exceptis; ex Indulto in ipso die Festo Ssmi Corporis Christi; Missæ Rogationum; Missæ votivæ solemnes pro re gravi et publica simul causa, quæ dici debent semper post Missas Officio conformes; Missa in die depositionis Defuncti vel III, VII, XXX et Anniversario solemni et Missa de Requie in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum.

Tit. 21 – De his quæ clara voce, aut secreto dicenda sunt in Missa privata, et intonanda vel cantanda sunt in Missa solemni.

In Missa privata, clara voce dicenda sunt Ave, María, Sancti Spíritus adsit nobis grátia, Antiphona et Psalmus ad Introitum, Confessio et quæ sequuntur, excepta Oratione Aufer a nobis et Orámus te, Dómine,

per mérita Sanctórum tuórum, etc. Item Introitus cum Versu Glória Patri, Kýrie, eléison, Glória in excélsis, Dóminus vobíscum, Orémus, Flectámus génua, Leváte, Oratio vel Orationes, Prophetiæ, Epistola, Graduale, Allelúja, Tractus, Sequentia vel Prosa, Evangelium, Credo, Dóminus vobíscum et Orémus post Evangelium vel Symbolum, Offertorium, Oráte, fratres, pro me, solum hæc quatuor verba, Præfatio, Nobis quoque peccatóribus, solum hæc tria verba. Item Per ómnia sǽcula sæculórum, etc., cum Pater noster, Per ómnia sǽcula sæculórum, cum Pax Dómini, totum Agnus Dei et ter repetitum, Pax tecum, totum Dómine, non sum dignus, et ter repetitum, Communio, Dóminus vobíscum, Orémus et Oratio vel Orationes post Communionem, Humiliáte cápita vestra Deo, Dóminus vobíscum cum Ite, missa est, vel Benedicámus Dómino, aut Requiéscant in pace, Benedictio In unitáte Sancti Spíritus, etc., Evangelium In princípio, vel aliud Evangelium, et Commemoratio beatæ Mariæ. Alia omnia dicuntur secreto.

2 In Missa solemni, quando dici debent, a Celebrante intonantur Glória in excélsis et Credo; cantantur Dóminus vobíscum ante Ite, missa est vel Benedicámus Dómino aut Requiéscant in pace; Dóminus vobíscum, simul cum Orémus et Orationes, ante Epistolam et post Communionem, item Dóminus vobíscum et Orémus ante Offertorium, et Per ómnia sǽcula sæculórum cum Præfatione, Pater noster et Pax Dómini. Alia, quæ in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur submissa voce.

3 Sacerdos maxime curare debet, ut ea, quæ clara voce dicenda sunt, distincte et composite proferat, non festinanter, ut advertere possit quæ legit, nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat; neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quæ et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quæ leguntur intelligant. Quæ vero secreto dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

Tit. 22 – De ordine genuflectendi, sedendi et standi in Missa privata et solemni.

In Missa privata Sacerdos utrumque flectit genu ad Ave, María, in principio Missæ; ad verba Symboli Et homo factus est; immediate antea et post primam elevationem Hostiæ et Calicis; postquam dixerit verba San✠ctíficas, viví✠ficas, bene✠dícis et præstas nobis, antequam accipiat Sacram Hostiam, ut eam dividat; ante sumptionem Hostiæ et Calicis, dictis verbis Et ab omni perturbatióne secúri et dum profert verba Quid retribuam Dómino; quando legit Evangelium In princípio, ad verba Et Verbum caro factum est, et quando in fine Missæ, Tempore Paschali excepto, dicit Commemorationem beatæ Mariæ. Item in Evangelio Epiphaniæ Cum natus esset Jesus, ad verba Et procidéntes adoravérunt eum; in Evangelio Feriæ IV post Dominicam IV Quadragesimæ, ad verba in fine Et prócidens adorávit eum; in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce ad verba in Epistola In nómine Jesu omne genu flectátur, etc.; et, quando legitur Passio, ad verba Exspirávit, vel Emísit spíritum, ut suis locis notatur; cum dicit Flectámus génua; quando in Quadragesima dicit in Tractu ℣. Adjuva nos, Deus, et in omnibus Missis de Spiritu Sancto, cum dicit ℣. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum, etc. Item quando pervenit ad Altare, ubi est Sacramentum expositum, vel ab eo recedit, aut ante illud ad aliud Altare transit, et quandocumque in Ordine Missæ et in ritu servando in celebratione Missæ notatur quod utrumque genu flectere debeat.

2 Celebrans in Missis privatis unicum flectit genu, quando pervenit ad Altare, ubi asservatur Sacramentum in Tabernaculo, vel ante illud ad aliud Altare transit, aut ab eo recedit, et dum in eodem incipit Missam Defunctorum; quoties ad medium accedit, vel e medio recedit Altaris, ubi expositum est Sacramentum; et quoties in Evangelio Sanctissimum Nomen Jesu dicitur.

3 Circumstantes in Missis privatis semper genua flectunt, etiam Tempore Paschali; stare autem debent, dum intra vel in fine Missæ legitur Evangelium, et quando in Majori Hebdomada legitur Passio, et sedere possunt ab Offertorio ad Præfationem.

4 In Missa solemni Celebrans, pro diversitate Cæremoniarum, utrumque vel unicum flectit genu ad omnia quæ supra, n. 1 et 2 notantur, præterquam ad Flectámus génua, et tunc ipse solus stat, Diaconus vero et Subdiaconus et omnes alii genuflectunt. Ad Versum vero Adjuva nos, Deus, et ad Versum Veni, Sancte Spíritus, genuflectit usque ad finem. Item genuflectit in die Annuntiationis B. Mariæ Virginis et in tribus Missis Nativitatis Domini, quando Chorus cantat Versum Symboli Et incarnátus est. Aliis diebus, si sedeat cum cantantur hæc verba, non genuflectit, sed caput tantum profunde inclinat apertum; si autem non sedet, genuflectit.

5 Ministri semper genuflectunt cum Celebrante, præterquam Subdiaconus, solum quando tenet librum ad Evangelium, Cruciferarius, Crucem Evangelii sustinens, et Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba ad quæ est genuflectendum, ipse, Celebrans et omnes alii, nisi Ssmum sit expositum, versus Crucem Evangelii genuflectunt.

6 In Choro semper genuflectitur ab iis, qui non sunt Prælati vel Canonici, ad Confessionem cum suo Psalmo. In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum et Vigiliarum, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes, et dictis per Celebrantem Sanctus usque ad Pax Dómini, et ad Orationes post Communionem et Super populum, excepta Vigilia Nativitatis Domini, Epiphaniæ et Pentecostes, et Quatuor Temporibus item Pentecostes. Et similiter ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum.

7 In Missa item solemni Celebrans, medius inter Diaconum et Subdiaconum, sedere potest a cornu Epistolæ juxta Altare, cum cantatur Kýrie, eléison, Glória in excélsis, Sequentia et Credo; alio tempore stat ad Altare, vel genuflectit, ut supra.

8 In Choro non sedent qui actu cantant, reliqui autem possunt sedere quando Celebrans sedet, et præterea dum cantantur Epistolæ et Prophetiæ, Graduale, Allelúja cum suo Versu, Tractus et Sequentia; et ab Offertorio usque ad Incensationem Chori, et, si non incensatur, usque ad Præfationem, et ad Antiphonam quæ dicitur Communio. Ad alia stant vel genuflectunt ut supra.

9 Fideles circumstantes in Missis solemnibus stare debent, dum cantatur Evangelium, Passio et Præfatio; sedere possunt quando Celebrans sedet, item ab initio Epistolæ usque ad initium Evangelii et ab Offertorio usque ad incensationem Altaris, in reliquis Missæ partibus genua flectunt.

Tit. 23 - De Cantu in Missa.

Sacerdotes Bracarenses diligentissime addiscant cantum ecclesiasticum, ea præcipue rectissime noscant, quæ, ut supra dicitur, tit. 21, n. 2, in Missa cantari debent. In cantu Sacerdotis resplendeat humilitas, simplicitas, gravitas et devotio, ita ut vere sit oratio cantata, quæ ad thronum Dei ascendat et fideles ædificet et sanctificet.

2 In qualibet Missa cantus servetur qui suo ritui conveniat; ideoque, quoad cantum eorum quæ in Missa intonari vel cantari debent, serventur propriæ Rubricæ, ut respectivis locis notatur.

3 Adhibetur cantus solemnis in Missis votivis, pro re gravi et publica simul causa celebratis, et in omnibus Missis supra, tit. 7, n. 7-12 et tit. 9, n. 1-4, recensitis; cantus autem ferialis adhibetur in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

4 In Orationibus adhibetur tonus solemnis in Festis ritus Solemnis, Duplicis et Semiduplicis, in Officio de Canticis Canticorum et in Missis votivis intrinsece solemnibus, quæ pro re gravi et publica simul causa solemniter celebrantur. Adhibetur autem tonus simplex ferialis in Festis simplicibus, in diebus ferialibus, in Missis Defunctorum, in Missis votivis privatis, etiam cum solemnitate extrinseca celebratis; in benedictione Candelarum et Palmarum; Feria VI in Parasceve, in Oratione Deus, a quo et Judas et in Orationibus Omnipotens, quæ sequuntur singulas Monitiones; Sabbato Sancto et Vigilia Pentecostes, in Orationibus ante Missam, apud Prophetias et benedictionem Fontis; et post Pater noster, quando cantantur Responsoria Defunctorum. Tonus tandem ferialis adhibetur in omnibus Orationibus cum conclusione breviore.

Sectio VI - De Ritu in Missa privata servando.

Sollicite provideat Sacerdos Bracarensis, ne quidquam desit de iis, quæ ad divinum Sacrificium celebrandum necessaria sunt, et ne ulla dicantur in sancta Missa vel fiant, quæ Rubricas generales quomodocumque offendant: nihil igitur ignoret eorum, quæ supra, Sect. II-V, inveniuntur. Item diligentissime invigilet, ne ulli defectus contingant, qui Sacramentum substantialiter vel etiam accidentaliter lædere possint, ut infra, Sect. IX, dicetur. Quibus rite cognitis, accurate addiscat hunc Ritum seu Ordinem in celebratione Missæ privatæ servandum. Ne autem sanctæ Liturgiæ nostræ Leges et Cærimoniæ oblivioni mandentur, quod non raro accidit, hæc omnia serio perlegat et pie meditetur, saltem semel in anno, uti fecerunt semper et jugiter observant diligentiores Christi Sacerdotes.

Tit. 1 - De iis quæ præparanda sunt ante Missæ celebrationem.

Sacerdos Missam celebraturus, bene prius conscientiam discutiat, et, præmissa Confessione sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus recitato, meditationi aliquantulum vacet, et submissa voce Orationes inferius positas, vel alias, pro temporis oportunitate, dicat. Deinde intret Sacrarium, vel locum ubi Paramenta aliaque ad celebrationem necessaria habentur, Kalendarium inspiciat, accipiat Missale, perquirat Missam, perlegat, et signacula ordinet ad ea, quæ in Missa sint dicenda, ne tædio afficiat circumstantes, in Altari folia circumvolvens. Postea pectinet se, recitans Orationem: Intérius exteriúsque, etc, et lavet manus, non tantum digitos, dicens: Da, Dómine, virtútem, etc, ut in hoc designet conscientiæ puritatem. Deinde præparat Calicem, super ejus os ponens Purificatorium lineum, mundum et plicatum, ita ut ejus extremitates ab utraque parte Calicis æqualiter pendeant, cui, intra cuppam Calicis, nonnihil impresso, cochlear superponetur, et super Purificatorium Patena cum Hostia, quæ sit decens, integra et a fragmentis bene extersa, et eam tegit parva Palla linea, tum Velo serico: super Velo ponit Bursam coloris Paramentorum, cum apertura ad Celebrantem versa, intus habentem Corporale plicatum, Velique partem anteriorem super Bursam reducit.

2 Quibus ita dispositis, accedit ad Paramenta, quæ non debent esse lacera, sed integra et decenter munda ac pulchra: ubi, calceatus pedibus et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat, induit se, *si sit Episcopus, seu Prælatus, supra Rochettum,* si sit simplex Sacerdos, supra Superpelliceum, quia est primus habitus clericalis, si tamen commode haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes, inferius proprio loco notatas, vel Psalmum 50 Miserére mei, Deus.

3 Ac primum, signo Crucis se muniens, dicit: In nómine Patris, etc, et deinde accipit Amictum per extremitates et chordulas, osculatur illum in medio, ubi est Crux; tum, dexteram circumducens super sinistram illum super caput ponit, dicens: Pone, Dómine, etc, et mox declinans ad collum et eo vestium collaris circumtegens, ejus chordulas ducit sub brachiis, et, circumducens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicæ dexteræ brachium dexterum, et sinistræ sinistrum immittens, recitat Orationem: Indue me, Dómine, etc. Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde et Cingulo, per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit, dicens: Præcinge, Dómine, etc. Minister elevat Albam super Cingulum circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes; ac ejus fimbrias ita diligenter aptat, ut ad altitudinem digiti, vel circiter, super terram æqualiter fluat. Deinde Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, et immittit brachio sinistro, pulsum inter et cubitum, dicens interea: Mérear, precor, Dómine, etc. Postea Stolam ambabus manibus accipiens, simili modo deosculatur, et, inchoando Orationem Redde mihi, Dómine, etc, imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem, a sinistro humero pendentem, ad dexteram; et partem, a dextero humero pendentem, ad sinistram. Sicque utramque partem Stolæ extremitatibus Cinguli hinc inde ipsi Cingulo conjungit.

4 *Si Celebrans sit Episcopus, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere; quia, antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculatur, et collo impositam sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad Altare, cum in Confessione dicit* Indulgéntiam, *illumque prius osculatur, ut infra, tit. 3, n. 9, notatur.*

5 Postremo Sacerdos Planetam decenter induit eamque internis chordulis, si adsint, ante pectus reductis firmat, interim orans: Dómine, qui dixisti, etc.

Tit. 2 - De egressu e Sacrario et accessu ad Altare.

Omnibus Paramentis indutus, Sacerdos Calicem elevatum ante pectus manu sinistra accipit per nodum, infra cuppam, manu vero dextera extensa Bursam Corporalis cum Velo reducto et Patenam sedulo teneat, ne exponantur periculo cadendi, uti non raro negligenti Sacerdoti contingere solet; et, facta reverentia Cruci, vel Imagini illi quæ in Sacrario erit, capite cooperto accedit ad Altare, ministro, superpelliceum induto, præcedente cum Missali et aliis ad celebrandum necessariis, nisi antea fuerint præparata. Procedit autem Sacerdos oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare majus, capite cooperto, faciat ad illud reverentiam: si ante locum Sacramenti, genuflectat: si ante Altare ubi celebratur Missa, in qua elevatur Sacramentum, utrumque genuflectat, et, detecto capite, illud adoret, nec ante surgat quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale: quodsi in Altari ministratur Sacramentum, vel patenter sit expositum, pariter utrumque genu flectit, ac, detecto capite, illud adorat, et, mox se erigens, incedere pergit.

2 Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, birretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positæ, profunde se inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum Ssmi Sacramenti aut exposita sit Reliquia sanctæ Crucis vel Dominicæ Passionis, flexo unico genu, debitam facit reverentiam, vel utroque genu, si Sacramentum sit expositum. Et, postquam id fecerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequatur Missam usque ad finem.

3 Tunc ascendit ad medium Altaris, ubi ad cornu Epistolæ deponit Calicem, extrahit Corporale de Bursa, quam ponit ad cornu Evangelii cum apertura versus cornu Epistolæ, et Corporale utraque manu reverenter extendit in medio Altaris, interim dicens In conspéctu, etc. Deinde, recedens paulisper e medio Altaris, ante Calicem sistit, et, amoto utraque manu Velo et in cornu Epistolæ, prope posteriorem Calicis partem relicto, Patenam cum Hostia, Palla cooperta, super Corporale deponit. Postea, Calicem præparaturus, eum Purificatorio diligenter emundat: quo peracto, Purificatorium juxta partem anteriorem Calicis, prope Altaris aram, in longum extendit, et super ipsum cochlear. Deinde, ad cornu Epistolæ conversus, Calicem per medium nodi sinistra manu apprehendens, eum super Purificatorium parumper inclinat, et, ampullam vini de manu ministri dextera accipiens, infundit vinum in Calicem in moderata quantitate, nihil dicens. Tunc minister offert ei ampullam aquæ, et, si non celebrat pro Defunctis, dicit: Benedicite, Pater reverénde, *si autem sit Episcopus: Benedicite, Pater reverendissime,* et, submissa voce dicens: Dóminus ipse te benedicat, etc., dextera producens super aquam signum Crucis, eam benedicit, dum profert verba: In nómine Patris ✠ et Filii, etc., et mox, Crucem devote aspiciens, manu dextera super pectus extensa, prosequitur: Ex látere Dómini nostri, Jesu Christi, caput inclinans Cruci ad verba Jesu Christi, statimque sumit cochlear, et, dum profert verba: Sanguis et aqua exiisse perhibétur, tres vel quatuor guttas in Calicem infundens, subjungit: Et ideo nos páriter commiscémus, etc. Dum minister accipit ampullam, osculetur manum Celebrantis: quod si aliqua gutta vini vel aquæ super pedem Calicis, aut per oras intus vel extra effusa fuerit, mundet illam Celebrans Purificatorio. Deinde ad pedem Calicis extendit Purificatorium plicatum, et Patenam cum Hostia, Palla coopertam, utraque manu sumens, super Calicem reponit: postea, velum accipiens, eo tegit Calicem, ita ut anterior pars usque ad pedem maneat cooperta. Si est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super aliam Patenam manere non possunt, eas super Altare ad latus Evangelii in Pyxide, suo operculo et velo cooperta, deponat.

4 Calice ita præparato, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super pulvillo vel legili aperit, reperit Missam et signacula suis locis accommodat. Deinde, rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci profunda capitis inclinatione, vertens se per suam dexteram ad cornu Epistolæ, et aliquantulum se retrahens ad cornu Evangelii, ne directe terga objiciantur Cruci, descendit sub infimum gradum Altaris.

Tit. 3 - De principio Missæ et Confessione facienda.

Cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, Sacerdos per latus suum dexterum convertit se ad ipsum Altare, ubi utrumque genu flectit in medio, et, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextero super sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur, quando junguntur manus, præterquam post Consecrationem), detecto capite, gravi et submissa voce, distincte et devote dicit Salutationem Angelicam, Ave, Maria.

2 *Si Celebrans sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum Altaris a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus exspectat: accepta benedictione et versus ad Altare, ut supra, incipit genuflexus Salutationem Angelicam. Si autem sit coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum a cornu Evangelii, ut supra, exspectat: dato signo, facit profundam reverentiam Prælato, et, versus ad Altare, incipit Salutationem Angelicam, ut supra.*

3 Recitata Salutatione Angelica, Celebrans surgit, et, stans ante infimum gradum Altaris, producens manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, eadem voce, ut supra, dicit: In nómine Patris, et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Et ita verba distribuat, ut, ad frontem, dicat, In nómine Patris; ad pectus, et Filii; ad humerum sinistrum, et Spiritus; ad humerum dexterum, Sancti; jungens iterum manus ad verbum Amen. In Missis autem Defunctorum, omissa Salutatione Angelica, Celebrans, servatis, quando servanda sint, omnibus quæ supra, n. 1-2, notantur, et facta Altari reverentia convenienti, mox incipit: In nómine Patris, etc., ut supra.

4 Cum seipsum signat, Celebrans semper sinistram ponit infra pectus; in aliis benedictionibus, cum est ad Altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dexteræ, et, omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis et extensis; quod in omni benedictione observatur.

5 Facto signo Crucis et dicto In nómine Patris, ut supra, jungens iterum manus ante pectus, clara et intelligibili voce, quæ ab omnibus audiatur (non tamen nimis elata, ne alios Sacerdotes forsan celebrantes perturbet), dicit: Sancti Spiritus adsit nobis grátia. Et minister retro post eum ad sinistram genuflexus, respondet: Amen.

6 Deinde eadem voce pronuntiat Antiphonam: Introíbo ad Altáre Dei. Minister prosequitur: Ad Deum, qui lætíficat juventútem meam. Postea Sacerdos eodem modo stans, incipit et prosequitur cum ministro alternatim totum Psalmum 42 Júdica me, Deus, etc. in cujus fine caput profunde Cruci inclinat ad Glória Patri, et deinde repetit Antiphonam Introíbo cum ministro, ut supra. Qui Psalmus numquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore, a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, in quibus semel tantum dicta Antiphona Introíbo cum Ministro, ut supra, Sacerdos statim subjungit. ℣. Adjutórium nostrum, ut infra.

7 Repetita Antiphona Introíbo, dextra manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit ℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, ita verba distribuens, ut ad frontem, dicat: Adjutórium; ad pectus, nostrum; ad humerum sinistrum, in nómine; ad dexterum, Dómini: iterum jungens manus, cum minister respondet: Qui fecit cælum et terram. Deinde Altari profunde se inclinans, junctis manibus incipit: Confíteor Deo, etc. et prosequitur eodem modo inclinatus usque ad finem, ter pectus dextera manu tundens, dum devote et modeste dicit mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa, quin se vertat ad ministrum ad verba vobis, fratres, et vos, fratres, et tandem se erigens, cum post Misereátur tui, etc. a ministro prolatum, responderit: Amen.

8 *Si est coram Summo Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ, Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum Provincia, civitate vel Diœcesi constitutis, ubi dicit: vobis, fratres, dicat: tibi, Pater; similiter in fine, ubi dicit: vos, fratres, dicat: te, Pater; quod dicens Summo Pontifici unum genu flectit, aliis Prælatis profunde se inclinat. Cum minister, et qui intersunt, etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex, respondent Confiteor, dicunt: tibi, Pater, et te, Pater, aliquantulum conversi ad Celebrantem.*

9 Facta a circumstantibus Confessione, Celebrans, stans manibus junctis, dicit: Misereátur vestri, etc. Deinde manu dextera, extenso brachio versus Altare, ducens a fronte ad pectus signum Crucis, dicit Indulgéntiam, etc. ita verba distribuens, ut, ad frontem, dicat: Indulgéntiam; ad pectus, absolutiónem; ad humerum sinistrum, remissiónem; ad dexterum, peccatórum nostrórum. Deinde, inclinatione mediocri et junctis manibus, prosequitur: Deus, tu convérsus, et quæ sequuntur in Ordine Missæ, usque ad Orationem Aufer a nobis, et, cum dicit: Orémus, mediocriter corpore inclinatus remanens, extendit et jungit manus, quin eas elevet, se statim erigens ab inclinatione. *Si Celebrans est Episcopus, postquam dixerit Indulgéntiam, accipit Manipulum, osculando illum in medio, exceptis Missis Defunctorum, in quibus sumere debet Manipulum ante Stolam, ut supra, tit. I, n. 6, notatur.*

10 *Et tunc, si coram Summo Pontifice, aut aliis Prælatis, ut supra, n. 8, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Prælatis profunda reverentia, ascendit ad medium Altaris.*

Tit. 4 - De Introitu, Kýrie, eléison et Glória in excélsis.

Dicto Orémus, Celebrans junctis manibus ascendit ad Altare, dicens voce submissa Orationem Aufer a nobis, etc. Cum pervenerit ad medium Altaris, capite inclinato ac manibus junctis super illud positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem seu medium anterioris partis Altaris tangant, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito, quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur, secreto dicat Orationem: Orámus te, Dómine, etc. et, cum dicit quorum relíquiæ hic sunt, osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super illud et extra Corporale positis: quod semper servatur, quando osculatur Altare; sed, post Consecrationem usque ad perceptionem Sanguinis, manus ponuntur super Corporale et pollices ab indicibus non disjunguntur, nisi quando Hostia consecrata tangi vel tractari debet.

2 Dicta Oratione Orámus te, Dómine, et osculato Altari, manibus junctis accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans versus Altare et producens a fronte ad pectus signum Crucis, intelligibili voce et manibus item junctis incipit Introitum Missæ cum suo Versu, caput Cruci inclinans cum post Versum dicit Glória Patri et repetens Introitum post Sicut erat. In Festis solemnibus, post Versum et ante Glória Patri, repetitur semel Introitus; et, post Glória Patri et Sicut erat, iterum repetitur Introitus usque ad Versum exclusive, ut in propriis locis notatur. Cum semel vel iterum repetit Introitum, non signat se, ut prius; et, eo repetito, junctis manibus ante pectus, accedit ad medium Altaris, ubi stans versus illud similiter manibus junctis, distincte dicit eadem voce ter Kýrie, eléison, ter Christe, eléison, et iterum ter Kýrie, eléison alternatim cum ministro. Si minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit Kýrie, eléison.

3 Dicto ultimo Kýrie, eléison, Sacerdos stans in medio Altaris et manus disjungens, extendens et elevans usque ad humeros, quod in omni manuum elevatione observatur, voce prædicta incipit, si dicendum sit, Glória in excélsis Deo, jungens manus, quin oculos elevet, et caput Cruci inclinans cum dicit Deo. Deinde, capite erecto et junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem, item caput Cruci profunde inclinans, cum dicit Adorámus te, Grátias ágimus tibi, et Jesu Christe, Súscipe deprecatiónem nostram, et iterum Jesu Christe. Cum dicit in fine Cum Sancto Spíritu, seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens: in glória Dei Patris. Amen. Quæ verba ita distribuet, ut, ad frontem, dicat: Cum Sancto; ad pectus, Spíritu; ad humerum sinistrum, in glória; ad dexterum, Dei Patris. Amen. Dum profert hæc ultima verba, manus non jungit, quod servari debet etiam in fine Credo et Sanctus post signum Crucis.

Tit. 5 - De Oratione.

Absoluto Hymno Glória in excélsis et facto signo Crucis, vel, si Hymnus non est dicendus, dicto ultimo Kýrie, eléison, Celebrans, extensis hinc inde manibus et super Altare positis, illud osculatur in medio. Deinde, erectus, manibus ante pectus junctis, oculisque ad terram demissis, vertit se a sinistro latere per suam dexteram versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, et remanens in medio Altaris et se vertens quin Casulæ posterior pars plicetur vel teratur contra Altaris frontem, totaliter conversus, stans, extendit ac jungit manus ante pectus, ut prius, dicens voce prædicta: Dóminus vobíscum, vel, *si sit Episcopus:* Pax vobis, *quod dicitur tantum hoc loco, et solummodo quando dictus est Hymnus* Glória in excélsis. Post ℟. Et cum spíritu tuo, junctis, ut prius, manibus, quin aliquam reverentiam faciat Cruci, revertitur, sinistrum latus totaliter vertens Altari, per eamdem viam ad cornu Epistolæ, convertitque se ad Missale, ubi manus extendens et statim jungens ante pectus, caputque Cruci profunde inclinans, quin oculos ad eam elevet, dicit: Orémus. Tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat palmam alterius, et digitis

simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem ut supra extensis manibus et facie ad librum conversa, clara voce dicit Orationem. Cum in fine Orationis profert Per Dóminum vel Per eúmdem Dóminum, Sacerdos sub his verbis jungit manus ante pectus, easque sic retinet usque ad finem, caput profunde flectens Cruci ad verba Jesum Christum. Si aliter concluditur Oratio per verba Qui tecum vivit vel Qui vivis, jungit manus solum ad verba in unitáte sine ulla capitis inclinatione.

2 Si plures Orationes sint dicendæ, ante primam et secundam tantum dicitur Orémus, ac prima et ultima conclusione sua terminatur; excipitur Oratio super populum, Tempore Quadragesimæ, cui iterum præmittitur Orémus et propria conclusione terminatur. In quibus servari debent quæ supra in prima Oratione, n. 1, de voce, extensione manuum et capitis inclinatione præscribuntur.

3 In Feriis, in quibus dicuntur plures Orationes cum Prophetiis, Sacerdos, dicto ultimo Kýrie, eléison, statim revertitur junctis manibus ad cornu Epistolæ, ut supra, n. 1, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, et caput Cruci inclinans, dicit Orémus. Subjungit mox, quando dicendum est, Flectámus génua: et illico, manibus super Altaris mensam extensis, unum flectit genu; et, respondente sine mora ministro Leváte, Sacerdos statim surgit, et manibus extensis dicit Orationem, manus jungens ad conclusionem, ut supra, n. 1, notatur. Dum post Orationes legit Prophetias, tenet manus super Missale. Minister, post singulas Orationes respondet: Amen; et, post singulas Prophetias, ultima excepta, respondet: Deo grátias.

4 Quando Sacerdos venerabile nomen Jesu profert, caput humiliter inclinat; similiter quotiescumque nomen ejus intemeratæ Genitricis Mariæ profert. Item ad nomina Sanctorum de quibus dicitur Missa vel fit Commemoratio, in eorum Festo et per Octavas, et in Vigiliis, non vero in Commemoratione communi aut in titulo Epistolæ vel Evangelii: similiter in Oratione pro Papa et in Collecta pro Domino Archiepiscopo, quando nominantur, semper caput inclinat. Quando autem profert nomen Jesu, inclinatio capitis semper fit versus Crucem, excepto quando hoc sacrum Nomen occurrit in Evangelio, quia tunc fit simplex genuflexio versus Evangelium ipsum, nisi Sanctissimum Sacramentum fuerit expositum; quando occurrunt alia nomina, ut supra, inclinatio numquam fit versus Crucem sed versus librum; nisi in loco principali Altaris habeatur statua vel imago beatæ Mariæ Virginis vel Sancti, ad quam caput tunc inclinatur. Nomini Jesu fit inclinatio profunda capitis; nomini Mariæ media; aliis nominibus minima. Quæ normæ a Sacerdote servari debent in omnibus partibus Missæ.

5 Si Altare sit ad Orientem versus populum, Celebrans, versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est Dóminus vobíscum; Pax vobis; Oráte, fratres; Ite, missa est, vel daturus Benedictionem; sed osculato Altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum, et dat Benedictionem.

Tit. 6 – De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium.

Dictis Orationibus, Celebrans demittit super Missale manus, ita librum et legile tenens, ut ab utraque parte pollices folia, palmæ aperturam Missalis, digiti legile tangant; mox clara voce legit Epistolam, in cujus fine vocem aliquantulum inflectens et capite nonnihil ad ministrum converso, monet eum ut respondeat: Deo grátias. Eodem modo tenens librum, eademque voce prosequitur Graduale, vel Allelúja et Versus, vel Tractum, vel Sequentiam, quoties dicenda sint. Si infra Epistolam vel Tractum sit genuflectendum, id præstatur versus librum, nisi adsit Sacramentum expositum. Quibus dictis, si minister præsto non sit, ipsemet Sacerdos utraque manu accipit legile cum Missali et transfert ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, et, dum transit ante medium Altaris, caput Cruci profunde inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, adeo ut Sacerdos ante librum consistens, mediam veluti vultus partem ad populum conversam habeat.

2 Locato Missali in Altari, Celebrans, junctis ante pectus manibus, redit ad medium Altaris, ibique stans ante Crucem, levatisque ad eam oculis et statim demissis, tum profunde inclinatus manus junctas tenens ante pectus, quin Altare tangat, voce secreta dicit: Munda cor meum, et Jube, Dómine, benedícere, Dóminus sit in corde meo, ut in Ordinario: quæ, exceptis verbis Jube, Dómine, etc., dicuntur etiam in Missis Defunctorum. Quibus dictis, erigit se et junctas retinens manus, ut supra, se confert ad cornu Evangelii, ubi, stans versus librum junctis manibus ante pectus, clara voce dicit: Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Deinde, manus disjungens, ponit sinistram extensam super Missale et pollice dexteræ signo Crucis signat librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea, manum sinistram extensam ponens infra pectus, pollice dexteræ seipsum signat fronte, ore et pectore, dicens: Sequéntia, vel Initium sancti Evangélii secúndum N., ita verba distribuens, ut, ad Ini ✠ tium vel Sequén ✠ tia, signet prima verba sacri textus; ad san ✠ cti, signet frontem; ad Ev ✠ angélii, os; ad secún ✠ dum, pectus; iterum jungens manus ad nomen Evangelistæ. Quibus verbis minister respondet: Glória tibi, Dómine. In Missis autem Defunctorum, Celebrans, quin librum vel seipsum signo Crucis signet, incipit verba Sequéntia, etc., ut supra. Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans, ut supra, clara voce legit Evangelium usque ad finem. Quo finito, minister, stans in cornu Epistolæ post ultimum gradum Altaris, respondet: Laus tibi, Christe, et Sacerdos, utraque manu accipiens librum sine legili eumque parumper elevans et simul caput nonnihil inclinans, submissa voce dicit: Per Evangélica dicta, osculatur principium textus Evangelici, et statim prosequitur deleántur nostra delícta, interea se erigens et reponens librum. Quæ cærimonia fieri nequit, nec verba dicenda sunt in Missis Defunctorum; *et, quando celebrat coram Summo Pontifice, Cardinali et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo in eorum residentiis, defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, et Celebrans tunc etiam non osculatur librum, nec dicit:* Per Evangélica dicta. Quando in Evangelio profert nomen Jesu, Sacerdos non profunde inclinare debet caput versus Crucem, ut in aliis partibus Missæ; sed unicum genu flectere versus Evangelium, nisi Sanctissimum Sacramentum fuerit expositum, manus interea extensas imponens super mensam Altaris; quod item fieri debet quoties Rubrica genuflexionem præscribit, nisi aliter notetur.

3 Dicto et osculato Evangelio, Sacerdos Missale cum legili collocat prope Corporale. Deinde, junctis ante pectus manibus, adit medium Altaris, ubi, stans versus Crucem, clara voce incipit Credo, si dicendum sit: et, dum profert verba Credo in unum Deum manus extendit, elevat usque ad humeros, rejungit et demittit, caput

profunde inclinans Cruci ad verbum Deum: erecto statim capite, stans ibidem et manibus ut antea junctis, prosequitur usque ad finem. Cum dicit: Jesum Christum, caput profunde Cruci inclinat. Cum dicit: Et incarnátus est, manus reponens et retinens super Altare, utrumque flectit genu quousque absolvat verba et homo factus est, quin interea ulla fiat capitis inclinatio. Deinde, surgens et junctis iterum ante pectus manibus, prosequitur: Crucifixus, etc. Cum dicit: Simul adorátur, caput profunde Cruci inclinat. In fine, cum dicit: Et vitam ventúri sæculi. Amen, producit sibi manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus, ita verba distribuens, ut, ad frontem, dicat verba Et vitam; ad pectus, ventúri; ad humerum sinistrum, sæculi; ad dexterum, Amen, quin post signum Crucis jungat manus.

Tit. 7 – De Offertorio et aliis usque ad Canonem.

Dicto Symbolo, vel, si non est dicendum, post Evangelium, Celebrans, extensis utrimque extra Corporale manibus, Altare in medio osculatur; et, junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dexteram vertit se ad populum, et, extendens ac jungens manus, clara voce dicit: Dóminus vobíscum; et, junctis iterum manibus, revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi rursus extendens et jungens manus et simul caput Cruci inclinans, dicit: Orémus. Tum, capite erecto junctisque ut prius manibus, clara voce legit Offertorium.

2 Dicto Offertorio, Celebrans utraque manu accipit velum Calicis et extra Corporale, versus partem Epistolæ, illud plicat vel Ministro plicandum tradit; tum, sinistra super Altare posita, manu dextera inter pollicem et indicem amovet Pallam desuper Hostiam et accipit Patenam cum Hostia: deinde, utroque pollice et indice circa oram Patenæ extensis, ac reliquis digitis subter Patenam junctis, eam usque ad pectus sublevans, oculos ad Deum levat, secreto dicens: Acceptábilis sit, etc.

3 Si fuerint aliæ Hostiæ, non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice vel Pyxide, pro communione populi consecrandæ, dicto Offertorio, Calicem vel Pyxidem discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra: Acceptábilis sit, ut in ordine Missæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea ad unius palmi mensuram super Corporale facit signum Crucis, et deinde partem ejus posteriorem flectit versus Corporale, ita ut Hostia defluat ex Patena et maneat circa medium anterioris partis Corporalis ante se: tandem, sinistra super Altare posita, manu dextera Patenam deponit ad cornu Epistolæ, aliquantulum subter Corporale, eamque Purificatorio tegit, et Pyxidem, si adsit, claudit, et, si fuerit Calix vel aliud vas sine operculo, eum alia Patena vel Palla cooperiat.

4 Deinde, sinistra super Altare extra Corporale posita, ad nodum manu dextera apprehendit Calicem discoopertum, et mox, ibidem stans in medio Altaris, ipsum ambabus manibus, usque ad *faciem* elevatum tenens, videlicet, cum dextera nodum infra cuppam, cum sinistra vero pedem, intentis ad Deum oculis, offert, secreto dicens: Offérimus tibi, Dómine, etc. Absoluta Oratione, demittit oculos et Calicem et cum eo facit signum Crucis super Corporale, et ipsum in medio ultra Hostiam collocat, et, digitis sinistræ super pedem Calicis positis, manu dextera eumdem Palla cooperit. Deinde, junctis manibus et super Altare positis, corpore aliquantulum inclinatus, secreto dicit: In spiritu humilitatis, etc. Tum erectus, elevans oculos manusque expandens et usque ad humeros elevans, statimque reducens et ad pectus jungens, oculis etiam demissis, ibidem secreto dicit: Veni, sanctificátor, etc.; et, cum dicit et bene ✠ dic, sinistra super Altare extra Corporale posita, manu dextera signum Crucis producit super Hostiam simul et Calicem, manu recta etiam in linea transversa, et, manibus iterum ante pectus junctis, Orationem Hoc sacrificium usque ad finem prosequitur.

5 Deinde si qui sint, qui suas oblationes offerre voluerint, Celebrans descendit ad ultimum Altaris gradum vel ad alium locum consuetum, et, accipiens extremitatem Stolæ vel Manipuli, porrigit offerentibus osculandam, dicens singulis: Centuplum accípias, et vitam ætérnam possídeas in regno Dei. Amen. Et, data benedictione populo cum signo Crucis, ad medium Altaris revertitur.

6 Tum, junctis ante pectus manibus et facta Cruci inclinatione, sese confert ad cornu Epistolæ; ubi stans, sinistro latere Altari obverso et ministro aquam funde(n)te, lavat manus, scilicet non manus integras, sed tantum extremitates pollicis et indicis utriusque manus, secreto dicens totum Psalmum: Lavábo inter innocéntes, etc., cum Glória Patri, qui Versus Glória Patri prætermittitur in Missis Defunctorum et in Missis de Tempore, a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum inclusive.

7 Celebrans, lotis manibus, accipit a ministro manutergium, et, ad Altare conversus, eas tergit dum recitat Versus Psalmi: quo facto et reddito manutergio, junctis iterum manibus Psalmum terminat et ad Versum Glória Patri Cruci caput profunde inclinat et deinde revertitur ad medium Altaris, ubi stans et oculos ad Deum elevans statimque demittens, manibus junctis et super Altaris oram positis, et corpore aliquantulum versus ipsum inclinatus, dicit secreto Orationem: Súscipe, Sancta Trínitas, etc. Qua finita, manibus hinc inde extensis et extra Corporale super Altare positis, osculatur illud in medio; tum se erigit, et, junctis ante pectus manibus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata: Oráte, fratres, pro me, et, junctis iterum ante pectus manibus, secreto prosequens ut meum ac vestrum sacrificium, etc., lente perficit circulum inceptum, et, a manu dextera versus cornu Evangelii, ad medium Altaris revertitur. Et, responso a ministro vel a circumstantibus: Suscípiat Dóminus sacrificium de mánibus tuis, etc., cum pervenerit ad verba Ecclésiæ suæ sanctæ, Celebrans submissa voce dicit: Amen. Quod si minister vel alii adstantes non respondeant, Celebrans ipse secreto dicat: Suscípiat Dóminus sacrificium de mánibus meis, etc., ut in Ordine Missæ.

8 Tum Celebrans, in medio consistens facie ad Missale tantillum conversa et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, dicit absolute et voce secreta sine Dóminus vobíscum et sine Orémus Orationem secretam usque ad Per Dóminum, vel aliam conclusionem, quam dicendo, caput inclinans ad verba Jesum Christum, eodem tempore jungit manus usque ad Per ómnia sæcula sæculórum exclusive, si unica est Secreta. Si vero plures Secretæ sint dicendæ, addit primæ conclusioni verba Per ómnia sæcula sæculórum, cui Celebrans ipse secreto sibi respondet: Amen, et deinde dicit Orémus, subjungens alias Orationes secretas, eo modo quo supra, tit. 5, n. 2, præscribitur. Quando folia Missalis sint vertenda, id manu sinistra fiat, dextera interim super Altare posita.

9 In fine ultimæ Secretæ, cum Sacerdos voce submissa dixerit: in unitáte Spíritus Sancti Deus, manus disjungit, dexteram ponit super Altare et sinistra vertit folia ad Præfationem, et mox utramque manum extensam ponens super Altare extra Corporale, convenienti et intelligibili voce conclusionem Secretæ absolvit, dicens: Per ómnia sǽcula sæculórum, et mox subjungit: Dóminus vobíscum. Deinde, elevans manus hinc inde extensas usque ad pectus, ita ut palma unius respiciat palmam alterius, dicit: Sursum corda. Cum dicit: Grátias agámus, manus ante pectus jungit, caput Cruci inclinans ad verba: Deo nostro. Responso: Dignum et justum est, elevatis et extensis ut prius manibus, prosequitur eadem voce, usque ad finem, Præfationem propriam, vel communem, prout Tempus requirit. Si occurrerit nomen Jesu caput Cruci inclinat; versus librum vero si occurrunt nomina Mariæ vel Joseph, nisi in loco principali Altaris alterutrius Imago veneretur, tunc enim Sacerdos ad imaginem caput inclinat.

10 Absoluta Præfatione, Sacerdos, inclinatus et junctis ante pectus manibus, voce mediocri dicit: Sanctus, ministro interim campanulam pulsante. Antequam dicat Benedictus, se totaliter erigit, et, sinistra infra pectus posita, manu dextera signum Crucis producit a fronte ad pectus ita verba distribuens ut ad frontem dicat: Benedíctus; ad pectus, qui venit; ad humerum sinistrum, in nómine; ad dexterum, Dómini: et deinde complet: Hosánna in excélsis, et statim, quin manus jungat, dexteram ponit super Altare, et sinistra vertit folia ad initium Canonis.

Tit. 8 - De Canone Missæ usque ad Consecrationem.

Postquam folia Missalis vertit ad initium Canonis, Sacerdos, stans versus medium Altaris, extendit et aliquantulum elevat manus, oculisque ad Deum elevatis et sine mora devote demissis, ac manibus junctis super Altare et extra Corporale positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens: Te igitur, etc., ut in Ordine Missæ. Post verba súpplices rogámus et pétimus, manus separat et ponit super Altare illudque osculatur in medio, et, dicens: Uti accépta hábeas et benedícas, erigit se et manus jungit ante pectus. Mox, sinistra super Altare et extra Corporale posita, manu dextera signat ter super Hostiam pariter et Calicem, interim dicens: Hæc ✠ dona, hæc ✠ múnera, hæc ✠ sancta sacrifícia illibáta.

2 Deinde, extensis ante pectus manibus, prosequitur: In primis quæ tibi offérimus, etc., et, ubi dicit: una cum fámulo tuo Papa nostro N., exprimit nomen Summi Pontificis et caput versus librum inclinat; Sede autem vacante, verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur: et Antístite nostro N., specificatur, sine capitis inclinatione, nomen Patriarchæ, Archiepiscopi vel Episcopi ordinarii illius Diœcesis, in qua Sacerdos Bracarensis Missam celebrat. Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur et omitti etiam debent a Sacerdotibus Bracarensibus, qui Romæ celebrent. *Si Celebrans fuerit Dominus Archiepiscopus, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit: et me indígno servo tuo.* Ubi dicitur: et Rege nostro N., exprimatur, etiam sine capitis inclinatione, nomen Regis, si adest; secus hæc verba omittuntur. Deinde se et omnes alios commemorat, dicens: Et me indígno etc., atque Et ómnibus orthodóxis, etc., ut in Canone.

3 Cum dicit: Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, manus lente extendit, usque ad humeros elevat et ante pectus prope mentum iterum jungit, dum profert verbum tuórum. Sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemorat: non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos, tam vivos quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

4 Commemoratione vivorum facta, demissis et extensis manibus, ut prius, continuat: Et ómnium circumstántium, etc., et, similiter stans, prosequitur Communicántes, ut in Canone, vel ut in Proprio de Tempore in illis Festis quæ proprium Communicántes habent. Ad nomen Jesu Christi, caput Cruci inclinat; versus librum vero ad nomen Mariæ vel Sancti, de quo dicitur Officium vel fit Commemoratio, nisi in loco principali Altaris eorum Imago veneretur, tunc enim ad imaginem caput inclinat. In conclusione, quando dicit: Per eúmdem, manus ante pectus jungit.

5 Dicto Amen in fine præcedentis Orationis, expandit manus simul super Oblata, ita ut palmæ sint aperte versus ac super Calicem et Hostiam, indices utriusque manus a parte eorum laterali jungantur et pollex dexter remaneat super sinistrum in modum Crucis: manibus ita expansis, quin Pallam tangant, dicit Orationem: Hanc igitur oblatiónem, manus iterum jungens ad verba: Per Christum Dóminum nostrum, et, dum postea prosequitur: Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quǽsumus. Tum, sinistra super Altare posita, ad ultimum verbum quǽsumus, manu dextera Crucem signat ter super Hostiam simul et Calicem, dum dicit: bene ✠ díctam, adscri ✠ ptam, ra ✠ tam. Et, dum prosequitur: rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris: ut nobis, retenta sinistra super Altare, dextera lentius ducit super Hostiam, super quam semel Crucem separatim efformat, dum dicit: Cor ✠ pus, et semel super Calicem, dum dicit et San ✠ guis; deinde, elevans et jungens manus ante pectus, prosequitur: fiat dilectíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi, facta Cruci inclinatione ad verba Jesu Christi. Tum, si adsit Pyxis, vel Calix aut vas cum aliis Hostiis consecrandis, manu dextera discooperit Pyxidem vel Calicem aut vas aliarum Hostiarum, et deinde extergit pollices et indices super Corporale, et, dicens secreto ut prius: Qui prídie quam paterétur, pollice et indice dexteræ manus accipit Hostiam, et cum illis ac indice et pollice sinistræ manus eam tenens, stansque erectus ante medium Altaris, dicit: accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas, elevansque ad Crucem oculos et statim demittens, dicit: et elevátis óculis in cælum, ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, et caput aliquantulum inclinans, dicit: tibi grátias agens, et, tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistræ, manu dextera producit signum Crucis super eam, dicens: bene ✠ dixit, et statim, retinens Hostiam inter pollices et indices utriusque manus, prosequitur: fregit, deditque discípulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

6 Cum finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter et secreto profert verba consecrationis super Hostiam et simul super omnes, si plures sint consecrandæ: et Hostiam suam pollicibus et indicibus tantum tenens, dicit:

Hoc est Corpus meum. Quibus prolatis, Celebrans, tenens Hostiam inter pollices et indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis (et aliis Hostiis, si plures sint consecrandæ, in loco, in quo a principio Missæ positæ sunt, super Corporale, vel in Pyxide, aut in alio vase demissis) graviter et devote utrumque flectens genu, eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione Calicis facit) populo reverenter ostendit adorandam; et mox, utraque manu ipsam reverenter ponit super Corporale in eodem loco unde eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem.

7 Reposita Hostia consecrata super Corporale, utrumque iterum flectens genu, ipsam veneratur, et, si adsit Pyxis cum aliis Hostiis, eam claudit, si Calix vel vas, Patena vel Palla cooperit, ut supra. Interim, dum Celebrans elevat Hostiam, minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod et facit etiam in elevatione Calicis, et manu dextera pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, scilicet, dum Sacerdos primam genuflexionem facit, dum Hostiam vel Calicem elevat, et tandem dum, facta elevatione, utrumque super Altare deponit.

8 Celebrans, adorato Sacramento, surgit, et, sinistra super pedem Calicis posita, manu dextera Pallam aufert a Calice et reponit contra Tabellam a parte Epistolæ: deinde, stans erectus, dicit: Simili modo postquam cœnátum est, et, ambabus manibus Calicem accipiens, dextera tenet eum infra cuppam supra nodum et sinistra infra nodum, eumque aliquantulum elevans et statim deponens, illum tamen eodem modo ambabus manibus retinens, dicit: accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas ac venerábiles manus suas, etc., caput inclinans, dum dicit: item tibi grátias agens, et, sinistra Calicem infra cuppam juxta nodum tenens, manu dextera Crucem signat super eum, dicens: bene ✠ dixit; et prosequens: deditque discípulis suis, etc., et iterum ambabus manibus sed diverso modo tenens Calicem, videlicet, dextera ad nodum infra cuppam et sinistra ad pedem, cubitis super Altare positis, et capite inclinato, profert attente, devote, continuate et secreto, ut supra, verba consecrationis Sanguinis, dicens: Hic est enim Calix, etc. Quibus dictis, Calicem super Corporale reponit, et, utramque manum ita elevat, ut supra mediam cuppam Calicis teneantur pollices et indices, quos leviter extergit ab aliquo fragmento quod forsan digitis adhæserat: deinde, sinistra super pedem posita, manu dextera Calicem Palla cooper t, et, ambabus manibus super Corporale positis, maxima devotione et reverentia utrumque flectit genu et Sacrum Sanguinem veneratur, interim dicens: Hæc quotiescúmque fecéritis, etc. Tum se erigit, et ambabus manibus accipiens Calicem coopertum, elevat eum, ut prius, et, erectum quantum commode potest ostendit populo adorandum: mox ipsum reverenter super Corporale in locum pristinum reponit, et iterum, ut ante elevationem, Sacramentum devote veneratur.

Tit. 9 - De Canone post Consecrationem usque ad secundam elevationem ante Orationem Dominicam.

Deposito Calice et adorato, Sacerdos, erectus ab adoratione et stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto: Unde et mémores, etc., jungens manus ante pectus, cum dicit: Offérimus præclárae Majestáti tuæ de tuis donis ac datis: et mox, sinistra super Corporale posita, manu dextera signo Crucis ter signat communiter super Hostiam et Calicem, dicens: Hóstiam ✠ puram, Hóstiam ✠ sanctam, Hóstiam ✠ immaculátam: et deinde semel signat super Hostiam tantum, dicens: Panem ✠ sanctum vitæ ætérnæ; et semel super Calicem tantum signat, dicens: Et Cálicem ✠ salútis perpétuæ. Et ita verba consocient lineas Crucis, ut, cum linea recta simul verbum præcedens Crucem pronuntiet, et cum linea transversa verbum subsequens: quæ norma servari debet quoties super Hostiam et Calicem, communiter vel separatim, Sacerdos simul pronuntiat verba, aut verborum fractiones, et Crucem efformat. Tum, stans ut prius extensis manibus, prosequitur: Supra quæ propitio, etc., et, profunde se inclinans ante medium Altaris, manibus junctis et super illius oram positis, memoriter dicit: Súpplices te rogámus, etc., et, cum dicit: ut quotquot, expansis manibus et hinc inde super Corporale positis, Altare in medio ante sacram Hostiam osculatur, dum profert verba: ex hac Altáris participatióne: statimque se erigens, manus ante pectus jungit, dicens: Sacrosánctum Fílii tui. Mox vero, sinistra super Altare posita, semel signat manu dextera super Hostiam tantum, dum dicit: Cor ✠ pus, et semel super Calicem tantum, dum dicit: et Sán ✠ guinem sumpsérimus. Tum, sinistra infra pectus demissa, quin pollice et indice Planetam tangat, manu dextera seipsum signo Crucis a fronte ad pectus signat, dum dicit: omni benedictióne ✠ cæiésti et grátia repleámur, ita verba distribuens, ut ad frontem, dicat: omni benedictióne; ad pectus, cæléstí; ad humerum sinistrum, et grátia; ad dexterum, repleámur: dum autem dicit Per eúmdem Christum, jungit manus ante pectus.

2 Cum dicit: Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum, manus lente extendit usque ad humeros, et ante pectus iterum conjungit, dum profert verbum tuárum in somno pacis. Manibus ita compositis et usque ad mentum, quin eum tangat, elevatis, necnon et oculis apertis et ad Sacramentum super Altare intentis, agat mentaliter commemorationem Fidelium Defunctorum eodem modo, quo supra de commemoratione vivorum, tit. 8, n. 3, dictum est. Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus, secreto prosequitur, Qui nos præcessérunt cum signo fídei, et jungit manus in fine, et, ad verba: Per eúmdem, etc., caput profunde inclinat.

3 Deinde, sinistra super Corporale posita, manu dextera leniter percutit pectus, aliquantulum altius dicens: Nobis quoque peccatóribus, et, stans manibus extensis, ut prius, ulterius secreto prosequitur: Fámulis tuis. In fine autem hujus Orationis, cum dicit: Per Christum Dóminum nostrum, non respondetur Amen; sed, junctis ante pectus manibus, procedit dicens: Per quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas, et deinde, sinistra super Corporale demissa, manu dextera facit ter signum Crucis super Hostiam simul et Calicem, dicens: sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, et præstas nobis. Exinde sinistram super pedem Calicis ponens, manu dextera eum discooperit, et, genibus flexis, Sacramentum adorat: statimque se erigit, et reverenter accipit Hostiam inter pollicem et indicem dexteræ manus, et cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet per nodum infra cuppam, tres efformat Cruces a labio ad labium, quin tamen Calicem tangat, dicens: Per ✠ ipsum, et cum ✠ ipso, et in ✠ ipso. Et similiter cum ipsa Hostia, a propinquiori labio Calicis incipiens versus seipsum, ita tamen ut Corporale non excedat, facit bis signum Crucis, dicens: Est

tibi Deo Patri ✠ omnipoténti, in unitáte Spíritus ✠ Sancti, omnis honor et glória. Deinceps manu dextera Corpus Domini tenens super Calicem, manu sinistra apprehensum, et utrumque aliquantulum elevans, dicit: Per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen. Mox, deposito Calice super Corporale, dicit: Orémus, et, manu sinistra Calicem per nodum tenens, manu dextera sacram Hostiam, quantum commode fieri potest, ita elevat, ut a circumstantibus facile videri et adorari possit. Et, sine mora lente et decenter eam reducens et super Corporale in suum locum deponens, pollices et indices super Calicem aliquantulum extergit, Calicem Palla cooperit, atque, manibus super Altare positis, prosequitur: Præcéptis salutáribus, ut infra.

Tit. 10 – De Oratione Dominica et aliis usque ad Agnus Dei.

Celebrans, cooperto Calice et manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, capite erecto et intelligibili voce prosequitur: Præcéptis salutáribus móniti, etc. Dum autem incipit: Pater noster, extendit manus ante pectus, et, stans oculis ad Sacramentum intentis, continuat usque ad finem. Responso a ministro: Sed líbera nos a malo, et a Celebrante submissa voce: Amen, manibus, ut prius, extensis, secreto incipit Orationem: Líbera nos, quǽsumus, Dómine, etc., et, ad verba: cum ómnibus Sanctis, manu dextera, pollice et indice non disjunctis, Patenam extrahit, et, digito medio sinistræ super oram Patenæ posito, ut firma remaneat, manu dextera eam aliquantulum Purificatorio extergit, eamque mox apprehendens inter digitos dexteræ indicem et medium et super Altare tenens erectam cum parte concava versus sacram Hostiam vel medium Altaris, sinistra infra pectus posita, eadem manu dextera elevat Patenam de Altari, cum ea producens sibi Crucem a fronte ad pectus, dum dicit: Da propítius pacem ✠ in diébus nostris, ita verba distribuens, ut, ad frontem, dicat: Da propítius; ad pectus, pacem; ad humerum sinistrum, in diébus; ad dexterum, nostris. Tum, nihil dicens, Patenam ipsam in ora superiori reverenter osculatur, et statim verba ut ope misericórdiæ tuæ adjúti, etc., prosequitur.

2 Dum autem profert verba: et ab omni perturbatióne secúri, indice sinistro parum premit super Altare sacram Hostiam eique pauxillum elevatæ manu dextera submittit Patenam, in qua eodem indice sinistro Hostiam accommodat super Patenam, detegit Calicem genibusque flexis Sacramentum adorat: tum se erigens, indice sinistro ad oram superiorem Patenæ deducit sacram Hostiam eamque accipit inter pollicem et indicem dexteræ manus, et cum illis ac pollice et indice sinistræ manus eam super Calicem tenens, reverenter dividit per medium, leniter eam flectendo superius, in medio et infra, dehinc, iterato flexu, eam caute totaliter frangit, interim dicens: Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, caput profunde inclinans ad verba Jesum Christum: moxque mediam partem, quam inter pollicem et indicem dexteræ manus tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, Calici adhuc superpositam, pollice et indice dexteræ manus particulam in ejus inferiori parte frangit, interea dicens: Qui tecum vivit et regnat, et eam inter ipsos dexteræ manus pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super Patenam positæ, ita ut Hostiæ rotunditas servetur, interim dicens: in unitáte Spíritus Sancti Deus. Mox particulam Hostiæ, quam in manu dextera retinet, tenens super Sanguinem, et sinistra Calicem per nodum infra cuppam retinens et aliquantulum elevans, intelligibili voce dicit: Per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen, et, Calice iterum super Corporale posito, cum ipsa particula ter signum Crucis super Sanguinem efformat a labio ad labium Calicis, quin eum tangat, interim dicens ad primam Crucem, Pax ✠ Dómini, ad secundam, sit ✠ semper, ad tertiam vobís ✠ cum. Responso per ministrum: Et cum spíritu tuo, particulam, quam dextera manu tenet, reverenter immittit in Calicem, dicens secreto: Hæc sacrosáncta commíxtio vel Fiat commíxtio et consecrátio, et, ad verba Jesu Christi, caput profunde inclinans.

3 Deinde, quin Calicem tangat, super eum pollices et indices aliquantulum extergit, eumque Palla cooperit, et, stans, junctis ante pectus manibus, capite versus Sacramentum profunde inclinatus, intelligibili voce ter dicit: Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi; quo semel recitato, manu sinistra super Corporale posita, tribus postremis dexteræ digitis sibi pectus leniter percutit, dum dicit: miserére nobis, et deinde non jungit manus; sed, retenta sinistra super Corporale cum repetit Agnus Dei, etc., iterum percutit sibi pectus, dum profert secundo: miserére nobis, quod et tertio facit, cum dicit: dona nobis pacem. Si vero celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad Agnus Dei, quia dicit: Dona eis réquiem; quibus verbis, cum ea post Agnus Dei tertio repetit, addat: sempitérnam.

Tit. 11 – De Orationibus post Agnus Dei usque ad factam Communionem.

Dicto ultimo Agnus Dei, manibus junctis super Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, ac mediocriter inclinatus, secreto dicit: Dómine Jesu Christe, qui es vera pax vel Dómine Jesu Christe, qui dixísti, quæ tamen Orationes omittuntur in Missis Defunctorum. Dicta pro lubitu Celebrantis in Missis vivorum alterutra tantum ex duabus supra memoratis Orationibus, prosequitur ut prius tres sequentes Orationes: Dómine, Sancte Pater, etc., et Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, etc., atque Dómine Jesu Christe, non sum dignus.

2 Quibus Orationibus persolutis, se erigit, et, maxima devotione et reverentia dicens secreto: Panem cæléstem accípiam, etc., simulque indice sinistro adducens ambas sacræ Hostiæ partes ad superiorem Patenæ oram versus pedem Calicis, eas superius dextero indice et pollice accipit et a Patena levat, moxque eas collocat inter pollicem et indicem manus sinistræ, ita juxtapositas ut sacra Hostia appareat quasi rotunda, et dextera supponit Patenam sacræ Hostiæ inter eumdem indicem et medium sinistræ. Tenens ita sacram Hostiam et Patenam super Corporale inter pectus et Calicem, posito cubito sinistro super Altaris oram, et, paulisper corpus deflectens versus cornu Evangelii, ita ut circumstantes sacram Hostiam videre et adorare possint, genu dexterum aliquantulum et modeste flectens quin aliquam corporis partem detorqueat, parumque inclinatus et oculis ad Sacramentum intentis, tribus ultimis dexteræ digitis percutit pectus suum, interea ter dicens voce aliquantulum elevata seu mediocri: Dómine, non sum dignus, et, dum secreto prosequitur: ut intres, etc., ita dexteram aliquantulum a pectore retrahit, et iterum ad pectus reducit, ut, cum secundo et tertio dicit: Dómine, non sum dignus, secundo pariter et tertio pectus percutiat: et minister

manu dextera pulsat ter campanulam, ad singula Dómine, non sum dignus.

3 Quibus tertio dictis usque ad Anima mea inclusive, se erigit atque pollice et indice dextero Partem Hostiæ dexteram superimponit sinistræ, et ex manu sinistra accipit ad imum ambas prædictas Hostiæ partes inter pollicem et indicem dexteræ, et, facta Hostiæ profunda inclinatione, cum illa supra Patenam, quin sacra Hostia limites Patenæ egrediatur, signat seipsum signo Crucis, secreto dicens: Corpus Dómini nostri Jesu ✠ Christi custódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen, caput profunde inclinans ad verba Jesu Christi. Deinde, mediocriter inclinatus et cubitis super Altare positis, Patena manu sinistra Hostiæ et ori supponit et reverenter easdem ambas partes manu dextera sumit. Sumpta sacra Hostia, se erigit, deponit Patenam super Corporale, et, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione et adoratione sanctissimi Sacramenti.

4 Meditatione peracta, discooperit Calicem, pollicesque et indices super ipsum aliquantulum excutit: tum eos iterum jungens, accipit Patenam inter indicem et medium dexteræ, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si qua sint in eo, et deinde, manu sinistra e dextera Patenam accipiens, eam elevat super Calicem, ita ut inferior Patenæ ora teneatur supra Calicis medium, et mox cum pollice et indice dexteræ manus circum undique diligenter Patenam extergit, ne quid fragmentorum super ea remaneat: deinde, extersis etiam pollice et indice dexteræ, iteram Patenam super Corporale deponit. Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ, pro aliquo tempore conservandæ, reponit eas in vase ad hoc ordinato, et diligenter advertit ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale: quod si fuerit, accurate reponit in Calicem.

5 Post extersionem Patenæ, junctis pollicibus et indicibus, genibusque flexis, Sacramentum iterum adorat, dicens: Quid retribuam Dómino pro ómnibus quæ retribuit mihi? Et surgens, Calicem utraque manu, videlicet, dextera per nodum et sinistra infra pedem, accipit, dicens: Cálicem salutáris accipiam, etc., et, signans se signo Crucis, dicit: Sanguis Dómini nostri Jesu ✠ Christi, etc., caput profunde inclinans ad verba Jesu Christi: deinde reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita. Cæterum, ut decentius et sine jactura hoc fiat, caveat ne uno haustu totum Sanguinem sumat; sed bis aut ter caute de Calice gustet, donec totus Sanguis exhauriatur: quem ita diligenter et attente sumat, ut, si possibile est, nulla Sanguinis reliquia in Calice remaneat.

6 Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos, post sumptionem Sanguinis, utrumque flectit genu Sacramento et ponit particulas consecratas in Pyxide, vel, si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi jam a principio positæ sint in Pyxide vel alio Calice. Interim minister ante eos extendit linteum vel velum album, et pro eis facit Confessionem, dicens: Confíteor Deo, etc. Tum Sacerdos utrumque iterum flectit genu, et, manibus junctis vertens se ad populum in cornu Evangelii, ne terga directe vertat Sacramento, dicit: Misereátur vestri, etc., et dum prosequitur: Indulgéntiam, absolutiónem ✠ et remissiónem peccatórum vestrórum, etc., manu dextera facit signum Crucis super eos. Postea, Sacramento iterum flexis genibus adorato, accipit manu sinistra Pyxidem seu Patenam cum Sacramento dextera vero sumit unam particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super Pyxidem vel Patenam, et, conversus ad communicandos in medio Altaris, dicit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi. Deinde addit: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur ánima mea. Quibus verbis tertio repetitis, accedit ad eorum dexteram, hoc est, ad latus Epistolæ, et unicuique porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Calicem aut Patenam, et simul dicens: Corpus Dómini nostri ✠ Jesu Christi custódiat ánimam tuam in vitam ætérnam. Amen. Omnibus communicatis, revertitur ad Altare, nihil dicens: et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si particulæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, ut supra, n. 4, ordinatur, et quæ in eo fuerint fragmenta in Calicem immittit. Si, peracta fidelium Communione, adhuc remanserint particulæ in Pyxide vel Calice aut Patena, eæ in Tabernaculo recondantur: ubi vero non adsit Tabernaculum, Sacerdos sacras particulas sumere debet, fragmenta diligenter colligere et in Calicem immittere: quod pariter fieri debet, quotiescumque post fidelium Communionem super Altare absque particulis remanserit Pyxis vel Calix aut Patena. Quando in Missa non consecrentur, sed, pro Communione fidelium, ex Tabernaculo sumi debeant particulæ, in aliis Missis antea consecratæ, aperto Tabernaculo et adorato Sacramento, reliqua fiunt ut supra. Minister autem, dum Sacerdos Communionem distribuit, cereum accensum dextera manu tenens, Celebrantem in Communione distribuenda comitatur.

7 Si nullus est communicandus in Missa, statim post sumptionem Sanguinis, vel, si qui sint communicandi, peracta Communione fidelium, ut supra, n. 6, Sacerdos secreto dicit: Quod ore súmpsimus, etc., et interim, sinistra extensa et super Corporale posita, manu dextera porrigit Calicem ministro a parte Epistolæ super Altare, quo vinum infundente, reducit Calicem super medium Corporalis et semel aut bis lente circumducit vinum in Calice, ut sacræ species cuppæ adhærentes commisceantur vino purificationis; tum, sumit purificationem per eamdem Calicis oram, per quam Sanguis haustus fuit. Si autem, post fidelium Communionem, Pyxis vacua remanserit, Sacerdos, posito Calice super Corporale cum vino purificationis, Pyxidem ministro porrigit, ut infundat vinum, quod similiter in ea lente circumducens, mox totum in Calicem immittit: tum, Pyxide super Corporale posita, vinum utriusque purificationis sumit. Deinde Calicem super Corporale deponit, ac, pollicibus et indicibus non disjunctis et super os Calicis positis, reliquis digitis complectitur cuppam et ad cornu Epistolæ conversus, digitos vino et aqua super calicem abluit, dicens: Corpus tuum, Dómine, quod sumpsi, etc., et interim, Calice super Corporale posito, digitos Purificatorio abstergit. Deinde, dextera Calicem per nodum accipiens et sinistra pedem Calicis inter pollicem et indicem sumens, semel aut bis vinum et aquam in Calice lente circumducit, et ablutionem sumit.

8 Sumpta ablutione, deponit Calicem super Corporale, et, dextera manu extremitatem Purificatorii sumens, os abstergit. Deinde, Purificatorio super Calicem posito ita ut ab utroque latere pendeat, per nodum manu sinistra sumit Calicem, paululum elevatum et inclinatum, et extremitatibus digitorum dexteræ premit Purificatorium usque ad fundum, pollice extra et reliquis digitis infra cuppam ita eum premens, bis aut ter circumducendo, Calicem diligenter abstergit et super Corporale deponit: et, si post Calicem, ut supra, n. 7,

purificata fuerit, Pyxidem Purificatorio similiter abstergit, operculo cooperit, et super Altare extra Corporale ad latus Evangelii deponit. Deinde Purificatorium plicatum utraque manu extendit super Calicem, et desuper manu dextera cochlear, sinistra Patenam et statim manu dextera Pallam: postea dextera accipit Calicem et a parte Evangelii super Altare et extra Corporale deponit. Mox utraque manu plicat Corporale, videlicet, prius partem anteriorem, dein posteriorem, tum lateralem dexteram, ex parte Epistolæ, et desuper partem sinistram: deinde manu dextera accipit Bursam, in quam, in medio Altaris manu sinistra apertam tenens, dextera Corporale plicatum recondit, eamque relinquit planam super Altare. Deinde dextera accipit Velum, et, utraque manu illud tenens ad extremitates superiores, eo tegit Calicem, ita ut anterior pars usque ad pedem maneat cooperta: mox utraque etiam manu super Velum ponit Bursam cum apertura versus posteriorem partem Calicis. Tandem sinistra accipit Calicem per nodum, et, dextera Bursæ imposita, eum ponit prope Aram ad latus Evangelii.

Tit. 12 – De Communione et Orationibus post Communionem dicendis.

Dum post purificationem Celebrans Calicem paratum in medio Altaris deponit, minister transfert Missale ad cornu Epistolæ, illudque super Altare collocat, ut in introitu, et deinde genuflectit juxta cornu Evangelii, sicut in principio Missæ. Ubi autem desit minister, Sacerdos ipse, Calice parato et in cornu Evangelii deposito, ut numero præcedente Missale transfert. Deinde accedit ad librum, ibique ante eum stans, junctis manibus et voce intelligibili, legit Antiphonam quæ dicitur Communio: qua lecta, junctis ibidem manibus, redit ad medium Altaris, ubi, manus disjungens, demittens et hinc inde super Altare extendens, illud in medio osculatur. Tum erectus, manibus iterum junctis oculisque ad terram demissis, per dexteram suam se vertit ad populum, ibique extendens et statim ante pectus rejungens manus, dicit: Dóminus vobíscum, et deinde per eamdem viam redit ad librum et dicit Orationem vel Orationes post Communionem eisdem modo, numero et ordine, ut initio Missæ ante Epistolam dictæ sunt, servatis omnibus quæ supra, tit. 5, de Oratione præcipiuntur.

2 In Quadragesima autem, a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive, in Missis de Feria, postquam dixerit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, Celebrans, in eodem loco ante librum perstans atque manus extendens et ante pectus jungens, et caput Cruci profunde inclinans, dicit: Orémus, et mox caput versus librum etiam profunde inclinans, dicit: Humiliáte cápita vestra Deo: atque, extensis illico manibus et capite erecto, subjungit eadem voce Orationem super populum, ibidem positam. Dum autem Sacerdos dicit hanc Orationem super populum, omnes circumstantes reverenter et devote caput inclinant.

Tit. 13 – De Benedictione, de ultimo Evangelio et de Commemoratione beatæ Mariæ Virginis in fine Missæ.

Dicta Oratione post Communionem, vel, si sunt plures, recitata ultima Commemoratione, vel etiam, quando dicenda est, absoluta Oratione super populum, Sacerdos claudit librum cum apertura versus cornu Evangelii; nisi Evangelium proprium vel de Homilia dicendum sit, quia tunc librum non claudit, sed apertum relinquit, ut minister eum transferat ad cornu Evangelii, vel, deficiente ministro, ipse Sacerdos, ut supra, tit. 6, n. 1, dictum est. Deinde, junctis ante pectus manibus, revertitur ad medium Altaris, et, manibus disjunctis et super Altare positis, illud in medio osculatur, ac junctis iterum manibus, et oculis ad terram demissis, vertens se ad populum, iterum dicit ut supra: Dóminus vobíscum, quo dicto et responso per ministrum: Et cum spíritu tuo, ibidem stans, manibus ante pectus junctis et conversus ad populum remanens, eadem voce dicit, si dicendum est: Ite, missa est. Responso a ministro: Deo grátias, statim Celebrans, sinistra ad pectus admota, manu dextera extensa et usque ad frontem erecta, semel benedicit populo, dicens: In unitáte Sancti Spíritus ✠ benedícat vos Pater et Fílius: deinde per eamdem viam convertit se ad medium Altaris, ubi stans junctis manibus super eo, et capite inclinato, secreto dicit: Pláceat tibi, sancta Trínitas, etc.

2 Quando in Missis ferialibus et votivis omittitur Glória in excélsis in principio Missæ, etiam in fine non dicitur: Ite, missa est; sed statim post Dóminus vobíscum, Celebrans benedicit populo, nihil dicens, et, ad Altare post Benedictionem conversus, stans junctis ante pectus manibus, dicit: Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias. In Missis autem Defunctorum nulla datur Benedictio; sed, dicto: Dóminus vobíscum, Celebrans redit ad medium Altaris, et similiter stans junctis manibus, dicit: Requiéscant in pace ℟. Amen. Deinde, dicto Benedicámus Dómino in Missis vivorum, vel Requiéscant in pace in Missis defunctorum, secreto prosequitur Orationem: Pláceat tibi, sancta Trínitas, etc., ut numero præcedenti.

3 Finita Oratione Pláceat tibi, sancta Trínitas, extensis manibus et hinc inde super Altare positis, illud in medio osculatur: deinde, junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Evangelii, ubi, dicto: Dóminus vobíscum. ℟ Et cum spíritu tuo, manus disjungens, sinistra super Altare vel super librum extensa, pollice dextero signat primum signo Crucis Altare, vel librum aut tabellam, deinde frontem, os et pectus, dicens: Inítium sancti Evangélii secúndum Joannem vel Sequéntia sancti Evangélii, etc., prout notatur in Rubricis generalibus, tit. 18, verba hujusmodi distribuens, ut supra, tit. 6, n. 2, ordinatur. Responso per ministrum: Glória tibi, Dómine, junctis manibus legit Evangelium: In princípio erat Verbum, vel aliud juxta Rubricas. Cum dicit: Et Verbum caro factum est, vel Procidéntes, adoravérunt eum, vel Prócidens, adorávit, manibus disjunctis et hinc inde super Altare extensis, utrumque flectit genu versus cornu Evangelii, dein surgens prosequitur ut prius usque ad finem: quo finito, minister, stans a parte Epistolæ, respondet: Deo grátias.

4 Si Sacerdos Missam celebrat in Altari ad populum conversus, stans ut erat, quin se vertat, benedicit populo in medio Altaris, et, dicta Oratione: Pláceat tibi, etc., accedit ad cornu Evangelii, et alia omnia peragit quæ numero præcedenti ordinantur.

5 *Si celebravit coram Summo Pontifice, aut Cardinali, vel Legato Sedis Apostolicæ, aut Patriarcha, Archiepiscopo vel Episcopo in Provincia, Civitate, vel Diœcesi sua existente, Celebrans, dicto:* Ite, missa est, *mox incipit Benedictionem, dicens:* In unitáte Sancti Spíritus, *et, convertens se ad Summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem vero, et Legatum, vel alium ex supradictis Prælatis, capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur:* benedícat vos ✠ Pater et Fílius, *benedicens adstantes,*

parte ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus, aut Prælatus supradicti. In Missis vivorum autem, quæ non habent Glória in excélsis, *dicto:* Dóminus vobíscum, *reverentiam facit convenientem, ut supra, Summo Pontifici vel aliis Prælatis, et mox benedicit populo, nihil dicens. Si autem celebraverit coram Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo, extra eorum Provinciam, civitatem vel Diœcesim constitutis, eis absque alio respectu, ut ceteris qui intersunt, more consueto benedicit.*

6 Lecto Evangelio, et, si Evangelium in fine Missæ fuerit proprium vel de Homilia, clauso libro cum apertura versus cornu Epistolæ, Sacerdos, quin Evangelium osculetur, redit ad medium Altaris, et, facta Cruci profunda capitis inclinatione, descendit ad gradum suppedanei, ubi, flexis genibus, dicit, pro Temporum diversitate, Antiphonas: Sub tuum præsidium vel Missus est, aut Nésciens Mater cum Versu relativo, ut notatur in fine Canonis. Dicto Versu, Celebrans surgit et stans recitat Orationem Antiphonæ respondentem. Tempore autem Paschali, genua non flectit, sed, stans cum ministro et circumstantibus, dicit Antiphonam: Regina cæli, lætáre cum suo Versu et Orationem huic Antiphonæ respondentem.

7 *Finita Commemoratione beatæ Mariæ, si coram Summo Pontifice celebravit, convertit se ad illum, et genuflexus facit ei reverentiam; si coram aliis Prælatis, supra n. 5 notatis, eos profunda capitis inclinatione reveretur. Si non celebravit coram aliquo prædictorum, hujusmodi reverentiam prætermittit.*

8 Quibus omnibus absolutis, extinguuntur per ministrum candelæ et interim Sacerdos ascendit ad Altare, manu sinistra accipit Calicem ad nodum, et, dexteram extendens super Bursam, ne aliquid cadat, vertit se per suum latus dexterum seu ad cornu Epistolæ, et paululum recedens e medio ad partem Evangelii, ne terga vertat Cruci, modeste et graviter descendit ad infimum gradum Altaris, et, ibi in medio, iterum vertens se ad illud per suum latus dexterum, caput Cruci profunde inclinat, nisi adsit Tabernaculum cum sanctissimo Sacramento, aut in loco principali Altaris exposita sit Reliquia S. Crucis vel Dominicæ Passionis, quia tunc simplici genuflexione reverentiam facit. Deinde erectus accipit manu dextera birretum a ministro, caput cooperit, et, reposita dextera super Bursam ac præcedente eodem ministro, modo quo venerat ad Sacrarium redit. Interim, per viam et dum postea sacra Paramenta deponit, devote recitat Hymnum: Te Deum laudámus: quo finito et dicta Antiphona: Trium puerórum, recitat Canticum: Benedícite et Psalmum 116 Laudáte Dóminum, omnes gentes, et, repetita Antiphona, dicit Preces et Orationes, infra proprio loco notatas.

9 Ad Sacrarium regressus, et, facta, tecto capite, debita reverentia Cruci vel Imagini præcipuæ, deponit Calicem et birretum. Deinde, detecto capite et juvante ministro, exuit se Paramentis sacris, ordine inverso quo ea induerat, videlicet: Planeta; Stola, cujus in summitate Crucem osculatur; Manipulo, cujus pariter Crucem osculatur; Cingulo; Alba, detrahens prius manicam e brachio sinistro, dein partem Albæ quæ a sinistra est revolvens super brachium ac ducens super caput versus dexteram, ultimo detrahit manicam e brachio dextero; postremo exuit se Amictu, cujus Crucem osculatur. Postea Calicem quoque detegit et in sua custodia reponit. Depositis Paramentis, manus lavat ob reverentiam sanctissimo Sacramento debitam: tandem ministro benedicit, et secedit ad Gratiarum actionem continuandam et perficiendam.

Tit. 14 - De iis quæ servari debent, quando eadem die duæ Missæ ab eodem Sacerdote celebrantur.

Quando Sacerdos eadem die in dissitis locis duas Missas celebrare debet, sumpta in prima Missa communione divini Sanguinis, super Corporale deponit Calicem, eumque Palla cooperit, et, junctis ante pectus manibus, dicit: Quod ore súmpsimus, etc., et mox in vase mundo, super Altare cum aqua parato, digitos abluit, dicens: Corpus tuum, Dómine, etc., et Purificatorio abstergit. Deinde, deducta Palla, Calicem cooperit primum Purificatorio, quin Calicem intus tangat, et deinde aliis, ut supra, tit. 11, n. 8, dictum est, et, quin genuflectat in accessu ad medium Altaris vel in recessu ab eo, Missam ut alias prosequitur.

2 Dicta, post ultimum Evangelium, Commemoratione beatæ Mariæ Virginis, ascendit ad medium Altaris, ibique stans, detegit Calicem et inspicit an aliquid divini Sanguinis ad imum cuppæ defluxerit, quod plerumque contingit: quod si adsit, illud diligenter sumit ex eadem Calicis parte, qua prius Sanguinem sumpserat. Deinde tantum aquæ in Calicem infundit quantum prius vini posuerat, et, lente circumducens aquam in Calice, ex eadem ipsius Calicis parte in vas ad hoc præparatum immittit, et Calicem ipsum Purificatorio abstergit. Deinde Calicem iterum cooperit et reliqua observat quæ supra, tit. 12 et 13, præcipiuntur.

3 Si die sequenti Missam illuc redeat celebraturus, Sacerdos relinquit super Altare aquam e Calice in vas immissam, et, sequenti Missa, eam in Calicem iterum immittit post secundam purificationem, et, deinde omnia sumit. Ubi autem Sacerdos illuc redire non possit ad Missam celebrandam, aqua, gossypio vel stuppa absorpta, comburitur, et cineres in sacrarium mittuntur; vel aqua directe in sacrarium effunditur, et, deficiente sacrario, in loco decenti Sacristiæ exsiccanda relinquitur.

4 Quando autem Sacerdos duas Missas in eadem Ecclesia celebrare debeat, sive sit in eodem sive in diverso Altari, hausto in prima Missa divino Sanguine et omissa consueta Calicis purificatione, Calicem Palla cooperit, et, junctis ante pectus manibus, dicit in medio Altaris: Quod ore súmpsimus, etc., et subinde, digitos abluens in vase cum aqua parato, dicit: Corpus tuum, Dómine, etc., et abstergit. Deinde Calicem cooperit, ut supra, n. 1, dictum est, eumque super Corporale relinquens, alia observat quæ in eodem numero notantur.

5 Absoluta Missa et facta Commemoratione beatæ Mariæ Virginis, Calicem in Sacristiam defert, ibique super Corporale vel Pallam in loco decenti et clauso recondit usque ad secundam Missam, in qua illum rursus secum ad Altare defert, ac super Corporale extensum deponit. Si desit Sacristia, Calicem præfato modo super Altare relinquit, vel, ubi adsit Tabernaculum, in eo reponit. Cum autem Sacerdos in principio secundæ Missæ præparat Calicem, ablato Velo et deposita, ut moris est, Patena cum Hostia, eum parumper versus cornu Epistolæ, sed non extra Corporale, manu sinistra leviter elevans, dextera vinum et aquam eidem caute infundit, ne guttæ aliquæ ad labia Calicis resiliant: deinde, quin eum abstergat, in medio Corporalis deponit, et reliqua more solito præparat. Ad Offertorium, Calicem offert, quin prius eum extra Corporale reponat. Reliqua omnia fiunt, ut in aliis Missis.

Tit. 15 - De iis quæ omittuntur in Missa pro Defunctis.

In Missa pro Defunctis, ante Confessionem non dicitur *Ave, María,* nec Psalmus: *Júdica me, Deus*; sed, pronuntiata Antiphona: *Introíbo ad Altáre Dei,* et responso a ministro: *Ad Deum, qui lætíficat,* dicitur ℣. *Adjutorium nostrum,* et fit Confessio cum reliquis, ut in Ordine Missæ. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed, sinistra super Missale posita, manu dextera extensa facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Post Psalmum Introitus non dicitur *Glória Patri,* sed, absque novo signo Crucis, repetitur: *Réquiem ætérnam*; nec dicitur *Glória in excélsis,* nec *Allelúja,* et ante Evangelium, post *Munda cor meum,* non dicitur: *Jube, Dómine,* nec *Dóminus sit in corde meo,* nec Celebrans librum aut seipsum signo Crucis signat, et in fine Evangelii non dicitur *Per Evangélica dicta,* nec osculatur liber, et numquam dicitur *Credo.* Non benedicitur aqua in Calicem fundenda: dicitur tamen Oratio: *Ex látere Dómini nostri.* Cum lavat manus, in fine Psalmi *Lavábo inter innocéntes,* non dicitur *Glória Patri.* Ad *Agnus Dei,* non dicitur *miserére nobis,* sed, ejus loco, dicitur: *dona eis réquiem*; nec tertio *dona nobis pacem,* cujus loco dicitur: *dona eis réquiem sempitérnam*: nec percutitur pectus, et manus tenentur junctæ et elevatæ, quin oram Altaris tangant. Ante Communionem non dicitur Oratio *Dómine Jesu Christe, qui es vera pax,* vel *Domine Jesu Christe, qui dixisti,* nec datur pax. Post *Dóminus vobiscum,* in fine Missæ, non dicitur *Ite, missa est,* nec *Benedicámus Dómino,* sed *Requiéscant in pace,* facie versa ad Altare, et dicitur semper in plurali, licet pro unico Defuncto celebretur. Non datur Benedictio in fine Missæ, sed, recitato *Pláceat* et osculato Altari, dicitur semper, quin librum aut seipsum signet, Evangelium sancti Joannis: *In princípio erat Verbum.* Reliqua omnia dicuntur et fiunt, ut in aliis Missis.

Sectio VII - De Ritu in Missa solemni servando.

Quæcumque supra, Sect. VI, in Ordinario Missæ privatæ præscribuntur, servanda sunt etiam in Missa solemni, nisi Ritibus mox præscribendis repugnent.

Tit. 1 - De iis quæ præparanda sunt ante Missæ celebrationem.

Ecclesia et Altare ornantur juxta normas, Sect. II-IV traditas, plus tamen vel minus, juxta Solemnitatum, Temporum, locorum et personarum rationem et opportunitatem.

2 Altari antipendium coloris Paramentorum apponatur; sex candelabra cum cereis albis accensis, quæ sint solitis spectabiliora, ipsi superimponentur: non desint tabellæ secretarum, et, ad latus Epistolæ, præparatur pulvillus seu legile pro Missali.

3 A latere Epistolæ in plano Presbyterii præparabitur credentia, linteo mantili mundo contecta, in cujus medio, in Solemnibus et Dominicis et quando aliqua Benedictio vel alia specialis Solemnitas fieri debet ante Missam, statuetur Calix cum suis ornamentis. Ad dexteram Calicis præparatur Missale vel Epistolarium pro sacris Ministris, ad sinistram pelvicula cum ampullis, manutergium et campanula. Pyxis pro Communione, si opus fuerit, retro post Calicem collocabitur.

4 In aliis Missis, præter eas quae celebrantur in Solemnibus et Dominicis, vel quando fiunt aliæ Solemnitates, numero præcedenti notatæ, omnia præparantur, ut supra, in credentia, excepto Missali, quod affert Diaconus, et Calice cum suis ornamentis quem defert Subdiaconus, ut infra, tit. 2, n. 3, præscribitur.

5 Paretur etiam a latere Epistolæ scamnum oblongum absque suppedaneo et gradibus, panno viridi laneo, non serico, coopertum, pro Celebrante et sacris Ministris; scabellum nudum, ad dexteram Diaconi, pro Presbytero assistente, si adsit, et, loco convenientiori, alia scabella, etiam nuda, pro Cærimoniario, Cruciferario et Thuriferario. Cum Ceroferarii sedere debeant juxta proprium candelabrum, ad unam et alteram extremitatem primi gradus Altaris; ideo pro ipsis nullum scabellum erit præparandum.

6 In Sacrario indumenta disponuntur pro Celebrante, ut supra, Sect. VI, tit. 1, n. 1 ordinatur: diebus autem Dominicis vel aliis Solemnitatibus, in quibus aliqua fit Benedictio ad Altare vel cantatur Officium Horæ ante Missam, præparatur etiam Pluviale coloris Paramentorum, pro aspersione aquæ benedictæ, vel pro Benedictione peragenda, aut pro divino Officio. In eadem mensa, etiamsi Celebrans sit Canonicus vel Dignitas, aderunt quoque Paramenta, ad dexteram pro Diacono, ad sinistram pro Subdiacono, nempe, Amictus, totidem Albæ cum Cingulis, Dalmatica et Tunicella, vel binæ Planetæ plicatæ et duo Manipuli cum Stola pro Diacono, prout exigit Missarum natura. Quando autem fit aspersio aquæ benedictæ vel ad Altare solemnis aliqua fit Benedictio vel cantatur Officium, Manipuli pro Celebrante et sacris Ministris cum Planeta deferuntur ad scamnum. Pro Presbytero assistente, si adsit, in alia mensa paratur Pluviale, Cingulum, Alba et Amictus: pro Cærimoniario, Cruciferario, Thuriferario et Acolythis Superpellicea præsto erunt, Crux processionalis cum imagine Crucifixi, duo candelabra cum cereis albis accensis, Thuribulum cum navicula, intorticia pro elevatione, vas cum carbonibus accensis ac forcipe; diebus vero Dominicis, et quando ad Altare solemnis aliqua fieri debet Benedictio, etiam vas aquæ lustralis cum aspersorio.

7 In Solemnibus non præparantur Superpellicea pro Cruciferario et Ceroferariis, ut numero præcedenti ordinatur; pro ipsis enim tunc, etiam in Missis quæ cum solemnitate externa vel concursu populi celebrantur præsto erunt tres Amictus, totidemque Albæ cum Cingulis et Dalmaticæ seu Tunicellæ.

Tit. 2 - De egressu e Sacrario et accessu ad Altare deque principio Missæ et Confessione facienda.

Hora præstituta, sacri Ministri, Sacrarium ingredientes, officia sua præstare studeant maxima puritate, reverentia et gravitate. Diaconus perquirit in libro Evangeliorum vel in Missali, prævidet et signat Evangelium, quod erit ipse cantaturus; ubi autem non adsit Cærimoniarius, perquirit etiam in Missali Celebrantis Missam, Commemorationes et Præfationem, et quovis loco signacula disponit: Subdiaconus vero perquirit, prævidet et signat Epistolam et præparat Calicem, ut supra, Sect. VI, t. 1, n. 1, notatur. Deinde, in sumendis Paramentis proprii Ordinis, ab Acolythis adjuventur et diligenter observent quæ supra, loco citato, tit. 1, præcipiuntur; Diaconus autem, dum accipit Dalmaticam, dicat: *Indue me, Dómine, induménto salútis et vestiménto lætítiæ; et Dalmática justítiæ circúmda me semper. Per Christum*: Subdiaconus vero, dum accipit

Tunicellam, dicat: Túnica jucunditátis, et induménto lætítiæ induat me Dóminus. Per Christum; et Manipulum non sumant, nisi prius Dalmaticam vel Tunicellam induerint. Ita autem diligenter se habeant in sumendis Vestibus proprii Ordinis, ut jam induti sint, quando Celebrans accedit ad propria Paramenta. Tum, facta Celebranti profunda capitis inclinatione, eum adjuvant, dum sacerdotalia Paramenta induit: quo peracto, Diaconus birretum tradit Celebranti, qui cum sacris Ministris, capite cooperto, modeste, graviter et in silentio signum Cærimoniarii exspectat.

2 Facto a Cærimoniario signo egrediendi, Celebrans tradit birretum Diacono, et Subdiaconus, manu dextera accipiens naviculam de manu Thuriferarii, eam continuo sinistra sumit cum apertura versus Celebrantem: tum Diaconus manu dextera sumit cochlear, illudque et manum Celebrantis deosculatur, dicens: Benedícite, Pater Reverénde, et Celebrans, manu sinistra infra pectus posita, dextera accipit cochlear, et, tribus vicibus sumens thus ex illa, ter imponit super prunas ardentes. Tum cochlear reddit Diacono, qui, dum illud recipit, iterum deosculatur manum Celebrantis et cochlear, quod continuo in navicula reponit. Interim Celebrans manus ante pectus jungit, statimque, sinistra infra pectus posita, manu dextera signum Crucis super incensum in Thuribulo format, dicens: Ab illo benedicáris ✠ in cujus honóre cremáberis. Amen. et mox Subdiaconus, clausa navicula, eam tradit Thuriferario.

3 Posito incenso in Thuribulo, omnes, nudato capite, Cruci vel Imagini præcipuæ profundam capitis inclinationem faciunt, et Celebrans, peracta inclinatione, signat se, intelligibili voce dicens: In nómine Patris, ✠ et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen. Deinde Celebrans et Ministri sacri caput cooperiunt, et omnes de Sacrario exeunt: præcedit Thuriferarius cum Thuribulo, vel, si est Dominica, cum vase aquæ lustralis; inde Cruciferarius Crucem deferens, inter duos Ceroferarios, candelabra cum candelis accensis portantes; postea Cærimoniarius, quem, nisi Celebrans induat Pluviale, ut infra, n. 5, notatur, sequitur Subdiaconus cum Calice præ manibus; deinde Diaconus Missale deferens, et omnium ultimus procedit Celebrans, manibus ante pectus junctis. Et incedunt omnes modeste, servata in incessu apta gravitate, et, in oculorum compositione, honestate.

4 In Solemnibus, licet omnes ad Altare procedere debeant ordine numero præcedenti notato; tamen Diaconus non defert Missale, sed, manibus sub Dalmatica reconditis, incedit, nec Subdiaconus secum fert Calicem, sed manus pariter sub Tunicella recondit. Quam normam servare debent sacri Ministri, quotiescumque intra Missam vel in aliis functionibus sacris stant vel incedunt, dummodo utraque manus aliquo servitio non impediatur.

5 In Dominicis autem et quoties Celebrans Pluviali indutus incedit, Diaconus, manu dextera pectori admota, sinistra elevat anteriorem Pluvialis fimbriam, quod item facit Subdiaconus a sinistris Celebrantis, manu tamen sinistra pectori admota, dextera elevat anteriorem Pluvialis fimbriam. Quam normam, dum manu tenent birretum, et, incepta Missa, in ascensu ad Altare, in assistentia ad Introitum et in casibus similibus, semper servare debent sacri Ministri; ideoque, nisi aliud suis locis notetur, quando una manu aliquid faciunt, non eis liceat recondere aliam subter Dalmaticam vel Tunicellam, sed eam graviter et modeste pectori admoveant.

6 Quoties aspersio aquæ lustralis ad Altare locum non habeat, Celebrans ad Sacrarii fores caput dextera detegit, et birretum mox sinistra contra pectus tenens, a Diacono aquam benedictam accipit et cum Ministris et Cærimoniario Cruce majori se signat: tum caput dextera iterum cooperit et Ecclesiam cum aliis ingreditur. Si transierint ante Altare, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, vel elevatur, aut fidelibus administratur, vel patenter est expositum, serventur Cærimoniæ, quæ supra, Sect. VI, tit. 2, n. 1, præcipiuntur. Si in choro adsit Clerus, omnes in aditu Presbyterii subsistunt, et, aperto capite, inclinationem minimam simul faciunt, primo ex parte Chori, in qua invenitur dignior de Clero, vel primus inter pares, deinde ex parte altera, et mox procedunt versus medium Altaris; si vero non adsit Clerus in Choro, omnes ad Altare prosequuntur ordine quo venerant e Sacrario.

7 Cum pervenerint sub infimum Altaris gradum, in medio consistunt, statimque Celebrans Diacono porrigit birretum, quod cum osculis acceptum, una cum suo, tradit Cærimoniario, et similiter facit Subdiaconus. Deinde omnes in medio consistentes, Celebrans medius inter Diaconum a dextris et Subdiaconum a sinistris; et, simili modo, post Celebrantem, Cærimoniarius, Cruciferarius et Thuriferarius inter Acolythos, hinc illinc stantes: tum omnes simul reverentiam faciunt Altari, videlicet, Sacerdos profunde inclinat vel genuflectit, uti Sect. VI, tit. 2, n. 2, præcipitur, ceteri vero unum flectunt genu, et utrumque si ibi fuerit sanctissimum Sacramentum patenter expositum. Deinde Cærimoniarius birreta super scamnum deponit, Cruciferarius Crucem ad latus Evangelii parato loco devote collocat, nisi ibidem Crux domini Archiepiscopi jam inveniatur, tunc enim eam ad latus Epistolæ collocat, et Ceroferarii candelabra super utramque extremitatem primi gradus Altaris deponunt, ibique, ut in proprio loco, manent, ad Altare conversi dum stant vel genua flectunt, et conversi ad invicem dum sedent.

8 Tum, facta reverentia ad invicem, Diaconus transit ad sinistram et Subdiaconus ad dexteram Celebrantis: continuo Subdiaconus pergit ad credentiam, ubi, a Cærimoniario adjutus, partem anteriorem Veli super Bursam reducit, et Calicem ante pectus manu sinistra accipiens per nodum, et manu dextera extensa Bursam Corporalis tenens, redit ad medium plani, et, prævia reverentia Celebranti, ascendit ad medium suppedanei, et, facta genuflexione Cruci, super Altare versus cornu Epistolæ deponit Calicem, extrahit Corporale, atque, tradita Bursa Cærimoniario, illud super medium Altaris extendit, parte anteriori excepta, quæ extendi debet a Celebrante, dum ad Offertorium dicit Orationem: In tuo conspéctu. Tum, repetita genuflexione Cruci, per suam dexteram se vertens, descendit ad sinistram Celebrantis, dum Diaconus transit ad ejus dexteram. Deinde suis locis genuflectunt omnes.

9 In diebus autem, supra, n. 4 et 5, non exceptis, facta reverentia Altari, omnes suis locis stent. Interim Diaconus, tradens birretum Cærimoniario, ascendit ad cornu Epistolae, et super legile vel pulvillum collocat et aperit Missale; et Subdiaconus, tradito pariter birreto, ascendit ad medium Altaris, et omnia peragit quæ numero præcedenti præscribuntur: quibus peractis, Ministri, eodem tempore se vertentes, modeste et graviter descendunt ad planum, et, iterum ad Altare conversi, suis locis, cum omnibus aliis, ut supra, genua flectunt.

10 Quibus peractis, et in Dominicis, facta aspersione aquæ benedictæ, vel absoluta, quando peragenda sit,

Benedictione vel Hora Canonica, Celebrans submissa voce incipit Missam, ut supra, Sect. VI, tit. 3, dictum est: sacri autem Ministri, ab utroque Celebrantis latere aliquantulum retro post eum genuflexi, ad Salutationem Angelicam respondent: Sancta Maria, etc., et ad verba In nómine Patris, etc., et Sancti Spíritus, etc., respondent: Amen, et cum Celebrante prosequuntur alternatim Antiphonam Introíbo, Psalmum Júdica et alia usque ad verbum Orémus, ante Orationem Aufer a nobis. Quando Celebrans dicit Confíteor, quin ab inclinatione se erigat, ad Ministros hinc inde, primo ad dexteram et deinde ad sinistram, se vertit ad verba vobis, fratres et vos, fratres, quod item facere debent Ministri versus Celebrantem ad verba tibi, Pater et te, Pater. *Si autem Missa solemniter celebretur coram Summo Pontifice aut alio ex Prælatis, qui, loco citato, n. 8, notantur, in Ecclesiis eorum jurisdictionis, Celebrans, stans a sinistris Prælati, facit cum eo Confessionem.*

Tit. 3 – De Altaris incensatione.

Cum Celebrans dicit: Orémus, ante Orationem Aufer a nobis, surgunt omnes, et, Diaconus manu sinistra et Subdiaconus manu dextera elevantes anteriores fimbrias Albæ et vestium Celebrantis et altera manu pectori admota, cum eo pari passu, movendo primo pedem dexterum, simul ascendunt ad medium Altaris, ubi simul genuflectunt, et, dicto a Celebrante: Orámus te, Dómine, etc., et osculato Altari, facta iterum a Ministris genuflexione, Diaconus, paululum se retrahens, locum præbet Subdiacono, qui transit ad dexteram Sacerdotis, ubi de manu Thuriferarii accipit naviculam, eamque manu sinistra ad nodum confestim apprehendit, cum apertura ad Celebrantem conversa, e qua, dexteræ pollice et indice, Diaconus, cochlear sumens et versus Celebrantem mediocriter inclinatus, illud porrigit, dicens: Benedícite, Pater Reverénde, et simul osculatur cochlear et deinde manum Celebrantis. Interim Celebrans, manu sinistra pectori admota, dextera accipit cochlear, et, tribus vicibus incensum ex navicula sumens, ter imponit super ignem in Thuribulo nihil dicens. Deinde, reddens cochlear Diacono et manus jungens, statimque sinistra super Altare posita, manu dextera signum Crucis super incensum in Thuribulo format, dicens: Ab illo benedicáris, ✠ in cujus honóre cremáberis. Amen. Postea Subdiaconus, clausa et tradita navicula Thuriferario, ab eo accipit Thuribulum et tradit Diacono, qui illud dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate et deinde manu illius dextera.


2 Tunc Celebrans catenulas ad manubrium manu sinistra sumens, easque manu dextera prope operculum constringens, ad Altare se convertit, et, mox sinistram extensam applicans pectori, et dextera Thuribulum tenens ante pectus, exhibita prius debita reverentia Cruci, Thuribulum graviter et devote elevat ad altitudinem faciei et deinde Crucem tribus ductibus incensat, nihil dicens. Ubi bene adverte, quod singulis ductibus respondere non debet duplex vel triplex ictus seu vibratio Thuribuli, ut fieri solet in aliis Ritibus; hæc autem omissio in Ritu Bracarensi compensari debet reverentia et gravitate incensationis; quæ norma semper servari debet, quoties incensatur Crux, Sacramentum, Evangelium, Imago, Reliquia, Chorus et persona aliqua sacra. Aliæ personæ vel res, non excluso ipso Altari, etiam solis ductibus incensantur: populus autem incensatur triplici ductu, unus in medio, alius a dextris et tertius a sinistris populi. In ductibus peragendis, manus et brachium assurgant cum Thuribulo ad altitudinem faciei et deinde recta linea ad id quod thurificatur, et hoc non festinanter, sed maxima devotione et gravitate: deinde Thuribulum leviter descendit et retrahitur motu quasi semicirculari ad pectus thurificantis, et, quando est repetenda, semel vel iterum repetitur prædicta incensatio, prout locis propriis notatur.

3 Facta incensatione Crucis et iterata ei reverentia, Celebrans graviter et decore, quin personam aut caput moveat, incipit incensationem Altaris, illum pedem prius movens qui proximior est Altari, et ita procedens, ut tractus Thuribuli atque manus et pedes in motu decenter concordent: ter igitur ducens Thuribulum æquali distantia, procedens uno gressu ad quemlibet Thuribuli ductum, a medio Altaris usque ad cornu Epistolæ, ubi, demissa manu, thurificat illius extremam partem inferiorem, mox, elevata paululum dextera, superiorem, bis ducto Thuribulo: et, conversus ad medium Altaris, elevans manum, incensat ejus planitiem seu mensam in parte anteriori, ter ducens Thuribulum pari distantia ut supra, a cornu usque ad medium, ubi retrahit dexteram cum Thuribulo ante pectus, et, facta reverentia Cruci, procedendo eodem modo, thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii: et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat Thuribulum, et ter æquali distantia incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ: deinde, manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem partem seu frontem Altaris, æquali iterum distantia, ter ducens Thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris: tum iterum retrahit dexteram cum Thuribulo ante pectus, et, facta reverentia convenienti Cruci, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem seu frontem Altaris usque ad cornu Epistolæ: ubi subsistit et reddit Thuribulum Diacono, qui, dum eum recipit, manum dexteram Celebrantis et catenularum summitatem osculatur. Deinde Celebrans, stans junctis manibus ad Diaconum conversus, ab illo triplici ductu incensatur, ut infra, n. 7, notatur.

4 Si in Altari fuerint Reliquiæ vel Imagines Sanctorum, incensata Cruce et facta ei reverentia convenienti, Celebrans, antequam discedat e medio Altaris, et quin specialem reverentiam Reliquiis vel Imaginibus faciat, primum incensat eas quæ a dextris sunt, id est, a parte Evangelii prope Crucem, duplici ductu seu bis ducens Thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias quæ sunt a sinistris, a parte Epistolæ: deinde, nulla alia facta ad Crucem reverentia, prosequitur incensationem Altaris, ut numero præcedenti, ter ducens Thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.

5 Si in medio seu in loco principe Altaris fuerit exposita aliqua Imago, ut sacra Imago Divini Infantis Nativitatis tempore, aut beatæ Mariæ Virginis, mense Majo, etc., vel aliqua Reliquia insignior (dummodo non sit Reliquia sanctæ Crucis, quæ semper per modum unius cum Cruce Altaris incensatur), tunc, statim post incensationem Crucis et post factam reverentiam convenientem, triplici ductu incensatur Imago Domini, duplici vero quæcumque alia Imago vel Reliquia hujusmodi: deinde, facta de novo reverentia Cruci, prosequitur incensatio ut numero præcedenti.

Ordo incensationis



Si in Altari non adsunt Reliquiæ, vel Imagines Sanctorum, omittitur earum incensatio, quæ indicatur sub numeris 4, 5, 6, 7; et, incensata Cruce, n. 1, 2, 3, statim proceditur ad incensandum Altare, per ordinem numerorum 8, 9, etc., ad 29 (Sect. VII, tit. 3, n. 2-3 et tit. 6, n. 4).

6 Si in Tabernaculo asservatur sanctissimum Sacramentum, vel in Altari exposita sit Reliquia sanctæ Crucis vel Dominicæ Passionis, Celebrans, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit post incensationem Crucis vel Reliquiarum aut Imaginum, et quotiescumque transit per medium Altaris.

7 Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, dum incensat Crucem, et Reliquias vel Imagines Sanctorum, ut supra n. 2-6, facta genuflexione simul cum reverentia Celebrantis ante et post prædictam incensationem: qua peracta, genuflectunt et descendunt post tergum Celebrantis, ibique, in linea recta, unus post alium, Celebrantem comitantur in Altaris incensatione, et cum eo semper genuflectunt, quoties transit per medium Altaris ante Crucem. Thurificato Altari, Subdiaconus in suo loco sistit ad cornu Epistolæ conversus, et Diaconus ad secundum gradum lateralem pergit, ac Thuribulum utraque manu accipiens, deosculatur manum Celebrantis et manubrium, et postea in planum a latere Epistolæ descendit, ubi triplici ductu Celebrantem incensat, facta Celebranti profunda capitis inclinatione ante et post, cui Celebrans item parumper caput inclinat, ac tandem Diaconus Thuriferario, a dextris stanti, Thuribulum reddit.

8 In Altaris incensatione, Diaconus osculari debet cochlear vel manubrium Thuribuli, antequam unum vel aliud tradat Celebranti, et, momento traditionis, osculatur etiam manum Celebrantis; contra vero, quando ea e manu Celebrantis recipit, ejus manum prius osculatur, deinde cochlear vel manubrium Thuribuli: quæ norma semper servari debet, quotiescumque Diaconus aliquid simile tradit Celebranti vel ab eo recipit.

Tit. 4 - De Introitu, Kýrie, eléison, Glória in excélsis et de Oratione.

Peracta Altaris incensatione, Celebrans vertit se ad Missale et submissa voce legit Introitum, ut supra in Ordinario Missæ privatæ, Sect. VI, tit. 4, n. 2, notatur. Diaconus stat a dextris Celebrantis in secundo gradu et Subdiaconus inferius a dextris Diaconi. Deficiente Cærimoniario, Diaconus Celebranti assistit, indicans initium Introitus et cum aliis ad Altare inservientibus Cruce majori se signans et caput versus Crucem profunde inclinans ad Glória Patri. Ibidem subsistens post lectionem Introitus, Celebrans alternatim cum Ministris dicit: Kýrie, eléison. Postea Diaconus et Subdiaconus, nisi sedere debeant, stant unus post alium a tergo Celebrantis, quod etiam servatur, quando Celebrans intonat Glória et Credo, vel, si ad Altare remaneant, dum in Choro cantatur Glória et Credo; item cum dicitur a Celebrante Dóminus vobíscum, Oratio, Præfatio et Pater noster. Si autem Celebrans ad Kýrie, eléison sedere velit, serventur Cærimoniæ quæ infra, n. 3, notantur.

2 Dum Chorus ultimum Kýrie, eléison canere incipit, Celebrans et Ministri, dexterum latus ad Altare obvertentes, una simul ad Altaris medium accedunt, ubi, finito cantu et organo silente, tono debito pro qualitate Officii et Missæ, intonat Hymnum: Glória in excélsis Deo: tum Ministri, facta insimul ad verbum Deo simplici genuflexione, ascendunt ad Altare, et hinc inde, Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris, simul cum Celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque in finem, cum eo se inclinantes ac se signantes sub finem, ut Sect. VI, tit. 4, n. 3 præcipitur: quod etiam servatur cum dicitur Credo, Sanctus et Agnus Dei.

3 Dicto Hymno et facto in fine Crucis signo, mox Celebrans profundam capitis inclinationem facit Cruci, vel si verificantur casus supra tit. 3, n. 6, notati, manibus super Altare positis, genuflectit: deinde junctis manibus post Diaconum per viam breviorem descendit ad scamnum, a latere Epistolæ præparatum; quo cum pervenerit, convertit se per partem Epistolæ versus Altare, accipit a Diacono birretum, dextera caput cooperit, in medio scamni sedet et manus super genua extendit. Dum cantantur verba Adorámus te et alia, quæ supra, Sect. VI, tit. 4, n. 3, notantur, retenta manu sinistra super genu sinistrum, dextera accipit birretum, illud ponit prope genu dexterum cum apertura versus pectus, et caput profunde inclinat. Sub finem cantus Hymni, dum canitur Cum Sancto Spíritu, caput detegit et birretum tradit Diacono, assurgit et manibus junctis procedit per viam longiorem, id est, per planum versus Altare, cumque in medium pervenerit, ante infimum gradum, facta convenienti reverentia Cruci, ascendit ad Altare. Si Clerus fuerit præsens in Choro, Celebrans, in medio plani consistens, simul cum Ministris eum salutat, prius ex parte Chori, in qua invenitur dignior de Clero, vel primus inter pares, deinde ex parte altera: mox, facta Cruci reverentia convenienti, reliqua, ut supra, prosequitur.

4 Ministri, dicto Hymno et facto signo Crucis cum Celebrante, prævia genuflexione, per dexteram suam se vertentes, ante Celebrantem ad scamnum descendunt, ubi Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris Celebrantis consistentes, huic posteriorem sublevant Planetæ limbum et apte post scamni tergum dimittunt: quod item facere debent Acolythi sacris Ministris et Cærimoniarius Presbytero Assistenti, si adsit. Tum, Celebranti exhibita mediocri inclinatione et prævia inclinatione capitis ad invicem, assident, caput cooperiunt, ac manus, digitis extensis ac junctis, super Dalmaticam et Tunicellam prope genua ponunt. Dum cantantur verba quæ inclinationem exposcunt, caput apertum profunde cum Sacerdote inclinant, ut supra, n. 2, notatur. Dum Chorus incipit: Cum Sancto Spíritu, caput detegunt, assurgunt, birretum super scamnum deponunt, et, salutato Celebrante, per planum, præcedente Subdiacono, ante infimum Altaris gradum incessu gravi se conferunt. Cum pervenerit in medium plani, Diaconus retrocedit aliquantulum, ut Celebranti locum præbeat, ac debitam ei, cum transit, exhibet reverentiam. Deinde, facta cum Celebrante, si facienda sit, reverentia Choro et genuflexione Altari, elevantes unus hinc alter inde Celebrantis anteriorem Albæ fimbriam, cum eo ascendunt ad gradum suppedaneo proximiorem, et postea stant unus post alium a tergo Sacerdotis, ut supra, n. 1, dictum est.

5 Cantato Hymno, vel, si Glória dicenda non sit, cantato ultimo Kýrie, eléison, Celebrans Altare in medio osculatur, et, ad populum conversus, cantat: Dóminus vobíscum, et postea se confert una cum Diacono et Subdiacono ad cornu Epistolæ, in incessu obvertentes Altari latus sinistrum, quod semper in similibus servare debent. Decantato Orémus, cantat Orationem vel Orationes Missalis, omnia observans quæ supra, Sect. V, tit. 10 et 12, et Sect. VI, tit. 5, præscribuntur. Interea Diaconus et Subdiaconus, ad Orationem vel Orationes, stant unus post alium retro post Celebrantem, et caput cum ipso inclinant ad nomina, quæ inclinationem requirunt. Deficiente Cærimoniario, Diaconus accedit ad dexteram Celebrantis, folia Missalis manu dextera vertens et ipsi Orationes ostendens.

6 Quando autem plures Orationes ante Prophetias vel Lectiones sint dicendæ, Celebrans, dicto ultimo Kýrie, eléison, et omisso Dóminus vobíscum in medio Altaris, statim, ante Orationem quæ præcedit Prophetiam, cantat in cornu Epistolæ: Orémus. Cui mox Diaconus subjungit: Flectámus génua, et Subdiaconus: Leváte, omnium primus genua flectens Diaconus, et a genuflexione surgens Subdiaconus; Celebrans autem non genuflectit, licet id ipsi præscribatur in Missa privata. Dum leguntur Prophetiæ, sacri Ministri Celebranti assistunt, ut supra, ad Introitum Missæ, tit. 4, n. 1, ordinatur; ad Orationes autem unus post alium, ut, numero præcedenti, dictum est.

Tit. 5 — De Epistola, Graduali et aliis usque ad Offertorium.

Circa finem ultimæ Orationis, Subdiaconus a Thuriferario accipit librum Epistolarum, et, tenens illum utraque manu supra pectus cum apertura ad suam sinistram, et, facta in medio plani sub infimum gradum genuflexione Altari, continuo redit ad partem Epistolæ, ubi, stans in plano a tergo Celebrantis, aperto libro super pulpitum, contra Altare præparatum, manus extendit in extremitate inferiori libri, et, postquam Chorus responderit: Amen, cantat Epistolam. Ad nomen Jesu, reverentiam facit versus Crucem Altaris; versus librum vero ad nomen Mariæ vel Sanctorum, de quibus celebratur Missa vel fit Commemoratio: ad verba autem Ut in nómine Jesu omne génu flectátur, etc., usque ad verbum infernórum, utrumque ibidem versus librum flectit genu.

2 Interea, cantata ultima Oratione et facta a Celebrante et Diacono convenienti reverentia Cruci, per viam breviorem descendunt ad scamnum, ubi Diaconus, tradito birreto Celebranti, cum eo ad ejus sinistram sedet, et remanet capite cooperto usque ad finem Epistolæ. Quando a Subdiacono cantantur verba, supra, Sect. VI, tit. 5, n. 4, notata, detegunt caput et debitas faciunt inclinationes; si autem Celebrans et Diaconus non sedent dum cantatur Epistola, genuflectunt ad verba: Ut in nómine Jesu omne genu flectátur, etc., usque ad verbum infernórum inclusive. Cantata Epistola, Celebrans et Diaconus deposito birreto surgunt et stant prope scamnum, Celebrans junctis ante pectus manibus, Diaconus his subter Planetam reconditis. Interim Subdiaconus, clauso et resumpto libro, ad medium Altaris rediens, in infimo gradu genuflexionem repetit et inde per planum accedit ad Celebrantem, qui, manu sinistra pectori admota, Subdiacono, ante ipsum genuflexo et librum paululum deflectenti, dexteram libro superpositam deosculandam præbet: deinde, nihil dicens, eadem manu eum signo Crucis benedicit. *Si Missæ assistit Summus Pontifex vel aliquis ex Prælatis, supra, Sect. VI, tit. 3, n. 2, notatis, Subdiaconus, cantata Epistola, non accedit ad Celebrantem, sed ad Pontificem assistentem, cum quo supradicta Cærimonia observari debet.*

3 Accepta benedictione, Subdiaconus surgit et tradit librum Epistolarum Thuriferario; quoties vero pro cantu Epistolæ utatur Missali Celebrantis, librum non tradit Thuriferario, sed retinet pro lectione Gradualis. Si autem Planeta plicata utatur, eam demittit ad scamnum antequam librum Epistolarum accipiat, et, cantata Epistola, recepta benedictione et reddito libro, ut supra, Planetam statim resumit. Deinde Celebrans, stans junctis ante pectus manibus, medius inter Diaconum a sinistris et Subdiaconum a dextris, Missale sustinentes, cum ipsis dicit Graduale, vel Allelúja et Versus, aut Tractum vel Sequentiam: et ibidem genuflectunt, dum in Missis de Spiritu Sancto Chorus cantat totum Versum: Veni, Sancte Spíritus, etc.; quæ genuflexio tamen fieri debet in suppedaneo, quando, in Feriis Quadragesimæ, Chorus cantat: Adjuva nos, Deus, salutáris noster.

4 In Semiduplicibus, Feriis et Missis non solemnibus Defunctorum, Celebrans non recedit ab Altari dum cantatur Epistola; sed ibi, ad librum conversus, ejus cantum audit, quin eam recitet, et reliqua prosequitur ut in Missis privatis. Et in omnibus Missis solemnibus hæc norma semper servetur, ut, quando Diaconus cantat Evangelium, vel Subdiaconus Epistolam, aut Clericus Prophetiam vel aliam Lectionem, Celebrans eam numquam recitare debet, sed ad ejus cantum vel lectionem unice attendere. In Semiduplicibus et Feriis, cantata Epistola, Diaconus aliquantulum post Celebrantem recedit et dat locum Subdiacono, et Celebrans manum sinistram ponit super Altare, dum Subdiacono super librum porrigit dexteram deosculandam, eumque deinde benedicit. In Missis Defunctorum vero, Subdiaconus, cantata Epistola et facta genuflexione in medio Altaris, ut numero præcedenti, mox Thuriferario tradit librum, et, quin benedictionem petat, suum locum occupat prope Diaconum in cornu Epistolæ. *Item quando Missæ assistit Summus Pontifex vel aliquis ex Prælatis, supra, n. 2, notatis, post cantum Epistolæ, Celebrans, facta Summo Pontifici vel Prælato reverentia, relinquit scamnum et accedit cum Ministris ad Altare, ibique Graduale et alia ad cornu Epistolæ recitat.*

5 Lecto Graduali vel aliis quæ legenda sint, Celebrans sedet, accipit birretum et caput cooperit, et Diaconus transit cum reverentia ad dexteram Celebrantis, ibique stat, detecto capite et manibus sub Dalmatica reconditis, usque ad reditum Subdiaconi: si autem Planeta plicata utatur, eam deponit, Stolam largiorem sumit et, manibus item sub Stola reconditis, suum locum a dextris Celebrantis occupat, ut supra. Interea Subdiaconus, clauso Missali, pergit ad credentiam, ubi illud Thuriferario tradit vel super ipsam credentiam deponit. Deinde, manibus sub Tunicella reconditis et facta inclinatione Celebranti, ascendit ad cornu Epistolæ, sumit Missale cum legili vel pulvillo, et, ante medium Altaris in ora suppedanei genuflectens, illud ad cornu Evangelii transfert et collocat prope Corporale. Deinde accedit ad medium Altaris, et, repetita genuflexione, utraque manu Velum Calicis hinc inde submovet illudque super posteriorem Altaris partem relinquit: postea item utraque manu sumit Patenam cum Hostia, Palla coopertam, eamque super Corporale deponit. Quo facto, sinistra apprehendit Calicem ad nodum, et, manum dexteram extendens super Purificatorium et super cuppam Calicis, eum devote ante pectus elevat, et mox, facta Altari genuflexione et per suam dexteram se vertens, descendit ad scamnum: quo cum pervenerit, facta inclinatione Sacerdoti et ad sinistram ejus versus Diaconum sistens, aufert cochlear, et, prævia inclinatione, Calicem cum Purificatorio tradit Diacono, qui eum diligenter emundat.

6 Deinde sacri Ministri, eamdem positionem servantes sed paulisper ad Celebrantem conversi, utrumque flectunt genu, et Diaconus, sustinens manu sinistra Calicem ad nodum cum Purificatorio, alteram Purificatorii extremitatem Subdiacono tradit. Tum Subdiaconus,

ampullam vini a Thuriferario accipiens, eam tradit Diacono, qui vinum in Calicem infundit et deinde ampullam porrigit Subdiacono, qui eam Thuriferario reddit. Mox Subdiaconus cochleari aquam offert Celebranti benedicendam, dicens: Benedícite, Pater Reverénde, et Celebrans deponit birretum, eumque manu sinistra super genu sustinens, dexteram prius pectori admovet et deinde aquam more solito benedicit. Tum Subdiaconus, accepta benedictione a Celebrante, ut in Missa privata, Sect. VI, tit. 2, n. 3, dictum est, tres vel quatuor guttas in Calicem infundit, dum Celebrans pronuntiat verba: Et ideo nos páriter commiscémus, reddens postea cochlear Thuriferario. Data benedictione, Celebrans caput non cooperit, usquedum Diaconus a scamno non recedat.

7 In Semiduplicibus, Simplicibus, Feriis et Missis non solemnibus Defunctorum, Cærimoniæ supra, n. 5 et 6, notatæ, non fiunt in scamno, sed in medio Altaris. Cantata Epistola, sumpta benedictione in cornu Altaris et lectis aliis, quæ post Epistolam legenda sint, Diaconus deponit Planetam plicatam, si eo die ea utatur, et latiorem Stolam sumit, et Subdiaconus defert Missale ad cornu Evangelii, ut supra, et illud collocat prope Corporale: tum, amoto Velo Calicis, transit cum genuflexione in medio ad cornu Epistolæ, ubi stantes, Diaconus ad dexteram Celebrantis et Subdiaconus ad dexteram Diaconi, omnia ibidem peragunt quæ supra, n. 5 et 6, præscribuntur. *Simili modo fiunt prædictæ Cærimoniæ in medio Altaris, quando Missæ assistit Summus Pontifex vel aliquis ex Prælatis, supra, n. 4, notatis: ad benedictionem aquæ tamen Subdiaconus, versus Prælatum genuflexus, dicit: Benedícite, Pater Sanctíssime, vel Eminentíssime, aut Reverendíssime, pro qualitate personarum, et, accepta benedictione, iterum surgit et alia prosequuntur, ut supra.*

8 Deinde Diaconus Calicem manu sinistra ad nodum sumit, et, digitis dexteræ extensis Purificatorium super cuppam sustinens, facta inclinatione Celebranti et genuflexione in infimo Altaris gradu, ascendit ad Altare et in eodem loco prope Corporale Calicem reponit, eumque, sinistra ad nodum apprehendens, manu dextera intus et extra cuppam a guttulis Purificatorio diligenter mundat. Quo peracto, Purificatorium plicatum ad pedem Calicis relinquit, et, sumpta ambabus manibus Patena cum Hostia, Palla cooperta, eam super cuppam Calicis deponit et Velo cooperit.

9 Postea Diaconus, sumens a Cærimoniario librum Evangeliorum, eum super Altare deponit, et, in ora suppedanei genuflexus, dicit: Munda cor meum, etc., et interim Celebrans, deposito birreto, stat ad scamnum junctis manibus et Subdiaconus transit ad dexteram Celebrantis. Diaconus, dicta prædicta Oratione sumpto ante pectus libro Evangeliorum, super Altare a Cærimoniario antea præparato, per suam dexteram descendit ad infimum grdum, et facta Altari genuflexione, pergit ad scamnum et statim absque inclinatione utrumque flectit genu, et benedictionem a Celebrante petit, dicens: Jube, Domne, benedícere, cui Celebrans, ad eum conversus, dicit: Dóminus sit in corde tuo, etc., et, dum profert verba: In nómine Patris, etc., sinistra pectori admota, manu dextera signum Crucis versus Diaconum efformat: mox super librum imponit manum, quam Diaconus osculatur et surgit. Deinde Celebrans, ministrante Subdiacono, more solito imponit incensum in Thuribulum et benedicit, et Diaconus, facta inclinatione Celebranti et genuflexione in medio Altaris, præcedentibus Thuriferario et Cruciferario inter duos Acolytos cum candelabris accensis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare versus populum, ubi super pulpito librum Evangeliorum aperit, et, ad ipsum junctis manibus conversus, dicit: Dóminus vobíscum: et, cum dicit: Sequéntia vel Inítium, etc. signat librum in principio Evangelii, frontem, os et pectus, ut supra, Sect. VI, tit. 6, n. 2, præscribitur. Postea, accepto Thuribulo a Subdiacono, ter librum incensat, id est, in medio, a dexteris et a sinistris, et, reddito Thuribulo, prosequitur junctis manibus totum Evangelium. Si occurrerit sacratissimum nomen Jesu, vel alia nomina quæ reverentiam poscunt, ea servet quæ loco supra citato et tit. 5, *n.* 4 ordinantur. Ubi non erit pulpitum, Subdiaconus, in loco Evangelii ad Diaconum conversus, ab eo accipit librum Evangeliorum eumque sustinet, et Diaconus, ministrante Cærimoniario, vel, eo absente, Thuriferario, librum incensat. In Missis autem solemnibus Defunctorum, Diaconus, dicto: Munda cor meum, etc., et omissis omnibus aliis Cærimoniis, pergit ad locum Evangelii, ubi absque Crucis signo et absque incensatione cantat Evangelium, ut supra, et, cantato Evangelio, claudit et relinquit librum super pulpito.

10 Quando Diaconus incipit: Dóminus vobíscum Celebrans ad locum Evangelii junctis manibus se convertit, et sic permanet usque ad finem: quando Diaconus dicit: Sequéntia vel Inítium, etc., Celebrans, Missis Defunctorum exceptis, signat se, et, ad sanctissimum nomen Jesu, non Cruci Altaris sed Cruci Evangelii caput profunde inclinat, licet alii cum Diacono genua flectant, quod item fieri debet, sed versus librum, ad nomen Mariæ vel Sanctorum de quibus cantatur *Missa* vel fit Commemoratio; quando autem Celebrans et alii genua flectere debeant, hoc versus Crucem Evangelii et non Altaris faciant, nisi *Missa* coram Ssmo Sacramento exposito celebretur, quia tunc genuflexio versus Sacramentum fieri debet et non versus Crucem Evangelii. Finito Evangelio, Sacerdos in *Missis* vivorum osculatur librum, a Subdiacono sibi delatum, interim dicens: Per Evangélica dicta, etc., et deinde a Diacono ter incensatur. *Si autem Missæ assistat aliquis ex Prælatis, supra, n. 2, notatis, ipsius erit benedicere Diaconum, ponere et benedicere incensum ante Evangelium, osculari librum et incensari a Diacono in fine Evangelii.*

11 Celebrans, postquam a Diacono incensatus fuerit, regreditur cum Ministris per planum ad medium Altaris, ubi, stans ad Crucem conversus, præcinit, si dicendum sit: Credo in unum Deum, stantibus post eum Diacono et Subdiacono, qui, facta simplici genuflexione ad nomen Deum, mox ascendunt ad Altare, ubi, post factam genuflexionem, simul cum Celebrante submissa voce totum Symbolum prosequuntur, ut supra, tit. 4, n. 2, ad cantum Hymni Glória in excélsis, ordinatur. Dicto Symbolo et facto signo Crucis majori, ut in *Missis* privatis, omnia alia fiunt sicut loco citato, 3 et 4, describitur: et, dum Chorus cantat verba: Jesum Christum, Et incarnátus est ... homo factus est, et Simul adorátur, caput profunde inclinant: et, ad verba Et vitam ventúri sæculi, innuente Cærimoniario, surgunt et per planum ad medium Altaris, ut alias, revertuntur. Si autem remanserint in medio Altaris, item caput inclinant ad verba supra notata; dum autem Chorus cantat: Et incarnátus est ... homo factus est, utrumque flectunt genu in ora suppedanei: quod item fieri debet, etiamsi sedeant, sed in infimo gradu, ante medium Altaris aut a parte Epistolæ, in Festo Annuntiationis beatæ *Mariæ* Virginis et in tribus Missis de Nativitate Domini.

Tit. 6 – De Offertorio et aliis usque ad Canonem.


Decantato Symbolo, vel, si Symbolum non sit dicendum, facta incensatione post cantum Evangelii, more solito Celebrans accedit cum Ministris ad Altare, idque in medio osculans et vertens se ad populum, cantat: Dóminus vobíscum: et mox, ad Altare conversus, cantat: Orémus, ac, submissa voce, legit Offertorium. Cantato a Celebrante Orémus, Ministri, facta genuflexione, ad medium Altaris ascendunt, Diaconus ad sinistram Celebrantis, cui indicat Offertorium, Subdiaconus ad dexteram. Lecto Offertorio, dum Celebrans dicit Orationem: In tuo conspéctu, etc., et explicat anteriorem Corporalis partem, Subdiaconus submovet Velum Calicis eumque tradit Thuriferario, et mox transit ad sinistram Celebrantis et Diaconus ad dexteram. Et, dum transeunt per medium Altaris, Ministri genuflectunt, quod semper in similibus facere debent, nisi aliter notetur.

2 Tum Diaconus Pyxidem, si adsit, aperit, Pallam, a Patena detractam, prope Corporale demittit, atque Patenam cum Hostia pollice et indice dexteræ manus apprehendit, adjecta sinistra ad oram partis oppositæ, et Celebranti porrigit cum osculo, prius Patenæ, dein manus. Mox, sinistra pectori admota, manu dextera oram Patenæ vel brachium dexterum Celebrantis reverenter sustinet, et cum eo Hostiam offert, dicens Orationem: Acceptábilis sit, etc., ut in Ordine Missæ. Si autem adsit Pyxis cum particulis, Diaconus eam manu dextera teneat aliquantulum elevatam, interim Orationem dicens, ut supra: dein Pyxidem claudit et super posteriorem Calicis partem reponit. Deposita Hostia super Corporale, Celebrans Patenam tradit Diacono, qui eam utraque manu devote accipit, cum osculis prius manus deinde Patenæ, eamque manu dextera aliquantulum subter Corporale recondit et partem extra Corporale manentem Purificatorio plicato tegit.

3 Tum Diaconus, dextera Calicem apprehendens ad cuppam et sinistra ad pedem, eum Celebranti tradit, simul deosculans prius pedem Calicis et dein manum Celebrantis. Statim, sinistra item pectori admota, dextera pedem Calicis vel brachium dexterum Celebrantis sustinet, cum eo humiliter offerens et submissa voce dicens: Offérimus tibi, Dómine, etc. Facta oblatione, Celebrans Calicem super Corporale deponit, et, dextera super Altare extra Corporale posita, manu sinistra sustinet pedem Calicis, dum Diaconus eum manu dextera Palla cooperit. Quam normam semper servare debet Celebrans, ut eodem tempore dexteram intra vel extra Corporale ponat, juxta diversas Missæ partes et simul manu sinistra pedem Calicem sustineat, dum Minister, reposita Palla vel ablata, Calicem cooperit vel detegit.

4 Post Veni, Sanctificátor, Celebrans ponit incensum in Thuribulum, ut supra, tit. 3, n. 1. simul dicens: Per intercessiónem beati Michaëlis Archángeli, etc., et incensum benedicit ad vocem bene✠dicere. Tum sumit Thuribulum e manu Diaconi, et, quin prius ullam reverentiam Cruci vel Sacramento exhibeat, statim incensat Oblata, efformando cum Thuribulo, quod semper æqualiter elevatum tenere debet, tres Cruces super Calicem simul et Hostiam per lineam rectam et transversam, pronuntians ad primam Crucem: Incénsum ✠ istud,

Ordo incensandi Oblata
in modum crucis



ad secundam: a te ✠ benedictum, ad tertiam: ascéndat ✠ ad te, Dómine. Mox Thuribulum ante Hostiam parumper demittens, tres efformat circulos ad instar coronæ circum Calicem et Hostiam; primum et alterum, bis ducendo Thuribulum a dextera ad sinistram; tertium, semel a sinistra ad dexteram, ac interim dicit, ad pri-

In modum circuli



mum circulum: et descéndat super nos, ad alterum: misericórdia, ad tertium: tua. Facta postea debita reverentia Cruci, incensationem prosequitur, omnia cum sacris Ministris peragens, uti supra, tit. 3, n. 2 ad 7, describitur, proferens tamen simul cum incensatione et submissa voce: Dirigátur, Dómine, orátio mea, etc. Quæ verba dicuntur solummodo, dum incensatur Crux et Altare, non vero dum incensantur Reliquiæ vel Imagines, et prædicta verba ita sunt distribuenda, ut incipiant cum triplici Thuribuli ductu versus Crucem, et cum Altaris incensatione finiantur, hoc ordine: 1 Dirigátur, – 2 Dómine, – 3 orátio mea, – 4 – 5 – 6 – 7 – 8 sicut – 9 incénsum – 10 in conspéctu tuo: 11 elevátio 12 mánuum – 13 meárum – 14 sacrifícium – 15 vespertínum. – 16 Pone, Dómine, – 17 custódiam – 18 ori meo, – 19 et óstium – 20 circumstántiæ – 21 lábiis – 22 meis: – 23 ut non declínet – 24 cor meum – 25 in verba – 26 malítiæ. – 27 ad excusándas – 28 excusatiónes – 29 in peccátis. Incensatione peracta, Thuribulum Diacono reddens, subjungit: Accéndat in nobis Dóminus, etc., et ab eodem, ut supra, tit. 3, n. 6, thurificatur; *duplici tamen ductu, si Missæ assistunt Prælati, supra, tit. 5, n. 2, notati.*

5 Deinde Diaconus, facta genuflexione in infimo gradu Altaris, in medio Chori subsistens, Chorales utrimque salutat, et, per ordinem præcedentiæ ita eos incensat, nempe: *prius triplici ductu aliquem ex Prælatis, supra, tit. 5, n. 2, notatis, quodsi Missæ adsit Presbyter assistens, ejus erit dictos Prælatos thurificare*, et postea Diaconus similiter triplici ductu ceteros Episcopos, extra locum propriæ jurisdictionis sed forsan in Choro præsentes; deinde duplici ductu Dignitates Chori et Canonicos vel Beneficiatos; et reliquos tandem de Clero simplici ductu, cum debita reverentia ad omnes ante et post, necnon cum genuflexione erga Altare, quando per medium Chori transeat. Peracta Choralium incensatione et Choralibus iterum salutatis, Thuribulum tradit Subdiacono et ad dexteram Celebrantis redit, atque ad Subdiaconum conversus, ab eo duplici ductu incensatur. Deinde Subdiaconus tradit Thuribulum Thuriferario et redit ad sinistram Celebrantis, ubi ad eodem Thuriferario incensatur. Deinde Thuriferarius incensat Cærimoniarium et Acolythos, et ultimo populum in medio, a dextris populi et a sinistris ejus, cum inclinatione antea et postea. Ubi non adest Chorus, incensato Celebranti, Diaconus continuo tradit thuribulum Subdiacono a quo duplici ductu incensatur. Deinde Subdiaconus tradit thuribulum Thuriferario, qui Subdiaconum duplici ductu incensat, et deinde thurificat Cærimoniarium, Acolytos et populum, ut supra.

6 Si habenda sit concio, Celebrans, absoluta incensatione, accedit ad medium Altaris, et, peracta cum sacris Ministris debita reverentia Cruci, per latus Epistolæ cum eis ad scamnum descendit. Tum Concionator, in ultimo Altaris gradu genuflexus, dicit: Munda cor meum, etc., deinde, ante Celebrantem genuflexus, dicit: Jube, Domne, benedícere, cui Celebrans, detecto capite et manibus ante pectus junctis, respondet: Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis, ut digne et competénter annuntiáre váleas Sanctum Verbum suum, tum, sinistra pectori admota, manu dextera Concionatorem benedicit, dicens: In nómine Patris et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen. *Si Missæ assistat aliquis ex Prælatis, supra, tit. 5, n. 2, notatis, Celebrans cum Ministris stant ad scamnum, dum Concionator ad prædictum Prælatum accedit, et ab eo, reverenter genuflexus, ut supra, petit et accipit benedictionem.*

7 Finita concione, Celebrans per planum redit cum Ministris ad medium Altaris, et, factis ei debitis reverentiis, se confert ad cornu Epistolæ, ubi lavat manus et alia prosequitur ut in Missa privata. Quodsi concio non habeatur, statim ac Celebrans a Diacono thurificatus fuerit, manus lavat et alia prosequitur ut supra.

8 Sacri Ministri, ad medium Altaris redeuntes, ibi unus post alium stant a tergo Celebrantis: dicto Oráte, fratres, pro me, Subdiaconus respondet: Suscipiat Dóminus sacrifícium, etc. et, dum in Præfatione Sacerdos cantat Versum: Grátias agámus Dómino Deo nostro, Ministri utrumque flectunt genu, et, prope finem Præfationis, facta simplici genuflexione, ascendunt ad Altare, Diaconus ad sinistram, Subdiaconus ad dexteram Celebrantis, ibique, mediocriter inclinati, cum eo recitant: Sanctus, etc., se erigentes et Cruce majori se signantes cum Celebrante, ad verba: Benedictus qui venit in nómine Dómini, eo modo quo supra, Sect. VI, tit. 7, n. 10, describitur. Dum Celebrans incipit sine fine dicéntes, Thuriferarius defert et super Altare versus cornu Epistolæ extendit Velum Calicis, ad Patenam cooperiendam, et continuo præparat Velum humerale Subdiacono tradendum. Deinde facta genuflexione, Subdiaconus descendit ad planum, et, ad medium Altaris conversus, a Thuriferario accipit Velum humerale; Diaconus vero vertit folia ad Canonem et transit ad dexteram Celebrantis, ubi sumit Patenam, eam Purificatorio abstergit, et, Velo Calicis coopertam deferens, Subdiacono tradit cum parte concava ad ejus pectus conversam: deinde eam Velo humerali tegit, et ad suum locum a tergo Celebrantis revertitur, ubi stat usque ad verba: Benedictam, adscriptam, etc.: Subdiaconus autem in plano consistit, cum Patena ante faciem elevata, usque ad finem Orationis Dominicæ.

Tit. 7 - De Canone et aliis usque ad finem Missæ.

Versus finem Præfationis e Sacrario exeant Acolythi bini et bini cum intorticiis accensis, qui ordinarie sint saltem duo, in Festis autem solemnioribus vel in Missis quæ majori solemnitate celebrantur, sint quatuor vel etiam sex. Cum ad Presbyterium pervenerint, si adest Clerus in Choro, reverentiam ei faciant ut supra, tit. 2, n. 6, præscribitur. Deinde, facta simul genuflexione Altari, hinc inde in plano ante infimum gradum Altaris genuflexi maneant usque ad elevationem Calicis, qua absoluta, surgunt, et, facta reverentia Sacramento, et Choro, si adsit, ad Sacrarium redeunt ordine quo venerunt.

2 Si vero aliqui in Missa solemni communicandi sint, Clerici suo loco maneant cum intorticiis usquedum Celebrans descendat ab Altari cum Ministris, ut Communionem fidelibus distribuat, tunc surgunt et hinc inde ad latus Celebrantis modeste et devote sanctissimum Sacramentum comitantur: peracta Communione fidelium et reposito Sacramento, ad Sacrarium redeunt, ut numero præcedenti ordinatur. In diebus autem jejuniorum et in Missis Defunctorum, Clerici in Altari cum intorticiis accensis manent usque ad Communionem Celebrantis et deinde ad Sacrarium revertuntur, ut supra. Et bene advertant, quod, qui sunt ad dexteram, manu dextera intorticia teneant, et, qui sunt ad sinistram, manu sinistra: quæ norma servari debet dum ad Altare accedunt vel redeunt ad Sacrarium, et dum Missæ assistunt vel Sacramentum comitantur.

3 Ad verba: Benedictam, adscriptam, etc., Diaconus, facta genuflexione, ascendit ad dexteram Celebrantis et, si particulæ sint consecrandæ, detegit Pyxidem eamque ad latus Calicis deponit: deinde, in ora suppedanei genuflexus, cum sacra Hostia elevatur eam adorat, fimbriam Planetæ elevans: dum Celebrans deponit sacram Hostiam super Corporale, surgit, cum eo genua flectit, et mox, cooperta ac suo loco reposita Pyxide, detegit Calicem et genuflectit, facta consecratione vini, surgit et Calicem cooperit; deinde, flexis genibus, fimbriam Planetæ iterum elevat ad Calicis elevationem: qua elevatione peracta, surgit, cum Celebrante Sacramentum adorat et ad suum locum redit. Quando Diaconus ascendit ad Altare, Subdiaconus, Patena pectori devote admota, in suo loco genua flectit: Thuriferarius vero, in cornu Epistolæ genuflexus, posito incenso in Thuribulo absque benedictione, ter incensat Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem. Finita elevatione Calicis, omnes surgunt, et in suis locis stant, exceptis Acolythis cum intorticiis, quando verificantur casus numero præcedenti notati.

4 Quando Celebrans incipit verba: Per quem hæc ómnia, etc., Diaconus, facta genuflexione, ascendit ad dexteram Celebrantis, et, cum Sacerdos dixerit verba: Benedicis et præstas nobis, Diaconus Calicem discooperit, utrumque flectit genu et Sacramentum adorat. Dum Celebrans ter signat, dicens: Per ip✠sum, et cum ip✠so, etc., Diaconus duobus digitis dexteræ manus retinet pedem Calicis usque ad verba: Omnis honor et glória. Cum post verba: Per ómnia sǽcula sæculórum, Celebrans cantaverit: Orémus, Diaconus utrumque flectit genu ad secundam elevationem Hostiæ et adorat, quod et omnes alii, ut in prima elevatione, facere debent. Reposita sacra Hostia super Corporale, Diaconus Calicem cooperit, et facta genuflexione, transit ad sinistram Celebrantis, folium Missalis vertit, et, facta ibidem iterum genuflexione, ad suum locum retro post Celebrantem redit, ibique stat usque ad finem Orationis Dominicæ. Post secundam elevationem, omnes surgunt et suis locis stant usque ad Communionem Celebrantis inclusive.

5 Dum Celebrans incipit: Et dimitte nobis débita nostra, Diaconus, facta genuflexione et per suam dexteram se vertens, descendit ad planum, ubi accipit Velum Calicis a Thuriferario, eum super manum dexteram extendit et super Velum deponit Patenam, a Subdiacono acceptam, et mox, per suam sinistram se vertens, ascendit ad dexteram Celebrantis, ubi facta genuflexione Sacramento, Patenam super Altare Purificatorio abstergit: deinde, utraque manu prope Corporale erectam sustinens cum parte concava versus medium Altaris, eam tradit Celebranti, deosculans prius superiorem Patenæ oram et deinde manum Celebrantis. Subdiaconus, tradita Patena Diacono, Velo humerali se exuit illudque Thuriferario tradit, et, manus sub Tunicella recondens, in suo loco a tergo Celebrantis remanet.

6 Dum Celebrans, ad verba: Da propítius pacem, etc., cum Patena producit sibi Crucem, etiam Ministri cum eo Cruce majori se signant: simul ac ipse deinde Hostiam super Patenam accommodat, pariter Diaconus discooperit Calicem, et cum Celebrante utrumque flectit genu. Deinde, cum incipit verba: Pax Dómini, etc., Subdiaconus, facta genuflexione, ascendit ad sinistram Celebrantis, et, cum Celebrans dixerit: Hæc sacrosáncta commíxtio, etc., vel Fiat commíxtio, etc., et digitos exterserit super Calicem, Diaconus eum statim Palla cooperit. Deinde Ministri hinc inde stantes et versus Altare inclinati, cum Celebrante dicunt: Agnus Dei, etc.,

ut supra, Sect. VI, tit. 10, n. 3, describitur, sinistra tamen non super Altare ponant sed pectori admoveant, dum manu dextera ter cum Celebrante pectus percutiunt; in Missis autem Defunctorum manibus junctis dicunt: Agnus Dei, etc., quin pectus percutiant.

7 Dicto Agnus Dei, Diaconus, in ora suppedanei a dextris Celebrantis genuflexus, exspectat pacem: et cum Celebrans, dicta Oratione Dómine Jesu Christe, qui es vera pax, vel Dómine Jesu Christe, qui dixisti, osculatur Altare, in medio, juxta Hostiam, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante dicente: Pax tecum, complexus accipit pacem, sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet: Et cum spiritu tuo. Deinde Ministri, facta simul genuflexione Sacramento, descendunt ad planum, ubi Subdiaconus, repetita genuflexione in medio, ad Diaconum accedit, et modo supradicto ab eo accipit pacem: postea iterum ascendunt ad Altare, Diaconus ad sinistram et Subdiaconus ad dexteram Celebrantis, et in ora versus extremitates suppedanei consistunt, dum Celebrans recitat: Dómine Jesu Christe, etc., et Orationes sequentes, ibique profunde inclinati ter cum Celebrante percutiunt pectus, dum ipse ter dicit: Dómine, non sum dignus, etc. Si autem adsit Clerus in Choro, Subdiaconus, accepta pace a Diacono et facta Altari genuflexione, comitatus a Cærimoniario, vel, si Cærimoniarius desit, a Thuriferario, vadit ad Chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis; et, reversus ad Altare et facta genuflexione, dat pacem Cærimoniario vel Acolytho qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa Altare dat pacem. Deinde Subdiaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, ut supra.

8 Absoluto tertio Dómine, non sum dignus, etc., simul ac Celebrans sacræ Hostiæ profundam facit inclinationem, et pariter sacri Ministri simplici genuflexione Ssmum Sacramentum adorant, dum autem Celebrans genuflectit, etiam ipsi utrumque flectunt genu, et, dum utramque sumit speciem, stant profunde et devote inclinati versus Altare. Facta meditatione post sumptionem sacræ Hostiæ, Subdiaconus ascendit ad dexteram Celebrandis, discooperit Calicem et redit ad suum locum in ora suppedanei, et, si fiat Communio, serventur omnia quæ supra, Sect. VI, tit. 11, n. 6, ordinantur. Statim post sumptionem Sanguinis, Subdiaconus transit cum genuflexione in medio ad sinistram Celebrantis et similiter Diaconus ad dexteram, ibique Calicem Palla cooperit, et, si Particulæ e Sacrario sumendæ sint, Celebrans et Subdiaconus genua flectunt, dum Diaconus Pyxidem extrahit et super Corporale deponit: deinde, facta genuflexione a Diacono, surgunt omnes, Celebrans vertit se, cum Subdiacono a dextris, versus populum, et Diaconus descendit ad planum ex latere Epistolæ, et, ad cornu Evangelii conversus et profunde inclinatus, cantat: Confiteor Deo, etc. Dicto: Misereátur vestri, etc., et Indulgéntiam, etc., Ministri, ante Celebrantem genuflexi, ante omnes alios communicantur, et deinde, Diaconus ad dexteram et Subdiaconus ad sinistram Celebrantis, ei assistunt usque ad finem Communionis, quam Celebrans, post Communionem Ministrorum, per ordinem distribuere debet Clero et populo. Peracta communione, si remanserint particulæ, Celebrans et Subdiaconus genua flectunt, dum Diaconus Pyxidem in Sacrario reponit.

9 Si autem nullus sit communicandus in Missa solemni, Subdiaconus, discooperto Calice, Pallam statim Thuriferario tradit, et redit ad suum locum ante oram suppedanei; sumpto autem a Celebrante pretiosissimo Sanguine, Ministri ascendunt ad Altare, Subdiaconus ad dexteram et Diaconus ad sinistram Celebrantis. Tum Subdiaconus ampullas a Thuriferario accipiens, vinum et aquam in Calicem infundit, ut supra, Sect. VI, t. 11, n. 7, dictum est: facta autem secunda ablutione, Purificatorium super digitos Celebrantis extendit. Deinde Subdiaconus a Thuriferario accipit Velum Calicis, Bursam, Pallam et cochlear, et omnia ante pectus utraque manu tenens, transit cum genuflexione ad cornu Evangelii ad sinistram Celebrantis, et eodem tempore Diaconus defert Missale cum legili vel pulvillo ad cornu Epistolæ. Et attendant Ministri, ut recessus ab Altari, genuflexio in medio et accessus ad Altare simultanee peragantur, quæ uniformitas sacrarum actionum non solum inservit ad confusionem vitandam, sed multum confert ad ordinem et pulchritudinem Cærimoniarum; ideoque hanc regulam semper in similibus sacri Ministri et Celebrans ipse servare debent.

10 Cum Subdiaconus pervenit ad cornu Evangelii, Calicem Purificatorio mundat, Purificatorium plicatum extendit super Calicem, et desuper cochlear, Patenam et Pallam, plicat et recondit Corporale in Bursam, quam ponit super Calicem Velo coopertum, ut supra, Sect. VI, tit. 11, n. 8 describitur. Deinde, in Dominicis et Solemnibus, Calicem cum suis Paramentis ad credentiam defert, et ad suum redit locum a tergo Celebrantis; in aliis Missis vero, Calicem paratum relinquit super Altare ad latus Evangelii, et ad suum locum redit. Diaconus autem, deposito Missali super Altare, redit ad suum locum a tergo Celebrantis; si autem desit Cærimoniarius, Celebranti assistit, ei indicans Antiphonam, quæ vocatur Communio, et Orationes, folia vertens, si opus fuerit, et inclinationes cum Celebrante peragens. Quando, in ultima Oratione super populum, tempore Quadragesimæ, Celebrans dicit: Orémus, Diaconus, per suam dexteram se vertens ad populum, capite inclinato, cantat: Humiliáte, etc.; quo dicto, per suam sinistram vertit se rursus ad Altare, et Celebrans dicit prædictam Orationem super populum.

11 Absoluta ultima Oratione, Celebrans redit cum Ministris ad medium Altaris, et, cantato: Dóminus vobiscum, Diaconus vertit se ad populum, et, cum responderit Chorus: Et cum spiritu tuo, ipse cantat: Ite, missa est. Iisdem cærimoniis Diaconus cantare potest, si placuerit: Verbum Patris, etc., in Nativitate Domini, et Stella fulget, etc., in Epiphania Domini, ut propriis locis notatur. In Missis autem, in quibus dicitur Benedicámus Dómino vel Requiéscant in pace, ea cantet stans versus Altare. Dicto Ite, missa est, Ministri suis locis genua flectunt et Cruce majori se signant, dum Sacerdos populo benedicit: deinde surgunt, et, dicta Oratione Placeat, etc., ascendunt ad cornu Evangelii, ubi ad sinistram Celebrantis stantes, signum Crucis, inclinationes et genuflexiones cum eo perficiunt. Quoties in fine Missæ dicendum sit Evangelium, diversum ab Evangelio sancti Joannis, In principio, cantato Dóminus vobiscum ante Ite, missa est, vel Benedicámus Dómino, Subdiaconus transfert legile cum Missali ad cornu Evangelii.

12 Lecto ultimo Evangelio, redeunt omnes ad medium Altaris, facta inclinatione Cruci, descedunt ad planum, ubi primo gradu Altaris genuflexi, dicunt Antiphonam beatæ Mariæ Virginis, Tempore Paschali excepto, in quo stantes dicunt Antiphonam, Versum et Orationem de Tempore, ut supra, Sect. VI, tit. 13, n. 6 præcipitur. In Dominicis et Solemnibus, absoluta Commemoratione beatæ Mariæ Virginis et facta reverentia Cruci, Celebrans et Subdiaconus vertentes se per suam dexteram et Diaconus per suam sinistram, descendunt simul

planum, ubi, ad Altare iterum conversi, accepto birreto et facta convenienti reverentia Altari et Clero, capite cooperto, ad Sacrarium redeunt ordine quo venerunt. In aliis autem Festis, quæ solemnia non sint, et in Missis ferialibus, votivis ac Defunctorum, facta Commemoratione beatæ Mariæ Virginis, Diaconus sumit librum et Subdiaconus Calicem, reliqua vero ut supra peraguntur. Cum ad Sacrarium pervenerint, facta inclinatione Cruci et Celebranti, sacri Ministri devote et in silentio eum adjuvant, dum sacris Paramentis se exuit: deinde, facta iterum inclinatione Celebranti, ab Acolythis adjuti, propria Paramenta deponunt.

Tit. 8 – De iis quæ servari debent in Missa solemni, coram Sanctissimo Sacramento exposito celebrata.

Cum in conspectu Ssmi Sacramenti pervenerint, Celebrans et Ministri birreta Cærimoniario tradunt, et, ad Altare accedentes, omnes in plano utrumque flectunt genu cum profunda capitis inclinatione.

2 Cum post Confessionem ad suppedaneum ascenderint, Celebrans et Ministri genuflectunt. Postquam Orémus recitaverit, et Altare osculatus fuerit, Celebrans genuflectit, se retrahit paulisper ad cornu Evangelii, et, facie ad cornu Epistolæ conversus, more solito sed absque osculis imponit et benedicit thus in thuribulo, quod etiam fit, quando Altare et Oblata incensantur.

3 Incenso benedicto et facta genuflexione, Celebrans et Ministri, quin terga vertant Sacramento, descendunt ad planum, in primo gradu Altaris genuflexi, et, facta antea et postea profunda capitis inclinatione, Celebrans accipit thuribulum et triplici ductu, Ssmum Sacramentum incensat. Finita incensatione et repetita inclinatione Sacramento, surgunt et iterum ascendunt ad medium Altaris, et, facta simplici genuflexione ac omissa thurificatione Crucis, vel Reliquiarum, aut Imaginum, etiamsi adsint, incensatio Altaris more solito incipit et prosequitur.

4 Quoties, durante incensatione, vel etiam infra Missam coram Ssmo Sacramento, Celebrans et Ministri accedunt vel recedunt a medio Altaris, vel ante illud transeunt, simplicem genuflexionem Sacramento semper facere debent.

5 Altari incensato et tradito absque osculis thuribulo, Celebrans per latus suum sinistrum se convertens ad populum, ne terga vertat Ssmo Sacramento, ibi a Diacono in plano, in medio Altaris stante, triplici ductu incensatur. Deinde Celebrans ascendit cum Ministris ad cornu Epistolæ, ubi more solito legit Introitum et cum ipsis recitat Kýrie.

6 Cantato ultimo Kýrie, Celebrans accedit cum Ministris ad medium Altaris, et, facta genuflexione, intonat Glória in excélsis: ad verbum Deo, Ministri genuflectunt, ascendunt suppedaneum ad latera Celebrantis et cum eo Hymnum recitant. Absoluto Hymno, convenientius est ut Celebrans et Ministri sacri in Altari maneant; si autem sedere velint, utrumque flectunt genu, cum profunda capitis inclinatione, et more solito ad scamnum pergunt; caveant tamen ne terga Sacramento vertant, nec, dum sedent, caput cooperiant. Cantato Hymno, ad Altare redeunt, et, in infimo gradu utrumque genu flectentes, Sacramentum adorant ut supra: quæ semper servare debent, quoties ab Altari recedunt ad scamnum, aut a scamno ad Altare revertuntur.

7 Cum Celebrans osculatur Altare, genuflectit, et ne terga vertat Sacramento, dum vertit se ad populum, sistit se aliquantulum versus cornu Evangelii, et cantat Dóminus vobiscum: quæ semper servare debet, quoties vertitur ad populum. Deinde ad medium Altaris reversus, iterum genuflectit cum Ministris, et cum ipsis redit ad cornu Epistolæ, ut cantet Orationes: quibus absolutis, cum Diacono genuflectit, pergit ad scamnum et sedet, dum Subdiaconus cantat Epistolam.

8 Cantata Epistola, Celebrans, data benedictione Subdiacono, ascendit cum Ministris ad cornu Epistolæ, ibique genuflectunt omnes et more solito legitur Graduale, vel alia quæ legenda sint, uti supra, tit. 5, n. 4, dictum est. Tum Diaconus ante cantum Evangelii petit et recipit benedictionem, et Celebrans more solito ponit et benedicit incensum, assistit Evangelio ad ipsum conversus, et in fine osculatur librum et incensatur a Diacono.

9 Cantato Evangelio et incensato Celebrante, accedit ipse cum Ministris ad medium Altaris, ibique facta genuflexione unus post alium sistunt. Tum Celebrans intonat Credo in unum Deum, et ad verbum Deum, Ministri in suis locis iterum genuflectunt, ascendunt suppedaneum ad latera celebrantis et cum eo recitant totum Symbolum. Si sedere velint, dum recedunt ab Altari atque ad illud revertuntur, et dum sedent in scamno, ea omnia servare debent quæ supra, n. 6, de Hymno Angelico dicta sunt. Circa finem Symboli, ad Altare revertuntur, et, facta ut supra genuflexione in plano, Altare ascendunt unus post alium. Continuo Celebrans osculatur Altare, genuflectit et cantat Dóminus vobiscum, revertitur ad Altare et iterum genuflectit. Deinde legit Offertorium et ibidem in medio Altaris præparat Calicem, omnia servans quæ supra, tit. 5, n. 1, de Semiduplicibus dicta sunt.

10 Dicto Veni, sanctificátor, etc., Celebrans ponit et benedicit incensum, et facta incensatione Oblatæ, continuo descendit cum Diacono et Subdiacono ad planum et omnia peragit quæ supra, n. 3, notata sunt, ad trinam tamen incensationem Sanctissimi Sacramenti dicens: – 1 Dirigátur, – 2 Dómine, 3 Orátio mea, et alia peragens quæ loco citato notantur: deinde more solito incensationem Altaris prosequitur, dicens: – sicut – incensum – in conspéctu tuo, etc.

11 Altari incensato, reddit thuribulum Diacono, per suam sinistram vertit se ad populum, ibique a Diacono, in medio plani consistente, triplici ductu incensatur, et ibidem continuo lavat manus easque abstergit. Deinde, redit ad medium Altaris, genuflectit et recitat Orationem Suscipe, sancta Trinitas, etc.: qua absoluta, genuflectit, se retrahit tantillum versus cornu Evangelii, dicit Oráte, fratres, pro me, et non perficit circulum, sed convertit se iterum ad Altare et genuflectit.

12 Circa finem Præfationis, Ministri sacri suis locis genuflectunt, ascendunt ad latera Celebrantis hinc inde, et cum eo recitant Sanctus, Sanctus, etc., et, repetita genuflexione, reliqua prosequuntur ut in aliis Missis solemnibus.

13 Facta ablutione Calicis et digitorum, Celebrans, ablutione sumpta, ponit Calicem super Corporale, genuflectit, accedit ad cornu Epistolæ, et, lecta Communione, redit ad medium Altaris, genuflectit, ac, absoluto cantu Communionis, osculatur Altare, se convertit ad populum, uti supra, n. 9, dictum est, et cantat Dóminus vobiscum. Deinde genuflectit cum Ministris et cum ipsis redit ad cornu Epistolæ, ubi cantat Orationes: quibus absolutis, accedit iterum cum Ministris ad medium Alta-

ris, genuflectit, vertit se ut supra ad populum, cantans Dóminus vobíscum. Tum Diaconus convertit se ad populum, ita tamen ut oblique eum respiciat, ne terga vertat Sacramento, et cantat Ite, missa est. Deinde Celebrans et Diaconus se vertunt iterum ad Altare et genuflectunt. Recitato Pláceat, Celebrans cum Ministris genuflectit, et cum ipsis procedit ad latus Evangelii. Cum dicit Et Verbum caro factum est, etc., omnes utrumque flectunt genu versus Sacramentum.

14 Lecto ultimo Evangelio, redeunt ad medium Altaris, genuflectunt, descendunt de Altari et, facta Commemoratione B. Mariæ Virginis, omnes in plano utrumque flectunt genu Sacramento cum profunda capitis inclinatione, surgunt, Celebrans birretum sine osculis accipit a Diacono, Ministri vero a Cærimoniario, et ad Sacrarium redeunt, ordine quo venerant, caput tantum cooperientes, quum extra conspectum Ssmi Sacramenti venerint.

15 Celebrans, Ministri sacri et ceteri omnes, in Cærimoniis hujus Missæ peragendis, ita procedere debent, ut numquam Ssmo Sacramento terga vertant: reliqua autem, hoc titulo non notata, fieri debent uti de aliis Missis solemnibus, præcedentibus titulis, ordinatur.

Tit. 9 – De iis quæ servari debent in Missa, quæ absque Ministris sacris cantatur.

Quando Missa cantatur sine Diacono et Subdiacono, Celebrans omittit incensationem, Epistola cantatur loco consueto a Lectore Superpelliceo induto, qui in fine cantus non osculatur manum Celebrantis nec petit benedictionem: Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii: Oratio, Præfatio et alia quæ intra Missam solemnem cantari debent, similiter, servatis Rubricis, cantet Celebrans in hac Missa: et simili modo cantet in fine Missæ: Ite, missa est, vel Benedicámus Dómino, aut Requiéscant in pace, pro Temporum vel Missarum diversitate. Reliqua fiunt ut in Missis privatis.

Sectio VIII – De Ordinario Missæ Pontificalis.

Quæcumque in Ordinario Missæ privatæ vel solemnis superius, Sect. VI et VII, præscribuntur, etiam servanda sunt in Pontificali, nisi Ritibus mox præscribendis repugnent.

Tit. 1 – De præparandis pro Missa Pontificali.

Si festivitas erit præcipua, et de solemnioribus Ecclesiæ, ubi Missa Pontificalis celebratur, primum a parte exteriori ornandæ sunt valvæ ipsius floribus, ramis et frondibus virentibus, bracteolis, aut fasciis diversi coloris, appensis vel colligatis, quo splendidius fieri poterit; supra vero januæ superliminare, imago Sancti, vel Sanctorum, quorum dies festus agitur, pariter ornata, et sub illis insignia domini Archiepiscopi, vel Cardinalis aut Legati Summi Pontificis forsitan celebraturi, pro lubito ponentur. Si Ecclesia adstructam habet porticum, congruum erit, etiam illam pannis aliis pulchris ex serico vel alia honesta materia confectis, seu elaboratis, prout haberi poterunt, exornari.

2 Intus parietes Ecclesiæ similiter aulæis, tribunæ vero holosericis, aut nobilioribus cortinis, si fieri potest, coloris ceterorum Paramentorum, pro Festi qualitate contegantur. Ambones quoque, ubi Epistolæ et Evangelia decantari solent, si qui erunt, et pulpitum, ubi concio haberi solet, pannis sericis ejusdem coloris exornari convenit.

3 Gradus omnes Altaris majoris inferiores, cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui et ornati quam reliqua pars Presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur. Similiter locus, qui sub Altari majori esse solet, ubi Ss. Martyrum corpora requiescunt, decet floribus, frondibusque, omnique ornatu decorari.

4 Altare majus quo splendidius poterit, pro Temporum tamen varietate et exigentia, ornari debet, prout supra, Sect. II, tit. 4 et 5, de Festis solemnioribus dictum est: in eo sex candelabra cum cereis albis præparentur, sed retro post Crucem, ipsoque paulo altius, apponitur in Altari majori septimum candelabrum, *quod tamen omittitur in Missis Defunctorum et quando Missa Pontificalis, non a domino Archiepiscopo, sed ab alio Prælato celebratur.* Cetera Altaria per Ecclesiam ornantur juxta normas, quæ loco supra citato præscribuntur: Altare vero vel locus, ubi est repositum Ssmum Sacramentum, præ ceteris sumptuosius et nitidius exornandum est. In Altaribus Ssmi Sacramenti et Secretarii sex etiam candelabra cum cereis albis præparentur; et, præcipue ante Altare Ssmi Sacramenti et Altare majus, accendantur etiam lampadæ vel lampadarii, qui, sive ad cultum et ornatum, sive ad mysticum sensum, ante ipsa numero impari appensi sint.

5 In Ecclesiis ubi Ssmum Sacramentum in Altari majori asservatur, antequam in eo incipiat Missa Pontificalis, ad aliud Sacellum, vel locum ornatissimum, cum omni decentia et reverentia transferatur.

6 Ante Altare majus et ante Altare Ssmi Sacramenti solita statuentur genuflexoria, pro Oratione a Pontifice facienda, quæ, pro Temporum qualitate, cooperta sint panno viridi vel violaceo, et super ea duo pulvinaria ponentur, unum in parte superiori, alterum in inferiori. *Si autem Celebrans erit Cardinalis, genuflexoria panno serico rubei vel violacei coloris, pro Temporum diversitate, cooperiantur.* In Ecclesiis ubi adest Secretarium seu speciale Sacellum ad Pontificis præparationem, ibi et non ante Altare majus statuetur genuflexorium: et, sive in Presbyterio sive in Secretario præparetur, statim removendum est ac Pontifex oraverit, et post Missam, dum gratias agit, iterum reponendum erit.

7 In Sacrario, præter Amictus, Albas et Cingulos pro sacris Ministris, pro Assistentibus, et pro Ministris inferioribus Dalmatica utentibus, speciatim disponentur: Pluviale pro Presbytero assistente; Dalmaticæ pro Diaconis assistentibus; Stola et altera Dalmatica pro Diacono Missæ, et Tunicella pro Subdiacono; Dalmaticæ pro Cruciferario, Thuriferario et Ceroferariis; rochettum, si fuerit Dignitas Capituli, Pluviale et velum in forma stolæ pro Ministro de Baculo pastorali; Pluvialia convenientia pro Capitularibus, vel, ubi non habetur Chorus, pro dignioribus de Clero; in Ecclesiis autem ubi non habetur conveniens Pluvialium numerus, pro Capitularibus vel dignioribus de Clero Planetæ et Dalmaticæ vel etiam Tunicellae præparari possunt; septem Superpellicia præsto erunt pro duobus Cærimoniariis, pro Caudatario, pro Ministris de libro et de candela, pro Ministro de Mitra et pro Ministro de Baculo, nisi sit Dignitas Capituli, ut supra notatur; et, in alio loco, octo, vel sex, aut saltem quatuor alia superpellicea et totidem funalia seu intorticia pro Clericis, funalia ad elevationem delaturis.

Tit. 2 - De iis quæ præparanda sunt in Secretario.

In Ecclesiis ubi habetur Secretarium, seu Sacellum ad præparationem Pontificis ante Missam, ut in Cathedrali Bracarensi Sacellum S. Geraldi, Pontifex induit sacra Paramenta in prædicto Sacello.

2 In Secretario erigitur Baldachinum in latere Evangelii et tegitur sericis coloris Paramentorum: in eo sedes cameralis pro Pontifice præparatur.

3 Juxta Baldachinum, ad dexteram et sinistram sedis cameralis pro Assistentibus et intra cancellos Sacelli pro sacris Ministris, Prælatis, Canonicis et reliquis de Clero, atque pro Seminaristis et famulis subsella præparanda sunt prout titulo sequenti n. 2 et 3 notatur; sed, ubi locus Sacelli sit angustus, scabella pro Clero, Seminaristis et famulis extra cancellos Secretarii præparantur.

4 Super Altare Secretarii omnia sacra Paramenta disponi debent eo ordine et modo, quo titulo sequenti n. 5. describitur.

5 Super credentia Epistolæ adesse debent, tum Manipulus Pontificis in Missali inclusus et Antiphonarium vel Diurnale pro intonatione et Oratione Tertiae, tum alia omnia quæ ad præparationem Pontificis titulo sequenti n. 6 notantur.

6 Ex latere Evangelii præsto erunt super credentia pelviculæ ad deponendum birretum Pontificis et ad cappam magnam suscipiendam, Baculus pastoralis prope Altare et basis aut circulus metallicus pro sustituenda Cruce Archiepiscopali Baldachinum inter et cancellos Secretarii.

Tit. 3 - De iis quæ præparanda sunt in Presbyterio.

In latere Evangelii, juxta normas supra, Sect. II, tit. 5. n. 4. præscriptas, erigitur thronus, qui pulchrioribus sericis tegitur et ornatur, coloris Paramentorum, et umbraculum seu baldachinum ejusdem panni et coloris, et in throno sedes cameralis pro Pontifice, ornamentis condecentibus, præparatur.

2 Juxta sedem cameralem disponentur quatuor scabella nuda pro Assistentibus et pro Ministro de Baculo, si fuerit Dignitas Capituli, duo ad dexteram et duo ad sinistram; duæ sedes nudæ, in latere Epistolæ, pro Diacono et Subdiacono Missæ, vel scamnum, panno laneo viridi vel violaceo, pro Festorum qualitate, coopertum, *quod tamen erit nudum Feria VI Majoris Hebdomadæ, et in Missis solemnibus Defunctorum;* quatuor scabella prope credentiam Evangelii pro primo Cærimoniario et pro Ministris de Mitra, de libro et de candela, et alia tria ad dexteram throni pro Caudatario, pro Ministro de Baculo, si non fuerit Dignitas Capituli, et pro Crucifer ario; ubi autem adest Chorus, Cruciferarius sedet in primo loco Chori, vel post ultimum Choralem paratum, ubi assistant Chorales parati: item duo scabella prope credentiam Epistolæ pro secundo Cærimoniario et pro Thuriferario, duo pro Ceroferariis intra cancellos Presbyterii ad eorum extremitates, prope candelabra cum cereis albis accensis, super ipsos cancellos deponenda; post scamnum vero et ad ejus sinistram scabella nuda pro seminaristis et famulis.

3 Ubi non habetur Chorus, subsellia pro Prælatis et Canonicis intra Presbyterium, in latere Evangelii, præparanda sunt: item non intra, sed solum extra Presbyterium, alia subsellia pro Magistratibus, aliisque Magnatibus, nobilibusque laicis, pro Ecclesiæ Bracarensis et locorum consuetudine et commoditate, præparari et ornari decet.

4 Desuper in alto, appenditur umbraculum, seu baldachinum formæ quadratæ, totum Altare ejusque scabellum cooperiens, coloris Paramentorum; ubi autem adsit Baldachinum fixum seu permanens, cum floribus frondibusque exornari poterit.

5 In medio Altaris, sacra Paramenta pro Pontifice ordine retrogrado disponuntur, videlicet: Planeta, chirothecæ in pelvicula, Dalmatica, Tunicella, Stola, Crux pectoralis in pelvicula, nisi Pontifex eam deferat, Cingulum, Alba, Amictus, Pluviale, si cantatur Tertia, sacrum Pallium in pelvicula una, velo serico cooperta, et tres spinulæ aureæ gemmatæ in pelvicula altera: quæ omnia velo serico auriphrygiato coloris Paramentorum teguntur. Item præparantur Mitræ, videlicet, in latere Evangelii Mitra pretiosa, in latere Epistolæ Mitra auriphrygiata, et velum humerale coloris albi vel coloris Paramentorum, aut velum sericum in forma stolæ, pro Ministro de Mitra; *Feria VI vero Majoris Hebdomadæ et in Missis Defunctorum præparatur tantum Mitra simplex, tunc enim prohibentur Mitræ pretiosæ et auriphrygiatæ.*

6 Super credentia ex parte Epistolæ, præparantur Canon Pontificalis, Antiphonarium vel Diurnale pro intonatione et Oratione Tertiæ, vela ad sumenda et deponenda Paramenta, pelvis atque urceus argenteus cum aqua, ad manus Pontificis lavandas, et quatuor mappulæ ad illas abstergendas, caligæ et sandalia in pelvicula et Manipuli sacrorum Ministrorum.

7 Item super eadem credentia præparantur liber Evangeliorum, Epistolarum et Missalis, qui, tegumento serico coloris Paramentorum, singillatim cooperiantur, Manipulus Pontificis, in libro Evangeliorum vel in Missali inclusus, et Evangelium signans, Calix cum duobus Purificatoriis, Patena, Palla, Corporale intra Bursam, capsula cum Hostiis, pelvicula cum ampullis vini et aquæ, patera vitrea in pelvicula alia ad prægustationem faciendam, et formula Indulgentiarum.

8 Super credentia ex latere Evangelii præparantur pelvicula ad deponendum birretum Pontificis, et pelvis ad cappam magnam suscipiendam.

9 Item in eadem credentia præparantur pulvinus Missalis ex serico et colore Paramentorum, vel legile argenteum, aut ligneum, affabre tamen elaboratum, gremiale, etiam coloris Paramentorum, et pulvinar, pro genuflexione Pontificis in primo gradu Altaris, dum initio Missæ recitat Ave, Maria, et in fine Commemorationem beatæ Mariæ Virginis, et pro aliis genuflexionibus, quæ forsan occurrant, ut in Missis Nativitatis Domini et Annuntiationis, quando ad Credo cantantur verba Et incarnátus est, etc., et similia.

10 In cornu Evangelii, prope Altare, præparantur Baculus pastoralis et basis vel circulus metallicus, pro sustinenda Cruce Archiepiscopali.

11 Ad cancellos Presbyterii, hinc inde funalia sex vel octo, cum intorticiis vel cereis accensis, collocantur.

Tit. 4 - Quædam circa Cærimoniarios et alios Ministros inferiores in genere prænotanda.

Duo Cærimoniarii, aspectu et statura præstantes, sed multo magis scientia et bonis moribus præditi, experti et dociles ad suum munus, providere debent, ut nihil desit de iis quæ præcedentibus titulis notata sunt, et ita dirigere debent cærimonias totius Missæ Pontificalis, ut omnia, quæ sequentibus titulis præscribuntur, ordinate, decore et pie procedant.

2 Primus Cærimoniarius sollicitus erit circa personam Pontificis aliarumque personarum dignitate aut nobilitate præstantium, ita tamen ut omnia alia circumspiciat et singulorum munia perpendat. Semper conducit et reducit Pontificem, prope eum et a sinistris ejus incedens. Cum ipsius sit omnia circumspicere, locum proprium non habet; sed sistit ubi commode fieri potest et opportunum judicat.

3 Secundus Cærimoniarius non habet etiam locum proprium, sed assistit, ubi necesse est, et, si nihil ei sit agendum, stat in plano circa credentiam ex parte Epistolæ: Ministros sacros adjuvat, et ipsos atque Ministros inferiores ducit et reducit in cærimoniis peragendis, eos diligentissime dirigens.

4 Duo Ceroferarii, qui statura, quantum fieri potest, æquales eligi debent, ut lumina æqualiter teneant: candelabra nudis manibus deferunt, et quidem, qui a parte dextera incedit, ponit sinistram manum ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum, et qui a parte sinistra incedit, ponit dexteram ad pedem, et sinistram ad eumdem candelabri globum. Eorum locus ordinarius est ad utramque extremitatem cancelli prope proprium candelabrum, et, ubi Presbyterium cancellos non habeat, ad utramque extremitatem primi gradus Altaris.

5 Thuriferarius, elevatis æqualiter manibus, semper thuribulum dextera tenere debet, pollice autem in annulum majorem immisso, medio vero ejusdem manus digito minorem annulum catenæ ita elevante, ut operculum thuribuli regat et sustineat: sinistra manu vero pedem naviculæ cum incenso et cochleari caute gestat. Cum affert thuribulum ad impositionem thuris, eum defert sinistra, dextera vero naviculam semiapertam versus seipsum. Manu dextera naviculam tradit, et sinistra recipit, modo altera thuribulum sustineat, et ministrat atque accipit thuribulum et naviculam absque osculis. Usque ad finem Tertiæ adest alter Thuriferarius, ut infra propriis locis notatur.

6 Minister de Mitra, antequam eam a Subdiacono accipiat, velum sericum oblongum, ad instar stolæ, a collo pendens, accipere debet. Hoc velum pretiosum esse non debet, sed simplex, aut coloris albi, vel Paramentorum. Extremitatibus hujus veli manus tegere debet ad Mitram tenendam, ne illam nudis manibus tangat. Mitram semper utraque manu, velo a collo pendente cooperta, ante pectus elevatam deferat, ita ut summitas ejus fere ad oculos perveniat, vittasque seu infulas pendentes versus seipsum habeat. Quando Mitram Diacono porrigit, vittæ versus seipsum pendeant, quando autem super credentiam deponit, vittæ, deposita Mitra, semper exterius dependeant. Dum Pontifex est ad thronum, minister de Mitra stat ad dexteram ipsius Pontificis prope primum Diaconum assistentem, cui Mitram tradit et a secundo recipit: si Pontifex est ad Altare, stat ad cornu Epistolæ retro post primum Diaconum, ad dexteram Ministri de Baculo, et tunc Mitram Diacono Missæ præbet et ab eodem recipit. Dum Pontifex ad Altare progreditur, vel ab Altari ad sedem suam recedit, minister de Mitra eum sequitur. Mitra pretiosa adhibetur post cantum Tertiæ usque ad Kýrie, eléison exclusive et ab Offertorio usque ad finem Missæ; Mitra auriphrygiata vero postquam Pontifex induit Pluviale usque ad Versum Responsorii Tertiæ et a Kýrie, eléison usque ad Offertorium.

7 Minister de Baculo, rochetto et velo serico ad instar stolæ sub Pluviali indutus, recipit Baculum a secundo Cærimoniario. Quando Minister de Baculo est ad thronum, stat vel sedet ad sinistram secundi Diaconi assistentis, et tenet manu dextera, velo serico cooperta, Baculum cum parte curva ad populum conversa; quando est ad Altare, stat vel genuflectit inter Diaconos assistentes; quandocumque vero procedit, defert Baculum manibus eodem velo coopertis, et ita a terra elevatum ac si Crucem portaret, et immediate Pontificem præcedit. Si genuflectendum est, Minister de Baculo cum aliis genuflectit. Baculum semper Pontifici immediate offert, et ab eodem recipit. Cum Pontifici Baculum tradit, partem curvam ad se convertit, ita ut, dum Pontifex illum accipit, eadem pars Baculi versus populum conversa maneat. Eum dextera velo cooperta deponit in manu sinistra Pontificis, ita ut hic Baculum manu nuda accipere possit, et Minister, nisi sit Canonicus, genuflectit, tam in offerendo quam in recipiendo, et, dum illum offert, primo osculatur Baculum, deinde sinistram Pontificis; dum vero eumdem recipit, prius sinistram Pontificis, deinde Baculum osculatur.

8 Minister de chirothecis, sumpta a secundo Cærimoniario pelvicula argentea, in qua chirothecæ jacent, accedit ad thronum, et, antequam Pontifex Planetam induerit, tradit Ministris sacris chirothecas, dexteram scilicet Diacono, sinistram Subdiacono; et, sumpta Planeta, offert annulum in pelvicula Presbytero assistenti, debitis genuflexionibus, vel inclinationibus si sit Canonicus, antea et postea factis. Pontifex utitur chirothecis coloris Paramentorum solummodo in Missis vivorum, non vero in Missis de Requie.

9 Quæ autem specialiter peragenda sint, sive a duobus Cærimoniariis, sive ab aliis Ministris inferioribus, licet hoc titulo nullimode recensitis, sequentibus titulis et propriis hujus Ordinarii locis notantur.

Tit. 5 - De ingressu Pontificis in Ecclesiam.

Pro receptione Pontificis accenduntur sex candelæ in Altari Ssmi Sacramenti, totidemque in Altari Secretarii; septem vero in Altari majori, ut supra, tit. 1, n. 4, notatur, et accenduntur etiam lampadarii, qui forsan ante prædicta Altaria appensi sint.

2 Hora præstituta, Canonici et Beneficiati, habitu chorali, et reliqui de Clero Superpelliceo induti, bini et bini, modeste et graviter ad januam Ecclesiæ pergunt. Præcedit omnes primus Cærimoniarius, et deinde Clericus Crucem cum imagine Crucifixi deferens; sequuntur Ministri de libro et de Candela, tum Minister de Mitra et Acolythus cum vase aquæ lustralis et aspersorio, deinde Seminaristæ et reliqui de Clero, tandem Beneficiati et Canonici juxta ordinem præcedentiæ in Choro. Cum ad januam majorem pervenerint, in duos hinc inde ordines ita se distribuunt, ut digniores sint januæ viciniores, Pontificem exspectantes.

3 Dum Clerus ad januam Ecclesiæ pergit pro receptione Pontificis, secundus Cærimoniarius in Sacrario manet, et adjuvat Presbyterum assistentem aliosque in assumendis sacris Paramentis; quibus assumptis, illos ad Secretarium ita conducit, ut præcedant duo Thuriferarii, dein Cruciferarius Crucem capitularem deferens inter duos Ceroferarios cum candelis accensis, postea Canonici seu digniores de Clero Pluvialibus induti, bini et bini, tum Diaconus et Subdiaconus Missæ, dein Diaconi assistentes et ultimo Presbyter assistens a dextris Ministri de Baculo; secundus Cærimoniarius vero ante omnes incedat. Et, facta ab omnibus reverentia Altari, eos ita disponit, ut Presbyter assistens

et primus Diaconus assistens prope genuflexorium ad latus Epistolæ consistant, alter Diaconus assistens et Minister de Baculo ad latus Evangelii, Diaconus et Subdiaconus Missæ ad scamnum, Capitulares autem vel digniores de Clero suis vel convenientioribus locis consistunt, ipse vero secundus Cærimoniarius prope credentiam Epistolæ se recipit. Omnes suis locis consistunt, et, capite detecto, exspectant adventum Pontificis, cui appropinquanti omnes profunde se inclinant.

4 Ubi vero desit Secretarium, seu Sacellum aptum ad præparationem Pontificis ante Missam, secundus Cærimoniarius ducit Assistentes directe ad Altare majus, ubi omnes servare debent quæ numero præcedenti dicta sunt.

5 Pontifice adveniente, campanæ festive pulsantur, et etiam organa, dum Pontifex Ecclesiam ingreditur. Tum aspersorium madidum a Thuriferario accipit primus Cærimoniarius illudque absque osculis tradit Decano in habitu chorali, vel, eo absente, digniori de Capitulo, si receptio fit in Cathedrali; in aliis vero Ecclesiis, ubi non adest Capitulum, Parocho vel Rectori, capite detecto atque Superpelliceo induto, quique aspersorium, cum solitis osculis, Pontifici ingredienti porrigit. Tum Pontifex deponit birretum et aspergit primo seipsum, nihil dicens, et deinde ceteros circumstantes. Infra aspersionem omnes genuflectunt, præter Canonicos qui profunde se inclinant. Si Pontifex cappam magnam non defert, Decanus et dignior de Capitulo, vel, ubi non habetur Chorus, duo digniores de Clero, auferunt Crucem Pontifici, et ei imponunt cappam magnam, et super ipsa deinde reponunt Crucem, quam antea et postea osculari debet Pontifex. Mox, præeuntibus familiaribus Pontificis, omnes eodem ordine, ut supra, n. 2, ingrediuntur Ecclesiam, ita tamen ut Cruciferarius, portans imaginem Crucifixi, conversam deferat ad dominum Archiepiscopum, qui eam sequitur medius inter duos digniores de Capitulo vel de Clero, et paulo ante Pontificem a sinistris ejus procedit primus Cærimoniarius, qui Pontificem semper comitatur et dirigit. Et procedunt omnes ad Altare Ssmi Sacramenti, ibique Pontifex deponit pileolum et prius genuflectit in plano, deinde in parato genuflexorio utrumque flectit genu et parumper orat; reliqui vero, excepto Cruciferario, ad sinistram Pontificis, in plano genuflexi, similiter Sanctissimum adorant et cum Pontifice orant, organis interea festive et devote sonantibus.

6 Quando Pontifex ad Ecclesiam cappa magna indutus pervenerit, vel eam, ut numero præcedenti dicitur, ad januam Ecclesiæ jam sumpserit, Caudatarius ad Pontificem accedit, et eamdem, super brachia revolutam, utraque manu ita defert, ut neque pavimentum attingat neque Pontificem incedentem impediat. Cum Pontifex genuflectit, eamdem ad terram demittit; dum vero surgit, super brachio sinistro eam iterum colligit.

7 Oratione peracta, Pontifex surgit, iterum in plano genuflectit, quod omnes alii similiter et eodem tempore faciunt, et, reposito in capite pileolo, ad Secretarium ordine supradicto se confert, cumque illuc pervenerit, fit ab omnibus Cruci debita reverentia: Presbyter assistens, primus Diaconus et Ministri inferiores ad latus Epistolæ, alter Diaconus assistens ad latus Evangelii, reliqui de Clero extra Secretarium bini et bini, vel prope sedilia parata, et, ubi non adest Secretarium, in Choro vel in Presbyterio in locis suis, et Pontifex in parato genuflexorio flectunt genua, iterum breviter oraturi. Post orationem, omnes surgunt, et Pontifex ad thronum se confert, ibique capite cooperto sedet. Pontificem ad sedem suam comitantur Presbyter assistens, Diaconi assistentes, Minister de Baculo et Caudatarius; omnes autem præcedit et dirigit primus Cærimoniarius.

8 Interim primus Cærimoniarius ita Ministros ordinat, ut Diaconi assistentes hinc inde a lateribus Pontificis stent; Presbyter autem assistens ad dexteram Pontificis post primum Diaconum assistentem; ad sinistram Pontificis, post alterum Diaconum assistentem, Minister de Baculo, et prope credentiam ex parte Evangelii, primus Cærimoniarius ac Ministri de Mitra, de libro et de candela, et, ad dexteram throni, Cruciferarius et Caudatarius, qui, sedente Pontifice, caudam ipsius expandit, illo stante vel functionem peragente, eamdem modo demittit, modo sublevat, ut tam Assistentes quam ceteri Ministri libere transire possint; ad scamnum Diaconus et Subdiaconus Missæ; ad dexteram scamni, prope credentiam Epistolæ, secundus Cærimoniarius et Thuriferarius et ad cancellos, prope eorum extremitates, Ceroferarii, et, in Ecclesiis quæ cancellos non habeant, ad utramque extremitatem primi gradus Altaris; ad sinistram scamni vero Seminaristæ et famuli seu familiares domini Archiepiscopi: et consistunt omnes, facie ad Pontificem conversa. Ordo igitur Assistentium et Ministrorum, in præparatione ad Missam, est sequens:



Tit. 6 – De cantu Tertiæ et de præparatione Pontificis ante Missam.

Cum Pontifex thronum et omnes Capitulares, vel digniores de Clero, proprios locos occupaverint, ad signum primi Cærimoniarii, Minister de libro eum clausum ferens cum apertura ad suam sinistram, dum partem libri inferiorem utraque sustinet manu et superiorem in pectus reclinat; similique modo Minister de candela eamdem dextera tenens, accedunt ambo ad thronum et se sistunt ante dominum Archiepiscopum, qui, tradens birretum primo Diacono assistenti, surgit et, stans facie ad Altare conversa, secreto dicit Pater noster et Ave, Maria. Tum Cruce majori se signans, altiori voce intonat: Deus, in adjutórium, etc., Choro respondente: Dómine, ad adjuvándum, etc., et Hymnum, cui organum intermisceri potest. Hymno finito, et a cantoribus Antiphona et Psalmo intonatis, Pontifex sedet, caputque birreto, quod ei a primo Diacono assistente porrigitur, cooperit.

2 Tum Minister de libro aperit Canonem pontificalem pro præparatione ad Missam eumque tradit apertum Presbytero assistenti, qui, ante Pontificem stans, librum sustinet, et pariter ad suam sinistram genuflectit Minister de candela, eam ad altitudinem libri manu dextera sustinens. Mox in prædicto Canone incipit Pontifex Antiphonam Ne reminiscáris et Psalmos ac Preces præparatorias ad Missam, quas Diaconi assistentes, a lateribus Pontificis stantes, cum ipso alternatim recitant. Chorus interim Psalmos Tertiæ lente prosequitur, interposito etiam, si opus videtur, post quemlibet Psalmi Versum organi sonitu, ita ut illos eo tempore perficiat, quo Pontifex Psalmos cum Precibus et Orationibus legerit, et paratus fuerit: et interim omnes locis consuetis sedeant.

3 Quando dominus Archiepiscopus Preces recitare incipit, Subdiaconus Missæ, ad nutum secundi Cærimoniarii, surgit de loco suo, ubi deponit birretum, accedit ad credentiam, ex qua, eodem secundo Cærimoniario adjuvante, ambabus manibus, velo serico coopertis, pelvim cum caligis et sandaliis Pontificis, etiam velo serico coopertis, accipit, et, ad oculos usque elevata, cum genuflexione in plano Cruci Altaris et Pontifici, vel cum inclinatione si est Canonicus, ante thronum profunde inclinatus sistit, quousque famuli Pontificem calceis ordinariis exuerint, tunc in supremo gradu throni utrumque flectit genu, et Pontifici prius caligam et sandalium pedis dexteri, deinde caligam et sandalium pedis sinistri induit, eaque bene firmat chordulis, ne decidant. Interim sex vel octo Acolythi ad thronum accedunt, et, si non sunt Canonici, facta insimul genuflexione, prius Altari et deinde Pontifici, genuflexi fimbriam cappæ Pontificis circumcirca elevant et dilatant, cooperiendo Subdiaconum et familiares, quo commodius et decentius officium suum peragere possint. Deinde familiares Pontificis calceos ordinarios accipiunt, et secum deferunt; Subdiaconus surgit, et, facta in plano genuflexione Pontifici et Altari, pelvim velo coopertam in credentia reponit, et mox ad scamnum secedit a sinistris Diaconi stantis, ibique aperto capite sistunt, quousque Cærimoniarius signum dederit, ut ambo ad thronum accedant; Acolythi, aptatis prius in gyrum fimbriis cappæ, et facta genuflexione Pontifici et Altari, ad suum locum redeunt.

4 Cum Subdiaconus Missæ ad thronum pervenerit cum caligis et sandaliis Pontificis, secundus Cærimoniarius, facto signo Acolythis, ad suppedaneum Altaris conscendit, ibique facit genuflexionem Altari, quam omnes Acolythi eodem tempore et insimul faciunt, in plano ad cornu Epistolæ stantes, et mox unus post alium per gradus laterales suppedaneum conscendunt, Altari genuflectunt, accipiunt Paramenta, per viam breviorem descendunt in planum, genuflectunt in medio, et ita se sistunt in plano ante infimum gradum, versus cornu Evangelii et prope thronum Pontificis, facie tamen ad Altare conversa, ut, qui Amictum defert Pontifici proximus sit, et qui Mitram portat sit ultimus, et omnes consistunt in recta et longa linea ante infimum gradum. Hoc autem ordine, a secundo Cærimoniario accipiunt Acolythi unus post alium sacra Paramenta, videlicet: Amictum, Albam, Cingulum, Crucem pectoralem, Stolam, Pluviale et Mitram auriphrygiatam.

5 Psalmis finitis et Antiphona Ne reminiscáris repetita, Pontifex caput detegit et birretum primo Diacono assistenti tradit, assurgit, et, manibus junctis et ad Altare conversus, submissa voce cum Assistentibus alternatim recitat Kýrie, eléison et Versus, solus tamen dicens Orationes post Psalmos recitandas.

6 Finitis Precibus potest Pontifex, si placuerit, sedere, sumere birretum et recitare unam post aliam omnes Orationes Paramentis assignatas, deinde, deposito birreto, sumere Paramenta, ut infra, quin aliquid dicat. Secus vero, finitis Precibus, usque ad Orationem Intérius exteriúsque, etc., exclusive, Pontifex sedet, Diaconi assistentes ei auferunt Crucem pectoralem, quam clericus a secundo Diacono Assistente in pelvicula recipit et super credentia ex parte Evangelii deponit: et mox Pontifex, dicens Orationem Exue me, Dómine, etc., adjuvantibus Diaconis assistentibus, exuit cappam, quam Caudatarius suscipit in pelvi et ad eamdem credentiam defert. Mox Diaconus et Subdiaconus Missæ, innuente secundo Cærimoniario, ad thronum accedunt, in transitu coram Altari et in accessu ad Pontificem genuflectentes, nisi sint Prælati vel Canonici, quia tunc solum profunde se inclinant Altari et Pontifici, et, dum Diaconi assistentes se retrahunt et de throno descendunt, ipsi, locum mutantes, ascendunt ad thronum, Diaconus ad dexteram, et Subdiaconus ad sinistram Pontificis. Tunc, si Pontifex Orationes Paramentis assignatas memoriter dicit, Ministri de libro et de candela, factis debitis genuflectionibus, ad credentiam redeunt; si potius ex libro eas recitare vult, eamdem ut prius servant positionem, paulisper tamen ad sinistram Pontificis se retrahentes, ut præbeant locum duobus Acolythis vel familiaribus Pontificis, qui, ad nutum secundi Cærimoniarii, debitis cum genuflexionibus, ad thronum accedunt, pelvim et urceolum cum aqua et duas mappulas portantes. Tum Presbyter assistens annulum ex digito Pontificis solitis cum osculis educit, et super lancem, quam Clericus sustinet, deponit, et statim primus Cærimoniarius mappulam unam tradit sacris Ministris, ut eam super genua Pontificis per extremitates sustineant, alteram vero Presbytero assistenti tradit. Deposito annulo, Pontifex sedens et coopertus ac dicens Orationem Da, Dómine, etc., lavat manus, super quas Acolythi vel famuli genuflexi paululum aquæ supposita pelvi infundunt, et omnes de Clero, exceptis Prælatis et Canonicis, interea genuflectunt, et immediate Presbyter assistens porrigit mappulam Pontifici, ut manus abstergat. Lotione peracta, Ministri lotionis, acceptis mappulis et factis debitis genuflexionibus, ad credentiam revertuntur, Presbyter assistens descendit de throno et ad suum locum redit, et Pontifex statim birretum deponit et primo Cærimoniario tradit, qui eum in credentiam reportat et super pelvicula relinquit. Alias Orationes prosequitur deinde Pontifex memoriter vel ex libro, quæ pro Paramentis induendis ordinatæ sunt, dicendo singulas Orationes ad singula Paramenta, dum illis per Diaconum et Subdiaconum induitur, excepta Oratione ad Manipulum dicenda, quæ statim post alias recitatur, cum eo tempore, quo accipit Manipulum, dici non possit.

7 Statim ac peracta fuerit lotio manuum, Acolythi, facta insimul genuflexione Cruci Altaris, versus Pontificem se vertunt, et unus post alium, ordine supra, n. 4, notato, accedunt ad thronum, ante ipsum genuflectunt et vestimentum Pontificale, quod portant, traduat Diacono Missæ, qui, adjuvante Subdiacono, singula Paramenta de manibus Acolythorum accipit et Pontificem induit. Secundus Cærimoniarius assistit sacris Ministris, eosque adjuvat, si opus fuerit. Diaconus primo accipit Amictum, et, circa extremitates, ubi sunt chordulæ, eum osculatus, Pontifici mediam illius Crucem osculandam

offert, et Amictum circa collum ejus ita aptat, ut collaria omnino tegantur, atque chordulas post tergum ductas ante pectus colligat; deinde Albam ei imponit, quam circa collum, humeros, brachia et totum corpus distendit et adaptat; tum Cingulum, quo Albam constringit, eidem aptat; postea Crucem pectoralem, quam a latere osculatur, Pontifici quoque in medio osculandum præbet, atque collo ejus ita imponit, ut ante pectus decenter pendeat; deinde Stolam prope Crucem mediam item osculatus, Pontifici osculandam offert, ac super humeros ejus ita applicat, ut nec collum Pontificis tegat, nec transversa sit in modum Crucis, sed æqualiter ante pectus pendeat, eamque sic per duplicem Cinguli extremitatem hinc inde eidem Cingulo adnectit; tum Pluviali Pontificem induit; ac tandem, illo sedente, Mitram auriphrygiatam capiti ejus superimponit, et, si Psalmi Tertiæ non sint terminati, Pontifex ita sedens permanet donec perficiantur. Tum Ministri sacri de throno descendunt, et, debitis reverentiis in transitu ante Pontificem et Altare non omissis, ad scamnum redeunt, ubi stant vel sedent prout Pontifex, et Diaconi assistentes, facta prius debita reverentia, ad Pontificem iterum accedunt, ut suo munere assistentiæ fungantur.

8 Dum a Choro repetitur Antiphona post Psalmos Tertiæ, Subdiaconus, secundo Cærimoniario comitante, cum reverentiis Altari et Pontifici accedit ad locum, ubi cantari solet Epistola, ibique librum de manu Cærimoniarii apprehendens, cantat Capitulum Tertiæ, sibi ipse librum tenens. Finito Capitulo, Chorus respondet Deo grátias, et Subdiaconus reddit librum Cærimoniario, et, repetitis reverentiis erga Altare et Pontificem, ad scamnum cum eodem Cærimoniario redit. Quando Subdiaconus incipit cantum Capituli, surgunt omnes capite detecto, Pontifex autem surgit cum Mitra, facie ad Subdiaconum conversa, et sic consistit usque ad finem Responsorii brevis. Cantato Versu Glória Patri, Ceroferarii sumunt candelabra cum cereis accensis, et, facta genuflexione Altari et Pontifici, ad thronum accedunt et hinc inde se sistunt ita facie ad invicem conversa ut nec Altari nec Pontifici terga vertant: eodemque tempore Ministri de libro et de candela more solito ad thronum pergunt. Cantato Responsorio, Presbyter assistens, accepto libro a Ministro, ante Pontificem accedit cum Ministro de candela, et, profunda corporis inclinatione ei exhibita, librum apertum pro Oratione decantanda ipsi sustinet, et secundus Diaconus assistens, facta ante et post Pontifici reverentia, Mitram ei aufert et tradit Ministro. Tum Pontifex, vertens se ad populum, cantat in tono festivo: Dóminus vobiscum; versus Altare vero: Orémus et Orationem. Deinde repetit: Dóminus vobiscum, et, responso post Benedicámus Dómino per Chorales Deo grátias, non subdit Fidélium ánimæ. Finita Oratione, Ceroferarii, factis debitis genuflexionibus, ad suum locum redeunt; Presbyter assistens librum claudit et reddit Ministro, et, facta reverentia Pontifici, ad scabellum suum se recipit, ubi stans permanet; et Ministri de libro et de candela ad locum suum revertuntur.

9 Post cantatum Benedicámus Dómino, Diaconi assistentes iterum a Pontifice se retrahunt; Diaconus et Subdiaconus Missæ, cum reverentiis consuetis, ad latus Pontificis revertuntur, et secundus Cærimoniarius suppedaneum conscendit, et Tunicellam, Dalmaticam, chirothecas, Planetam, Mitram pretiosam et Baculum pastoralem Acolythis distribuit, ut supra, n. 4, dictum est. Tum Diaconus, Subdiacono adjuvante, Pluviale Pontifici aufert ac tradit Acolythis, et deinde Pontificem induit Tunicella, cujus manicam prius dexteram, deinde sinistram inducit, chordulasque hinc inde super humeros positas constringit. Tum eum induit Dalmatica, extrahens manicas Tunicellæ de manicis Dalmaticæ, et ligat chordulis. Deinde Pontifex sedet, et Diaconus ejus dexteræ chirothecam imponit, et Subdiaconus sinistræ, manum prius et postea chirothecam in medio osculantes. Mox surgit Pontifex, et Diaconus eum stantem Planeta induit, et, cum iterum sedet, Mitram pretiosam imponit, dum Subdiaconus vittas elevat et adaptat, statimque Presbyter assistens Annulum Pontificalem, solitis cum osculis annuli et manus, annulari digito Pontificis inducit et adaptat.

10 Si ea die uti convenit, cum dominus Archiepiscopus Planetam induit, affertur per Subdiaconum Missæ, vel per alium Subdiaconum, Amictu, Alba et Tunicella indutum, Pallium ex Altari, detectum et ambabus manibus elevatum, pelvi argentea supposita, astante ejus sinistræ clerico, qui portat pelviculam cum tribus spinulis. Diaconus a Subdiacono Pallium suscipit et offert Pontifici sedenti osculandum in Cruce, quæ in medio Pallii a parte posteriori est, et advertit, dum illud capit, ut partem duplicem Pallii capiat dextera manu, simplicem vero sinistra: et, dum illud imponit, Subdiaconus manu dextera elevat partem, quæ a tergo pendere debet illudque ita aptat, ut humeros Pontificis æqualiter ambiat, et pars duplex Pallii ponatur super sinistro humero Pontificis. Quo facto, idem Diaconus capit pulchriorem ex tribus spinulis, per Acolythum in pelvicula allatis, eamque infigit Cruci anteriori Pallii ante pectus existenti. Diaconus eam firmat tribus ocellis sericis coloris nigri, qui sunt in ipsa Cruce, ac tali modo ut extremitas spinulæ sit versus dexteram Pontificis, et gemma versus sinistram: aliam infigit in Cruce sinistri humeri, et gemma adest versus humerum Pontificis, extremitas spinulæ versus pectus; tertiam infigit Subdiaconus Cruci posteriori, ita ut extremitas spectet humerum sinistrum, gemma vero dexteram Pontificis. Omnes vero spinulæ ita infigantur, ut neque Crucem, neque Pallium perforent, neque Planetam tangant, non enim figuntur ad retinendum Pallium, sed ad mysterium Passionis significandum.

11 Pallio uti potest Pontifex solummodo in Missa Pontificali sequentium Festorum: in Nativitate Domini et in duobus Festis sequentibus, in Circumcisione et Epiphania Domini, in Dominica Palmarum, in Feria V Majoris Hebdomadæ et Sabbato Sancto, in die Paschatis et duobus diebus sequentibus, in Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Festo Pentecostes et duobus diebus sequentibus, in Festo Corporis Christi, in Festis Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, in Festis S. Michaëlis Archangeli, S. Joannis Baptistæ, S. Josephi, Sponsi B. M. V., duodecim Apostolorum et Omnium Sanctorum: item in Dedicationibus Ecclesiarum, in principalibus Festis Archiepiscopatus Bracarensis, in Ordinationibus Clericorum et Consecrationibus Episcoporum et in diebus anniversariis Dedicationis et Consecrationis Ecclesiæ principalis Archidiœcesis.

12 Pontifice parato, Diaconus et Subdiaconus Missæ de throno descendunt, et, exhibitis ut supra reverentiis, ad scamnum recedunt et Manipulum e manibus secundi Cærimoniarii assumunt. Tum Subdiaconus librum Evangeliorum cum incluso Manipulo Pontificis ab eodem Cærimoniario accipiens, illumque utraque manu ante pectus tenens cum apertura libri ad suam sinistram,

iterum cum Diacono ad thronum redit. Mox Pontifex, ad nutum primi Cærimoniarii, surgit, et, ad ipsum accedens Minister de Baculo, eum Pontifici offert, modo supra, tit. 2, n. 7, descripto. Tum, præeunte eodem primo Cærimoniario, ad Altare per ordinem se conferunt Subdiaconus, deinde Presbyter assistens ad dexteram Diaconi, ultimo Pontifex, quem sequuntur alii Ministri inferiores, Chorum, si est ante Altare, hinc inde salutantes, prius ex parte ubi est dignior vel primus inter pares, deinde ex parte altera.

Tit. 7 - De Processione a Secretario ad Altare majus.

Ubi autem præparatio ad Missam fit in Secretario, Diaconus et Subdiaconus Missæ, Pontifice omnibus Paramentis pontificalibus jam induto, suos Manipulos et librum Evangeliorum sumunt, ut titulo præcedenti, n. 12, dictum est; duo Diaconi assistentes, debita reverentia facta, accedunt ad Pontificem; similiter duo Thuriferarii cum Thuribulis et naviculis et duo Ceroferarii cum candelabris et cereis accensis, in quorum medio Cruciferarius, Amictu, Alba et Dalmatica indutus, sed sine Manipulo, cum Cruce Archiepiscopali, ad thronum progrediuntur. Tum primus Thuriferarius ascendit cum Thuribulo ad Thronum, tradit naviculam Presbytero assistenti, qui consuetis osculis cochlear Pontifici porrigit, dicens: Benedicite, Pater Reverendissime. Pontifex imponit incensum in Thuribulum, a primo Thuriferario genuflexo sustentatum, et benedicit thus more solito. Injecto thure, Thuriferarius surgit, accipit naviculam a Presbytero assistente, descendit de throno et se sistit ante Cruciferarium, Crucem deferentem: quas cærimonias alter Thuriferarius deinde pariter servat, et postea sistit ante supradictum Cruciferarium, ad sinistram prioris Thuriferarii; præ oculis tamen habeant Thuriferarii ea quæ supra, tit. 4, n. 5, dicta sunt.

2 Deinde Pontifex surgit, et, facta inclinatione versus Crucem Altaris, in Secretario existentem, hoc ordine procedunt omnes ad Altare majus: 1) Acolythus, Crucem Capituli deferens, inter duos Clericos, Superpelliceis indutos et Candelabra cum cereis accensis deferentes; 2) Chorus Cantorum, Antiphonam Tu es sacerdos in æternum concinens; 3) Seminaristæ et alii de Clero ac Beneficiati, bini et bini; 4) Thuriferarii cum Thuribulis fumigantibus; 5) Cruciferarius Crucem Archiepiscopalem portans, ad Pontificem conversam, inter duos Ceroferarios Missæ cum candelabris et cereis accensis; 6) Canonici etiam bini et bini, Pluvialibus induti et capite cooperto, vel, ubi non habetur Capitulum, digniores de Clero eodem modo parati; ubi autem non habeantur Pluvialia sufficientia, Canonici vel digniores de Clero Planetis, aut Dalmaticis vel Tunicellis induantur; 7) Subdiaconus Missæ solus, coopertus, gerens librum Evangeliorum clausum cum Manipulo Pontificis ante pectus; 8) Diaconus Missæ similiter coopertus, 9) Presbyter assistens ante Pallium et ad sinistram ejus Minister de Baculo, si est Dignitas Capituli; 10) Pontifex sub Pallio seu Baldachino, cum Mitra pretiosa et Baculo pastorali in manu sinistra, parte curva Baculi ad populum versa, medius inter duos Diaconos assistentes, et dextera populo benedicens; 11) Caudatarius, caudam Pontificis super brachia revolutam deferens; 12) Minister de Baculo, si non est Dignitas Capituli, a dextris Ministri de Mitra; 13) Minister de libro a dextris Ministri de candela, et ultimo 14) famuli seu familiares Pontificis.

3 Postquam Processio ad Altare majus pervenerit, secundus Thuriferarius, Acolythus, Crucem Capituli deferens, et duo Clerici cum cereis accensis ad Sacrarium redeunt; primus Thuriferarius recedit ad partem Epistolæ. Feria autem V in Cœna Domini, uterque Thuriferarius in Presbyterio manere debet; Cruciferarius Crucem ad latus Evangelii parato loco deponit, et sistit suo loco ad dexteram throni; Ceroferarii ad extremitates cancelli vel primi gradus Altaris revertuntur, ubi deponunt candelabra; Clerici et Beneficiati, facta Cruci Altaris genuflexione et inclinatione ad invicem, ad sua loca procedunt, quod pariter faciunt Canonici, prævia Cruci profunda inclinatione; Subdiaconus, cum ad gradus Altaris pervenerit, retrocedit, ut aliis ante ipsum transitum præbeat, deinde se sistit versus cornu Evangelii et tradit secundo Cærimoniario librum Evangeliorum cum Manipulo Pontificis; Diaconus progreditur ad dexteram Subdiaconi; Presbyter assistens ulterius procedit versus cornu Epistolæ ante gradus Altaris; Pontifex vero, cum est prope Altare, more solito benedicens, salutat mediocri capitis inclinatione Canonicos, vel digniores de Clero, paratos, apud eorum sedilia stantes; Assistentes autem et Ministri sacri, detecto capite, eisdem profundam faciunt reverentiam: Canonici vero, vel digniores de Clero, profunda reverentia respondent salutationi Pontificis. Deinde Pontifex egreditur e medio Diaconorum assistentium et se sistit in medio Altaris inter Ministros, ita ut ad dexteram habeat Presbyterum assistentem, ad sinistram Diaconum Missæ et apud eum parum retro Subdiaconum; Diaconi assistentes se sistunt hinc inde, dignior scilicet retro post Presbyterum assistentem, alter post Diaconum Missæ, et, post dictos Diaconos, Ministri de Baculo et de Mitra, et prope eos Ministri de libro et de candela.

4 Cum Pontifex ante infimum gradum accesserit, Ministri et Assistentes birreta sua tradunt Cærimoniariis, qui ea in locis congruis deponunt. Tum Subdiaconus tradit secundo Cærimoniario librum Evangeliorum cum Manipulo Pontificis, pergit ad credentiam, et, sumpto Calice cum suis paramentis, redit ad planum, et, facta reverentia Altari et Pontifici, ascendit ad Altare super quod deponit Calicem, et, extracto Corporali et tradita Bursa primo Cærimoniario, extendit Corporale, uti supra, Sect. VI, tit. 2, n. 3 et Sect. VII, tit. 2, n. 8, descriptum est, et, facta reverentia Altari, redit ad suum locum, et iterum sumit librum Evangeliorum cum Manipulo Pontificis. Minister de Baculo ad sinistram Pontificis accedit et Baculum accipit; tum Diaconus Missæ stans adimit Pontifici Mitram et tradit Ministro de Mitra; secundus Cærimoniarius librum Evangeliorum, a Subdiacono acceptum, tenet infra Confessionem, et genuflectit a sinistris secundi Diaconi assistentis et ad dexteram primi Diaconi assistentis genuflectit primus Cærimoniarius; alii Ministri inferiores in propriis locis genuflectunt. Omnes ergo, infra Confessionem, hunc ordinem servare debent:



Tit. 8 - De initio Missæ usque ad Introitum.

Tum Pontifex, super pulvinar, in primo gradu Altaris præparatum, genuflexus, quod similiter omnes alii suis locis faciunt, recitat Salutationem Angelicam Ave, Maria, etc. Deinde surgit ipse solus, nisi Assistentes sint Prælati vel Canonici, quo in casu surgunt et ipsi, ac, remoto pulvinari, Missa more solito incipit.

2 Incepta Salutatione Angelica, cessat sonitus organorum, qui cœperat statim post absolutum cantum Tertiæ. Recitata autem Salutatione Angelica et incepta Missa, Chorus cantu gregoriano incipit etiam, et non antea, Introitum Missæ, et postea alternatim Kýrie cum organorum sonitu.

3 Confessio fit prout supra in Missa solemni, Sect. VII, tit. 2, n. 9, præcipitur; cum autem Pontifex incipit Confiteor, aliquantulum se inclinat, et, dum dicit Indulgéntiam, absolutiónem, etc., Subdiaconus tradit librum Evangeliorum secundo Cærimoniario, qui eum aperit et ex eo sumit Subdiaconus Manipulum Pontificis, in libro inclusum, et, absoluta prædicta Oratione Indulgéntiam, Subdiaconus accedit ad Pontificem, Diacono paululum retrocedente, et, Manipulum ad Crucem in latere osculatus, reverentiam facit Pontifici, Crucem mediam ei deosculandam præbet, cujus dein manum pariter deosculatus, Manipulum brachio sinistro Pontificis imponit et adaptat; repetita dein reverentia Pontifici et resumpto libro Evangeliorum, ad pristinum locum redit.

4 Canonici vel digniores de Clero parati in suis locis faciunt simul Confessionem bini et bini, et trini quoque, si numerus sit impar, et inter se recitant, nihil mutando in textu, et, qui major est, dicit vobis, fratres, et, qui minor, tibi, Pater, prout fit in Missa privata solo ministro respondente.

5 Manipulo accepto, Pontifex prosequitur: Deus, tu conversus, etc., et, dum dicit Orémus, extendit et jungit manus et ascendit ad Altare, submissa voce dicens: Aufer a nobis, etc. Tum Presbyter assistens transit ad sinistram Pontificis et Diaconus ad ejus dexteram, et simul cum Pontifice ad Altare ascendunt: omnes Ministri, Canonici et Clerici assurgunt. Subdiaconus ad sinistram Presbyteri assistentis cum Pontifice ad Altare conscendit, et, in cornu Evangelii consistens, librum aperit: postquam Pontifex Altare in medio osculatus fuerit, Subdiaconus, ante Presbyterum assistentem ad medium accedens, Pontifici librum offert osculandum in principio textus Evangelii currentis diei, quem in medio ambabus manibus ab utroque ejus latere tenet. Presbyter assistens librum quoque manu sinistra sustinet a latere infra dexteram Subdiaconi, et dextera indicat Pontifici initium textus Evangelii currentis; Pontifex vero, osculato Altari, statim ambabus manibus tangit librum ab inferiore parte et osculatur principium textus sancti Evangelii. Tum Subdiaconus librum claudit redditque secundo Cærimoniario, qui illum ad credentiam Epistolæ portat. Presbyter assistens permanet in Altari ad dexteram Pontificis, et Minister de Baculo se sistit in medio Diaconorum assistentium, qui, confessione peracta, usque ad gradus Altaris progressi sunt, ibique manent, donec Pontifex Altare thurificaverit.

6 Deinde Pontifex ponit et benedicit incensum ac thurificat Altare, et, cum Thuriferarius ministrat Thuribulum, genuflexus hoc facit; Diaconus autem accipit cochlear illudque offert sub osculis Pontifici, dicens: Benedicite, Pater reverendissime. Reliqua fiunt ut supra, Sect. VII, tit. 3, dictum est. Primus Cærimoniarius assistit benedictioni thuris ad dexteram Diaconi, et, facta benedictione, descendit ad planum ex parte Epistolæ ibique sistit ad Altare conversus. Ordo autem Ministrorum et Assistentium, intra incensationem Altaris, est sequens:

Altare

✠

✠ Pontifex. Presbyter assistens.

Diaconus.

Subdiaconus.

II Diaconus assistens. Min. de Baculo. I Diaconus assistens.

7 Thurificatione Altaris peracta, Pontifex in latere Epistolæ reddit thuribulum Diacono, qui illud sub osculis accipit et in planum a latere Epistolæ descendit: interea primus Diaconus assistens ascendit ad Altare cum Ministro de Mitra, a quo Mitram pretiosam accipit eamque imponit Pontifici, et Subdiaconus, Mitræ vittas elevans, in planum ad sinistram Diaconi descendit. Tum Diaconus Pontificem, in cornu Epistolæ manibus junctis sistentem, thurificat, modo supra, Sect. VII, tit. 3, n. 6, descripto, exhibita Pontifici antea et postea, ab ipso et a Subdiacono ac Thuriferario, profunda corporis inclinatione: deinde Pontifex eis benedicit. Interim secundus Diaconus assistens et Minister de Baculo ad Altare ascendunt et se sistunt in gradu superiori ante suppedaneum.

8 Tum Pontifex a Ministro accipit Baculum in manu sinistra, se vertit ad Altare, et ab eodem loco in cornu Epistolæ facit reverentiam Cruci, eodemque tempore Presbyter assistens, Diaconi assistentes ad latus Pontificis et Ministri sacri, adhuc in plano Epistolæ sistentes, profundam corporis inclinationem faciunt, Ministri vero inferiores genuflectunt. Deinde Pontifex de Altari per viam breviorem descendit in medium plani ante infimum gradum, ita ut non vertat tergum Cruci, et medius inter Diaconos assistentes vadit ad sedem suam, præeuntibus primo Cærimoniario et Presbytero assistente, atque ascendit ad thronum, eumque sequuntur Ministri de Baculo et de Mitra et postea Ministri de libro et de candela. Diaconus et Subdiaconus Missæ, reverentia Cruci Altaris facta cum Pontifice, discedunt ad scamnum, ubi permanent usque ad præparationem Calicis, et sedent quandocumque Pontifex sedet, etiamsi Diaconi assistentes in throno stare debeant: sedent autem cooperto capite, manibus super genua extensis; stant detecto capite, manibus sub Dalmatica vel Tunicella reconditis.

Tit. 9 - De Introitu usque ad præparationem Calicis.

Cum Pontifex ad thronum pervenerit, consistens vertit se ac deponit Baculum in manu Ministri de Baculo. Diaconi assistentes in ascensu ad thronum mutant locum, primus ascendit ad dexteram, secundus ad sinistram Pontificis; Presbyter vero assistens stat ante sedem suam. Tum secundus Diaconus assistens Mitram pretiosam Pontifici aufert et tradit Ministro de Mitra; secundus Cærimoniarius, ei prius indicans Introitum Missæ, Missale clausum tradit Ministro de libro, qui cum eo ad thronum pergit, et se sistit ante Pontificem cum Ministro de candela, et, Missale aperiens, illud super caput sustinet ad Missam celebran-

dam. Ordo Ministrorum et Assistentium in throno, ad Introitum Missæ, est sequens:

Thronus

I Diaconus assistens. ✠ Pontifex. II Diaconus assistens.

Presbyter assistens. Minister de Baculo.

Min. de Mitra. Min. de candela et de libro.

2 Tum Pontifex, stans et Cruce majori se signans, legit Introitum et Assistentes hinc inde ostendunt quæ legenda sunt, et vertunt folia, si opus est. Interim Minister Mitram pretiosam ad suum locum reportat et Mitram auriphrygiatam accipiens, pergit ad thronum; Minister de gremiali illud explicatum sumit de credentia, et, parte posteriori ad pectus suum versa et utraque manu tenens, affert ad thronum, ac se sistit prope primum Diaconum assistentem; primus Cærimoniarius sumit Canonem ex credentia et tradit Ministro de libro, qui eumdem, loco Missalis, ad Kýrie, Glória, Munda cor meum et Credo substituit.

3 Deinde Pontifex cum Assistentibus alternatim dicit ter Kýrie, eléison, ter Christe, eléison, et ter Kýrie, eléison. Diaconus et Subdiaconus Missæ idem dicunt inter se alternatim, sicut et ceteri in Choro, bini et bini. Dicto ultimo Kýrie, eléison, si cantus protrahatur, Pontifex sedet, et accipit a primo Diacono assistente Mitram auriphrygiatam et gremiale, quod super genua ejus extenditur: deinde sedent omnes, sed Presbyter assistens sedet semiconversus Altari et Pontifici, Diaconi assistentes in suis scabellis a lateribus Pontificis, Ministri sacri in scamno, alii Ministri inferiores in propriis locis, iis exceptis qui throno inserviunt quique semper stare debent.

4 Cum Chorus incipit ultimum Kýrie, eléison, surgunt omnes Ministri circumstantes Pontificem, et secundus Diaconus assistens aufert gremiale et tradit Ministro de eo servienti, tum adimit Mitram Pontifici, quam tradit Ministro de Mitra. Expleto autem a Choro cantu Kýrie, eléison, surgit Pontifex, ac Ministri de libro et de candela ad Pontificem accedunt; Presbyter vero assistens accipit Canonem et sustinet supra caput, et ita eum sustinere debet, quoties Pontifex aliquid alta voce cantat, quo in casu Minister de libro eum adjuvat ad librum sustinendum; Diaconi assistentes hinc inde indicant quæ sint legenda, et vertunt folia.

5 Tum versa facie ad Altare, alta voce intonat Pontifex Glória, in excelsis Deo, servato ritu supra, Sect. VI, tit. 4, n. 3, descripto. Præintonato Hymno, Presbyter assistens tradit Canonem apertum Ministro de libro, ut eum sustineat, et redit ad suum locum, et Pontifex Hymnum prosequitur cum suis Ministris: Diaconus et Subdiaconus Missæ, ac Prælati et Canonici item bini et bini simul recitant. Recitato Hymno, primus Cærimoniarius sumit Canonem eumque ad credentiam reportat, vel Minister ipse de libro hoc facit: Pontifex sedet, et primus Diaconus assistens ei imponit Mitram auriphrygiatam ac super genua ejus ponit gremiale: similiter sedent omnes, donec Hymnus a Choro absolvatur. Ad verba Adorámus te, et alia quæ supra, Sect. VI, tit. 4, n. 3, notata sunt, Pontifex caput cum Mitra inclinat, reliqui vero caput detegunt et inclinant. Circa finem Hymni cantati, assurgunt Assistentes, Ministri inferiores et totus Chorus. Minister de libro cum Missali, et Minister de candela, ad thronum accedunt, secundus Diaconus gremiale amovet et tradit Ministro de eo servienti, et aufert Mitram de capite Pontificis, qui tunc assurgit.

6 Tum Pontifex, stans versus populum, elevatis et statim junctis manibus, cantat: Pax vobis, deinde ad Altare conversus, et similiter elevatis et statim junctis manibus: Orémus, et tandem, extensis manibus, Orationem vel Orationes cum Collecta Regni ex Missali, quod Presbyter assistens, adjuvante Ministro de libro, sustinet. Absoluta ultima Oratione, Presbyter assistens reddit Missale et ad suum locum revertitur; Ministri de libro et de candela ad utrumque latus discedunt, Pontifex sedet et accipit a primo Diacono assistente Mitram auriphrygiatam et postea gremiale super genua. Similiter omnes sedent, præter Ministros inferiores Pontifici assistentes.

7 Circa finem ultimæ Orationis, Subdiaconus a secundo Cærimoniario accipit librum Epistolarum, et omnia peragit quæ supra, Sect. VII, tit. 5, n. 1, notata sunt; cum autem in medium pervenit, ante infimum gradum Altaris, ad dexteram secundi Cærimoniarii, profundam corporis inclinationem facit Cruci et Pontifici, et, cum pervenerit ad locum ubi Epistola cantari solet, stans inter duos Ceroferarios, qui hinc inde manibus sub Dalmatica reconditis assistunt, aperit librum et alta voce cantat Epistolam. Qua absoluta, Ceroferarii redeunt ad suum locum et Subdiaconus claudit librum, et, concomitante secundo Cærimoniario, redit ad medium Altaris, profunde se inclinat versus Crucem et pergit ad solium, ubi, facta Pontifici profunda reverentia, ad thronum ascendit. Tum surgunt Assistentes et Subdiaconus profunde inclinatus porrigit Pontifici librum super ejus genibus, et manum illius dexteram super libro positam reverenter osculatur. Benedictione a Pontifice accepta, descendit de throno, Pontifici et Altari reverentiam iterum facit, tradit librum secundo Cærimoniario, redit ad scamnum, et, Diacono salutato, sedet.

8 Cantata Epistola, Chorus cantu gregoriano incipit Graduale vel alia quæ sint canenda, et, cantu finito, pulsatur organum, donec Diaconus incipiat cantum Evangelii. Osculata vero manu Pontificis per Subdiaconum, accedunt Ministri de libro et de candela ante Pontificem, qui, sedens cum Mitra et manus super gremiale deponens, legit continenter Graduale, vel Allelúja et Versus, aut Tractum, vel Sequentiam ex Missali, quod Minister genuflexus sustinet apertum. Lecto autem Graduali, vel aliis quæ legenda sint, Ministri de libro et de candela ad credentiam redeunt. Ubi Chorus cantet Versus, qui supra, Sect. VII, tit. 5, n. 3 notantur, Pontifex, deposito gremiali, ibidem cum Mitra super pulvinari, a primo Cærimoniario præparato, genuflectit, reliqui vero aperto capite etiam suis locis genuflectunt: et, absoluto cantu prædicti Versus, sedent omnes, et Pontifex gremiale iterum resumit.

9 Tum Diaconus et Subdiaconus Missæ surgunt, deponunt birretum, pergunt ad medium plani, et, facta insimul Cruci profunda reverentia, Subdiaconus ascendit ad medium Altaris, et utraque manu Velum Calicis hinc inde submovet illudque super posteriorem Altaris partem, in cornu Epistolæ, relinquit. Deinde manu sinistra apprehendit Calicem ad nodum, et, digitos dexteræ super Patenam extendens, utrumque devote ante pectus elevat, et mox, facta reverentia Cruci et per dexteram se vertens, descendit ad planum, et, repetita a Diacono profunda reverentia Altari, ad thronum cum eo accedit, et, facta reverentia Pontifici, mutant locum, transiens Diaconus ad dexteram et Subdiaconus ad sinistram Pontificis. Tum Thuriferarius sumit ex credentia pelviculam cum ampullis vini et aquæ, et sacrista aliam pelviculam cum patera vitrea

et capsula cum Hostiis, et, omnia ad thronum deferentes, genuflectunt ante Pontificem. Ordo autem Assistentium et Ministrorum, in præparatione Calicis, est sequens:

Thronus

I Diaconus assistens. ✠ Pontifex. II Diaconus assistens.
Diaconus Missæ. Subdiaconus Missæ.
Presbyter assistens. Minister de Baculo.
Thuriferarius. Sacrista.
Minister de Mitra.

10 Sacrista capsulam apertam cum Hostiis offert Diacono, qui duas seligens, aliam super Patena deponit, aliam in duas partes per medium frangit. Deinde Subdiaconus, retinens manu sinistra Patenam cum Hostia, manu dextera Calicem sustinet, dum Diaconus circumcirca internam et externam cuppæ superficiem tangit duabus Hostiæ fractæ partibus, quas deinde sacristæ sumendas tradit. Tum Diaconus Calicem a Subdiacono recipit, et, dum eum Purificatorio mundat, Subdiaconus ex ampullis infundit in pateram vitream parum vini et aquæ, quod sacrista statim sumit, et, peractis Pontifici et Altari consuetis reverentiis, redit ad credentiam, super qua deponit capsulam cum Hostiis et pelviculam cum patera vitrea, et ad suum locum revertitur.

11 Deinde Ministri sacri, locum proprium in throno servantes, licet paulisper ad Pontificem conversi, utrumque flectunt genu et Pontifici assistunt in præparatione Calicis, servantes, ipsi et Pontifex, ea omnia quæ supra, Sect. VII, tit. 5, n. 6, pro Missa solemni præscripta sunt, excepto quod Pontifex nec Mitram nec gremiale deponit, et Subdiaconus, cochleari aquam Pontifici offerens benedicendam, dicit: Benedicite, Pater reverendissime.

12 Calice præparato, Purificatorium super os ejus deponit Diaconus, et deinde similiter Patenam cum Hostia Subdiaconus. Tum Diaconus Calicem manu sinistra ad nodum sumit, et, digitis dexteræ circa Patenæ oram leviter premens, eamque super cuppam sustinens, utrumque reverenter ante pectus elevat: postea, facta simul cum Subdiacono reverentia Pontifici et Cruci, Subdiaconus redit ad scamnum et Diaconus ascendit ad medium Altaris, et in eodem loco prope Corporale Calicem deponit. Deinde, Patenam cum Hostia super Corporale deponens, Calicem sinistra ad nodum apprehendit, et manu dextra intus et extra cuppam a guttulis Purificatorio diligenter mundat: quo peracto, Purificatorium plicatum ad pedem Calicis relinquit, et, sumens ambabus manibus Patenam cum Hostia, Palla obtectam, eam super cuppam Calicis deponit, et Velo cooperit.

Tit. 10 – De præparatione Calicis usque ad Offertorium.

Postea Diaconus, accepto libro Evangeliorum, eum super Altare deponit, deinde, facta reverentia Cruci, per viam breviorem seu per gradus laterales pergit ad thronum, et, ante infimum gradum se sistens, Pontifici reverentiam facit, et statim, ad thronum accedens, dexteram Pontificis manum inclinatus osculatur. Tum descendit, et, repetita reverentia Pontifici, per planum ascendit ad medium Altaris, ubi, in ora suppedanei utrumque genu flectens, mediocriter inclinatus dicit: Munda cor meum, etc. Deinde ascendit ad Altare, et, accipiens librum Evangeliorum, eumque more solito ante pectus apprehendens, descendit ad planum, et, reverentia Cruci exhibita, accedit ad thronum, ibique, ante Pontificem inclinatus et librum leviter sustinens super genua ejusdem, petit benedictionem, intelligibili voce dicens: Jube, Domne, benedicere, cui Pontifex eam impertitur, respondens: Dóminus sit in corde tuo, etc. ac signum Crucis super Diaconum efformans, dum profert verba: In nómine Patris, etc., quin postea manum deosculandam illi iterum præbeat. Tum Diaconus, resumpto libro, et reverentiis Pontifici et Altari exhibitis, redit ad scamnum ibique, cum Subdiacono consistens, expectat benedictionem thuris.

2 Dum Diaconus descendit de throno, Presbyter assistens, deposito et relicto birreto super scabello, ad dexteram Pontificis accedit, et, ad nutum secundi Cærimoniarii, accedunt etiam ad thronum Ministri cum thuribulo et cum Navicula thuris, et genua flectunt ante Pontificem: thuribulum sustinet Thuriferarius, et Minister de navicula hanc tradit Presbytero assistenti, qui sub consuetis osculis cochlear cum incenso offert Pontifici, dicens: Benedicite, Pater Reverendissime, et Pontifex illud more solito imponit et benedicit.

3 Deinde Presbyter assistens et Minister de navicula ad suum locum revertuntur; Thuriferarius autem, clauso thuribulo, sistit in plano ante Altare, et tunc secundus Cærimoniarius ducit etiam ad medium Altaris sacros Ministros, Cruciferarium cum Cruce Archiepiscopali atque Ceroferarios cum candelabris accensis, et, facta ab omnibus reverentia Altari et Pontifici, procedunt ad locum ubi Evangelium cantari debet, eo ordine, ut præcedat Thuriferarius cum thuribulo, deinde Cruciferarius cum Cruce inter duos Ceroferarios, postea secundus Cærimoniarius et tandem Diaconus cum libro ad dexteram Subdiaconi.

4 Dum Diaconus ad pulpitum pergit cum aliis, accedunt ad thronum Ministri de Baculo, de Mitra et de gremiali. Quum ad pulpitum pervenerit, Diaconus aperit librum et cantat Evangelium, omnia observans quæ supra, Sect. VII, tit. 5, n. 8, de cantu Evangelii in Missa solemni præscribuntur. Secundus Cærimoniarius, a dextris Diaconi consistens, eum adjuvat in aperiendo libro, ei indicat Evangelium et vertit folia, ubi opus fuerit. Quum cantat: Dóminus vobiscum, statim secundus Diaconus assistens aufert gremiale de genibus Pontificis eidemque adimit Mitram, et utrumque tradit Ministris. Tunc omnes de Clero surgunt, et Pontifex recipit Baculum eumque, ad Diaconum Missæ conversus, devote ante ambas manus junctas retinet, dum cantatur Evangelium, caput inclinans, cum opus sit; quando autem Diaconus librum et seipsum signo Crucis signat, pariter Pontifex, Baculum manu sinistra sustinens, dextera seipsum in fronte, ore et pectore signat, quod et omnes alii faciunt. Ordo autem Assistentium et Ministrorum, dum cantatur Evangelium, est sequens:



5 Cantato Evangelio, Pontifex deponit Baculum, et Subdiaconus librum defert apertum et osculandum offert Pontifici, qui, utramque manum super Missale extendens, principium textus sancti Evangelii osculatur, dicens: Per Evangélica dicta, etc. Deinde Subdiaconus claudit librum, reverentiam Pontifici exhibet, descendit de throno, librum secundo Cærimoniario reddit, et, facta reverentia Cruci, ad scamnum revertitur. Diaconus, Cruciferarius et Ceroferarii, finito Evangelii cantu, reverentiis Pontifici et Altari peractis et depositis Cruce et candelabris, ad propria loca revertuntur. Tum Pontifex iterum resumit Baculum, eum inter manus sustinens, ut numero præcedenti notatur, et Thuriferarius, accedens ad thronum cum thuribulo fumigante, illud tradit Presbytero assistenti, qui, statim ac Subdiaconus recesserit, stans et Thuriferario a dexteris Pluviale ejusdem elevante, ter duplici ductu Pontificem thurificat, cum profunda inclinatione ante et post. Deinde Pontifex deponit Baculum et Presbyter assistens tradit thuribulum Thuriferario, qui ad suum locum redit.

6 Postea, si dicendum sit Symbolum, ad thronum accedunt Minister de libro, qui a primo Cærimoniario accipit Canonem Pontificalem, et Minister de candela; et Presbyter assistens, incensato Pontifice post Evangelium et reddito thuribulo, ut numero præcedenti notatur, statim accipit Canonem eumque, adjuvante Ministro de eo serviente, sustinet ante Pontificem, qui, conversus ad Altare, ex libro more solito intonat: Credo in unum Deum. Postea Presbyter assistens reddit librum Ministro de eo servienti, ut eum sustineat, et ad suum locum revertitur, et Pontifex submissa voce prosequitur Symbolum cum Assistentibus, quod similiter faciunt Ministri Missæ, atque Prælati et Canonici bini et bini, ut supra, tit. 5, n. 6, notatur. Ad verba Et incarnátus est, etc., Pontifex genuflectit in pulvinari, a primo Cærimoniario ante ipsum in plano sedis prius præparato, et cum Pontifice genuflectunt omnes de Clero, donec perficiatur Versus. Postquam surrexerit Pontifex, aufert primus Cærimoniarius pulvinar, illudque super credentia Evangelii reponit.

7 Recitato Symbolo, Ministri de libro et de candela recedunt, ille tradit Canonem primo Cærimoniario, qui eumdem ad Altare defert, et in ejus medio collocat ad verba: Súscipe, sancte Pater, etc., hic vero candelam ad credentiam reportat: Pontifex sedet. Tum Ministri de Mitra et de gremiali ad thronum accedunt, et primus Diaconus assistens Pontifici imponit Mitram auriphrygiatam et super genua ejus gremiale extendit. Deinde sedent omnes. Dum a Choro cantatur Versus Et incarnátus est, etc., Pontifex cum Mitra profunde inclinat caput versus Altare, quod Canonici sedentes, detecto capite, pariter faciunt; alii de Clero autem genuflectunt et caput simul inclinant, donec totus Versus perficiatur. In Missis vero noctis et diei Nativitatis Domini et Annuntiationis B. M. Virginis, Pontifex cum Mitra super pulvinari apud suam sedem, ut numero præcedenti notatur, et Canonici ac omnes alii de Clero in suis locis genuflectunt, dum a Choro cantatur dictus Versus, et, eo finito, omnes iterum sedent.

8 Cantu Symboli ad finem vergente, omnes Ministri surgunt, et, completo a Choro cantu, secundus Diaconus assistens aufert Pontifici gremiale et Mitram, et tradit Ministris. Tum Minister Mitram auriphrygiatam in credentia reponit, et ad thronum cum Mitra pretiosa revertitur: ad thronum accedunt etiam Minister de chirothecis, eas in lance deferens, Minister de libro cum Missali, Minister de candela et Ministri lotionis cum aqua et pelvi atque mantilibus.

9 Pontifex, deposita Mitra, surgit, et, stans in sede sua, cantat versus populum: Dóminus vobíscum et Orémus, manibus prius extensis et mox statim junctis; tum, submissa sed intelligibili voce, legit Offertorium ex Missali, quem sustinet Minister de libro, qui, lecto Offertorio, Missale claudit et deponit super legile vel pulvinum, in credentia Evangelii præparatum, et ad proprium locum revertitur cum Ministro de candela.

Tit. 11. – De Offertorio usque ad Præfationem.

Lecto Offertorio, Pontifex iterum sedet, et primus Diaconus assistens ei aufert Mitram pretiosam et gremiale, atque sub osculis annulum extrahit ac ponit in lance, et chirothecam e manu dextera; alter vero Diaconus chirothecam e manu sinistra educit, et eas item in lance ponunt. Minister autem, qui annulum et chirothecas in lance recepit, versus primum Diaconum assistentem recedit. Tum Ministri lotionis ascendunt ad thronum, Diaconi assistentes unum mantile expandunt super genua Pontificis, alterum mantile accipit Presbyter assistens. Ministri lotionis utrumque flectunt genu et aquam effundunt super manus Pontificis, et Presbyter assistens mantile illi porrigit ad abstergendum. Quo facto, reddit Pontifex mantile Presbytero assistenti, et secundus Diaconus assistens mantile et gremiale super Pontificis genua positum amovet, et Presbyter assistens a clerico accipit annulum e lance, et, sub osculis annuli et manus, digito Pontificis iterum inducit. Antequam Pontifex ex throno discedat, secundus Cærimoniarius ad Altare ducit clericos, qui, cum debitis reverentiis, gremiale, chirothecas, pelvim et mappulas ad credentiam reportant: deinde sumit Missale ex credentia et tradit Presbytero assistenti, ut illud ad Altare deferat, et ipse, legile vel cussinum portans, eum comitatur ad cornu Evangelii: postea ad suum locum redit et Presbyter assistens ad thronum revertitur. Dum hæc omnia fiunt, post cantum Offertorii pulsatur organum.

2 Tum Diaconus et Subdiaconus Missæ accedunt ad Altare, ibique in plano hinc inde expectant Pontificem, qui, ad signum primi Cærimoniarii, surgit et a Ministro de eo servienti accipit Baculum. Deinde, præeunte Presbytero assistente, Pontifex, medius inter duos Diaconos assistentes, descendit de throno et, chorum salutans, ut supra, tit. 5, n. 12, dictum est, accedit ad Altare: Pontificem sequuntur Ministri de Baculo et de Mitra. Presbyter assistens exspectat Pontificem ex parte Evangelii, facie ad cornu Epistolæ conversa, et, cum omnes ad Altare pervenerint, Diaconi assistentes ad suum locum retrocedunt, Pontifex deponit Baculum, quem Minister de eo serviens accipit, et Diaconus Missæ ad dexteram Pontificis accedens, ei Mitram aufert et tradit Ministro. Tum omnes debitam Cruci exhibent reverentiam et ascendunt ad Altare, Presbytero assistente a sinistris et Diacono Missæ a dextris Pontificis, qui, positis hinc inde manibus, Altare in medio osculatur.

3 Tum Pontifex, a Diacono adjutus, explicat partem anteriorem Corporalis, orans: In tuo conspéctu, etc.: deinde offert Hostiam et Calicem, in quibus peragendis ea omnia servantur quæ supra in Ordinario Missæ solemnis, Sect. VII, tit. 6, n. 1-3, dicta sunt. Inde Pontifex ponit et benedicit incensum, atque thurificat Oblata et Altare, ut ibidem, n. 4 et 5 et in tit. 6 hujus Sectionis, n. 6 et 7, præscribitur.

4 Dum Pontifex incensat Oblata, Presbyter assistens accipit librum cum legili, et descendit per cornu Evangelii in planum, et, circa finem incensationis, librum in Altari reponit. Similiter circa finem incensationis ascendunt ad Altare Diaconi assistentes cum Ministris de Baculo et de Mitra. Altari thurificato, Pontifex, dicens: Accéndat in nobis, etc., reddit thuribulum Diacono, qui eum continuo Thuriferario tradit. Tum primus Diaconus assistens eidem imponit Mitram pretiosam et Minister de eo inserviens ei tradit Baculum.

5 Deinde Pontifex et Assistentes ad medium Altaris accedunt, et, facta debita reverentia Cruci, præeunte Presbytero assistente, ad thronum redeunt; Diaconus vero et Subdiaconus Missæ ad scamnum revertuntur. Cum pervenerit ad planum throni, Pontifex tradit Baculum Ministro de eo servienti, inde ad thronum ascendit, ibique prope sedem cameralem consistit. Continuo Presbyter assistens accipit thuribulum et ter duplici ductu Pontificem incensat, facta ante et post profunda inclinatione, et interim Thuriferarius alam dexteram Pluvialis aliquantulum elevat: deinde Presbyter assistens reddit thuribulum et ad suum locum revertitur, et, stantibus omnibus aliis, sedet Pontifex et a primo Diacono assistenti accipit gremiale.

6 Postea Diaconus Missæ, accepto thuribulo, bis duplici ductu incensat Presbyterum assistentem, dein primum, tum alterum Diaconum assistentem. Deinde, comitante Thuriferario cum thuribulo, accedit ad chorum et cum debitis reverentiis incensat Dignitates et Canonicos, atque ultimo, ad Altare reversus, Subdiaconum: et continuo Canonici sedent et caput cooperiunt. Inde Diaconus reddit thuribulum Thuriferario, et ab eodem bis duplici ductu incensatur. Postea Thuriferarius semel duplici ductu incensat Cærimoniarios et alios Ministros inferiores, et tandem populum in medio, a dextris populi et a sinistris ejus, cum inclinatione antea et postea.

7 Absoluta incensatione, secundus Diaconus assistens aufert gremiale et Pontifex surgit: tum Diaconus et Subdiaconus Missæ ad Altare pergunt, expectantes Pontificem, qui, sumpto Baculo, more solito cum Assistentibus et cum Ministris de Baculo et de Mitra ad Altare revertitur, ubi, tradito Baculo, debitam reventiam Cruci cum omnibus facit. Deinde Diaconi assistentes ad suum locum retrocedunt, et Pontifex cum Presbytero assistenti et cum sacris Ministris ad medium Altaris ascendit. Statim Diaconus Missæ Mitram Pontifici aufert, et, sumpta sacra Reliquia, eam Pontifici præbet osculandam, eamque continuo in manibus Pontificis reverenter deponit, eique stanti Mitram imponit. Tum Pontifex, ad populum conversus, sacram Reliquiam præbet osculandam per ordinem, nempe: Presbytero assistenti, sacris Ministris, Diaconis assistentibus, et deinde Dignitatibus et Canonicis per ordinem præcedentiæ in choro, qui bini et bini accedunt et in lance suam oblationem devote relinquunt, postea ceteris choralibus et Ministris inferioribus. Ministri sacri statim ac osculati fuerint sacram Reliquiam ad utrumque latus Pontificis assistunt, reliqui vero ad propria loca revertuntur. Absoluta sacræ Reliquiæ veneratione, Pontifex ad Altare convertitur et Reliquiam tradit Diacono, qui eam in suo loco reponit. Tum secundus Cærimoniarius ad Altare ducit Ministros lotionis cum aqua, pelvi et mantili.

8 Absoluta veneratione sacræ Reliquiæ, vel, ubi non adest Reliquia, osculato Altari, Pontifex cum sacris Ministris ad cornu Epistolæ pergit, manus more solito lavat, interim recitans Psalmum Lavábo ex Canone pontificali, quem primus Cærimoniarius antea de medio Altaris acceperat, et nunc ante Pontificem sustentat. Presbyter assistens sub osculis mantile porrigit Pontifici, quod deinde ab eodem iterum accipit, reddit Ministro et accedit ad Missale. In fine Psalmi Lavábo, Diaconus Missæ, antequam Pontifex versus Crucem Altaris dicat Glória Patri, ei Mitram aufert et tradit Ministro de ea servienti.

9 Deinde Pontifex redit cum Ministris sacris, unus post alium, ad medium Altaris ibique devote inclinatus recitat Orationem Súscipe, sancta Trinitas, etc., ex Canone, quem ad ejus dexteram sustinet primus Cærimoniarius. Tum ad populum conversus, dicit: Oráte, fratres, pro me, cui Diaconus respondet et in fine Subdiaconus dicit: Amen. Deinde Pontifex Secreta vel Secretas legit, et Presbyter assistens librum sustinet, et folia vertit. Ordo autem Assistentium et Ministrorum ad Altare, post Oráte, fratres, pro me, est sequens:



10 Secretis a Pontifice absolutis, primus Cærimoniarius sumit Canonem et transit ad partem Evangelii: tum Presbyter assistens accipit Missale de legili et tradit primo Cærimoniario, qui Canonem pontificalem præbet vice Missalis Presbytero assistenti ad ponendum super legile, assignans Præfationem convenientem: deinde Pontifici pileolum de capite detrahit, et Missale et pileolum ad credentiam defert. Eodem tempore cessat organorum pulsatio.

Tit. 12 - De Præfatione usque ad finem Missæ

Postquam primus Cærimoniarius de capite Pontificis pileolum detraxerit, Pontifex Præfationem incipit. Tum primus Cærimoniarius Velum Calicis super Altare extendit, et secundus Cærimoniarius Clericos ad Sacrarium ducit, ut accendant intorticia pro prima Sacramenti elevatione.

2 Cum Pontifex incipit verba: Sine fine dicéntes, Diaconus ascendit ad dexteram Celebrantis, qui, cum eodem Diacono et Presbytero assistenti, mediocriter inclinatus, dicit: Sanctus, Sanctus, etc., quæ pariter inclinati cum Pontifice simul recitant Diaconi assistentes, et reliqui de choro; erecti autem omnes et Cruce majori se signantes, dum prosequuntur: Benedictus qui venit, etc.: Subdiaconus vero ad Altare non ascendit, sed Sanctus suo loco cum aliis dicit. Recitato trisagio, Pontifex secreto prosequitur totum Canonem, ut in Missali usque ad primam elevationem, et Presbyter assistens diligenter indicat quæ legenda sint, et vertit folia; Diaconus autem sumit Patenam Velo Calicis contectam, genuflectit, et, descendens ad planum, eam tradit Subdiacono, omnia observans quæ supra, Sect. VII, tit. 6, n. 8, dicta sunt, et deinde ad suum locum a tergo Celebrantis revertitur.

3 Cum pulsatur tintinnabulum ad Sanctus, octo vel sex aut saltem quatuor Clerici, superpelliceis induti, præeunte secundo Cærimoniario a dextris Thuriferarii

cum thuribulo, e Sacrario procedunt cum intorticiis in medium Presbyterii, bini et bini, et, cum debitis reverentiis Choro et Altari, hinc inde genua flectunt, ubi Cærimoniarius convenientius judicaverit, vel a lateribus Subdiaconi, aut ad latera Altaris, vel in medio Presbyterii, in linea recta, post Diaconos assistentes et alios Ministros inferiores. Item omnes, tam in choro quam extra, genuflectunt, præter Presbyterum et Diaconos assistentes ac Diaconum et Subdiaconum Missæ. Interim Chorus prosequitur cantum trisagii usque ad Benedictus qui venit, etc., exclusive: quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet Chorus, et cum aliis genuflectit et adorat.

4 Ad verba: Hanc igitur oblatiónem, etc.. Thuriferarius defert thuribulum secundo Cærimoniario, qui imponit incensum in illud ad latus Epistolæ, ibique genuflectunt ambo super infimum gradum Altaris, et secundus Cærimoniarius vel Thuriferarius incensat Ssmum Sacramentum, dum elevatur, ter duplici ductu, ad elevationem tam Hostiæ quam Calicis. Cum Pontifex profert verba: Quam oblatiónem tu, Deus, etc.. Presbyter assistens ad sinistram et Diaconus ad dexteram Pontificis in ora suppedanei genuflectunt, duo Diaconi assistentes in infimo Altaris gradu cum Subdiacono, ad latera eius, reliqui vero suis locis. Ad elevationem sacræ Hostiæ et Calicis omnia observantur quæ supra de Missa solemni, Sect. VII, tit. 7, n. 3, dicta sunt. Elevatione peracta, Presbyter assistens ad librum redit ibique consistit, genuflectens quoties Pontifex genuflectit, Diaconus ad suum locum post Pontificem revertitur, Chorus cantat: Benedictus qui venit, etc., et Clerici cum intorticiis surgunt, ac, facta reverentia Sacramento et Choro, præeunte secundo Cærimoniario a dexteris Thuriferarii, ordine quo venerunt, ad Sacrarium redeunt, vel manent genuflexi, juxta normas, quæ supra de Missa solemni, loco citato, n. 1-2, notatæ sunt. Alias ceteri omnes in choro surgunt, elevatione peracta, et stant usque ad secundam sacræ Hostiæ elevationem.

5 Cum Pontifex incipit verba: Per quem hæc ómnia, etc., Diaconus ascendit ad dexteram Pontificis, et, cum dixerit verba: Benedícis, et præstas nobis, detegit Calicem et utrumque cum Celebrante flectit genu ac devote Sacramentum adorat, quod semper facere debet quoties Calicem detegit. Dum autem Pontifex ter signat, dicens: Per ip✠sum, et cum ip✠so, etc., Diaconus duobus digitis dexteræ manus retinet pedem Calicis usque ad verba: Omnis honor et glória. Cum post verba Per ómnia sæcula sæculórum, Celebrans cantaverit: Orémus, Diaconus utrumque flectit genu ad secundam sacræ Hostiæ elevationem et adorat, quod omnes alii, ut in prima elevatione, facere debent. Reposita sacra Hostia super Corporale, Diaconus surgit, Palla tegit Calicem, et ad suum locum redit. Cum Diacono omnes alii surgunt, et stant usque ad Communionem Celebrantis inclusive.

6 Dum Pontifex incipit: Et dimitte nobis débita nostra, Diaconus, facta genuflexione et accepto Velo Calicis a primo Cærimoniario, descendit ad planum, a Subdiacono recipit Patenam et Velo tegit, ascendit ad Altare, genuflectit, Patenam super Altare deponit, Purificatorio abstergit et sub osculis tradit Celebranti, omnia observans quae supra, Sect. VII, tit. 7, n. 5, dicta sunt; et, cum Pontifex supponit Patenam Hostiæ, Diaconus detegit Calicem, utrumque cum Celebranti flectit genu, ac, immissa per Pontificem particula Hostiæ in Calicem, illum tegit, et cum Celebrante et Presbytero assistente dicit: Agnus Dei, etc. Subdiaconus autem, tradita Patena Diacono, Velo humerali se exuit et illud tradit secundo Cærimoniario, ac, manus sub Tunicella recondens, in suo loco a tergo Celebrantis remanet, et dicit etiam cum Pontifice Agnus Dei, quin tamen suum locum relinquat et ad Altare ascendat.

7 Absoluto ultimo Agnus Dei, Presbyter assistens et Diaconus Missæ, præmissa genuflexione, mutant locum, ille accedit ad dexteram Celebrantis, et, in ora suppedanei genuflexus, expectat pacem, hic ad sinistram transit, ubi repetit genuflexionem et servit ad librum loco Assistentis. Presbyter assistens, dicta per Celebrantem Oratione Dómine Jesu Christe, qui es vera pax, etc., vel Dómine Jesu Christe, qui dixisti, etc., surgit et una cum Pontifice osculatur Altare, et accipit pacem prout supra, Sect. VII, tit. 7, n. 7, descriptum est. Mox iterum genuflectit et cum primo Cærimoniario recedit ad pacem dandam Choralibus, prout loco citato dictum est: quo facto, redit ad Altare, et, data pace primo Cærimoniario, ascendit rursus ad sinistram Pontificis, ut assistat ad librum, et Diaconus ad dexteram Pontificis cum debitis reverentiis se confert.

8 Postquam Presbyter assistens, accepta pace a Pontifice, ab Altari discesserit, ascendit Diaconus ad Altare, et, præmissa genuflexione, quin tamen Altare deosculetur, accipit pacem a Pontifice, et, iterata genuflexione, ad locum suum redit; deinde simili modo ascendit Subdiaconus, tum Diaconi assistentes et ultimo Minister de Baculo, si fuerit Dignitas Capituli, et accipiunt successive pacem, ut de Diacono Missæ dictum est, et ad propria loca redeunt. Pacem tamen accipere non debent Diaconus et Subdiaconus Missæ, si communicaturi sint, tunc enim ambo accipiunt pacem immediate post acceptam Communionem, ut infra, n. 10, notatur. Accepta pace, Presbyter assistens dat pacem Capitularibus, incipiens a parte Chori, ubi est dignior, et deinde eam dat Capitularibus alterius partis Chori iuxta ordinem præcedentiæ in Choro. Postea dat pacem Cruciferario, qui eam dat reliquis de Clero, sive parati sint sive non.

9 Diaconus Missae, accepta pace, accedit iterum ad sinistram Pontificis, ubi ministrat ad librum loco Assistentis; Subdiaconus vero, accepta pace, descendit in planum et dat pacem secundo Cærimoniario, tum iterum ascendit suppedaneum ad dexteram Pontificis, detegit Calicem et alia peragit, quæ supra, Sect. VII, tit. 7, n. 9, de purificatione Calicis dicta sunt, nisi prius redierit Presbyter assistens ad locum suum, tunc enim hæc omnia facere debet Diaconus, reversus ad dexteram Pontificis, et Subdiaconus recedit ad locum suum in plano post Celebrantem.

10 Si Ministri sacri communicaturi sint, Diaconus post sumptionem Sanguinis Palla cooperit Calicem, et deinde genuflectunt ambo in ora suppedanei. Tum Pontifex genuflectit, ponit in Patena duas Particulas consecratas, ad eos se convertit, et, quin præmittatur Confiteor, etc., et Misereátur, etc., eis administrat Communionem, cuique dicens: Corpus Dómini nostri, etc. Prius, quam Communionem accipiant, osculantur Ministri sacri manum Pontificis; accepta vero Communione, assurgunt, et, unus post alium, in gena sinistra Pontificem osculantur, eique dicenti: Pax tecum, et illi respondent: Et cum spíritu tuo.

11 Si facienda est Communio generalis, postquam Pontifex se et Ministros sacros communicaverit, ante purificationem Calicis et antequam digitos abluat, servatis iis quæ Sect. VII, tit. 7, n. 8, dicta sunt, Pontifex se vertit, cum Subdiacono a dextris, versus populum,

et Diaconus descendit ad planum ex latere Epistolæ, et, ad cornu Evangelii conversus et profunde inclinatus, cantat: Confiteor Deo, etc., ut in fine Missalis. Cantata confessione, Pontifex voce intelligibili dicit: Misereátur vestri, etc., et Indulgéntiam, absolutiónem, etc., faciens super populum signum Crucis. Tum Ministri debitis genuflexionibus mutant locum: Subdiaconus transit ad cornu Epistolæ et Diaconus ad cornu Evangelii et dextera sumit Patenam. Tum Pontifex manu sinistra sumit Pyxidem et dextera sacram Particulam, et convertit se ad populum, cum Diacono a dextris et Subdiacono a sinistris, et, præmittens: Ecce Agnus Dei, etc., et Dómine, non sum dignus, etc., more solito distribuit Communionem, et Diaconus mento cujusque communicandi Patenam supponit.

12 Dum Diaconus descendit ad planum, et cantat Confiteor, duo Acolythi ascendunt suppedaneum, ibique, hinc inde genuflexi, ante communicandos mantile album per quatuor angulos ambabus manibus sustinent, quousque perfecta fuerit Communio. Presbytero et Diaconis assistentibus communicatis, alii de Clero, qui Communionem sumpturi sunt, bini et bini per ordinem præcedentiæ in choro, cum debitis reverentiis ascendunt suppedaneum, et, ante Celebrantem genuflexi, accipiunt sacram Particulam, annulum Pontificis prius deosculantes. Absoluta Communione, Pyxis cum sacris Particulis in Sacrario more solito reponitur, secundus Cærimoniarius Clericos cum intorticiis, ordine quo venerant, ad Sacristiam reducit, et surgunt omnes.

13 Sumpto pretioso Sanguine, vel, si facta fuerit Communio, deposita Pyxide in Sacrario, primus Cærimoniarius capiti Pontificis pileolum imponit. Tum Diaconus infundit vinum in Calicem pro purificatione et deinde in ablutione digitorum ministrat vinum et aquam, omnia observans quæ supra, Sect. VII, tit. 7, n. 9, dicta sunt. Interim Subdiaconus transit ad cornu Evangelii, ut ad credentiam deferat Calicem, omnia observans quæ in loco supra citato, n. 9 et 10, præscribuntur, et deinde ad locum suum post Pontificem redit. Presbyter assistens tradit primo Cærimoniario Canonem pontificalem et ab eo accipit Missale, quod super legili vel cussino deponit et aperit ad Communionem Missæ currentis. Deinde transfert librum cum legili ad cornu Epistolæ, et subsistit in angulo superiori suppedanei aut primi gradus Altaris ut mantile Pontifici ministret. Dum Presbyter assistens transfert Missale, primus Cærimoniarius Canonem pontificalem in medio Altaris ad Orationem Pláceat tibi, sancta Trinitas, etc., apertum collocat, et secundus Cærimoniarius ad Altare conducit Ministrum de Mitra et Ministros lotionis cum aqua, pelvi et mantile.

14 Absolutione sumpta, Pontifex ad cornu Epistolæ accedit, et Diaconus Missæ ei imponit Mitram pretiosam. Tum Pontifex lavat manus, Presbytero assistente ei mantile ministrante, et, durante manuum lotione, omnes in choro genuflectunt præter Dignitates et Canonicos. Deinde Diaconus Missæ Pontifici Mitram aufert, eamque tradit Ministro de ea servienti, et retro post Pontificem consistit, eumque cum Subdiacono more solito comitatur, dum ad medium pergit et ad cornu Epistolæ revertitur. Presbyter autem assistens ad librum Missalis manet.

15 Cum Pontifex pretiosum Sanguinem sumpserit, Chorus cantat Communionem Missæ, et, facta manuum ablutione, Pontifex eam pariter legit, et deinde accedit ad medium Altaris, quod more solito osculatur, et, se vertens ad populum, cantat: Dóminus vobiscum, et, ad Missale reversus, cantat: Orémus et Postcommunionem. Qua finita, redit ad medium, cantat rursus: Dóminus vobiscum, et, responso a choro: Et cum spiritu tuo, Diaconus vertit se ad populum, et cantat: Ite, missa est, et continuo ascendunt ad suppedaneum Ministri de Mitra et de Baculo, et Diaconus Mitram pretiosam Pontifici imponit et ad latus Evangelii in ora suppedanei ad dexteram Subdiaconi genuflectit.

16 Deinde Pontifex, Benedictionem solemnem dans, ex Missali, quod primus Cærimoniarius sustinet, cantat: Sit nomen Dómini, etc., et, Cruce maiori se signans, Adjutórium nostrum, etc. Tum omnes genuflectunt, exceptis Assistentibus, Dignitatibus et Canonicis, qui profunde se inclinant ad Benedictionem, et, accipiens Baculum, Pontifex dat trinam Benedictionem, versus latus Epistolæ, dum dicit: In unitáte Sancti ✠ Spíritus, in medio, dum profert: benedicat vos Pa ✠ ter, versus latus Evangelii, dum subdit: et Fi ✠ lius. Quibus Chorus respondet: Amen. Deinde surgunt omnes, Pontifex tradit Baculum Ministro de eo inservienti, Diaconus Mitram ei aufert, et Pontifex, denuo ad Altare conversus, more solito dicit Orationem: Pláceat, etc. Si autem Celebrans fuerit dominus Archiepiscopus, cantato Ite, missa est, Diaconus ei non imponit Mitram, sed accedit ad Altare Cruciferarius cum Cruce Archiepiscopali, et cum aliis genuflectit in medio plani prope primum gradum Altaris, cum imagine Crucifixi conversa ad Pontificem, qui benedictionem ut supra impertitur, sed absque Mitra.

17 Si Indulgentiæ non fuerunt publicatæ, quod contingit quando non est habitus sermo, Presbyter assistens accipit libellum cum formula Indulgentiarum, et, benedictione data, in suppedaneo ad cornu Epistolæ ad populum conversus legit formulam Indulgentiarum, petita prius licentia a Pontifice, se profunde inclinando. Pontifex vero stat, Baculum in manu sinistra tenens, conversus ad populum. Publicatis Indulgentiis, vel, si Indulgentiæ non fuerint publicatæ, data Benedictione, quoties Pontifex Pallio celebraverit, Diaconus Missæ extrahit illi Pallium, et super Altare illud deponit. Si ultimum Evangelium non fuerit sancti Joannis In principio, post publicatas Indulgentias, vel post Benedictionem, Presbyter assistens Missale cum legili ad cornu Evangelii transfert.

18 Benedictione data, vel Indulgentia publicata, et recitata Oratione Pláceat tibi, sancta Trinitas, etc., Pontifex pergit ad cornu Evangelii cum sacris Ministris, et, more solito, dicit: Initium vel Sequéntia sancti Evangélii, etc. Lecto ultimo Evangelio, Pontifex redit cum Ministris sacris ad medium Altaris, ubi, more solito, dicit Antiphonam beatæ Mariæ Virginis, uti supra, Sect. VII, tit. 7, n. 12, describitur. Deinde ascendit ad suppedaneum et accipit a Diacono Mitram pretiosam, et continuo, ad populum conversus, recipit Baculum, et, descendens ad planum, et facta cum Ministris et Assistentibus reverentia Cruci, præeuntibus Subdiacono et Presbytero assistenti a dexteris Diaconi, medius inter Diaconos assistentes ad thronum revertitur.

19 Tum, ad nutum secundi Cærimoniarii, præeunte Cruciferario cum Cruce Capituli inter duos Ceroferarios, Assistentes et Canonici parati, præmissis debitis reverentiis Cruci et Pontifici, ad Sacrarium redeunt, ut Paramenta deponant. Interim Ministri sacri deponunt Manipulos et tradunt primo Cærimoniario, et secundus Cærimoniarius Clericos ducit ad Thronum eo ordine, quo in principio Missæ, ut Paramenta Pontificis recipiant et ad Altare deferant.

20 Cum Pontifex ad thronum pervenerit, deponit Baculum et sedet, eique a Diacono Missæ deponitur Mitra et Ministro de ea inservienti traditur, qui cum Ministro de Baculo pergit ad credentiam, super quam ille deponit Mitram, hic autem Baculum prope Altare. Deinde Pontifici Manipulus a Subdiacono detrahitur, et Pontifex, adjuvantibus sacris Ministris, reliqua Paramenta deponit, deosculans Manipulum, Stolam, Crucem pectoralem et Amictum, quæ omnia Clerici per ordinem accipiunt, ad suppedaneum deferunt et tradunt secundo Cærimoniario, qui ea recipit, super Altare deponit et tandem Velo humerali cooperit.

21 Depositis sacris Paramentis, Pontifex devote incipit et prosequitur Hymnum Te Deum laudámus. Ministri sacri cum debitis reverentiis ad scamnum revertuntur, et Pontifex, quin manus lavet, accipit a suis familiaribus seu famulis et a primo Cærimoniario cappam et birretum. Interea Canonici, depositis Paramentis, ad Presbyterium redeunt, et duo digniores de choro, qui habitu chorali induti ex Sacrario redierunt, ad thronum accedunt et Pontifici assistunt.

22 Statim ac Pontifex sumpserit cappam et birretum, Subdiaconus accipit velum et bacile de credentia, et accedit ad thronum, et, facta debita reverentia Pontifici, ejus sandalia et caligas detrahit, adjuvantibus familiaribus seu famulis, easque in bacili velo coopertas ad credentiam defert. Interim sex vel Octo Acolythi ad thronum accedunt, ut fimbriam cappæ Pontificis circumcirca elevent et dilatent, ut supra, tit. 6, n. 3, notatur. Continuo Ministri sacri, factis debitis reverentiis Altari et Pontifici, ad Sacrarium redeunt et sacra Paramenta deponunt, et Pontifex, familiaribus seu famulis adjuvantibus, calceos usuales inducit. Deinde ad thronum accedunt Ministri de libro et de candela, Canonem Pontificalem et lumen portantes: tum genua flectunt ante Celebrantem et librum aperiunt pro gratiarum actione, et Pontifex, recitato jam Hymno Te Deum laudámus, sedens legit Antiphonam Trium puerórum, Canticum Benedicite, Psalmum Laudáte Dóminum, omnes gentes, et reliqua; quibus absolutis, Ministri de libro et de candela surgunt et cum debitis reverentiis de throno recedunt et librum et candelam super credentia deponunt.

23 Finita gratiarum actione, Pontifex surgit, et, medius inter duos digniores, qui ei assistunt, descendit de throno, et, peracta ante Altare brevi oratione in genuflexorio ibi antea præparato, accedit iterum ad Altare Ssmi Sacramenti et adorat; postea ex Ecclesia ita revertitur, ut in initio Missæ in eam ingressus est, comitantibus Dignitatibus, Canonicis et reliquis de Clero, et interea organa et campanæ more festivo sonantur.

24 Si post Missarum solemnia Benedictio Apostolica cum indulgentia plenaria impertitur, et eo die Pontifex Pallio celebraverit, illud non ad Altare, sed post datam prædictam Benedictionem deponit. Hæc Benedictio bis in anno fit, scilicet in Dominica Resurrectionis et in altera solemnitate ad libitum eligenda: ideoque, si Pontifex, per specialem gratiam, Benedictionem Apostolicam impertiri debeat aliqua die, in qua Pallio uti non licet, Missa peracta, Pallium ad hanc Benedictionem ipse induere non potest. Absoluta igitur Missa solemni, accedit Pontifex cum Assistentibus et Ministris ad thronum, deponit Baculum et sedet cum mitra in capite. Tum Subdiaconus exuit Pontifici Manipulum et postea Ministri sacri ad scamnum in latere Epistolæ progrediuntur, et Presbyter assistens redit ad scabellum suum in choro, ita ut Pontifex cum Diaconis assistentibus tantum in throno maneat. Tum Clericus affert chirothecas, quas Diaconi assistentes Pontifici induunt, et annulum super chirothecam dexteram digito annulari imponunt. Deinde duo alii Clerici cum debitis reverentiis accedunt ad cancellos Presbyterii, et unus, ad populum conversus, voce sonora Breve Pontificium latino legit, alter vulgari idiomate, et, lectione finita, ad sua loca redeunt. Tum Pontifex surgit cum Mitra, et Diaconus Missæ suo loco dicit: Confitéor Deo, etc., ut in fine Missalis, qua absoluta, Pontifex sedet, secundus Diaconus assistens ei deponit Mitram et duo Ministri de libro et de candela ad thronum accedunt. Tum Pontifex, manibus junctis, ex libro, quem Presbyter assistens more solito sustinet, formulam Benedictionis cantat: Précibus, etc., Misereátur, etc., Indulgéntiam, etc., ut in Appendice Pontificalis invenitur. Assurgente Pontifice, surgunt etiam Dignitates et Canonici, reliqui vero utrumque flectunt genu. Cantata formula, Pontifex iterum accipit Mitram a primo Diacono assistente, et, oculos elevans ac manus ante faciem jungens, cantat: Et benedíctio Dei omnipoténtis, et, manu sinistra Baculum accipiens, prosequitur: Pa ✠ tris et Fi ✠ lii et Spíritus ✠ Sancti descéndat super vos et máneat semper. Et Chorus respondet: Amen. In actu Benedictionis omnes campanæ Ecclesiæ pulsantur. Absoluta Benedictione, surgunt omnes, et Pontifex deponit Baculum et sedet cum Mitra. Si autem Celebrans fuerit dominus Archiepiscopus, Cruciferarius ante thronum affert Crucem archiepiscopalem cum imagine Crucifixi ad Pontificem conversa, et Benedictio absque Mitra impertitur: deinde dominus Archiepiscopus sedet et primus Diaconus assistens ei Mitram imponit. Tum duo supradicti Clerici publicant formulam Indulgentiæ ad cancellos Presbyterii, unus idiomate latino, scilicet: Atténtis facultátibus, etc., alter lingua vernacula. Deinde duo Ministri de libro et de candela de throno recedunt, et Ministri sacri iterum ad thronum redeunt, ut Pontificem adjuvent in exuendis sacris Paramentis, et alia omnia peraguntur prouti supra, n. 20 ad 22, dictum est.

Sectio IX - De defectibus in celebratione Missæ occurrentibus

Defectus, in celebratione Missæ occurrentes, alii sunt substantiales, alii accidentales. Defectus sunt substantiales, quando impediunt ut Sacramentum conficiatur, ita ut veritas Sacramenti salvari non possit, quod ex tribus contingere potest: ex parte materiæ consecrandæ, ex parte formæ adhibendæ cum intentione et ex parte Ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his exsistentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Defectus sunt accidentales, quando, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato aut cum scandalo contingere.

2 Sacerdos celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex supradictis requisitis, tum substantialibus ex parte materiæ, formæ et Ordinis Sacerdotalis, ut salvetur veritas Sacramenti, tum accidentalibus, ne in ipso Celebrante impediantur fructus sanctificationis, a Christo Domino intenti, et fidelium sanctificationi et ædificationi provideatur.

3 Quoties defectus substantialis deprehenditur, continuo removendus est; quod si hoc fieri non possit,

omnino a celebratione Missæ est abstinendum; si autem fuerit tantum accidentalis, etiam removendus vel supplendus est, quod si removeri non possit, etiam regulariter a celebratione Missæ est abstinendum, nisi celebratio, aut sine scandalo omitti non possit, aut tanta sit ratio vel necessitas, ut defectibus prævaleat et celebrationem licitam reddat.

Tit. 1 - De defectibus materiæ.

Defectus ex parte materiæ contingere possunt, si aliquid desit ex iis quæ ad ipsam requiruntur, et duo sunt: quod panis sit triticeus ac vinum de vite, et quod hujusmodi materia consecranda, in actu consecrationis, sit coram Sacerdote.

2 Si materia, quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, nullo modo haberi posset, tunc:

a) Vel id ante consecrationem Corporis contingit, et ulterius procedi non debet.

b) Vel post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata, et tunc: 1) Si materia reapse nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen ut prætermittantur verba et signa, quæ pertinent ad speciem deficientem; 2) Quod si, exspectando aliquamdiu, materia haberi possit; exspectandum erit, et diligenter omnia serventur quæ infra, tit. 2 et 3, notantur, ne Sacrificium remaneat imperfectum.

Tit. 2 - De defectibus panis.

Quoad defectus panis, sequentia sunt diligenter notanda:

a) Non conficitur Sacramentum, si panis non sit triticeus, vel, si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus.

b) Dubium est an Sacramentum conficiatur, quando panis de aqua rosacea, vel alterius distillationis, sit confectus.

c) Conficitur quidem Sacramentum, sed conficiens graviter peccat, si panis cœperit corrumpi, sed non sit corruptus; similiter si non sit azymus, secundum Ecclesiæ Latinæ morem.

2 Infra celebrationem Missæ, quatuor casus contingere possunt circa defectus panis, quibus sequenti ordine Celebrantis diligentia et conscientia occurrere debet:

a) Si Celebrans ante oblationem advertit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam, Missam interrumpere debet, et, remota illa Hostia, novam afferri jubeat, et, facta oblatione, Missam prosequatur.

b) Si autem post oblationem quidem, sed ante consecrationem, Celebrans advertit Hostiam esse defectuosam, ut supra, tunc, remota illa Hostia, novam deponat super Corporale, et manibus junctis eam offerat, Orationem Acceptábilis sit Majestáti tuæ, etc., voce recitans vel saltem mente concipiens, et Missam prosequatur ab eo loco ubi desivit, nisi jam recitasset verba Qui prídie quam paterétur, etc., tunc enim ea iterum repetere debet. In his duobus casibus Hostia defectuosa seponatur extra Corporale, et, si defectus provenit ex eo quod non sit triticea, eam sumat post ablutionem, si vero ex corruptione, eam conservet et in sacrarium projiciat.

c) Si id adverterit post consecrationem, sed ante communionem, hoc vel contingit ante vel post fractionem Hostiæ: 1) si accidit ante fractionem, Celebrans Hostiam defectuosam seponat super Corporale et aliam offerat, ut supra, eam mox consecrare incipiens ab illis verbis: Qui prídie quam paterétur, etc., consecratam vero Hostiam non adoret, nec adorandam ostendat populo, sed statim deponat super Corporale et Missam prosequatur a loco in quo desivit; 2) si autem hoc contingeret post fractionem Hostiæ, omnia fiunt ut supra, et ulterius Hostia consecrata frangitur in duas partes et super Patenam deponitur, commixtio autem particulæ cum sacro Sanguine aut non fit, aut, si fiat, immittitur in Calicem absque ullis verbis vel signis. Hostiam autem defectuosam vel sumit Celebrans post sumptionem Corporis et Sanguinis, ante purificationem, vel alii jejuno sumendam tradit, vel alicubi reverenter conservat, donec corrupta sit, et tunc eam in sacrarium projicit.

d) Si tandem Hostiam defectuosam esse adverterit post communionem, hoc contingere potest post sumptionem Hostiæ vel Sanguinis: 1) si contingit post sumptionem Hostiæ, cum præceptum de perceptione Sacramenti majoris sit ponderis, quam quod a jejunis sumatur, omnia fiant ut supra, et mox, ulterius subjungens ut alias: Corpus Dómini nostri, etc., facto signo Crucis, reverenter sumit et Missam prosequitur; 2) si autem hoc contingat post sumptionem Sanguinis, oblata nova Hostia, ut supra, Sacerdos in Calicem, super Corporale positum, vinum cum aqua more solito infundit; mox manibus junctis offert Calicem, voce dicens vel saltem mente concipiens Orationem: Offérimus tibi, Dómine, etc., et, oblato Calice, statim incipit consecrationem panis a verbis: Qui prídie quam paterétur, etc., et, prolatis verbis consecrationis et deposita sacra Hostia super Corporale, mox incipit more solito consecrationem vini a verbis: Símili modo, etc., usque ad Hæc quotiescúmque, etc., inclusive, et Calicem reponit super Altare, quin eum adoret aut adorandum ostendat, sacram Hostiam frangit in duas partes et statim reverenter sumit, et, facta parva meditatione, fragmenta Patena colligit et in Calicem infundit, et mox sacrum Sanguinem, dicens ut alias: Sanguis Dómini nostri, etc., facto signo Crucis, reverenter sumit et Missam prosequitur.

3 Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo: Qui prídie quam paterétur, etc., facta prius ejus oblatione, ut supra.

Tit. 3 - De defectibus vini.

Quoad defectus vini, sequentia sunt diligenter notanda:

a) Non conficitur Sacramentum, si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum fuerit tantum aquæ, ut vinum sit corruptum.

b) Conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat, si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantulum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis.

2 Infra celebrationem Missæ septem casus contingere possunt circa defectus vini, quibus sequenti ordine Celebrans diligenter occurrere debet:

a) Si Celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in Calice: Missam interrumpit, et, seposito liquore defectuoso in aliquo vase extra Corporale, in Calicem, purificatorio

exsiccatum et super Corporale collocatum, apponit novum vinum cum aqua, quam, nisi Missa sit Defunctorum, benedicit: deinde, manibus junctis et voce dicens vel saltem mente concipiens Orationem Offérimus tibi, Dómine, etc., offert Calicem, et Missam prosequitur ab eo loco ubi desivit, nisi jam recitasset verba: Simili modo, etc., tunc enim ea repetere debet. Liquor defectuosus sumitur post ultimam ablutionem; si autem sumi non possit, projicitur in sacrarium.

b) Si post verba consecrationis, sed ante communionem advertat vinum non fuisse positum, sed aquam; hoc, vel contingit ante, vel postquam particula sacræ Hostiæ immissa fuit in Calicem: 1) Si ante, idem servatur ut supra usque ad oblationem Calicis; qua facta, Sacerdos statim more solito consecrare incipit a verbis: Simili modo, etc., usque ad Hæc quotiescúmque, etc., inclusive, et sacrum Sanguinem non adorat neque adorandum ostendit populo, et Missam prosequitur ab eo loco ubi desivit: de aqua autem fieri debet post ablutionem illud quod supra dicitur de vino defectuoso; 2) Si autem hoc advertit postquam particula sacræ Hostiæ immissa fuit in Calicem, aqua infunditur simul cum sacra particula in alium Calicem et seponitur super Corporale, ac, facta oblatione, consacratione et aliis, ut supra, sumitur immediate post sumptionem Sanguinis; ubi autem sumi non posset, seponitur in Tabernaculum, donec totum fuerit corruptum, et tunc in sacrarium projicitur.

c) Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ, apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit omittere consecrationem novæ Hostiæ, et tunc apponat solummodo vinum cum aqua, et, facta oblatione, consecret, et sumat ac cætera prosequatur, prout supra, litt. *a*), dictum est.

d) Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum: idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, litt. *a*), vel solam aquam, litt. *b*), fuisse appositam in Calice.

e) Si quis ante consecrationem Calicis advertat non fuisse appositam aquam: statim, quin iteretur Oratio Ex látere Dómini nostri Jesu Christi, etc., vel iteretur Calicis oblatio, aquam infundat et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis, aquam minime infundat, quia non est de necessitate Sacramenti.

f) Si quis percipiat materiam esse invalide consecratam, dum e Calice haustum in ore tenet, non debet eum ex ore ejicere, sed potius deglutire, etiamsi jejunium frangatur: et deinde ea servet quæ supra, litt. *c*), dicta sunt. Et simili modo procedere debet, ubi materia invalide consecrata sumi non posset; de qua tamen tunc illud fieri debet, quod supra de vino defectuoso, litt. *a*), dictum est.

Tit. 4 - De defectibus formæ.

Verba consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, et requiruntur in consecratione Corporis, sunt: Hoc est enim Corpus meum. In consecratione vero Sanguinis, sunt: Hic est enim Calix Sánguinis mei, novi et ætérni testaménti: mystérium fídei, qui pro vobis et pro multis effundétur in remissiónem peccatórum.

2 Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ, ad integritatem verborum, in ipsa consecratione requiruntur. Unde:

a) Non conficeret Sacramentum qui aliquid dimineret, vel immutaret de supra notata forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent.

b) Conficeret quidem Sacramentum, sed gravissime peccaret, qui aliquid adderet, quod verborum significationem non mutaret.

3 Si Celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si autem certo ei constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis seu partem: resumat ipsam formam, et cætera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse: iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

Tit. 5 - De defectibus Ministri.

Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt: imprimis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea quæ in ipso possunt occurrere.

Tit. 6 - De defectu intentionis.

Quilibet Sacerdos curare debet, ut semper actualem intentionem adhibeat; conficitur tamen Sacramentum, si intentio non sit actualis in ipsa consecratione, propter evagationem mentis, sed virtualis, dummodo accedens ad Altare intendat facere quod facit Ecclesia.

2 Quilibet Sacerdos intentionem semper habere debet consecrandi Hostias omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet: unde, si quis putat decem esse, licet non sint, si voluit tamen consecrare quas coram se habebat, omnes tunc erunt consecratæ.

3 Non consecrat autem, ex defectu intentionis:

a) Qui non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere.

b) Item qui non intendit consecrare nisi quæ videt: unde non consecrantur reliquæ Hostiæ quæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia quæ lateat.

c) Qui, habens coram se undecim Hostias, intendat consecrare solum decem, non determinans quales decem intendit.

4 Si Sacerdos, putans se tenere unam Hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si, post sumptionem Corporis et Sanguinis aut etiam post ablutionem, deprehendat fragmenta aliqua relicta consecrata, ea sumat, sive parva sint sive magna, quia ad idem Sacrificium spectant.

5 Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam una cum altera quam est consecraturus, relinquat: vel, si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice seu Patena decenter conservet, quousque, vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur; quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere.

Tit. 7 - De defectibus Dispositionis Animæ.

Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret, conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter exsecutionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta.

2 Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat.

3 Si quis autem in casu necessitatis, non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.

4 Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, et satisfaciendi.

5 Si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem.

6 Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum, debet Sacerdos Missam inceptam deserere.

Tit. 8 - De defectibus Dispositionis Corporis

Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus aut cibi per modum etiam medicinæ, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare.

2 Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

3 Si reliquiæ cibi remanentes in ore deglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.

4 Si plures Missas in una die celebret, ut in Festo Nativitatis Domini et in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem.

5 Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a communione et celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casus necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare, nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

Tit. 9 - De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus.

Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut, si celebretur in loco non sacro, vel non deputato a domino Archiepiscopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea; si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter; si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit; si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus; si vestes sacerdotales et mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem, benedictæ; si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier; si non adsit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea vel argentea, non ærea vel vitrea; si Corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, et ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem, benedicta, ut etiam superius dictum est; si celebret capite cooperto sine dispensatione; si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere; et ad omnia alia diligenter non attendat, quæ sancto Missæ Sacrificio sunt necessaria et superioribus hujus Liturgiæ sectionibus ordinantur.

2 Si, Sacerdote celebrante, violatur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem, dimittatur Missa; post consecrationem vero, Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

3 Si Sacerdos gravi infirmitate, vel morte corripiatur, sequentes casus verificari possunt:

a) Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit aut moriatur, prætermittitur Missa.

b) Si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato, id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco ubi ille desiit et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Sacerdos autem qui Sacrum, post consecrationem interruptum, expiet, aliam Missam celebrare non potest.

c) Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipsemet sumat.

d) Si autem semiprolata forma Corporis obierit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse ut Missa per alium suppleatur.

e) Si autem obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, et super eumdem Calicem repetat integram formam ab eo loco Simili modo, etc.; vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, et Hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

f) Si Sacerdos infirmus intra competens spatium vires resumat, ita ut possit convenienter prosequi et explere Missam, nec interea inventus fuerit alius Sacerdos qui Missam expleat, ipse primo et principaliter ad id tenetur, etiamsi non esset jejunus, tum ut servetur integritas Sacramenti, tum ut perficiat Sacrificium quod ipse incepit. Si autem vires non resumat, Sacerdotes præsentes supplere tenentur, ut supra, et si nullus adsit, aliunde advocandi sunt, ut intra competens spatium adhuc unum et integrum moraliter Sacrificium constituatur.

g) Si autem, intra competens spatium, nec infirmus vires resumpserit, nec alius Sacerdos inventus fuerit qui Sacrum explere posset, tunc Sacramentum vel recluditur in Tabernaculum, ut sumatur a Sacerdote, qui ibi postea celebrabit, vel, si ibi non adest

Tabernaculum, reverenter ad vicinam Ecclesiam transferatur, ne periculo irreverentiæ exponatur.

4 Si quis extra casus necessitatis, numero præcedenti notatos, integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.

5 Si musca vel aranea vel aliud ceciderit in Calicem, tunc:

a) Si hoc ante consecrationem contigerit, projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat, ut supra, tit. 3, n. 2, *a*), dictum est, et prosequatur Missam.

b) Si autem post consecrationem ceciderit musca aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino, finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

6 Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum, et, finita Missa, Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur.

7 Si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tum alteram consecret, et sumat eo modo quo dictum est, et illa servetur, in Tabernaculo, loco separato, donec species corrumpantur, et corruptæ deinde mittantur in sacrarium.

8 Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat.

9 Si Hostia inveniatur fracta, tres casus verificari possunt:

a) Si Hostia inveniatur fracta ante oblationem, seponatur et accipiatur altera integra, si citra scandalum aut longam moram fieri poterit.

b) Si autem hoc post oblationem contigerit, et fractio Hostiæ evidenter appareat et scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et, ut supra, tit. 2, n. 2, *b*), offeratur; dummodo supradicta inconvenientia non timeantur, secus enim Hostia fracta consecrari debet.

c) Si tantum Hostia frangitur post consecrationem, parte majori utetur ad sacros ritus peragendos, altera super Corporale vel super Patenam relicta.

10 Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum; sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cærimonias et signa consueta cum residua parte Hostiæ quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, signans se cum Calice, et dicens: Corpus et Sanguis Dómini nostri, etc.

11 Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.

12 Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, sequentes casus contingere possunt:

a) Si Sanguis super terram ceciderit seu super tabulam, lingua lambatur, et locus iste radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur.

b) Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur.

c) Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium: linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, Calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur.

d) Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici.

e) Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra.

f) At, si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, tunc: 1) si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est; 2) si vero nihil omnino remanserit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: Simili modo, etc., facta prius tamen ablutione, ut supra, tit. 3, n. 2, *a*), dictum est.

13 Si Sacerdos evomat Eucharistiam, et species integræ appareant, reverenter sumantur: si autem nausea fiat, tunc species consecratæ caute separentur, et in loco aliquo sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.

14 Si Hostia vel particula consecrata ceciderit, sequentia sunt diligenter observanda:

a) Si dilabatur in terram, Sacerdos genuflexus eam reverenter accipiat, et locus ubi cecidit mundetur et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur.

b) Quod si sacra Hostia in locum sordidum cecidisset, ut fieri potest tempore pluvioso, nec amplius sine nausea sumi posset, servetur in Tabernaculo, loco separato, donec corrumpantur species, et tunc in sacrarium mittantur.

c) Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

15 Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus et cærimonias ipsas in eo servandas, de quibus omnibus in superioribus hujus sacræ Liturgiæ Bracarensis Sectionibus copiose dictum est.

Tit. 10 – De præcipuis causis defectuum in Missæ celebratione et de eorum remediis.

Præcipuæ causæ defectuum in Missæ celebratione sunt:

a) Ignorantia vel insufficiens cærimoniarum et sacrorum rituum cognitio, quæ provenit ex negligentia sacram Liturgiam colendi vel ex falsa persuasione quod scientia in seminario acquisita sufficiat.

b) Nimia festinatio in Missæ celebratione, unde: 1) generatur habitualis negligentia atque tepiditas imo etiam contemptus in sacris ritibus peragendis; 2) minuitur vel totaliter aufertur fervor, pietas, rerum sacrarum æstimatio, imo et spiritus fidei, sine quibus Sacerdos ad Altare cum fructu minime accedere potest; 3) absque ullo conscientiæ timore mutilantur verba et transponuntur cærimoniæ, nec fiunt tempore et modo a Rubricis præscripto. Hæc autem omnia fieri non possunt sine magno propriæ sanctificationis detrimento et non mediocri fidelium admiratione et scandalo.

c) Fragilitas humana, qua etiam boni Sacerdotes timorati et diligentes, inscienter quandoque et involuntarie deficiunt.

2 Sequentia adhibeantur remedia ad supradictas defectuum causas removendas:

a) Diligens et constans cærimoniarum et sacrorum rituum studium est remedium omnino necessarium, ad removendam eorum ignorantiam vel insufficientem cognitionem; ideoque semel saltem in anno Sacerdotes Bracarenses propriam saltem Liturgiam perlegere non omittant, quod præcipue cum fructu fiet, dum exercitiis spiritualibus vacant.

b) Studio autem addatur quandoque humilis et devota sacrorum rituum meditatio, quæ, dum mirabiliter excitat Sacerdotum pietatem, eos reddit aptissimos ad fideles instruendos circa res liturgicas; ideoque hæc devota meditatio indirecte quidem sed maxima efficacia ignorantiam removet et scientiam liturgicam fovet.

c) Gravitas et devotio in sacris ritibus peragendis aliud est necessarium remedium, quo Sacerdotes prudenter et diligentissime adlaborare debent, ne in festinationem incidant quæ miseranda est tot errorum et defectuum origo. Hanc vero devotionem et gravitatem obtinebunt Sacerdotes, si præcedentibus remediis constantis studii et piæ meditationis sacrorum rituum frequentem et piam addant etiam considerationem infinitæ majestatis Dei, cui Sacrificium offertur, et magnæ indigentiæ, paupertatis et miseriæ eorum, qui nomine Christi Sacrificium Deo offerunt. Hæc consideratio generabit humilitatis spiritum simul cum ardentissima pietate et devotione erga Deum et Christum ejus et firmam voluntatem sancta sancte tractandi.

d) Diligentissima ponderatio et attentio in omnibus quæ ante, infra et post Missam fiunt et dicuntur, aliud est remedium quo efficaciter defectibus occurritur, iis præcipue qui ex humana fragilitate originem ducunt.

e) Ultimum tandem remedium sit humilis et diuturna oratio ad Deum, cui placet concedere Sacerdotibus, humiliter petentibus, gratiam decenter et sancte celebrandi illud divinissimum Sacrificium, quo tam digne glorificatur Sanctissima Trinitas et tam fructuose sanctificatur et consolatur Ecclesia sancta Dei.

PRÆPARATIO AD MISSAM

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS FACIENDA

Quilibet Sacerdos, ex concessione Leonis XIII sub die 20 Dec. 1884, lucrari potest Indulgentiam unius anni, si ante Missæ celebrationem, recitatis Psalmis 83, 84, 85, 115 et 129, cum adnexa Antiphona, Versiculis et Orationibus ut infra, recitet in die assignata unam ex septem Orationibus S. Ambrosii.

Prædictam Indulgentiam, et alias Indulgentias Orationibus infra notatis concessas, Sacra Pœnitentiaria Apostolica, per Rescriptum diei 17 Novembris 1924, Sacerdotibus Bracarensibus benigne et in perpetuum concessit.

Ant. Ne reminiscáris, * Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. (T. P. Allelúja).

Quæ Antiphona in Duplicibus tantum duplicatur.

Psalmus 83

Quam diléčta tabernácula tua, Dómine virtútum: * concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini.

Cor meum, et caro mea * exsultavérunt in Deum vivum.

Etenim passer invénit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altária tua, Dómine virtútum: * Rex meus, et Deus meus.

Beáti, qui hábitant in domo tua, Dómine: * in sǽcula sæculórum laudábunt te.

Beátus vir, cujus est auxílium abs te: * ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum in loco, quem pósuit.

Etenim benedictiónem dabit legislátor, ibunt de virtúte in virtútem: * vidébitur Deus deórum in Sion.

Dómine, Deus virtútum, exáudi oratiónem meam: * áuribus pércipe, Deus Jacob.

Protéctor noster, áspice, Deus: * et réspice in fáciem Christi tui:

Quia mélior est dies una in átriis tuis, * super míllia.

Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: * magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum.

Quia misericórdiam, et veritátem díligit Deus: * grátiam et glóriam dabit Dóminus.

Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: * Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Glória Patri.

Psalmus 84

Benedixísti, Dómine, terram tuam: * avertísti captivitátem Jacob.

Remisísti iniquitátem plebis tuæ: * operuísti ómnia peccáta eórum.

Mitigásti omnem iram tuam: * avertísti ab ira indignatiónis tuæ.

Convérte nos, Deus, salutáris noster: * et avérte iram tuam a nobis.

Numquid in ætérnum irascéris nobis? * aut exténdes iram tuam a generatióne in generatiónem?

Deus, tu convérsus vivificábis nos: * et plebs tua lætábitur in te.

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: * et salutáre tuum da nobis.

Audiam quid loquátur in me Dóminus Deus: * quóniam loquétur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos: * et in eos, qui convertúntur ad cor.

Verúmtamen prope timéntes eum salutáre ipsíus: * ut inhábitet glória in terra nostra.

Misericórdia, et véritas obviavérunt sibi: * justítia, et pax osculátæ sunt.

Véritas de terra orta est: * et justítia de cælo prospéxit.

Etenim Dóminus dabit benignitátem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justítia ante eum ambulábit: * et ponet in via gressus suos.

Glória Patri.

Psalmus 85

Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me: * quóniam inops, et pauper sum ego.

Custódi ánimam meam, quóniam sanctus sum: * salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te.

Miserére mei, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: * lætífica ánimam servi tui, quóniam ad te, Dómine, ánimam meam levávi.

Quóniam tu, Dómine, suávis, et mitis: * et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te.

Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam: * et inténde voci deprecatiónis meæ.

In die tribulatiónis meæ clamávi ad te: * quia exaudísti me.

Non est símilis tui in diis, Dómine: * et non est secúndum ópera tua.

Omnes Gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine: * et glorificábunt nomen tuum.

Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: * tu es Deus solus.

Deduc me, Dómine, in via tua, et ingrédiar in veritáte tua: * lætétur cor meum ut tímeat nomen tuum.

Confitébor tibi, Dómine, Deus meus, in toto corde meo, * et glorificábo nomen tuum in ætérnum:

Quia misericórdia tua magna est super me: * et eruísti ánimam meam ex inférno inferióri.

Deus, iniqui insurrexérunt super me, et synagóga poténtium quæsiérunt ánimam meam: * et non proposuérunt te in conspéctu suo.

Et tu, Dómine, Deus miserátor et miséricors, * pátiens, et multæ misericórdiæ, et verax,

Réspice in me, et miserére mei, * da impérium tuum púero tuo: et salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut vídeant qui odérunt me, et confundántur: * quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me.

Glória Patri.

Psalmus 115

Crédidi, propter quod locútus sum: * ego autem humiliátus sum nimis.

Ego dixi in excéssu meo: * Omnis homo mendax.

Quid retríbuam Dómino, * pro ómnibus, quæ retríbuit mihi?

Cálicem salutáris accípiam: * et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: * pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus:

O Dómine, quia ego servus tuus: * ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ.

Dirupísti víncula mea: * tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo.

Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus: * in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem.

Glória Patri.

Psalmus 129

De profúndis clamávi ad te, Dómine: * Dómine, exáudi vocem meam:

Fiant aures tuæ intendéntes, * in vocem deprecatiónis meæ.

Si iniquitátes observáveris, Dómine: * Dómine, quis sustinébit?

Quia apud te propitiátio est: * et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Sustínuit ánima mea in verbo ejus: * sperávit ánima mea in Dómino.

A custódia matutína usque ad noctem: * speret Israël in Dómino.

Quia apud Dóminum misericórdia: * et copiósa apud eum redémptio.

Et ipse rédimet Israël, * ex ómnibus iniquitátibus ejus.

Glória Patri.

Deinde repetitur

Ant. Ne reminiscáris, Dómine, delícta nostra vel paréntum nostrórum, neque vindíctam sumas de peccátis nostris. (T. P. Allelúja).

Postea Sacerdos dicit:

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Ego dixi: Dómine, miserére mei. ℟. Sana ánimam meam, quia peccávi tibi.

℣. Convértere, Dómine, aliquántulum. ℟. Et deprecáre super servos tuos.

℣. Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos. ℟. Quemádmodum sperávimus in te.

℣. Sacerdótes tui induántur justítiam. ℟. Et Sancti tui exsúltent.

℣. Ab occúltis meis munda me, Dómine. ℟. Et ab aliénis parce servo tuo.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Aures tuæ pietátis, mitíssime Deus, inclína précibus nostris, et grátia Sancti Spíritus illúmina cor nostrum: ut tuis mystériis digne ministráre, teque ætérna caritáte dilígere mereámur.

Deus, cui omne cor patet et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri: ut te perfécte dilígere, et digne laudáre mereámur.

Ure igne Sancti Spíritus renes nostros et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus.

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet: et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem.

Adsit nobis, quǽsumus, Dómine, virtus Spíritus Sancti: quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis.

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére.

Consciéntias nostras, quǽsumus, Dómine, visitándo purífica: ut véniens Dóminus noster Jesus Christus, Fílius tuus, parátam sibi in nobis invéniat mansiónem: Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Oratio S. Ambrosii Episcopi

Die Dominica

Summe Sacérdos et vere Póntifex, Jesu Christe, qui te obtulísti Deo Patri hóstiam puram et immaculátam in ara crucis pro nobis míseris et peccatóribus, et qui dedísti nobis carnem tuam ad manducándum et sánguinem tuum ad bibéndum, et posuísti mystérium istud in virtúte Spíritus Sancti tui, dicens: Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis: rogo per eúmdem sánguinem tuum, magnum salútis nostræ prétium, rogo per hanc miram et ineffábilem caritátem, qua nos míseros et indígnos sic amáre dignátus es, ut laváres nos a peccátis nostris in sánguine tuo. Doce me servum tuum indígnum, quem inter cétera dona tua étiam ad offícium sacerdotále vocáre digná-

tus es, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ; doce me, quæso, per Spíritum Sanctum tuum, tantum tractáre mystérium ea reveréntia et honóre, ea devotióne et timóre, quibus opórtet et decet. Fac me per grátiam tuam semper illud de tanto mystério crédere et intellígere, sentíre et firmiter tenére, dícere et cogitáre quod tibi placet et éxpedit ánimæ meæ. Intret Spíritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strépitu verbórum loquátur omnem veritátem. Profúnda quippe sunt nimis, et sacro tecta velámine. Propter magnam cleméntiam tuam concéde mihi Missárum solémnia mundo corde et pura mente celebráre. Líbera cor meum ab immúndis et nefándis, vanis et nóxiis cogitatiónibus. Muni me beatórum Angelórum pia et fida custódia ac tutéla fortíssima, ut hostes ómnium bonórum confúsi discédant. Per virtútem tanti mystérii, et per manum sancti Angeli tui, repélle a me et a cunctis servis tuis duríssimum spíritum supérbiæ et cœnodóxiæ, invídiæ et blasphémiæ, fornicatiónis et immundítiæ, dubietátis et diffidéntiæ. Confundántur qui nos persequúntur, péreant illi qui nos pérdere festínant.

Feria II

Rex vírginum et amátor castitátis et integritátis, cæléstí rore benedictiónis tuæ exstíngue in córpore meo fómitem ardéntis libídinis, ut máneat in me tenor castitátis córporis et ánimæ. Mortífica in membris meis carnis stímulos omnésque libidinósas commotiónes, et da mihi veram et perpétuam castitátem, cum céteris donis tuis, quæ tibi placent in veritáte; ut sacrifícium laudis casto córpore et mundo corde váleam tibi offérre. Quanta enim cordis contritióne et lacrimárum fonte, quanta reveréntia et tremóre, quanta córporis castitáte et ánimæ puritáte istud divínum et cæléste sacrifícium est celebrándum, ubi caro tua in veritáte súmitur, ubi sanguis tuus in veritáte bíbitur, ubi ima summis, terréna divínis jungúntur, ubi adest sanctórum Angelórum præséntia, ubi tu es sacrifícium et sacérdos mirabíliter et ineffabíliter constitútus!

Feria III

Quis digne hoc sacrifícium celebráre póterit, nisi tu, Deus omnípotens, offeréntem féceris dignum? Scio, Dómine, et vere scio, et idípsum pietáti tuæ confíteor, quia non sum dignus accédere ad tantum mystérium propter nímia peccáta mea et infinítas negligéntias meas. Sed scio, et veráciter ex toto corde meo credo, et ore confíteor, quia tu potes me fácere dignum, qui solus potes fácere mundum de immúndo concéptum sémine, et de peccatóribus justos et sanctos. Per hanc omnipoténtiam tuam te rogo, Deus meus, ut concédas mihi peccatóri hoc sacrifícium celebráre cum timóre et tremóre, cum cordis puritáte et lacrimárum fonte, cum lætítia spiritáli et cælésti gáudio. Séntiat mens mea dulcédinem beatíssimæ præséntiæ tuæ, et excúbias sanctórum Angelórum tuórum in circúitu meo.

Feria IV

Ego enim, Dómine, memor venerándæ passiónis tuæ, accédo ad altáre tuum, licet peccátor, ut ófferam tibi sacrifícium quod tu instituísti et offérri præcepísti in commemoratiónem tui, pro salúte nostra. Súscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclésia sancta tua, et pro pópulo quem acquisivísti sánguine tuo. Et, quóniam me peccatórem inter te et eúmdem pópulum tuum, médium esse voluísti, licet in me áliquod boni óperis testimónium non agnóscas, offícium saltem dispensatiónis créditæ non recúses; nec, per me indígnum, eórum salútis péreat prétium, pro quibus víctima salutáris dignátus es esse et redémptio. Prófero étiam, Dómine, (si dignéris propítius intuéri), tribulatiónes plébium, perícula populórum, captivórum gémitus, misérias orphanórum, necessitátes peregrinórum, inópiam debílium, desperatiónes languéntium, deféctus senum, suspíria júvenum, vota vírginum, laménta viduárum.

Feria V

Tu enim miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti. Memoráre quæ sit nostra substántia; quia tu Pater noster es, quia tu Deus noster es, ne irascáris satis, neque multitúdinem víscerum tuórum super nos contíneas. Non enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitátes nostras, et ignem Sancti Spíritus in nobis cleménter accénde. Aufer cor lapídeum de carne nostra et da nobis cor cárneum, quod te amet, te díligat, te delectétur, te sequátur, te perfruátur. Orámus, Dómine, cleméntiam tuam, ut seréno vultu famíliam tuam, sacri tui nóminis offícia præstolántem, aspícere dignéris; et, ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, tu nobis preces súggere, quas ipse propítius audíre et exaudíre delectéris.

Feria VI

Rogámus étiam te, Dómine, sancte Pater, et pro spirítibus fidélium defunctórum, ut sit illis salus, sánitas, gáudium et refrigérium, hoc magnum pietátis sacraméntum. Dómine, Deus meus, sit illis hódie magnum et plenum convívium de te pane vivo, qui de cælo descendísti et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedícta, Agni vidélicet immaculáti, qui tollis peccáta mundi, quæ de sancto et glorióso beátæ Vírginis Maríæ útero est assúmpta et de Spíritu Sancto concépta; ac de illo pietátis fonte, qui per lánceam mílitis ex tuo sacratíssimo látere emanávit: ut, exinde refécti et satiáti, refrigeráti et consoláti, exsúltent in laude et glória tua. Peto cleméntiam tuam, Dómine, ut descéndat super panem tibi sacrificándum plenitúdo tuæ benedictiónis, et sanctificátio tuæ divinitátis. Descéndat étiam, Dómine, illa Sancti Spíritus tui invisíbilis incomprehensibilísque majéstas, sicut quondam in patrum hóstias descendébat; qui et oblatiónes nostras corpus et sánguinem tuum effíciat, et me indígnum sacer-

dótem dóceat tantum tractáre mystérium cum cordis puritáte et lacrimárum devotióne, cum reveréntia et tremóre, ita ut plácide ac benígne suscípias sacrifícium de mánibus meis, ad salútem ómnium tam vivórum quam defunctórum.

Sabbato

Rogo étiam te, Dómine, per ipsum sacrosánctum mystérium córporis et sánguinis tui, quo quotídie in Ecclésia tua páscimur et potámur, ablúimur et sanctificámur, atque uníus summæ divinitátis partícipes efficimur. Da mihi virtútes tuas sanctas, quibus replétus bona consciéntia ad altáre tuum accédam, ita ut hæc cæléstia sacraménta efficiántur mihi salus et vita. Tu enim dixísti ore tuo sancto et benedícto: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum. Panis dulcíssime, sana palátum cordis mei, ut séntiam suavitátem amóris tui. Sana illud ab omni languóre, ut nullam præter te séntiam dulcédinem. Panis candidíssime, habens omne delectaméntum et omnem sapórem, qui nos semper réficis et numquam in te déficis: cómedat te cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ Mandúcat te Angelus ore pleno: mandúcet te peregrínus homo pro módulo suo, ne defícere possit in via, tali recreátus viático. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendísti de cælo et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinaménto carnis et spíritus. Intra in ánimam meam, sana et munda me intérius et extérius. Esto tutámen et contínua salus ánimæ et córporis mei. Repélle a me insidiántes mihi hostes: recédant procul a præséntia poténtiæ tuæ, ut, foris et intus per te munítus, recto trámite ad tuum regnum pervéniam; ubi non in mystériis, sicut in hoc témpore ágitur, sed fácie ad fáciem te vidébimus, cum tradíderis regnum Deo et Patri, et eris Deus ómnia in ómnibus. Tunc enim me de te satiábis satietáte mirífica, ita ut nec esúriam, nec sítiam in ætérnum: Qui cum eódem Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Alia Oratio S. Ambrosii ante Missam

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 30 Dec. 1884

Ad mensam dulcíssimi convívii tui, pie Dómine Jesu Christe, ego peccátor de própriis meis méritis nihil præsúmens, sed de tua confídens misericórdia et bonitáte, accédere véreor et contremísco. Nam cor et corpus hábeo multis crimínibus maculátum, mentem et linguam non caute custodítam. Ergo, o pia Déitas, o treménda majéstas, ego miser, inter angústias deprehénsus, ad te fontem misericórdiæ recúrro, ad te festíno sanándus, sub tuam protectiónem fúgio; et, quem júdicem sustinére néqueo, salvatórem habére suspíro. Tibi, Dómine, plagas meas osténdo, tibi verecúndiam meam détego. Scio peccáta mea multa et magna, pro quibus tímeo: spero in misericórdias tuas, quarum non est númerus. Réspice ergo in me óculis misericórdiæ tuæ, Dómine Jesu Christe, Rex ætérne, Deus et homo, crucifíxus propter hóminem. Exáudi me sperántem in te: miserére mei pleni misériis et peccátis, tu qui fontem miseratiónis numquam manáre cessábis. Salve, salutáris víctima, pro me et omni humáno génere in patíbulo crucis obláta. Salve, nóbilis et pretióse sanguis, de vulnéribus crucifíxi Dómini mei Jesu Christi prófluens, et peccáta totíus mundi áblueus. Recordáre, Dómine, creatúræ tuæ, quam tuo sánguine redemísti. Pœ́nitet me peccásse, cúpio emendáre quod feci. Aufer ergo a me, clementíssime Pater, omnes iniquitátes et peccáta mea; ut, purificátus mente et córpore, digne degustáre mérear Sancta sanctórum. Et concéde, ut hæc sancta prælibátio córporis et sánguinis tui, quam ego indígnus súmere inténdo, sit peccatórum meórum remíssio, sit delictórum perfécta purgátio, sit túrpium cogitatiónum effugátio ac bonórum sénsuum regenerátio, operúmque tibi placéntium salúbris efficácia, ánimæ quoque et córporis contra inimicórum meórum insídias firmíssima tuítio. Amen.

Oratio S. Thomæ Aquinatis

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 30 Dec. 1884

Omnípotens sempitérne Deus, ecce accédo ad sacraméntum unigéniti Fílii tui, Dómini nostri, Jesu Christi: accédo tamquam infírmus ad médicum vitæ, immúndus ad fontem misericórdiæ, cæcus ad lumen claritátis ætérnæ, pauper et egénus ad Dóminum cæli et terræ. Rogo ergo imménsæ largitátis tuæ abundántiam, quátenus meam curáre dignéris infirmitátem, laváre fœditátem, illumináre cæcitátem, ditáre paupertátem, vestíre nuditátem; ut panem Angelórum, Regem regum et Dóminum dominántium, tanta suscípiam reveréntia et humilitáte, tanta contritióne et devotióne, tanta puritáte et fide, tali propósito et intentióne, sicut éxpedit salúti ánimæ meæ. Da mihi, quæso, Domínici córporis et sánguinis non solum suscípere sacraméntum, sed étiam rem et virtútem sacraménti. O mitíssime Deus, da mihi corpus unigéniti Fílii tui, Dómini nostri, Jesu Christi, quod traxit de Vírgine María, sic suscípere, ut córpori suo mýstico mérear incorporári, et inter ejus membra connumerári. O amantíssime Pater, concéde mihi diléctum Fílium tuum, quem nunc velátum in via suscípere propóno, reveláta tandem fácie perpétuo contemplári: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Oratio ad B. Mariam Virg. ante Missam

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 17 Febr. 1887

O Mater pietátis et misericórdiæ, beatíssima Virgo María, ego miser et indígnus peccátor ad te confúgio toto corde et afféctu; et precor pietátem tuam, ut, sicut dulcíssimo Fílio tuo in cruce pendénti astitísti, ita et mihi, mísero peccatóri, et sacerdótibus ómnibus, hic et in tota sancta Ecclésia

hódie offeréntibus, cleménter assístere dignéris, ut, tua grátia adjúti, dignam et acceptábilem hóstiam in conspéctu summæ et individuæ Trinitátis offérre valeámus. Amen.

Oratio ad S. Joseph

Indulgentia 100 dierum semel in die - Pius PP. IX, 4 Febr. 1877

O felícem virum, beátum Joseph, cui datum est Deum, quem multi reges voluérunt vidére et non vidérunt, audíre et non audiérunt, non solum vidére et audíre, sed portáre, deosculári, vestíre et custodíre!

℣. Ora pro nobis, beáte Joseph. ℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

Orémus.

Deus, qui dedísti nobis regále sacerdótium: præsta, quǽsumus; ut, sicut beátus Joseph unigénitum Fílium tuum, natum ex María Vírgine, suis mánibus reverénter tractáre méruit et portáre, ita nos fácias cum cordis mundítia et óperis innocéntia tuis sanctis altáribus deservíre, ut sacrosánctum Fílii tui corpus et sánguinem hódie digne sumámus, et in futúro sǽculo prǽmium habére mereámur ætérnum. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio ad omnes Angelos et Sanctos

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 20 Dec. 1884

Angeli, Archángeli, Throni, Dominatiónes, Principátus, Potestátes, Virtútes cælórum, Chérubim atque Séraphim, omnes Sancti et Sanctæ Dei, præsértim Patróni mei, intercédere dignémini pro me, ut hoc sacrifícium Deo omnipoténti digne váleam offérre, ad laudem et glóriam nóminis sui et ad utilitátem meam totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ. Amen.

Oratio ad Sanctum in cujus honorem Missa celebratur

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 20 Dec. 1884

O sancte N., ecce ego miser peccátor, de tuis méritis confísus, óffero nunc sacratíssimum sacraméntum córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi pro tuo honóre et glória. Precor te humíliter et devóte, ut pro me hódie intercédere dignéris, ut tantum sacrifícium digne et acceptabíliter offérre váleam, ut eum tecum et cum ómnibus eléctis ejus æternáliter laudáre, atque cum eo regnáre váleam: Qui vivit et regnat in sǽcula sæculórum. Amen.

Declaratio intentionis ante Missam

Indulgentia 50 dierum semel in die - Gregorius PP. XIII

Ego volo celebráre Missam, et confícere corpus et sánguinem Dómini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Bracarénsis Ecclésiæ, ad laudem omnipoténtis Dei totiúsque Cúriæ triumphántis, ad utilitátem meam totiúsque Cúriæ militántis, pro ómnibus qui se commendavérunt oratiónibus meis in génere et in spécie, et pro felíci statu sanctæ Románæ et Bracarénsis Ecclésiæ. Amen.

Gáudium cum pace, emendatiónem vitæ, spátium veræ pœniténtiæ, grátiam et consolatiónem Sancti Spíritus, perseverántiam in bonis opéribus, tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus. Amen.

ORATIONES
DICENDÆ CUM SACERDOS INDUITUR SACERDOTALIBUS PARAMENTIS

Dum pectinat caput, dicat:

Intérius exteriúsque, caput meum totúmque corpus simul et mentem, tuus, Dómine, emúndet et répleat Spíritus. Amen.

Cum lavat manus, dicat:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad extergéndam omnem máculam immúndam, ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Antequam sumat Amictum, muniat se signo Crucis, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Ad Amictum, dum ponitur super caput, dicat:

Pone, Dómine, gáleam salútis in cápite meo, ad expugnándas et superándas omnes diabólicas fraudes, et ómnium inimicórum meórum, persequéntium me, sævítiam superándam. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Ad Albam, cum ea induitur:

Indue me, Dómine, vestiménto salútis, et induménto justítiæ circúmda me. Per Christum.

Ad Cingulum, dum se cingit:

Præcinge, Dómine, cíngulo fídei et virtúte castitátis lumbos mei córporis: et cómprime et exstíngue in eis humórem libídinis; ut júgiter máneat in me tenor totíus castitátis. Per Christum.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro:

Mérear, precor, Dómine, Manípulum portáre mente flébili cum patiéntia, ut illum cum exsultatióne deferéndo, cum justis portiónem accípiam. Per Christum.

Ad Stolam, dum imponitur collo:

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et, quia cum hoc ornaménto, quamvis indígnus, accédo ad tuum sanctum ministérium, cum eódem mérear lætári in perpétuum. Per Christum.

Ad Casulam, cum assumitur:

Dómine, qui dixísti discípulis tuis: Jugum meum suáve est, et onus meum leve: præsta, ut sic illud deportáre váleam, quátenus cónsequi possim tuam grátiam: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

ORATIONES

DICENDÆ AB EPISCOPO QUANDO IN PONTIFICALIBUS CELEBRAT

Ad Caligas:

Cálcea, Dómine, pedes meos in præparatiónem evangélii pacis, et prótege me in velaménto alárum tuárum. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Cum exuitur Cappa:

Exue me, Dómine, véterem hóminem cum móribus et áctibus suis: et indue me novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia, et sanctitáte veritátis. Per Christum.

Cum lavat manus:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad absterséndam omnem máculam immúndam; ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Antequam sumat Amictum, muniat se signo Crucis, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Ad Amictum:

Impóne, Dómine, gáleam salútis in cápite meo, ad expugnándas omnes diabólicas fraudes, inimicórum ómnium versútias superándo. Per Christum.

Ad Albam:

Deálba me, Dómine, et a delícto meo munda me: ut cum his, qui stolas suas dealbavérunt in sánguine Agni, gáudiis pérfruar sempitérnis. Per Christum.

Ad Cingulum:

Præcinge, Dómine, cíngulo fídei et virtúte castitátis lumbos meos, et exstíngue in eis humórem libídinis; ut júgiter máneat in me vigor totíus castitátis. Per Christum.

Cum accipit Crucem pectoralem:

Muníre dignéris me, Dómine Jesu Christe, ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium, signo sanctíssimæ Crucis tuæ: ac concédere dignéris mihi indígno servo tuo, ut sicut hanc Crucem, Sanctórum tuórum relíquiis refértam, ante pectus meum téneo, sic semper mente retíneam et memóriam passiónis, et sanctórum victórias Mártyrum: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

Ad Stolam:

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et, quamvis indígnus accédere præsúmo ad tuum sacrum mystérium cum hoc ornaménto, præsta, ut in eódem in perpétuum mérear lætári. Per Christum.

Ad Tunicellam:

Túnica jucunditátis, et induménto lætítiæ índuat me Dóminus. Per Christum.

Ad Dalmaticam:

Indue me, Dómine, induménto salútis et vestiménto lætítiæ; et dalmática justítiæ circúmda me semper. Per Christum.

Ad Chirothecas:

Circúmda, Dómine, manus meas mundítia novi hóminis, qui de cælo descéndit: ut, quemádmodum Jacob diléctus tuus, pellículis hædórum opértis mánibus, patérnam benedictiónem, obláto patri cibo potúque gratíssimo, impetrávit; sic et, obláta per manus nostras salutáris hóstia, grátiæ tuæ benedictiónem mérear. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui in similitúdinem carnis peccáti pro nobis óbtulit semetípsum. Amen.

Ad Planetam:

Dómine, qui dixísti: Jugum meum suáve est, et onus meum leve: præsta, ut illud portáre sic váleam, quod possim cónsequi tuam grátiam: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

Ad Mitram:

Mitram, Dómine, et salútis gáleam impóne cápiti meo; ut contra antíqui hostis omniúmque inimicórum meórum insídias inofféensus evádam. Per Christum.

Ad Anulum cordis:

Cordis et córporis mei, Dómine, dígitos virtúte decóra, et septifórmis Spíritus sanctificatióne circúmda. Per Christum Dóminum nostrum, qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Ad Manipulum:

Mérear, precor, Dómine, Manípulum portáre mente flébili; ut cum exsultatióne portiónem accípiam cum justis. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

QUANDO PONTIFEX CELEBRAT PRIVATE DICAT SEQUENTES ORATIONES

Cum exuitur Cappa:

Exue me, Dómine, véterem hóminem cum móribus et áctibus suis: et indue me novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia, et sanctitáte veritátis. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Cum manus lavat:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad extergéndam omnem máculam immúndam; ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Antequam sumat Amictum, muniat se signo Crucis, dicens:

In nómine Patris, et Filii, et Spíritus Sancti. Amen.

Ad Amictum:

Pone, Dómine, gáleam salútis in cápite meo, ad expugnándas et superándas omnes diabólicas fraudes, et ómnium inimicórum meórum, persequéntium me, sævitiam superándam. Per Christum.

Ad Albam:

Indue me, Dómine, vestiménto salútis, et induménto justitiæ circúmda me. Per Christum.

Ad Cingulum:

Præcinge, Dómine, cíngulo fídei et virtúte castitátis lumbos mei córporis: et cómprime et exstíngue in eis humórem libídinis; ut júgiter máneat in me tenor totíus castitátis. Per Christum.

Ad Crucem:

Munire dignéris me, Dómine Jesu Christe, ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium, signo sanctíssimæ Crucis tuæ: ac concédere dignéris mihi indigno servo tuo, ut sicut hanc Crucem, Sanctórum tuórum relíquiis refértam, ante pectus meum téneo, sic semper mente retíneam et memóriam passiónis, et sanctórum victórias Mártyrum: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

Ad Stolam:

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis; et, quia cum hoc ornaménto, quamvis indignus, accédo ad tuum sanctum ministérium, cum eódem mérear lætári in perpétuum. Per Christum.

Ad Planetam:

Dómine, qui dixísti discípulis tuis: Jugum meum suáve est, et onus meum leve: præsta, ut sic illud deportáre váleam, quátenus cónsequi possim tuam grátiam: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

Ad Manipulum:

Mérear, precor, Dómine, Manípulum portáre mente flébili cum patiéntia; ut, illum cum exsultatióne deferéndo, cum justis portiónem accípiam. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MISSAM

Sacra Pœnitentiaria Apostolica, per Rescriptum diei 17 Novembris 1924, Sacerdotibus Bracarensibus benigne et in perpetuum concessit Indulgentiam unius anni, si, post Missam celebratam, dicto Hymno Ambrosiano, Cantico trium Puerorum et Psalmo 116 cum adnexa Antiphona, Versiculis et **Orémus**, recitent Orationem S. Thomæ Aquinatis **Grátias tibi ago**, et Orationem S. Bonaventuræ **Transfige**.

Per idem Rescriptum diei 17 Novembris, Sacra Pœnitentiaria Apostolica, omnes alias indulgentias Orationibus infra notatis adnexas Sacerdotibus quoque Bracarensibus benigne et in perpetuum concessit.

Facta Commemoratione beatæ Mariæ Virginis et absolutis Precibus post Missam, Celebrans, dum recedit ab Altari, incipit et prosequitur sequentem Hymnum Ambrosianum:

Te Deum laudámus: * te Dóminum confitémur.

Te ætérnum Patrem * omnis terra venerátur.

Tibi omnes Angeli, * tibi Cæli, et univérsæ Potestátes:

Tibi Chérubim et Séraphim * incessábili voce proclámant:

Sanctus,

Sanctus,

Sanctus * Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli et terra * majestátis glóriæ tuæ.

Te gloriósus * Apostolórum chorus,

Te Prophetárum * laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus * laudat exércitus.

Te per orbem terrárum * sancta confitétur Ecclésia,

Patrem * imménsæ majestátis;

Venerándum tuum verum * et únicum Fílium:

Sanctum quoque * Paráclitum Spíritum.

Tu Rex glóriæ, * Christe.

Tu Patris * sempitérnus es Fílius.

Tu, ad liberándum susceptúrus hóminem, * non horruísti Vírginis úterum.

Tu, devícto mortis acúleo, * aperuísti credéntibus regna cælórum.

Tu ad déxteram Dei sedes, * in glória Patris.

Judex créderis * esse ventúrus.

Te ergo quǽsumus, tuis fámulis súbveni, * quos pretióso sánguine redemísti.

Ætérna fac cum Sanctis tuis * in glória numerári.

Salvum fac pópulum tuum, Dómine, * et bénedic hereditáti tuæ.

Et rege eos, * et extólle illos usque in ætérnum.

Per singulos dies * benedicimus te;

Et laudámus nomen tuum in sǽculum, * et in sǽculum sǽculi.

Dignáre, Dómine, die isto * sine peccáto nos custodíre.

Miserére nostri, Dómine, * miserére nostri.

Fiat misericórdia tua, Dómine, super nos, * quemádmodum sperávimus in te.

In te, Dómine, sperávi: * non confúndar in ætérnum.

Deinde Sacerdos recitat:

Ant. Trium puerórum * cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum (T. P. Allelúja).

Quæ Antiphona in Duplicibus tantum duplicatur et Solemnibus.

Canticum trium Puerorum

Dan. 3, 57-88 et 56

Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: * benedícite, cæli, Dómino.

Benedícite, aquæ omnes, quæ super cælos sunt, Dómino: * benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino.

Benedícite, sol et luna, Dómino: * benedícite, stellæ cæli, Dómino.

Benedícite, omnis imber et ros, Dómino: * benedícite, omnes spíritus Dei, Dómino.

Benedícite, ignis et æstus, Dómino: * benedícite, frigus et æstus, Dómino.

Benedícite, rores et pruína, Dómino: * benedícite, gelu et frigus, Dómino.

Benedícite, glácies et nives, Dómino: * benedícite, noctes et dies, Dómino.

Benedícite, lux et ténebræ, Dómino: * benedícite, fúlgura et nubes, Dómino.

Benedicat terra Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sǽcula.

Benedícite, montes et colles, Dómino: * benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino.

Benedícite, fontes, Dómino: * benedícite, mária et flúmina, Dómino.

Benedícite, cete, et ómnia, quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino.

Benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino: * benedícite, filii hóminum, Dómino.

Benedicat Israël Dóminum: * laudet et superexáltet eum in sǽcula.

Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: * benedícite, servi Dómini, Dómino.

Benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino: * benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino.

Benedícite, Anania, Azaría, Misaël, Dómino: * laudáte et superexaltáte eum in sǽcula.

Benedicámus Patrem et Filium cum Sancto Spíritu: * laudémus et superexaltémus eum in sǽcula.

Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli: * et laudábilis, et gloriósus, et superexaltátus in sǽcula.

¶ Hic non dicitur Glória Patri, neque Amen.

Psalmus 116

Laudáte Dóminum, omnes Gentes: * laudáte eum, omnes pópuli:

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: *et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri.

Et repetitur:

Ant. Trium puerórum cantémus hymnum, quem cantábant sancti in camíno ignis, benedicéntes Dóminum (T. P. Allelúja).

Postea Sacerdos dicit:

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Confiteántur tibi, Dómine, ómnia ópera tua. ℟. Et sancti tui benedícant tibi.

℣. Exsultábunt sancti in glória. ℟. Lætabúntur in cubílibus suis.

℣. Non nobis, Dómine, non nobis. ℟. Sed nómini tuo da glóriam.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum.

Actiónes nostras, quǽsumus, Dómine, aspirándo prǽveni et adjuvándo proséquere: ut cuncta nostra orátio et operátio a te semper incípiat, et per te cœpta finiátur.

Da nobis, quǽsumus, Dómine, vitiórum nostrórum flammas exstínguere: qui beáto Lauréntio tribuísti tormentórum suórum incéndia superáre. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orationes

PRO OPPORTUNITATE SACERDOTIS DICENDÆ

Oratio S. Thomæ Aquinatis

Grátias tibi ago, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, qui me peccatórem, indígnum fámulum tuum, nullis meis méritis, sed sola dignatióne misericórdiæ tuæ satiáre dignátus es pretióso córpore et sánguine Fílii tui, Dómini nostri, Jesu Christi. Et precor, ut hæc sancta commúnio non sit mihi reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam. Sit mihi armatúra fídei, et scutum bonæ voluntátis. Sit vitiórum meórum evacuátio, concupiscéntiæ et libídinis exterminátio, caritátis et patiéntiæ, humilitátis et obediéntiæ, omniúmque virtútum augmentátio: contra insídias inimicórum ómnium, tam visibílium quam invisibílium, firma defénsio: mótuum meórum, tam carnálium quam spirituálium, perfécta quietá-

tio: in te uno ac vero Deo firma adhǽsio; atque finis mei felix consummátio. Et precor te ut ad illud ineffábile convívium me peccatórem perdúcere dignéris, ubi tu, cum Fílio tuo et Spíritu Sancto, sanctis tuis es lux vera, satiétas plena, gáudium sempitérnum, jucúnditas consummáta et felícitas perfécta. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio S. Bonaventuræ

Transfíge, dulcíssime Dómine Jesu, medúllas et víscera ánimæ meæ suavíssimo ac salubérrimo amóris tui vúlnere, vera serenáque et apostólica sanctíssima caritáte, ut lángueat et liquefíat ánima mea solo semper amóre et desidério tui: te concupíscat et defíciat in átria tua, cúpiat dissólvi et esse tecum. Da ut ánima mea te esúriat, panem Angelórum, refectiónem animárum sanctárum; panem nostrum quotidiánum, supersubstantiálem, habéntem omnem dulcédinem et sapórem, et omne delectaméntum suavitátis. Te, in quem desiderant Angeli prospícere, semper esúriat et cómedat cor meum, et dulcédine sapóris tui repleántur víscera ánimæ meæ; te semper sítiat fontem vitæ, fontem sapiéntiæ et sciéntiæ, fontem ætérni lúminis, torréntem voluptátis, ubertátem domus Dei. Te semper ámbiat, te quærat, te invéniat, ad te tendat, ad te pervéniat, te meditétur, te loquátur, et ómnia operétur in laudem et glóriam nóminis tui, cum humilitáte et discretióne, cum dilectióne et delectatióne, cum facilitáte et afféctu, cum perseverántia usque in finem; ut tu sis solus semper spes mea, tota fidúcia mea, divítiæ meæ, delectátio mea, jucúnditas mea, gáudium meum, quies et tranquíllitas mea, pax mea, suávitas mea, odor meus, dulcédo mea, cibus meus, reféctio mea, refúgium meum, auxílium meum, sapiéntia mea, pórtio mea, posséssio mea, thesáurus meus, in quo fixa et firma et immobíliter semper sit radicáta mens mea et cor meum. Amen.

Aspirationes S. Ignatii ad Ssm̃um Redemptorem

Indulgentia 7 annorum semel in die, si Sacerdos hanc orationem recitet post Missam; 300 dierum toties quoties, plenaria semel in mense, si recitetur quotidie, conditionibus ordinariis, addita visitatione alicujus ecclesiæ vel oratorii — Pius PP. IX, 9 Jan. 1854.

Anima Christi, sanctífica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inébria me. Aqua láteris Christi, lava me. Pássio Christi, confórta me. O bone Jesu, exáudi me. Intra tua vúlnera abscónde me. Ne permíttas me separári a te. Ab hoste malígno defénde me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me veníre ad te, ut cum sanctis tuis laudem te in sǽcula sæculórum. Amen.

Oblatio sui


Indulgentia 300 dierum semel in die — Leo PP. XIII, 26 Maii 1883

Súscipe, Dómine, univérsam meam libertátem. Accipe memóriam, intelléctum atque voluntátem omnem. Quidquid hábeo vel possídeo, mihi largítus es: id tibi totum restítuo, ac tuæ prorsus voluntáti trado gubernándum. Amórem tui solum cum grátia tua mihi dones, et dives sum satis, nec líud quidquam ultra posco.

Oratio ad D. N. J. C. Crucifixum

Indulgentia plenaria recitantibus post Missam
Pius PP. IX, 31 Julii 1858

En ego, o bone et dulcíssime Jesu, ante conspéctum tuum génibus me provólvo, ac máximo ánimi ardóre te oro atque obtéstor, ut meum in cor vívidos fídei, spei et caritátis sensus, atque veram peccatórum meórum pœniténtiam, éaque emendándi firmíssimam voluntátem velis imprímere;



Obediens usque ad mortem Crucis.

dum magno ánimi afféctu et dolóre tua quinque vúlnera mecum ipse consídero ac mente contémplor, illud præ óculis habens, quod jam in ore ponébat tuo David prophéta de te, o bone Jesu: Fodérunt manus meas et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea. Ps. 21, 17.

Alia Oratio

Orationem sequentem recitanti flexis genibus, nisi impediatur, conceditur remissio defectuum et culparum in celebratione Missæ ex humana fragilitate contractarum — Pius PP. X, 29 Aug. 1912.
Item, Indulgentia 3 annorum — Pius PP. IX, 11 Dec. 1846.

Obsecro te, dulcíssime Dómine Jesu Christe, ut pássio tua sit mihi virtus, qua múniar, prótegar atque deféndar; vúlnera tua sint mihi cibus potúsque, quibus pascar, inébrier atque delé-

ster; aspérsio sánguinis tui sit mihi ablútio ómnium delictórum meórum; mors tua sit mihi vita indéficiens; crux tua sit mihi glória sempitérna. In his sit mihi reféctio, exsultátio, sánitas et dulcédo cordis mei: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

Rhythmus S. Thomæ Aquinatis

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 20 Dec. 1884

Adóro te devóte, latens Déitas,
Quæ sub his figúris vere látitas:
Tibi se cor meum totum súbjicit,
Quia, te contémplans, totum déficit.

Visus, tactus, gustus in te fállitur,
Sed audítu solo tuto créditur:
Credo quidquid dixit Dei Fílius,
Nil hoc verbo Veritátis vérius.

In cruce latébat sola Déitas,
At hic latet simul et humánitas;
Ambo tamen credens atque cónfitens,
Peto quod petívit latro pœ́nitens.

Plagas, sicut Thomas, non intúeor,
Deum tamen meum te confíteor:
Fac me tibi semper magis crédere,
In te spem habére, te dilígere.

O memoriále mortis Dómini,
Panis vivus, vitam præstans hómini,
Præsta meæ menti de te vívere
Et te illi semper dulce sápere.

Pie pellicáne, Jesu Dómine,
Me immúndum munda tuo sánguine,
Cujus una stilla salvum fácere
Totum mundum quit ab omni scélere.

Jesu, quem velátum nunc aspício,
Oro, fiat illud quod tam sítio:
Ut, te reveláta cernens fácie,
Visu sim beátus tuæ glóriæ. Amen.

Oratio ad B. Mariam Virg.

Indulgentia 100 dierum semel in die - Leo PP. XIII, 20 Dec. 1884

O María, Virgo et mater sanctíssima, ecce suscépi dilectíssimum Fílium tuum, quem immaculáto útero tuo concepísti, genuísti, lactásti, atque suavíssimis ampléxibus strinxísti. Ecce, cujus aspéctu lætabáris et ómnibus delíciis repleébáris, illum ipsum tibi humíliter et amánter repræsénto et óffero, tuis bráchiis constringéndum, tuo corde amándum, sanctissimǽque Trinitáti in suprémum latríæ cultum, pro tui ipsíus honóre et glória et pro meis totiúsque mundi necessitátibus, offeréndum. Rogo ergo te, piíssima Mater, ímpetra mihi véniam ómnium peccatórum meórum, uberémque grátiam ipsi deínceps fidélius serviéndi, ac dénique grátiam finálem, ut eum tecum laudáre possim per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Oratio ad S. Joseph

Indulgentia 100 dierum semel in die - Pius PP. IX, 4 Febr. 1877


Vírginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fidéli custódiæ ipsa Innocéntia Christus Jesus et Virgo vírginum María commíssa fuit; te per hoc utrúmque caríssimum pignus, Jesum et Maríam, óbsecro et obtéstor, ut me, ab omni immundítia præservátum, mente incontamináta, puro corde et casto córpore Jesu et Maríæ semper fácias castíssime famulári. Amen.

Oratio ad Sanctum in cujus honorem Missa celebrata est

Indulgentia 100 dierum semel in die
Benedictus PP. XV, 10 Nov. 1917

Sancte N., in cujus honórem incruéntum córporis et sánguinis Christi sacrifícium óbtuli, fac, tua poténti apud Deum intercessióne, ut, usu hujus mystérii, passiónis et mortis ejúsdem Christi Salvatóris nostri mérita cónsequar, ac cum illíus frequentatióne, contínuo crescat meæ salútis efféctus. Amen.

PAX



INCIPIT MISSALE

SECUNDUM ORDINEM ET REGULAM

ALMÆ BRACARENSIS ECCLESIÆ

PROPRIUM DE TEMPORE

Dominica I Adventus

Introitus Ps. 24, 1-3

Ad te levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur. ℣. Ps. ibid., 4 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: et sémitas tuas édoce me. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sǽcula sæculórum. Amen.

Et repetitur Introitus Ad te levávi *usque ad Versum exclusive.*

Deinde dicitur Kýrie, eléison, *ter;* Christe, eléison, *ter;* Kýrie, eléison, *ter.*

¶ *In Missis de Tempore, ab hac Dominica usque ad Vigiliam Nativitatis Domini inclusive, non dicitur* Glória in excélsis.

Orémus **Oratio**

Excita, quǽsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

¶ *Ab hac die usque ad diem 23 Decembris inclusive, quando dicendæ sint juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, etiam infra Octavas, aut in Vigiliis, quæ non sint de beata Maria Virg., erunt sequentes:*

2ª de S. Maria **Oratio**

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere vo-

luisti: præsta supplicibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. (Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum).

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admitte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

vel 3ª pro Papa Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, proficere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13, 11-14

Fratres: Sciéntes, quia hora est jam nos de somno súrgere. Nunc enim própior est nostra salus, quam cum credídimus. Nox præcéssit, dies autem appropinquávit. Abjiciámus ergo ópera tenebrárum, et induámur arma lucis. Sicut in die honéste ambulémus: non in comessatiónibus, et ebrietátibus, non in cubílibus, et impudicítiis, non in contentióne, et æmulatióne: sed induímini Dóminum Jesum Christum.

Graduale Ps. 24, 3-4 Univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur, Dómine. ℣. Vias tuas, Dómine, notas fac mihi: et sémitas tuas édoce me.

Allelúja, allelúia. ℣. Ps. 84, 7 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

Et repetitur semel Allelúja.

¶ In Feriis Adventus, quando per hebdomadam resumitur Missa de Dominica, non dicitur Allelúja, nec Versus sequens, sed tantum Graduale.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 1, 1-8

Princípium evangélii Jesu Christi, Fílii Dei, sicut scriptum est in Isaía prophéta: Ecce mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te. Vox clamántis in desérto: paráte viam Dómini, rectas fácite sémitas ejus. Fuit Joánnes in desérto baptízans, et prædicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum. Et egrediebátur ad eum omnis Judǽa régio, et Jerosolymítæ univérsi: et baptizabántur ab illo in Jordáne flúmine, confiténtes peccáta sua. Et erat Joánnes vestítus pilis caméli, et zona pellícea circa lumbos ejus: et locústas et mel silvéstre edébat: et prædicábat dicens: Venit fórtior me post me, cujus non sum dignus, procúmbens sólvere corrígiam calceamentórum ejus. Ego baptizávi vos aqua; ille vero baptizábit vos Spíritu Sancto.

Credo.

Et dicitur in omnibus Dominicis per Annum, tam occurrentibus quam anticipatis, vel, etiam quoad Officium, repositis.

Offertorium Ps. 24, 1-3 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam:

neque irrideant me inimíci mei: étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur.

Secreta

Hæc sacra nos, Dómine, poténti virtúte mundátos, ad suum fáciant purióres veníre princípium. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

2ª de S. Maria — Secreta

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine, veræ fídei sacraménta confírma: ut, qui concéptum de Vírgine Deum verum et hóminem confitémur; per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. (Per eúmdem Dóminum).

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur et mente. Per Dóminum.

vel 3ª pro Papa — Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Præfatio de Sanctissima Trinitate.

¶ Hæc præfatio dicitur in omnibus Dominicis, etiam Sabbato anticipatis, Præfationem propriam vel de Tempore assignatam non habentibus, juxta Rubricas; non vero in diebus ferialibus, quando resumitur Missa Dominicæ, sed tunc dicitur Præfatio communis, nisi facienda sit aliqua Commemoratio, quæ Præfationem propriam exigat, juxta Rubricas. In Missis tamen de Tempore Adventus, numquam dicitur Præfatio de beata Maria.

Communio Ps. 84, 13 Dóminus dabit benignitátem: et terra nostra dabit fructum suum.

Postcommunio

Suscipiámus, Dómine, misericórdiam tuam in médio templi tui: ut reparatiónis nostræ ventúra solémnia cóngruis honóribus præcedámus. Per Dóminum.

2ª de S. Maria — Postcommunio

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus; per passiónem ejus et crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur. (Per eúmdem Dóminum).

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére; humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

vel 3ª pro Papa — Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper et múniat. Per Dóminum.

¶ Dicitur Benedicámus Dómino. Et sic servetur, quoties non dicitur Glória in excélsis Deo.

¶ Infra hebdomadam, si dicenda sit Missa de Feria, resumitur Missa Domi-

nicæ præcedentis, nisi propria Missa assignetur; et similiter sumuntur Orationes de Dominica, quando de Feria, quæ Missam propriam non habeat, facienda sit Commemoratio juxta Rubricas.

¶ Quum Tempore Adventus, Quadragesimæ a die Cinerum usque ad Sabbatum post Dominicam Passionis inclusive, Quatuor Temporibus, in Vigiliis et Litaniis tam majoribus quam minoribus dicitur Missa de quolibet Festo, extra Missam conventualem vel cantatam semper fit Commemoratio de Feria: quæ etiam fit in Missa conventuali et in Missis cantatis, nisi alia dicatur Missa pariter conventualis vel cantata de Feria. Et pro Commemoratione Feriarum Adventus dicitur Oratio Dominicæ præcedentis, nisi sint Quatuor Tempora, in quibus habetur Oratio propria.

Dominica II Adventus

Introitus Isai. 30, 30

Pópulus Sion, ecce Dóminus véniet ad salvándas gentes: et audítam fáciet Dóminus glóriam vocis suæ in lætítia cordis vestri. ℣. Ps. 79, 2 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. ℣. Glória Patri. Pópulus Sion.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Excita, Dómine, corda nostra ad præparándas Unigéniti tui vias: ut per ejus advéntum, purificátis tibi méntibus servíre mereámur: Qui tecum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut in Dominica I Adventus, 1-2.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 15, 4-13

Fratres: Quæcúmque scripta sunt, ad nostram doctrínam scripta sunt: ut per patiéntiam, et consolatiónem Scripturárum, spem habeámus. Deus autem patiéntiæ, et solátii, det vobis idípsum sápere in altérutrum secúndum Jesum Christum: ut unánimes, uno ore honorificétis Deum et Patrem Dómini nostri Jesu Christi. Propter quod suscípite ínvicem, sicut et Christus suscépit vos in honórem Dei. Dico enim Christum Jesum minístrum fuísse circumcisiónis propter veritátem Dei, ad confirmándas promissiónes patrum: gentes autem super misericórdia honoráre Deum, sicut scriptum est: Proptérea confitébor tibi in géntibus, Dómine, et nómini tuo cantábo. Et íterum dicit: Lætámini, gentes, cum plebe ejus. Et íterum: Laudáte, omnes gentes, Dóminum: et magnificáte eum, omnes pópuli. Et rursus Isaías ait: Erit radix Jesse, et qui exsúrget régere gentes, in eum gentes sperábunt. Deus autem spei répleat vos omni gáudio, et pace in credéndo: ut abundétis in spe, et virtúte Spíritus Sancti.

Graduale Ps. 49, 2-3 et 5 Ex Sion spécies decóris ejus: Deus maniféste véniet. ℣. Congregáte illi sanctos ejus, qui ordinavérunt testaméntum ejus super sacrifícia.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 121, 1 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21, 25-33

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressúra géntium præ confusióne sónitus maris, et flúctuum: arescéntibus homínibus præ timóre et exspectatióne, quæ supervénient univérso orbi: nam virtútes cælórum movebúntur. Et tunc vidébunt Fílium hóminis veniéntem in nube cum potestáte magna, et majestáte. His autem fíeri incipiéntibus, respícite, et leváte cápita vestra: quóniam appropínquat redémptio vestra. Et dixit illis similitúdinem: Vidéte ficúlneam, et omnes árbores: cum prodúcunt jam ex se fructum, scitis quóniam prope est æstas. Ita et vos cum vidéritis hæc fíeri, scitóte quóniam prope est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteríbit generátio hæc, donec ómnia fiant. Cælum et terra transíbunt: verba autem mea non transíbunt. Credo.

Offertorium Ps. 84, 7-8 Deus, tu convérsus vivificábis nos, et plebs tua lætábitur in te: osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis.

Secreta

Placáre, quǽsumus, Dómine, humilitátis nostræ précibus et hóstiis: et ubi nulla súppetunt suffrágia meritórum, tuis nobis succúrre præsídiis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 3.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Bar. 5, 5; 4, 36 Jerúsalem, surge et sta in excélso, et vide jucunditátem, quæ véniet tibi a Deo tuo.

Postcommunio

Repléti cibo spirituális alimóniæ, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, hujus participatióne mystérii, dóceas nos terréna despícere et amáre cæléstia. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 3.

Dominica III Adventus

Introitus Phil. 4, 4-6

Gaudéte in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus enim prope est. Nihil sollíciti sitis: sed in omni oratióne petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. ℣. Philipp. 4, 7 Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias vestras. ℣. Glória Patri. Gaudéte in Dómino.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Aurem tuam, quǽsumus, Dómine, précibus nostris accómmoda: et mentis nostræ ténebras, grátia tuæ visitatiónis illústra: Qui vivis.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut in Dominica I Adventus, 1-2.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 4, 1-5

Fratres: Sic nos exístimet homo, ut minístros Christi et dispensatóres mysteriórum Dei. Hic jam

quæritur inter dispensatóres, ut fidélis quis inveniátur. Mihi autem pro mínimo est ut a vobis júdicer, aut ab humáno die: sed neque meípsum júdico. Nihil enim mihi cónscius sum: sed non in hoc justificátus sum: qui autem júdicat me, Dóminus est. Itaque nolíte ante tempus judicáre, quoadúsque véniat Dóminus, qui et illuminábit abscóndita tenebrárum, et manifestábit consília córdium: et tunc laus erit unicúique a Deo.

Graduale Ps. 79, 2, 3 et 2 Qui sedes, Dómine, super Chérubim, éxcita poténtiam tuam, et veni. ℣. Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 3 Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 11, 2-10

In illo témpore: Cum audísset Joánnes in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium exspectámus? Et respóndens Jesus, ait illis: Eúntes renuntiáte Joánni, quæ audístis, et vidístis. Cæci vident, claudi ámbulant, leprósi mundántur, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt, páuperes evangelizántur: et beátus est, qui non fúerit scandalizátus in me. Illis autem abeúntibus, cœpit Jesus dícere ad turbas de Joánne: Quid exístis in desértum vidére? arúndinem vento agitátam? Sed quid exístis vidére? hóminem móllibus vestítum? Ecce qui móllibus vestiúntur, in dómibus regum sunt. Sed quid exístis vidére? prophétam? Etiam dico vobis, et plus quam prophétam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum ante fáciem tuam, qui præparábit viam tuam ante te.

Credo.

Offertorium Ps. 84, 2-3 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob: remisísti iniquitátem plebis tuæ.

Secreta

Devotiónis nostræ tibi, quæsumus, Dómine, hóstia júgiter immolétur: quæ et sacri péragat institúta mystérii, et salutáre tuum in nobis mirabíliter operétur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 3.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Isai. 35, 4 Dícite pusillánimis: Confortámini, et nolíte timére: ecce Deus noster véniet, et salvábit nos.

Postcommunio

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut hæc divína subsídia, a vítiis expiátos, ad festa ventúra nos præparent. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 3.

Feria Quarta
Quatuor Temporum Adventus

Introitus Isai. 45, 8

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. ℣. Ibid. Et justítia oriátur simul: Ego Dóminus creávi eum. ℣. Glória Patri. Roráte.

Non dicitur Glória in excélsis.

Quando una Prophetia vel plures dicuntur ante Epistolam, ad Orationem cujuslibet Prophetiæ dicit celebrans absolute in cornu Altaris Orémus; sed ante Orationem, quæ sequitur post ultimam Prophetiam, dicit in medio Altaris Dóminus vobíscum sine Flectámus, quoniam Flectámus numquam dicitur, nisi in Quadragesima.

Hic non dicitur Dóminus vobíscum; sed post Kýrie, eléison, immediate dicitur: Orémus.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut redemptiónis nostræ ventúra solémnitas, et præséntis nobis vitæ subsídia cónferat, et ætérnæ beatitúdinis prǽmia largiátur. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 2, 2-5

In diébus illis: Dixit Isaías prophéta: Erit in novíssimis diébus præparátus mons domus Dómini in vértice móntium, et elevábitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt pópuli multi, et dicent: Veníte et ascendámus ad montem Dómini, et ad domum Dei Jacob, et docébit nos vias suas, et ambulábimus in sémitis ejus: quia de Sion exíbit lex, et verbum Dómini de Jerúsalem. Et judicábit gentes, et árguet pópulos multos: et conflábunt gládios suos in vómeres, et lánceas suas in falces. Non levábit gens contra gentem gládium; nec exercebúntur ultra ad prælium. Domus Jacob veníte, et ambulémus in lúmine Dómini Dei nostri.

Graduale Ps. 23, 7, 3 et 4 Tóllite portas, príncipes, vestras: et elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus et mundo corde.

Hic dicitur ℣. Dóminus vobíscum, sine Flectámus génua.

Oratio

Festína, quǽsumus, Dómine, ne tardáveris, et auxílium nobis supérnæ virtútis impénde: ut advéntus tui consolatiónibus subleventur, qui in tua pietáte confídunt: Qui vivis.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut in Dominica I Adventus, 1-2.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 7, 10-15

In diebus illis: Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Graduale Ps. 144, 18 et 21 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: ómnibus qui invocant eum in veritáte. ℣. Laudem Dómini loquétur os meum: et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Offertorium Isai. 35, 4 Confortámini, et jam nolíte timére: ecce enim Deus noster retríbuet judícium: ipse véniet, et salvos nos fáciet.

Secreta

Accépta tibi sint, quæsumus, Dómine, nostra jejúnia: quæ et expiándo nos tua grátia dignos effíciant, et ad sempitérna promíssa perdúcant. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 3.

Communio Isai. 7, 14 Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, múnere satiáti, súpplices deprecámur: ut, cujus lætámur gustu, renovémur efféctu. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 3.

Feria Sexta
Quatuor Temporum Adventus

Introitus Ps. 118, 151-152

Prope es tu, Dómine, et omnes viæ tuæ véritas: inítio cognóvi de testimóniis tuis, quia in ætérnum tu es. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Prope es tu.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Excita, quæsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut hi, qui in tua pietáte confídunt, ab omni cítius adversitáte liberéntur: Qui vivis.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut in Dominica I Adventus, 1-2.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 11, 1-5

Hæc dicit Dóminus Deus: Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. Et re-

quiéscet super eum spíritus Dómini: spíritus sapiéntiæ et intelléctus, spíritus consílii et fortitúdinis, spíritus sciéntiæ et pietátis; et replébit eum spíritus timóris Dómini. Non secúndum visiónem oculórum judicábit, neque secúndum audítum áurium árguet: sed judicábit in justítia páuperes, et árguet in æquitáte pro mansuétis terræ: et percútiet terram virga oris sui, et spíritu labiórum suórum interfíciet ímpium. Et erit justítia cíngulum lumbórum ejus: et fides cinctórium renum ejus.

Graduale Ps. 84, 8 et 2 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis. ℣. Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 39-47

In illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus: et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth: et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo, salutári meo.

Offertorium Ps. 84, 7-8 Deus, tu convérsus vivificábis nos, et plebs tua lætábitur in te: osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam, et salutáre tuum da nobis.

Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 3.

Communio Zach. 14, 5-6 Ecce Dóminus véniet, et omnes sancti ejus cum eo: et erit in die illa lux magna.

Postcommunio

Tui nos, Dómine, sacraménti libátio sancta restáuret: et a vetustáte purgátos, in mystérii salutáris fáciat transíre consórtium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 3.

Sabbato
Quatuor Temporum Adventus

Introitus Ps. 79, 4 et 2

Veni, et osténde nobis fáciem tuam, Dómine, qui sedes super Chérubim: et salvi érimus. ℣. Ps. ibid., 2 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. ℣. Glória Patri. Veni, et osténde.

Non dicitur Glória in excélsis, et immediate post Kýrie, eléison, dicuntur sequentes Orationes sine Dóminus vobíscum et sine Flectámus, sed tantum absolute: Orémus.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nostra pravitáte affligimur: concéde propítius; ut ex tua visitatióne consolémur: Qui vivis.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 19, 20-22

In diébus illis: Clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem, et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa: et colent eum in hóstiis, et in munéribus: et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam: et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 18, 7 et 2 A summo cælo egréssio ejus: et occúrsus ejus usque ad summum ejus. ℣. Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Orémus. Oratio

Concéde, quǽsumus, omnipotens Deus: ut, qui sub peccáti jugo ex vetústa servitúte deprímimur: exspectáta unigéniti Fílii tui nova nativitáte liberémur: Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 35, 1-7

Hæc dicit Dóminus: Lætábitur desérta et ínvia, et exsultábit solitúdo, et florébit quasi lílium. Gérminans germinábit, et exsultábit lætabúnda et laudans: glória Líbani data est ei: decor Carméli, et Saron, ipsi vidébunt glóriam Dómini, et decórem Dei nostri. Confortáte manus dissolútas, et génua debília roboráte. Dícite pusillánimis: Confortámini, et nolíte timére: ecce Deus vester ultiónem addúcet retributiónis: Deus ipse véniet, et salvábit vos. Tunc aperiéntur óculi cæcórum, et aures surdórum patébunt. Tunc sáliet sicut cervus claudus, et apérta erit lingua mutórum: quia scissæ sunt in desérto aquæ, et torréntes in solitúdine. Et quæ erat árida, erit in stagnum, et sítiens in fontes aquárum: ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 18, 6 et 7 In sole pósuit tabernáculum suum: et ipse tamquam sponsus procédens de thálamo suo. ℣. A summo cælo egréssio ejus: et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Orémus. Oratio

Indígnos nos, quǽsumus, Dómine, fámulos tuos, quos actiónis própriæ culpa contrístat, unigéniti Fílii tui advéntu lætífica: Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 40, 9-11

Hæc dicit Dóminus: Super montem excélsum ascénde tu, qui evangelízas Sion: exálta in fortitúdine vocem tuam, qui evangelízas Jerúsalem: exálta, noli timére. Dic civitátibus Juda: Ecce Deus vester: ecce Dóminus Deus in fortitúdine véniet, et bráchium ejus dominábitur: ecce merces ejus cum eo, et opus illíus coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in bráchio suo congregábit agnos, et in sinu suo levábit, Dóminus Deus vester.

Graduale Ps. 79, 20 et 3 Dómine Deus virtútum, convérte nos: et

osténde fáciem tuam, et salvi érimus. ℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos.

Orémus Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut Fílii tui ventúra sollémnitas, et præséntis nobis vitæ remédia cónferat, et prǽmia ætérna concédat. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 45, 1-8

Hæc dicit Dóminus christo meo Cyro, cujus apprehéndi déxteram, ut subjíciam ante fáciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et apériam coram eo jánuas, et portæ non claudéntur. Ego ante te ibo: et gloriósos terræ humiliábo: portas ǽreas cónteram, et vectes férreos confríngam. Et dabo tibi thesáuros abscónditos, et arcána secretórum: ut scias quia ego Dóminus, qui voco nomen tuum, Deus Israël. Propter servum meum Jacob, et Israël eléctum meum, et vocávi te nómine tuo: assimilávi te, et non cognovísti me. Ego Dóminus, et non est ámplius: extra me non est Deus: accinxi te, et non cognovísti me: ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidénte, quóniam absque me non est. Ego Dóminus, et non est alter, formans lucem, et creans ténebras, fáciens pacem, et creans malum: ego Dóminus fáciens ómnia hæc. Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem: et justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum.

Graduale Ps. 79, 3, 2 et 3 Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni, ut salvos fácias nos. ℣. Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph: qui sedes super Chérubim, appáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Orémus. Oratio

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, pietátis tuæ visitatióne consolémur. Qui vivis.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Dan. 3, 49-51

In diébus illis: Angelus Dómini descéndit cum Azaría, et sóciis ejus in fornácem: et excússit flammam ignis de fornáce, et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem effundebátur super fornácem cúbitis quadragínta novem: et erúpit, et incéndit quos réperit juxta fornácem de Chaldǽis minístros regis, qui eam incendébant. Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, et glorificábant, et benedicébant Deum in fornáce, dicéntes:

Hic non respondetur Deo grátias.

Hymnus Dan. ibid., 52-59

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Et benedíctum nomen glóriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudábile, et gloriósum in sǽcula.

Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Benedictus es super thronum sanctum regni tui. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

Benedictus es super sceptrum divinitátis tuæ. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

Benedictus es qui sedes super Chérubim, íntuens abýssos. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

Benedictus es qui ámbulas super pennas ventórum, et super undas maris. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

Benedícant te omnes Angeli, et Sancti tui. Et laudent te, et glorificent in sæcula.

Benedícant te cæli, terra, mare, et ómnia quæ in eis sunt. Et laudent te, et glorificent in sæcula.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Et laudábili, et glorióso in sæcula.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculórum. Amen. Et laudábili, et glorióso in sæcula.

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis, et gloriósus in sæcula.

Hic dicitur a Sacerdote in medio Altaris, verso ad populum: ℣. Dóminus vobíscum, sine Flectámus génua.

Oratio

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut in Dominica I Adventus, 1-2.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

2 Thess. 2, 1-8

Fratres: Rogámus vos per advéntum Dómini nostri Jesu Christi, et nostræ congregatiónis in ipsum: ut non cito moveámini a vestro sensu, neque terreámini, neque per spíritum, neque per sermónem, neque per epístolam tamquam per nos missam, quasi instet dies Dómini. Ne quis vos sedúcat ullo modo: quóniam nisi vénerit discéssio primum, et revelátus fúerit homo peccáti, fílius perditiónis, qui adversátur, et extóllitur supra omne quod dícitur Deus, aut quod cólitur, ita ut in templo Dei sédeat osténdens se tamquam sit Deus. Non retinétis, quod cum adhuc essem apud vos, hæc dicébam vobis? Et nunc quid détineat scitis, ut revelétur in suo témpore. Nam mystérium jam operátur iniquitátis: tantum ut qui tenet nunc, téneat, donec de médio fiat. Et tunc revelábitur ille iníquus, quem Dóminus Jesus interfíciet spíritu oris sui, et déstruet illustratióne advéntus sui.

* Tractus Ps. 70, 2-3 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. ℣. Qui sedes super Chérubim, appáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse. ℣. Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut salvos fácias nos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 3, 1-6

Anno quintodécimo impérii Tibérii Cæsaris, procuránte Póntio Piláto Judæam, tetrárcha autem Ga-

Judææ Heróde, Philippo autem fratre ejus tetrárcha Iturææ, et Trachonítidis regiónis, et Lysánia Abilínæ tetrárcha, sub princípibus sacerdótum Anna et Cáipha: factum est verbum Dómini super Joánnem, Zacharíæ fílium, in desérto. Et venit in omnem regiónem Jordánis, prǽdicans baptísmum pœniténtiæ in remissiónem peccatórum, sicut scriptum est in libro sermónum Isaíæ prophétæ: Vox clamántis in desérto: Paráte viam Dómini: rectas fácite sémitas ejus: omnis vallis implébitur: et omnis mons, et collis humiliábitur: et erunt prava in diréçta, et áspera in vias planas: et vidébit omnis caro salutáre Dei.

Offertorium Zach. 9, 9 Exsúlta satis, fília Sion; prǽdica, fília Jerúsalem: ecce rex tuus venit tibi sanctus, et salvátor.

Secreta

Sacrifíciis præséntibus, quǽsumus, Dómine, placátus inténde: ut et devotióni nostræ profíciant et salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 3.

Communio Ps. 18, 6-7 Exsultávit ut gigas ad curréndam viam: a summo cælo egréssio ejus, et occúrsus ejus usque ad summum ejus.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, Deus noster: ut sacrosáncta mystéria, quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulísti; et præsens nobis remédium esse fácias et futúrum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 3.

Dominica IV Adventus

Introitus Ps. 105, 4-5

Meménto nostri, Dómine, in beneplácito pópuli tui: vísita nos in salutári tuo: ad vidéndum in bonitáte electórum tuórum, ad lætándum in lætítia gentis tuæ; ut laudéris cum hereditáte tua.

℣. Ibid., 6 Peccávimus cum pátribus nostris: injúste égimus, iniquitátem fécimus. ℣. Glória Patri. Meménto.

Et non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Excita, quǽsumus, Dómine, poténtiam tuam, et veni: et magna nobis virtúte succúrre; ut per auxílium grátiæ tuæ, quod nostra peccáta præpédiunt, indulgéntia tuæ propitiatiónis accéleret: Qui vivis.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut in Dominica I Adventus, 1-2.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Phil. 4, 4-7

Fratres: Gaudéte in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis: sed in omni oratióne, et obsecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei, quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra, et intelligéntias vestras, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 144, 18 et 21 Prope est Dóminus ómnibus invocántibus eum: ómnibus qui ínvocant eum in

veritáte. ℣. Laudem Dómini loquétur os meum: et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Veni, Dómine, et noli tardáre: reláxa facínora plebis tuæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 1, 19-28

In illo témpore: Misérunt Judǽi ab Jerosólymis sacerdótes et levítas ad Joánnem, ut interrogárent eum: Tu quis es? Et conféssus est, et non negávit: et conféssus est: Quia non sum ego Christus. Et interrogavérunt eum: Quid ergo? Elías es tu? Et dixit: Non sum. Prophéta es tu? Et respóndit: Non. Dixérunt ergo ei: Quis es, ut respónsum demus his, qui misérunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamántis in desérto: Dirígite viam Dómini, sicut dixit Isaías prophéta. Et qui missi fúerant, erant ex pharisǽis. Et interrogavérunt eum, et dixérunt ei: Quid ergo baptízas, si tu non es Christus, neque Elías, neque prophéta? Respóndit eis Joánnes, dicens: Ego baptízo in aqua: médius autem vestrum stetit, quem vos nescítis. Ipse est, qui post me ventúrus est, qui ante me factus est: cujus ego non sum dignus ut solvam ejus corrígiam calceaménti. Hæc in Bethánia facta sunt trans Jordánem, ubi erat Joánnes baptízans.

Credo.

Offertorium Luc. 1, 28 et 42 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta

Sacrifíciis præséntibus, quǽsumus, Dómine, placátus inténde: ut et devotióni nostræ profíciant, et salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra. 3.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Isai. 7, 14 Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio

Sumptis munéribus, quǽsumus, Dómine: ut cum frequentatióne mystérii, crescat nostræ salútis efféctus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra. 3.

¶ Si Vigilia Nativitatis Domini venerit in Dominica, totum Officium Missæ fit de Vigilia, cum Commemoratione Dominicæ, sed non legitur ejus Evangelium in fine.

Die 24 Decembris

In Vigilia Nativitatis Domini

Introitus Exodi 16, 6 et 7

Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et salvábit nos: et mane vidébitis glóriam ejus. ℣. Ps. 23, 1 Dómini est terra, et plenitúdo ejus: orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo. ℣. Glória Patri. Hódie sciétis.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui nos redemptiónis nostræ ánnua exspectatióne lætíficas: præsta; ut Unigénitum tuum, quem Redemptórem læti suscípimus, veniéntem quoque júdicem secúri videámus, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Et non dicuntur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 62, 1-4

Hæc dicit Dóminus: Propter Sion non tacébo, et propter Jerúsalem non quiéscam, donec egrediátur ut spléndor justus ejus, et salvátor ejus ut lampas accendátur. Et vidébunt géntes justum tuum, et cuncti reges ínclytum tuum: et vocábitur tibi nomen novum, quod os Dómini nominávit. Et eris coróna glóriæ in manu Dómini, et diadéma regni in manu Dei tui. Non vocáberis ultra derelícta: et terra tua non vocábitur ámplius desoláta: sed vocáberis volúntas mea in ea, et terra tua inhabitáta; quia complácuit Dómino in te.

Et immediate dicatur sequens Epistola.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 1, 1-6

Paulus, servus Jesu Christi, vocátus Apóstolus, segregátus in Evangélium Dei, quod ante promíserat per Prophétas suos in Scriptúris sanctis de Fílio suo, qui factus est ei ex sémine David secúndum carnem: qui prædestinátus est Fílius Dei in virtúte secúndum spíritum sanctificatiónis ex resurrectióne mortuórum Jesu Christi Dómini nostri: per quem accépimus grátiam, et apostolátum ad obediéndum fídei in ómnibus géntibus pro nómine ejus, in quibus estis et vos vocáti Jesu Christi Dómini nostri.

Graduale Exodi 16, 6 et 7 Hódie sciétis, quia véniet Dóminus, et salvábit nos: et mane vidébitis glóriam ejus. ℣. Ps. 79, 2-3 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph: qui sedes super Chérubim, appáre coram Ephraïm, Bénjamin, et Manásse.

Et repetitur Hódie sciétis usque ad Versum; si vero in Dominica venerit, non repetitur, sed, post Graduale et Versum, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Crástina die delébitur iníquitas terræ: et regnábit super nos Salvátor mundi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 1, 18-21

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium, et vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Non dicitur Credo, nisi fuerit Dominica.

Offertorium Ps. 23, 7 Tóllite portas, príncipes, vestras: et elevámini portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

Secreta

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, sicut adoránda Fílii tui natalítia prævenímus, sic ejus múnera capiámus sempitérna gaudéntes: Qui tecum.

Præfatio communis: sed si venerit in Dominica, dicitur de Ssma Trinitate.


Communio Isai., 40, 5 Revelábitur glória Dómini: et vidébit omnis caro salutáre Dei nostri.

Postcommunio

Da nobis, quæsumus, Dómine: unigéniti Fílii tui recensíta nativitáte respiráre; cujus cæléstì mystério páscimur et potámur. Per eúmdem Dóminum.

¶ In Nativitate Domini, dicto post Matutinum Evangelio Liber generatiónis Jesu Christi et Hymno Te Deum laudámus cum Dóminus vobíscum, Oratione sub conclusione longiore et Benedicámus Dómino, Celebrans incipit primam Missam, dummodo transacta sit media nox, et in Missa procedit, ut mos est, usque ad Communionem inclusive.

Dicta Communione, Celebrans incipit Versum:



Chorus respondet:




Tunc Celebrans dicit:

Deus, in adjutórium meum inténde.


Chorus prosequitur:

Dómine, ad adjuvándum me festína.

Et, finito Glória Patri, incipit Celebrans primam Antiphonam de Laudibus:




Et Chorus Antiphonam prosequitur cum Psalmis et reliquis Antiphonis, Capitulo, Hymno et Versu. Deinde Celebrans incipit Antiphonam ad Benedictus:



Eamque prosequitur Chorus: et, repetita Antiphona post Canticum, Celebrans dicit Dóminus vobíscum et Postcommunionem Da nobis, quæsumus, Dómine Deus noster, ut inferius in Missa notatur.

¶ In hac die quilibet Sacerdos tres Missas celebrare potest in Ecclesiis et in Oratoriis publicis et semipublicis; non vero in Oratoriis privatis, nisi ex speciali Sedis Apostolicæ Indulto: Primam quidem Missam, transacta media nocte, dicto Matutino et ante Laudes, quæ post Communionem dicuntur, ut supra, quando divinum Officium solemniter celebratur, secus vero statim finita Missa dicantur; secundam, in aurora post recitationem Primæ; tertiam vero post Horæ Tertiæ recitationem vel cantum. In fine hujus tertiæ Missæ, loco Evangelii sancti Joannis In princípio erat Verbum, dicitur Evangelium sancti Matthæi Cum natus esset Jesus, ex Missa Epiphaniæ Domini, ut propriis locis notatur. Si autem noctu primam Missam vel tres Missas Sacerdos celebrare noluerit, et potius in aurora vel post auroram celebrare maluerit, quia de consuetudine istæ tres Missæ possunt dici cum intervallo vel sine intervallo, priusquam vel omnes vel quælibet earum celebrentur, dicat Ma-

tutinum cum Laudibus et Primam. Et illud advertat semper Celebrans quod ante ultimam Missam non sumat oris ablutionem, quam si sumpserit, amplius illa die celebrare non poterit, quia jam non est jejunus; in prima autem et secunda Missa, si aliam Missam sit celebraturus, sumpto divino Sanguine, non purificat neque abstergit Calicem, sed eum ponit super Corporale, et Palla tegit; dein, junctis manibus, dicit in medio Altaris: Quod ore súmpsimus, etc. et subinde in vase cum aqua parato digitos abluit, dicens: Corpus tuum, Dómine, etc. et abstergit. Hisce peractis, Calicem super Corporale adhuc manentem, deducta Palla, iterum disponit et cooperit, scilicet primum Purificatório, quin Calicem intus tangat, deinde Patena cum Hostia consecranda et Palla, ac demum Velo. Et, licet tres Missæ dicantur cum intervallo vel sine intervallo, semper ante principium cujuslibet dicat Celebrans Ave, María, in gradu Altaris, et Confessionem; et in fine cujuslibet benedicat populum, dicat Evangelium et Commemorationem beatæ Mariæ Virginis Nésciens Mater, item in gradu Altaris. Ante principium secundæ et tertiæ Missæ, Celebrans aufert Velum et Patenam cum Hostia consecranda et Palla, et Calicem parumper versus cornu Epistolæ collocat, sed non extra Corporale, cumque leviter elevans, vinum et aquam eidem caute infundit, et, quin eum intus ullo modo abstergat, eum iterum in medio Corporalis reponit et reliqua more solito præparat. Quæ religiose fieri debent etiam in Missis solemnibus et cantatis, servato tamen tempore et loco, juxta Rubricas.



Die 25 Decembris

IN NATIVITATE DOMINI

Ad primam Missam in Nocte

Introitus Ps. 2, 7

Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. ℣. Ps. ibid., 1 Quare fremuérunt gentes: et pópuli meditáti sunt inánia? Dóminus dixit. ℣. Glória Patri. Dóminus dixit.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem veri lúminis fecísti illustratióne claréscere: da, quǽsumus; ut, cujus lucis mystéria in terra cognóvimus, ejus quoque gáudiis in cælo perfruámur: Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 9, 2-7

Hæc dicit Dóminus: Pópulus, qui ambulábat in ténebris, vidit lucem magnam: habitántibus in regióne umbræ mortis, lux orta est eis. Multiplicásti gentem, et non magnificásti lætítiam. Lætabúntur coram te, sicut qui lætántur in messe, sicut exsúltant victóres capta præda, quando dívidunt spólia. Jugum enim óneris ejus, et virgam húmeri ejus, et scéptrum exactóris ejus superásti, sicut in die Mádian. Quia omnis violénta prædátio cum tumúltu, et vestiméntum mistum sánguine erit in combustiónem et cibus ignis. Párvulus enim natus est nobis: et Fílius datus est nobis. Et factus est principátus super húmerum ejus, et vocábitur nomen eius Admirábilis, Consiliárius, Deus, Fortis, Pater futúri sǽculi, Princeps pacis. Multiplicábitur ejus impérium: et pacis non erit finis. Super sólium David, et super regnum ejus sedébit, ut con-

firmet illud, et corróboret in judício et justítia, ámodo et usque in sempitérnum.

Immediate dicitur Epistola sequens:

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Titum. Tit. 2, 11-15

Caríssime: Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, et sæculária desidéria, sóbrie, et juste, et pie vivámus in hoc sæculo, exspectántes beátam spem, et advéntum glóriæ magni Dei et Salvatóris nostri Jesu Christi: qui dedit semetípsum pro nobis: ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, et exhortáre: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 109, 3 et 1 Tecum princípium in die virtútis tuæ: in splendóribus sanctórum, ex útero ante lucíferum génui te. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis: donec ponam inimícos tuos, scabéllum pedum tuórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 2, 7 Dóminus dixit ad me: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 1-14

In illo témpore: Exiit edíctum a Cæsare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. Hæc descríptio prima facta est a prǽside Sýriæ Cyríno: et ibant omnes ut profiteréntur sínguli in suam civitátem. Ascéndit autem et Joseph a Galilǽa de civitáte Názareth, in Judǽam in civitátem David, quæ vocátur Béthlehem: eo quod esset de domo et família David, ut profiterétur cum María, desponsáta sibi uxóre, prægnánte. Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies ut páreret. Et péperit fílium suum primogénitum, et pannis eum invólvit, et reclinávit eum in præsépio: quia non erat eis locus in diversório. Et pastóres erant in regióne eádem vigilántes, et custodiéntes vigílias noctis super gregem suum. Et ecce Angelus Dómini stetit juxta illos, et cláritas Dei circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno. Et dixit illis Angelus: Nolíte timére: ecce enim evangelízo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo: quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. Et hoc vobis signum: Inveniétis infántem pannis involútum, et pósitum in præsépio. Et súbito facta est cum Angelo multitúdo milítiæ cæléstis, laudántium Deum, et dicéntium: Glória in altíssimis Deo, et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.

Credo.

Offertorium Ps. 95, 11 et 13 Læténtur cæli, et exsúltet terra ante fáciem Dómini: quóniam venit.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, quǽsumus, hodiérnæ festivitátis oblátio: ut, tua grátia largiénte, per hæc sacrosáncta commércia, in illíus inveniámur forma, in quo tecum est nostra substántia: Qui tecum.

Præfatio de Nativitate, et dicitur quotidie usque ad Vigiliam Epiphaniæ inclusive.

Infra actionem, Communicántes, et noctem sacratissimam celebrántes: in hac Missa tantum dicitur noctem, deinceps vero diem.

Communio Ps. 109, 3 In splendóribus sanctórum, ex útero ante lucíferum génui te.

Deinde dicuntur Laudes, ut supra notatur, 16.

Postcommunio

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, qui Nativitátem Dómini nostri Jesu Christi mystériis nos frequentáre gaudémus; dignis conversatiónibus ad ejus mereámur pervenire consórtium: Qui tecum.

In fine Missæ, ante Evangelium S. Joannis In princípio, Diaconus, vel Sacerdos quando deest Diaconus, versus ad populum, dicit: Ite, Missa est; vel, si magis placúerit: Verbum Patris hódie, etc., quod servatur per totam Octavam.

Ad secundam Missam
in Aurora

Introitus Isai. 9, 2 et 6

Lux fulgébit hódie super nos: quia natus est nobis Dóminus: et vocábitur Admirábilis, Deus, Princeps pacis, Pater futúri sǽculi: cujus regni non erit finis. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. Lux fulgébit. ℣. Glória Patri. Lux fulgébit.

Glória in excélsis.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui nova incarnáti Verbi tui luce perfúndimur; hoc in nostro resplendeat ópere, quod per fidem fulget in mente. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anastasiæ.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátæ Anastásiæ, Mártyris tuæ, solémnia cólimus: ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 61, 1-3 et 62, 11-12

Hæc dicit Dóminus: Spíritus Dómini super me, eo quod únxerit me. Ad annuntiándum mansuétis misit me: ut medérer contrítis corde, et prædicárem captívis indulgéntiam: et clausis apertiónem, ut prædicárem annum placábilem Dómino, et diem ultiónis Deo nostro. Ut consolárer omnes lugéntes, ut pónerem consolatiónem lugéntibus Sion, et darem eis corónam pro cínere, óleum gáudii pro luctu, pállium láudis pro spíritu mœróris. Et vocabúntur in ea fortes justítiæ, plantátio Dómini ad glorificándum. Ecce Dóminus audítum fecit in extrémis terræ: Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit, ecce merces ejus cum illo, et opus illíus coram eo. Et vocábunt eos Pópulus sanctus, redémpti a Dómino Deo nostro.

Et statim dicitur sequens Epistola:

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Titum. Tit. 3, 4-7

Caríssime: Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit per

lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit in nos abúnde per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátia ipsius, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 117, 26, 27 et 23 Benedíctus qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus, et illúxit nobis. ℣. A Dómino factum est istud: et est mirábile in óculis nostris.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se virtúte. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 15-20

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes: et invenérunt Maríam et Joseph, et Infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt: et de his, quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes, et laudántes Deum in ómnibus, quæ audíerant, et víderant, sicut dictum est ad illos.

Credo.

Offertorium Ps. 92, 1-2 Deus firmávit orbem terræ, qui non commovébitur: paráta sedes tua, Deus, ex tunc, a sǽculo tu es.

¶ In secunda et tertia Missa Sacerdos, si primam Missam celebraverit, ad Offertorium deveniens, ablato velo de Calice, hunc parumper versus cornu Epistolæ collocat, sed non extra Corporale; factaque Hostiæ oblatione, Calicem more solito offert.

Secreta

Múnera nostra, quǽsumus, Dómine, Nativitátis hodiérnæ mystériis apta provéniant, et pacem nobis semper infúndant: ut, sicut homo génitus idem refúlsit et Deus, sic nobis hæc terréna substántia cónferat, quod divínum est. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Anastasia Secreta

Accipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beátæ Anastásiæ, Mártyris tuæ, suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dominum.

Præfatio et Communicántes, et diem, etc., ut supra, 19-20.

Communio Zach. 9, 9 Exsúlta, fília Sion: lauda, fília Jerúsalem: ecce rex tuus venit sanctus, et salvátor mundi.

Postcommunio

Hujus nos, Dómine, sacraménti semper nóvitas natális instáuret: cujus Natívitas singuláris humánam répulit vetustátem. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Anastasia Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

In fine hujus Missæ, Evangelium S. Joannis In principio.



Ad tertiam Missam

in die Nativitatis Domini

Introitus Isai. 9, 6

Puer natus est nobis, et fílius datus est nobis: cujus impérium super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus, magni consílii Angelus. ℣. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit. Puer natus est. ℣. Glória Patri. Puer natus est.

Glória in excélsis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 52, 6-10

Hæc dicit Dóminus: Propter hoc sciet pópulus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquébar, ecce adsum. Quam pulchri super montes pedes annuntiántis et prædicántis pacem: annuntiántis bonum, prædicántis salútem, dicéntis Sion: Regnábit Deus tuus! Vox speculatórum tuórum levavérunt vocem, simul laudábunt: quia óculo ad óculum vidébunt, cum convérterit Dóminus Sion. Gaudéte et laudáte simul, desérta Jerusálem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, redémit Jerusálem. Parávit Dóminus bráchium sanctum tuum in óculis ómnium géntium: et vidébunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

Immediate dicitur Epistola sequens:

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 1, 1-12

Fratres: Multifáriam, multísque modis olim Deus loquens pátribus in prophétis: novíssime diébus istis locútus est nobis in Fílio, quem constítuit herédem universórum, per quem fecit et sǽcula: qui cum sit

splendor glóriæ, et figúra substántiæ ejus, portánsque ómnia verbo virtútis suæ, purgatiónem peccatórum fáciens, sedet ad déxteram majestátis in excélsis: tanto mélior Angelis effectus, quanto differéntius præ illis nomen hereditávit. Cui enim dixit aliquándo Angelórum: Filius meus es tu, ego hódie génui te? Et rursum: Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in filium? Et cum iterum introdúcit primogénitum in orbem terræ, dicit: Et adórent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos flammam ignis. Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi: virga æquitátis, virga regni tui. Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exsultatiónis præ participibus tuis. Et: Tu in princípio, Dómine, terram fundásti: et ópera mánuum tuárum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu autem permanébis; et omnes ut vestiméntum veteráscent: et velut amíctum mutábis eos, et mutabúntur: tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Graduale Ps. 97, 3-4 et 2 Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri: jubiláte Deo omnis terra. ℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Allelúja, allelúja. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis: veníte, gentes, et adoráte Dóminum: quia hódie descéndit lux magna super terram. Allelúja.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 1, 1-14

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem filios Dei fieri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. (Hic utrumque genu flectitur) Et Verbum caro factum est, et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 12 et 15 Tui sunt cæli, et tua est terra: orbem terrárum, et plenitúdinem ejus tu fundásti: justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes ut supra in prima Missa, 19-20.

Communio Ps. 97, 3 Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

¶ In fine hujus Missæ legitur Evangelium Cum natus esset Jesus, quod habetur in Festo Epiphaniæ, 44.

¶ Si qua, infra Octavam Nativitatis, dicenda sit Missa votiva solemnis de Christo Domino, sumatur Missa Puer natus est nobis, quæ habetur infra, die 30 Decémbris, 33.

Die 26 Decembris

S. Stephani Protomartyris

Introitus Ps. 118, 23, 86 et 23

Sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: et iníqui persecúti sunt me: ádjuva me, Dómine Deus meus, quia servus tuus exercebátur in tuis justificatiónibus. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. Sedérunt príncipes. ℣. Glória Patri. Sedérunt príncipes.

Glória in excélsis.

Oratio

Da nobis, quæsumus, Dómine, imitári quod cólimus: ut discámus et inimícos dilígere: quia ejus natalítia celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Octavæ Nativitatis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 6, 8-10 et 7, 54-59

In diébus illis: Stéphanus, plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum, qui erant a Cilícia, et Asia, disputántes cum Stéphano: et non póterant resístere sapiéntiæ et Spirítui, qui loquebátur. Audiéntes autem hæc, dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei. Exclamántes autem voce magna, continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem, lapidábant: et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem: Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pó-

sitis autem génibus clamávit voce magna, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixisset, obdormívit in Dómino.

Graduale Ps. 118, 23, 86 et 117 Sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: et iníqui persecúti sunt me. ℣. Adjuva me, Dómine Deus meus: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Act. 7, 56 Vídeo cælos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei. Allelúja.

¶ In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Desidérium, de Communi unius Martyris [4]; Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. Act. 7, 56 Vídeo cælos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 23, 34-39

In illo témpore: Dicébat Jesus scribis et pharisǽis: Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas: et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem: ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, a sánguine Abel justi usque ad sánguinem Zacharíæ, fílii Barachíæ, quem occidístis inter templum et altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Jerúsalem, Jerúsalem, quæ occídis prophétas, et lápidas eos, qui ad te missi sunt, quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, et noluísti? Ecce relinquétur vobis domus vestra desérta. Dico enim vobis, non me vidébitis ámodo, donec dicátis: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Act. 6, 5 et 7, 59 Elegérunt Apóstoli Stéphanum Levítam, plenum fide et Spíritu Sancto: quem lapidavérunt Judǽi orántem, et dicéntem: Dómine Jesu, áccipe spíritum meum, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera pro tuórum commemoratióne Sanctórum: ut, sicut illos pássio gloriósos effécit; ita nos devótio reddat innócuos. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate, ratione Octavæ.

Communio Act. 7, 56, 59 et 60 Vídeo cælos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei: Dómine Jesu, áccipe spíritum meum, et ne státuas illis hoc peccátum.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáto Stéphano, Mártyre tuo, sem-

pitérna protectióne confírment. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

Die 27 Decembris

S. Joannis Ap. et Ev.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ibid. 6 Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum; et nómine ætérno hereditávit illum. In médio. ℣. Glória Patri. In médio.

Glória in excélsis.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra: ut beáti Joánnis, Apóstoli tui et Evangelístæ, illumináta doctrínis, ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Nativitatis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 15, 1-6

Qui timet Deum, fáciet bona: et qui cóntinens est justítiæ, apprehéndet illam, et obviábit illi quasi mater honorificáta. Cibábit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum: et firmábitur in illo, et non flectétur: et continébit illum, et non confundétur: et exaltábit illum apud próximos suos, et in médio ecclésiæ apériet os ejus, et adimplébit illum spíritu sapiéntiæ et intelléctus, et stola glóriæ véstiet illum. Jucunditátem, et exsultatiónem thesaurizábit super illum, et nómine ætérno hereditábit illum, Dóminus Deus noster.

Graduale Joann. 21, 23 et 19 Exiit sermo inter fratres, quod discípulus ille non móritur: et non dixit Jesus: Non móritur. ℣. Sed: Sic eum volo manére, donec véniam: tu me séquere.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 24 Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his: et scimus, quia verum est testimónium ejus. Allelúja.

¶ In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Beátus vir, ut in Communi Doctorum, [30].

¶ Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 21, 24 Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his: et scimus, quia verum est testimónium ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 21, 19-24

In illo témpore: Dixit Jesus Petro: Séquere me. Convérsus Petrus vidit illum discípulum, quem dilige-

bat Jesus, sequéntem, qui et recúbuit in cœna super pectus ejus, et dixit: Dómine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cum vidísset Petrus, dixit Jesu: Dómine, hic autem quid? Dicit ei Jesus: Sic eum volo manére, donec véniam, quid ad te? tu me séquere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discípulus ille non móritur. Et non dixit ei Jesus: Non móritur; sed: Sic eum volo manére, donec véniam: quid ad te? Hic est discípulus ille, qui testimónium pérhibet de his, et scripsit hæc: et scimus, quia verum est testimónium ejus.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus, cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis — Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate, ratione Octavæ.

Communio Joann. 21, 23 Exiit sermo inter fratres, quod discípulus ille non móritur: et non dixit Jesus: Non móritur; sed: Sic eum volo manére, donec véniam.

Postcommunio

Reſécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices deprecámur: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

Die 28 Decembris
Ss. Innocentium Mm.

Introitus — Ps. 8, 3

Ex ore infántium, Deus, et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos.

℣. Ps. ibid., 2 Dómine Dóminus noster: quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! Ex ore.

℣. Glória Patri. Ex ore.

¶ Non dicitur Glória in excélsis, neque Allelúja, neque Ite, Missa est, nisi hoc Festum incidat in Dominicam, aut ritu gaudeat Solemni I Ordinis; sed in Octava semper dicuntur.

Oratio

Deus, cujus hodiérna die præcónium Innocéntes Mártyres non loquéndo, sed moriéndo conféssi sunt: ómnia in nobis vitiórum mala mortífica; ut fidem tuam, quam lingua nostra lóquitur, étiam móribus vita fateátur. Per Dóminum.

In Missis votivis, extra Octavam, omittuntur in hac Oratione verba hodiérna die.

Et fit Commemoratio Octavæ Nativitatis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Nativitas líberet; quos

sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 14, 1-5

In diébus illis: Vidi supra montem Sion Agnum stantem, et cum eo centum quadraginta quátuor míllia, habéntes nomen ejus, et nomen Patris ejus scriptum in fróntibus suis. Et audívi vocem de cælo, tamquam vocem aquárum multárum, et tamquam vocem tonítrui magni: et vocem, quam audívi, sicut citharœdórum citharizántium in cítharis suis. Et cantábant quasi cánticum novum ante sedem, et ante quátuor animália, et senióres: et nemo póterat dícere cánticum, nisi illa centum quadraginta quátuor míllia, qui empti sunt de terra. Hi sunt, qui cum muliéribus non sunt coinquináti: vírgines enim sunt. Hi sequúntur Agnum, quocúmque íerit. Hi empti sunt ex homínibus primítiæ Deo, et Agno: et in ore eórum non est invéntum mendácium: sine mácula enim sunt ante thronum Dei.

Graduale Ps. 123, 7-8 Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus. Adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

¶ Sequens Allelúja, cum suo Versu, dicitur quando hoc Festum incidat in Dominicam, aut ritu gaudeat Solemni I Ordinis: in die autem Octava semper dicitur, sicut et in Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum, laudáte nomen Dómini. Allelúja.

Tractus non dicitur quando recitatum fuerit Allelúja, ut supra.

Tractus Ps. 78, 3 et 10 Effudérunt sánguinem Sanctórum, velut aquam, in circúitu Jerúsalem. ℣. Et non erat qui sepelíret. ℣. Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est super terram.

In Missis votivis Tempore Paschali, omisso Graduali, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum, laudáte nomen Dómini. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 2, 13-18

In illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum; et esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim, ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit Púerum, et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per Prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum. Tunc Heródes videns quóniam illúsus esset a Magis, irátus est valde, et mittens occídit omnes púeros, qui erant in Béthlehem, et in ómnibus fínibus ejus, a bimátu et infra, secúndum tempus quod exquisíerat a Magis. Tunc adimplétum est quod dictum est per Jeremíam prophétam dicéntem: Vox in

Rama audíta est, plorátus, et ululátus multus: Rachel plorans fílios suos, et nóluit consolári, quia non sunt.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 123, 7 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus.

Secreta

Sanctórum tuórum, Dómine, nobis pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate, ratione Octavæ.

Communio Matth. 2, 18 Vox in Rama audíta est, plóratus, et ululátus: Rachel plorans fílios suos, et nóluit consolári, quia non sunt.

Postcommunio

Votíva, Dómine, dona percépimus: quæ Sanctórum nobis précibus, et præséntis, quǽsumus, vitæ páriter et ætérnæ tríbue conférre subsídium. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

Dicitur Benedicámus Dómino, prætérquam in casibus supra notatis, 27.

Dominica infra Octavam Nativitatis

Introitus Sap. 18, 14-15

Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens Sermo tuus, Dómine, de cælis a regálibus sédibus venit. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. ℣. Glória Patri. Dum médium.

Glória in excélsis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, dírige actus nostros in beneplácito tuo: ut in nómine dilécti Fílii tui mereámur bonis opéribus abundáre: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Octavæ Nativitatis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 4, 1-7

Fratres: Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre: ita et nos cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At, ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex mulíere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum recipe-

rémus. Quóniam autem estis filii, misit Deus Spíritum Filii sui in corda vestra, clamántem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed fílius: quod si fílius, et heres per Deum.

Graduale Ps. 44, 3 et 2 Speciósus forma præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea regi: lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 2, 20 Tolle Púerum et Matrem ejus, et vade in terram Juda. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 2, 33-40

In illo témpore: Erat Joseph et María, Mater Jesu, mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon, et dixit ad Maríam, Matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam, et in resurrectiónem multórum in Israël, et in signum cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes. Et erat Anna prophetíssa, fília Phánuel, de tribu Aser: hæc procésserat in diébus multis, et víxerat cum viro suo annis septem a virginitáte sua. Et hæc vídua usque ad annos octogínta quátuor: quæ non discedébat de templo, jejúniis et obsecratiónibus sérviens nocte ac die. Et hæc, ipsa hora supervéniens, confitebátur Dómino, et loquebátur de illo ómnibus, qui exspectábant redemptiónem Israël. Et ut perfecérunt ómnia secúndum legem Dómini, revérsi sunt in Galilæam in civitátem suam Názareth. Puer autem crescébat, et confortabátur, plenus sapiéntia: et grátia Dei erat in illo.

Credo.

Offertorium Ps. 92, 1-2 Deus firmávit orbem terræ, qui non commovébitur: paráta sedes tua, Deus, ex tunc, a sǽculo tu es.

Secreta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut óculis tuæ majestátis munus oblátum, et grátiam nobis piæ devotiónis obtíneat, et efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Nativitate; et de ea dicitur etiam Communicántes, nisi post Octavam Missa resumatur.

Communio Matth. 2, 20 Tolle Púerum et Matrem ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam Púeri.

Postcommunio

Per hujus, Dómine, operatiónem mystérii, et vítia nostra purgéntur, et justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

Die 29 Decembris

S. Thomæ Ep. et Mart.

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Thomæ Mártyris: de cujus passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣ Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, pro cujus Ecclésia gloriósus Martyr et Póntifex Thomas gládiis impiórum occúbuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavae Nativitatis.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Natívitas líberet: quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 5, 1-6

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum: ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 10, 14 Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 10, 11-16

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego cognósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 20, 4-5 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta

Deus qui beátum Thomam Archipræsulem ab exílio revocátum in Ecclésia et pro Ecclésia occúmbere gládio voluísti: præsta, quǽsumus, ut ejus méritis in fídei constántia roboráti, superátis hóstium visibílium ómnium et invisibílium insídiis, perículum ánimæ vitémus. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate, ratione Octavæ.

Communio Joann. 10, 14 Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Thoma, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

¶ Pro votiva dicitur Missa ut supra, sed Introitus, et post Septuagesimam etiam Tractus, sumuntur ex Missa Státuit de Communi, [4]; Tempore autem Paschali, Introitus item sumitur ex Missa Protexísti, [21]; et post Epistolam, omisso Graduali, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

¶ Ab hac die usque ad diem 2 Februarii inclusive, quando dicendæ sint, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, etiam infra Octavas, aut in Vigiliis, quæ non sint de beata Maria Virgine, erunt sequentes:

2ª de S. Maria Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. (Qui tecum).

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne; ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. (Per Dóminum).

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. (Per eúmdem Dóminum).

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admitte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur, et mente. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

vel 3ª pro Papa Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti: una cum commísso sibi grege salvet semper, et múniat. Per Dóminum.

Die 30 Decembris

De VI die infra Octavam Nativitatis

Introitus Isai. 9, 6

Puer natus est nobis, et fílius datus est nobis: cujus impérium super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus, magni consílii Angelus. ℣ Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit. ℣ Glória Patri. Puer natus.

Glória in excélsis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Nativítas líberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 32-33.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Titum. Tit. 3, 4-7

Caríssime: Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit in nos abúnde per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 97, 3-4 et 2 Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri: jubiláte Deo, omnis terra. ℣ Notum fecit Dóminus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Allelúja, allelúja. ℣. Dies sanctificátus illúxit nobis: veníte, gentes, et adoráte Dóminum: quia hódie descéndit lux magna super terram. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 15-20

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad invicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes: et invenérunt Maríam, et Joseph, et Infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt: et de his quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes, et laudántes Deum in ómnibus, quæ audíerant, et víderant, sicut dictum est ad illos. Credo.

Offertorium Ps. 88, 12 et 15 Tui sunt cæli, et tua est terra: orbem terrárum, et plenitúdinem ejus tu fundásti: justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33. Præfatio et Communicántes de Nativitáte.

Communio Ps. 97, 3 Vidérunt omnes fines terræ salutáre Dei nostri.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor; ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 32-33.

Die 31 Decembris

S. Silvestri I Papæ et Conf.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Gloria in excélsis.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Silvéstri, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Nativitatis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nos Unigéniti tui nova per carnem Nativitas liberet; quos sub peccáti jugo vetústa sérvitus tenet. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas

autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 21 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum. Allelúja.

¶ In Missis votivis, post Septuagesimam Tractus, et Tempore Paschali Allelúja cum suis Versibus, ex Missa Státuit de Communi Confessoris Pontificis, [25].

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non sineret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui nos, Dómine, quǽsumus, ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Secreta

Obláta, Dómine, múnera, nova Unigéniti tui Nativitáte sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate, ratione Octavæ.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Silvéstro, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro Octava Nativitatis Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut natus hódie Salvátor mundi, sicut divínæ nobis generatiónis est auctor: ita et immortalitátis sit ipse largítor: Qui tecum.



Die 1 Januarii

IN CIRCUMCISIONE DOMINI

ET OCTAVA NATIVITATIS

Introitus Isai. 9, 6

Puer natus est nobis, et fílius datus est nobis: cujus impérium super húmerum ejus: et vocábitur nomen ejus, magni consílii Angelus. ℣. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit. Puer natus. ℣. Glória Patri. Puer natus.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui nobis nati Salvatóris diem celebráre concédis octávum: fac nos, quǽsumus, ejus perpétua divinitáte muníri: cujus sumus carnáli commércio reparáti. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Titum. Tit. 2, 11-15

Caríssime: Appáruit grátia Dei Salvatóris nostri ómnibus homínibus, erúdiens nos, ut abnegántes impietátem, et sæculária desidéria, sóbrie, et juste, et pie vivámus in hoc sǽculo, exspectántes beátam spem, et advéntum glóriæ magni Dei et Salvatóris nostri Jesu Christi: qui dedit semetípsum pro nobis: ut nos redímeret ab omni iniquitáte, et mundáret sibi pópulum acceptábilem, sectatórem bonórum óperum. Hæc lóquere, et exhortáre: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 97, 3-4 et 2 Vidérunt omnes fines terræ Salutáre Dei nostri: jubiláte Deo, omnis terra. ℣. Notum fecit Dóminus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam.

Allelúja, allelúja. ℣. Hebr. 1, 1-2 Multifárie olim Deus loquens pátribus in prophétis, novíssime diébus istis, locútus est nobis in Fílio. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 21

In illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer: vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo priúsquam in útero conciperétur.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 12 et 15 Tui sunt cæli, et tua est terra: orbem terrárum, et plenitúdinem ejus tu fundásti: justítia et judícium præparátio sedis tuæ.

Secreta

Præsta, quǽsumus, Dómine: ut hæc múnera, quæ Dómini nostri Jesu Christi arcánæ nativitátis mystério gérimus: purificátæ mentis intelligéntia consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Nativitate.

Communio Ps. 97, 3 Vidérunt omnes fines terræ Salutáre Dei nostri.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, Dómine: ut quod Salvatóris nostri iteráta festivitáte percépimus: perpétuæ nobis redemptiónis cónferat medicínam. Per eúmdem Dóminum.

¶ Dominica a die 2 ad 5 Januarii occurrente, si celebretur aliquod Festum quod non sit Domini, in Missa fit Commemoratio ipsius Dominicæ, ut in Vigilia Epiphaniæ, sine tamen ultimo Evangelio Dominicæ, nisi hæc in ipsam Vigiliam occurrat.

Dominica inter Circumcisionem et Epiphaniam
vel, si ipsa non occurrat, die 2 Januarii

SANCTISSIMI NOMINIS JESU

Introitus Phil. 2,10-11

In nómine Jesu omne genu flectátur, cæléstium, terréstrium, et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. ℣. Ps. 8, 2 Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! In nómine Jesu. ℣. Glória Patri. In nómine Jesu.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui unigénitum Fílium tuum constituísti humáni géneris Salvatórem, et Jesum vocári jussísti: concéde propítius; ut, cujus sanctum nomen venerámur in terris, ejus quoque aspéctu perfruámur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 4, 8-12

In diébus illis: Petrus, replétus Spíritu Sancto, dixit: Príncipes pópuli et senióres, audíte: Si nos hódie dijudicámur in benefácto hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis, et omni plebi Israël: quia in nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, in hoc iste astat

coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobátus est a vobis ædificántibus: qui factus est in caput ánguli: et non est in álio áliquo salus. Nec enim áliud nomen est sub cælo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fieri.

Graduale Ps. 105, 47 Salvos fac nos, Dómine Deus noster, et cóngrega nos de natiónibus: ut confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in glória tua. ℣. Isai. 63, 16 Tu, Dómine, Pater noster, et Redémptor noster: a sǽculo nomen tuum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 144, 21 Laudem Dómini loquétur os meum, et benedícat omnis caro nomen sanctum ejus. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 79, 20 et Cant. 2, 14 Dómine Deus virtútum, convérte nos: et osténde fáciem tuam, et salvi érimus. Sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra nimis. ℣. Cant. 1, 2 Oleum effúsum nomen tuum, Jesu: ídeo adolescéntulæ dilexérunt te.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 144, 1 Exaltábo te, Deus meus Rex: et benedícam nómini sancto tuo, Jesu, in sǽculum, et in sǽculum sǽculi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 21

In illo témpore: Postquam consummáti sunt dies octo, ut circumciderétur puer: vocátum est nomen ejus Jesus, quod vocátum est ab Angelo priúsquam in útero conciperétur.

Credo.

Offertorium Ps. 85, 12 et 5 Confitébor tibi, Dómine Deus meus, in toto corde meo, et glorificábo nomen tuum in ætérnum; quóniam tu, Dómine, suávis et mitis es: et multæ misericórdiæ ómnibus invocántibus te, allelúja.

Secreta

Benedíctio tua, clementíssime Deus, qua omnis viget creatúra, sanctíficet, quǽsumus, hoc sacrifícium nostrum, quod ad glóriam nóminis Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, offérimus tibi: ut majestáti tuæ placére possit ad laudem, et nobis profícere ad salútem. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Nativitate.

Communio Ps. 85, 9-10 Omnes gentes quascúmque fecísti, vénient, et adorábunt coram te, Dómine, et glorificábunt nomen tuum: quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: tu es Deus solus. Allelúja.

Postcommunio

Omnípotens ætérne Deus, qui creásti et redemísti nos, réspice propítius vota nostra: et sacrifícium salutáris hóstiæ, quod in honórem nóminis Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, majestáti tuæ obtúlimus, plácido et benígno vultu

suscípere dignéris: ut, grátia tua nobis infúsa, sub glorióso nómine Jesu, ætérnæ prædestinatiónis título gaudeámus nómina nostra scripta esse in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Die 2 Januarii

In Octava S. Stephani Protomart.

Missa Sedérunt, ut in Festo, 24, præter Orationem sequentem: omittitur tamen Commemoratio de Nativitate, de qua sumitur tantum Præfatio, ratione Temporis; et non dicitur Credo.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui primítias Mártyrum in beáti Levítæ Stéphani sánguine dedicásti: tríbue, quǽsumus: ut pro nobis intercéssor exsístat, qui pro suis étiam persecutóribus exorávit Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Die 3 Januarii

Maternitatis B. M. V.

Introitus Ps. 112, 5-6

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, et humília réspicit in cælo et in terra? ℣. Ps. 45, 5 Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus. ℣. Glória Patri. Quis sicut.

Glória in excélsis.

Oratio

Intercédat pro nobis, Dómine Jesu Christe, tua sanctíssima Génitrix María: et grátiam tuam, a qua peccándo excídimus, nobis sua intercessióne concíliet; ut ejus Maternitátem venerántes in terris, ejus super omnes choros Angelórum exaltatióne pérfrui mereámur in cælis. Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis:

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui in persóna beáti Joánnis, Apóstoli tui, Maríam nobis piíssimam tradidísti Matrem: præsta, quǽsumus, ut, méritis et précibus dilécti Apóstoli tui; beatíssimam Vírginem ita fíliáli devotióne venerémur in terris, ut cum ipsa regnáre valeámus in cælis: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24, 23-31

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui áudit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale Isai. 11, 1-2 Egrediétur virga de radíce Jesse, et flos de radíce ejus ascéndet. ℣. Et requiéscet super eum Spíritus Dómini.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid. 7, 14. Ecce Virgo concipiet, et páriet Filium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Allelúja.

In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis:

Tractus Eccl. laus Gaude, María Virgo, cunctas hǽreses sola interemísti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Tempore Paschali:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Num. 17, 8 Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 43-51

In illo témpore: Cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et, non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? Ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Credo.

Offertorium Matth. 1, 18 Cum esset desponsáta Mater ejus María Joseph, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis, Unigéniti tui Matris, intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Secreta

Súscipe múnera, Dómine, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices deprecámur: ut, in cujus hæc commemo-

ratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 4 Januarii
In Octava
Ss. Innocentium Mm.

Missa Ex ore infántium, ut in Festo, 27; sed in ea dicitur Glória in excélsis, Allelúja cum suo Versu post Graduale, et Ite, missa est, in fine Missæ: omittitur autem Commemoratio de Nativitate, de qua sumitur tantum Præfatio, ratione Temporis, et non dicitur Credo.

Die 5 Januarii
In Vigilia Epiphaniæ

Introitus Sap. 18, 14-15

Dum médium siléntium tenérent ómnia, et nox in suo cursu médium iter habéret, omnípotens Sermo tuus, Dómine, de cælis a regálibus sédibus venit. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem indútus est: indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. ℣. Glória Patri. Dum médium siléntium.

Glória in excélsis.

Oratio

Corda nostra, quǽsumus, Dómine, ventúræ festivitátis splendor illústret: quo mundi hujus ténebris carére valeámus, et perveniámus ad pátriam claritátis ætérnæ. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Telesphori Papæ et Mart.

Oratio

Deus, qui nos beáti Telésphori, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius: ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. (Per Dóminum).

Deinde 3ª Oratio de S. Maria, ut supra, 32.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 4, 1-7

Fratres: Quanto témpore heres párvulus est, nihil differt a servo, cum sit dóminus ómnium: sed sub tutóribus et actóribus est usque ad præfinítum tempus a patre: ita et nos cum essémus párvuli, sub eleméntis mundi erámus serviéntes. At ubi venit plenitúdo témporis, misit Deus Fílium suum, factum ex muliére, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiónem filiórum reciperémus. Quóniam autem estis fílii, misit Deus Spíritum Fílii sui in corda vestra, clamántem: Abba, Pater. Itaque jam non est servus, sed fílius: quod si fílius, et heres per Deum.

Graduale Ps. 44, 3 et 2 Speciósus forma præ fíliis hóminum: diffúsa est grátia in lábiis tuis. ℣. Eructávit cor meum verbum bonum, dico ego ópera mea regi: lingua mea cálamus scribæ, velóciter scribéntis.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 2, 20 Tolle Púerum et Matrem ejus: et vade in terram Juda. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 2, 19-23

In illo témpore: Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem

ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam Púeri. Qui consúrgens, accépit Púerum, et Matrem ejus, et venit in terram Israël. Audiens autem, quod Archeláus regnáret in Judæa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire: et admónitus in somnis, secéssit in partes Galilææ. Et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per prophétas: Quóniam Nazaræus vocábitur.

Et dicitur Credo.

Offertorium Ps. 92, 1-2 Deus firmávit orbem terræ, qui non commovébitur: paráta sedes tua, Deus, ex tunc, a sæculo tu es.

Secreta

Tribue, quæsumus, Dómine, ut eum præséntibus sacrifíciis immolémus et sumámus: quem ventúræ solemnitátis pia múnera prælоquúntur: Qui tecum.

Pro S. Telesphoro Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Telésphoro, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. (Per Dóminum).

Alia Secreta de S. Maria, ut supra, 32.
Præfatio de Nativitate.

Communio Zachar. 9, 9 Exsúlta, fília Sion: lauda, fília Jerúsalem: ecce Rex tuus venit, sanctus et Salvátor mundi.

Postcommunio

Illúmina, quæsumus, Dómine, pópulum tuum, et splendóre grátiæ tuæ cor ejus semper accénde: ut Salvatórem tuum, et incessánter agnóscat, et veráciter apprehéndat Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Pro S. Telesphoro Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Telésphoro, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effectum. (Per Dóminum).

Alia Postcommunio de S. Maria, ut supra, 32.

Eadem die 5 Januarii
Pro S. Telesphoro Papa et Mart.

Missa Glória et honóre, de Communi 1 loco, [6].



Die 6 Januarii

IN EPIPHANIA DOMINI

Introitus Malach. 3, 1

Ecce advénit dominátor Dóminus: et regnum in manu ejus, et potéstas, et impérium. ℣. Ps. 71, 1 Deus, judícium tuum regi da: et justítiam tuam Fílio regis. Ecce advénit. ℣. Glória Patri. Ecce advénit.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius: ut, qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 60, 1-6

Surge, illumináre, Jerúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce ténebræ opérient terram, et calígo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, et glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha: omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

Epistola sequens dicatur immediate post istam Prophetiam, in hac die tantum. Per octavam vero Epistola est ipsa Prophetia supra dicta.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Titum. Tit. 3, 4-7

Caríssime: Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus justítiæ, quæ

fécimus nos; sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit in nos abúnde per Jesum Christum Salvatórem nostrum: ut justificáti grátia ipsius: herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Isai. 60, 6 et 1 Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. ℣. Surge et illumináre, Jerúsalem: quia glória Dómini super te orta est.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 2, 2 Vídimus stellam ejus in Oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 2, 1-12

Cum natus esset Jesus in Béthlehem Juda in diébus Heródis regis, ecce Magi ab Oriénte venérunt Jerosólymam, dicéntes: Ubi est qui natus est rex Judæórum? Vídimus enim stellam ejus in Oriénte, et vénimus adoráre eum. Audiens autem Heródes rex, turbátus est, et omnis Jerosólyma cum illo. Et cóngregans omnes príncipes sacerdótum et scribas pópuli, sciscitabátur ab eis, ubi Christus nascerétur. At illi dixérunt ei: In Béthlehem Judæ: sic enim scriptum est per Prophétam: Et tu Béthlehem, terra Juda, nequáquam mínima es in princípibus Juda: ex te enim éxiet dux, qui regat pópulum meum Israël. Tunc Heródes, clam vocátis Magis, diligénter dídicit ab eis tempus stellæ, quæ appáruit eis: et mittens illos in Béthlehem, dixit: Ite, et interrogáte diligénter de Púero: et cum invenéritis, renuntiáte mihi, ut et ego véniens adórem eum. Qui, cum audíssent regem, abiérunt. Et ecce stella, quam víderant in Oriénte, antecedébat eos, usque dum véniens, staret supra, ubi erat Puer. Vidéntes autem stellam, gavísi sunt gáudio magno valde. Et intrántes domum, invenérunt Púerum cum María, Matre ejus, (hic genuflectitur) et procidéntes adoravérunt eum. Et, apértis thesáuris suis, obtulérunt ei múnera, aurum, thus et myrrham. Et respónso accépto in somnis, ne redírent ad Heródem, per áliam viam revérsi sunt in regiónem suam.

Credo.

Offertorium Ps. 71, 10-11 Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent: et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei.

Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, dona propítius intuére: quibus non jam aurum, thus, et myrrha profértur: sed quod eísdem munéribus declarátur, immolátur, et súmitur, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum.

Præfatio et Communicántes propria: quæ dicuntur per totam Octavam, juxta Rubricas.

Communio Matth. 2, 2 Vídimus stellam ejus in Oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut quæ solémni celebrámus offício, purificátæ mentis intellegéntia consequámur. Per Dóminum.

Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo, additis Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, ut supra, 32-33.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ

Introitus Eccl. vox, Isai. 6, 1-3

In excélso throno vidi sedére virum, quem adórat multitúdo Angelórum, psalléntes in unum, ecce cujus impérii nomen est in ætérnum. ℣. Ps. 99, 1 Jubiláte Deo omnis terra: servíte Dómino in lætítia. ℣. Glória Patri. In excélso.

Glória in excélsis.

Oratio

Vota, quǽsumus, Dómine, supplicántis pópuli cælésti pietáte proséquere: ut et quæ agénda sunt, vídeant, et ad impléнda quæ víderint, convaléscant. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Epiphaniæ.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum géntibus stella duce revelásti: concéde propítius; ut, qui jam te ex fide cognóvimus, usque ad contemplándam spéciem tuæ celsitúdinis perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 12, 1-5

Fratres: Obsecro vos per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum. Et nolíte conformári huic sǽculo, sed reformámini in novitáte sensus vestri: ut probétis, quæ sit volúntas Dei bona, et beneplácens, et perfécta. Dico enim per grátiam, quæ data est mihi, ómnibus qui sunt inter vos: Non plus sápere, quam opórtet sápere, sed sápere ad sobrietátem: et unicuíque sicut Deus divísit mensúram fídei. Sicut enim in uno córpore multa membra habémus, ómnia autem membra non eúmdem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo, sínguli autem alter altérius membra: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 71, 18 et 3 Benedíctus Dóminus Deus Israël, qui facit mirabília magna solus a sǽculo. ℣. Suscípiant montes pacem pópulo tuo, et colles justítiam.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 99, 1 Jubiláte Deo omnis terra: servíte Dómino in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 42-52

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos, et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum

in templo, sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? Nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines.

Credo.

Offertorium Ps. 99, 1 et 2 Jubiláte Deo omnis terra, servíte Dómino in lætítia: intráte in conspéctu ejus in exsultatióne: quia Dóminus ipse est Deus.

Secreta

Oblátum tibi, Dómine, sacrifícium vivíficet nos semper, et múniat. Per Dóminum.

Pro Octava Epiphaniæ Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, dona propítius intuére: quibus non jam aurum, thus, et myrrha profértur; sed quod eísdem munéribus declarátur, immolátur, et súmitur, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum.

Præfatio et Communicántes de Epiphania.

Communio Luc. 2, 48 et 49 Fili, quid fecisti nobis sic? Ego, et pater tuus doléntes quærebámus te. Et quid est, quod me quærebátis? nesciebátis, quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse?

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut quos tuis réficis sacraméntis, tibi étiam plácitis móribus dignánter deservíre concédas. Per Dóminum.

Pro Octava Epiphaniæ Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut quæ solémni celebrámus offício, purificátæ mentis intelligéntia consequámur. Per Dóminum.

Die 13 Januarii
In Octava Epiphaniæ

Introitus Malach. 3, 1

Ecce advénit dominátor Dóminus: et regnum in manu ejus, et potéstas, et impérium. ℣. Ps. 71, 1 Deus, judícium tuum regi da: et justítiam tuam Fílio regis. ℣. Glória Patri. Ecce advénit.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, cujus Unigénitus in substántia nostræ carnis appáruit: præsta, quǽsumus; ut per eum, quem símilem nobis foris agnóvimus, intus reformári mereámur: Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 60, 1-6

Surge, illumináre, Jerúsalem: quia venit lumen tuum, et glória Dómini super te orta est. Quia ecce

ténebræ opérient terram, et caligo pópulos: super te autem oriétur Dóminus, et glória ejus in te vidébitur. Et ambulábunt gentes in lúmine tuo, et reges in splendóre ortus tui. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi: fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Tunc vidébis, et áfflues, mirábitur et dilatábitur cor tuum, quando convérsa fúerit ad te multitúdo maris, fortitúdo géntium vénerit tibi. Inundátio camelórum opériet te, dromedárii Mádian et Epha: omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes.

Graduale Ibid., 6 et 1 Omnes de Saba vénient, aurum et thus deferéntes, et laudem Dómino annuntiántes. ℣. Surge et illumináre, Jerúsalem: quia glória Dómini super te orta est.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 2, 2 Vídimus stellam ejus in Oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 1, 29-34

In illo témpore: Vidit Joánnes Jesum veniéntem ad se, et ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccátum mundi. Hic est, de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est: quia prior me erat. Et ego nesciébam eum, sed ut manifestétur in Israël, proptérea veni ego in aqua baptízans. Et testimónium perhíbuit Joánnes, dicens: Quia vidi Spíritum descendéntem quasi colúmbam de cælo, et mansit super eum. Et ego nesciébam eum: sed qui misit me baptizáre in aqua, ille mihi dixit: Super quem víderis Spíritum descendéntem, et manéntem super eum, hic est, qui baptízat in Spíritu Sancto. Et ego vidi: et testimónium perhíbui, quia hic est Fílius Dei.

Credo.

Offertorium Ps. 71, 10-11 Reges Tharsis, et ínsulæ múnera ófferent: reges Arabum et Saba dona addúcent: et adorábunt eum omnes reges terræ, omnes gentes sérvient ei.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, pro nati Fílii tui apparitióne deférimus, supplíciter exorántes: ut, sicut ipse nostrórum auctor est múnerum; ita sit ipse miséricors et suscéptor, Jesus Christus Dóminus noster: Qui tecum.

Præfatio et Communicántes de Epiphania.

Communio Matth. 2, 2 Vídimus stellam ejus in Oriénte, et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

Postcommunio

Cæléсti lúmine, quǽsumus, Dómine, semper et ubíque nos prǽveni: ut mystérium, cujus nos partícipes esse voluísti, et puro cernámus intúitu, et digno percipiámus afféctu. Per Dóminum.

¶ Si sequens Dominica II, vel alia post Epiphaniam, a superveniente Septuagesima impediatur, nec sit ei locus post Pentecosten, juxta Rubricas, anticipatur Sabbato cum omnibus privilegiis occurrenti Dominicæ propriis: et in ea dicitur Glória in excélsis, Credo, Præfatio de Ssma Trinitate et Ite, missa est, ut in ipsa Dominica.

Dominica II
post Epiphaniam

Introitus Ps. 65, 4

Omnis terra adóret te, Deus, et psallat tibi: psalmum dicat nómini tuo, Altíssime. ℣. Ps. ibid., 1-2 Jubiláte Deo, omnis terra, psalmum dícite nómini ejus: date glóriam laudi ejus. ℣. Glória Patri. Omnis terra.

¶ Dicitur Glória in excélsis in omnibus Dominicis ante Septuagesimam occurrentibus, vel etiam Sabbato anticipatis, juxta Rubricas; non dicitur autem diebus ferialibus, in Missis de Tempore.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui cæléstia simul et terréna moderáris: supplicatiónes pópuli tui cleménter exáudi; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post diem 29 Decembris, 32-33.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 12, 6-16

Fratres: Habéntes donatiónes secúndum grátiam, quæ data est nobis, differéntes: sive prophetíam secúndum ratiónem fídei, sive ministérium in ministrándo, sive qui docet in doctrína, qui exhortátur in exhortándo, qui tríbuit in simplicitáte, qui præest in sollicitúdine, qui miserétur in hilaritáte. Diléctio sine simulatióne. Odiéntes malum, adhæréntes bono: Caritáte fraternitátis ínvicem diligéntes: Honóre ínvicem præveniéntes: Sollicitúdine non pigri: Spíritu fervéntes: Dómino serviéntes: Spe gaudéntes: In tribulatióne patiéntes: Oratióni instántes: Necessitátibus sanctórum communicántes: Hospitalitátem sectántes. Benedícite persequéntibus vos: benedícite, et nolíte maledícere. Gaudére cum gaudéntibus, flere cum fléntibus: Idípsum ínvicem sentiéntes: Non alta sapiéntes, sed humílibus consentiéntes.

Graduale Ps. 106, 20-21 Misit Dóminus verbum suum, et sanávit eos: et erípuit eos de intéritu eórum. ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 148, 2 Laudáte Dóminum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes virtútes ejus. Allelúja.

¶ Sic dicitur Allelúja cum suo Versu post Graduale in omnibus Dominicis communibus post Epiphaniam, et etiam in Feriis, quando resumitur Missa Dominicæ.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 2, 1-11

In illo témpore: Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ: et erat Mater Jesu ibi. Vocátus est autem et Jesus, et discípuli ejus ad núptias. Et, deficiénte vino, dicit Mater Jesu ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei Jesus: Quid mihi et tibi est, múlier? nondum venit hora mea. Dicit Mater ejus minístris: Quodcúmque díxerit vobis, fácite. Erant autem ibi lapídeæ hýdriæ sex pósitæ secúndum purificatiónem Judæórum, capiéntes sin-

gulæ metrétas binas vel ternas. Dicit eis Jesus: Impléte hýdrias aqua. Et implevérunt eas usque ad summum. Et dicit eis Jesus: Haurite nunc, et ferte architriclíno. Et tulérunt. Ut autem gustávit architriclínus aquam vinum factam, et non sciébat unde esset, minístri autem sciébant, qui háuserant aquam: vocat sponsum architriclínus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: et cum inebriáti fúerint, tunc id, quod detérius est. Tu autem servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc fecit inítium signórum Jesus in Cana Galilææ: et manifestávit glóriam suam, et credidérunt in eum discípuli ejus.

Credo.

Offertorium Ps. 65, 1-2 et 16 Jubiláte Deo, univérsa terra: psalmum dícite nómini ejus: veníte, et audíte, et narrábo vobis, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ, allelúja.

Secreta

Obláta, Dómine, múnera sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33.

Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Joann. 2, 7, 8, 9 et 10-11 Dicit Dóminus: Impléte hýdrias aqua, et ferte architriclíno. Cum gustásset architriclínus aquam vinum factam, dicit sponso: Servásti bonum vinum usque adhuc. Hoc signum fecit Jesus primum coram discípulis suis.

Postcommunio

Augeátur in nobis, quǽsumus, Dómine, tuæ virtútis operátio: ut divínis vegetáti sacraméntis, ad eórum promíssa capiénda, tuo múnere præparémur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 32-33.

Dominica III post Epiphaniam

Introitus Ps. 96, 7-8

Adoráte Deum, omnes Angeli ejus: audívit, et lætáta est Sion: et exsultavérunt fíliæ Judæ. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus regnávit, exsúltet terra: læténtur ínsulæ multæ. ℣. Glória Patri. Adoráte.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice: atque ad protegéndum nos, déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post diem 29 Decembris, 32-33.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 12, 16-21

Fratres: Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos: nulli malum pro malo reddéntes: providéntes bona non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes: Non vosmetípsos defendéntes, caríssimi, sed date locum iræ. Scriptum est enim: Mihi vindícta: ego retribuam, dicit Dóminus. Sed si esuríerit inimícus tuus, ciba illum: si sitit, * potum da illi: hoc

enim fáciens, carbónes ignis cóngeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Graduale Ps. 101, 16-17 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in majestáte sua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 8, 1-13

In illo témpore: Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo. Mundáre. Et conféstim mundáta est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, némini díxeris: sed vade, osténde te sacerdóti, et offer munus, quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Cum autem introísset Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens centúrio, ait: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: Vade, et vadit: et álii: Veni, et venit: et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum: filii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Jesus centurióni: Vade, et, sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Credo.

Offertorium Ps. 117, 16 et 17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33.

Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Luc. 4, 22 Mirabántur omnes de his, quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio

Quos tantis, Dómine, largíris uti mystériis: quǽsumus; ut effectibus nos eórum veráciter aptáre dignéris. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra 32-33.

¶ A die 3 Februarii usque ad Feriam III post Quinquagesimam inclusive, in omnibus Missis ritus Semiduplicis vel Simplicis, tam de Tempore quam de Sanctis, et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, nisi facta fuerit Commemoratio Duplicis, vel cujuslibet Vigiliæ, vel Octa-

væ, vel Missa sit de beata Maria Virgine, vel Officium fiat de Canticis Canticorum, vel de aliqua Vigilia vel Octava, post Commemorationes forte occurrentes, dicuntur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª ad poscenda suffragia Sanctorum A cunctis, 3ª ad libitum eligenda. Et in eadem Oratione A cunctis, sicut et in ejus Postcommunione, ad litteram N. exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina, vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Oratione A cunctis expressum; ac nomina sanctorum Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba atque beáto N. Si vero Missa vel Commemoratio fuerit de sancto Joseph aut de sanctis Apostolis Petro et Paulo, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba quæ eos respiciunt.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum

Oratio

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis: et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. (Per eúmdem Dóminum).

3ª ad libitum eligenda.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum

Secreta

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris; grátiam tríbuens in præsénti, et glóriam in futúro. (Per Dóminum).

3ª ad libitum eligenda.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum

Postcommunio

Mundet et múniat nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti munus oblátum: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis; a cunctis nos reddat et perversitátibus expiátos, et adversitátibus expedítos. (Per eúmdem Dóminum).

3ª ad libitum eligenda.

¶ In Vigiliis autem, infra Octavas tam privilegiatas quam communes, et in diebus Octavis Simplicibus per idem Tempus occurrentibus, loco earumdem Orationum, dicitur, juxta Rubricas, 2ª Oratio de sancta Maria Concéde ex Missa de Communi, [51], et 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, [57]. Si tamen Vigilia aut Octava fuerit de beata Maria Virgine, sicut et in Missis ejusdem beatæ Mariæ Virginis, et in Missis in quibus de ea facta sit Commemoratio, loco Orationis Concéde, dicitur Oratio de Spiritu Sancto, [57].

Dominica IV
post Epiphaniam

Introitus Ps. 96, 7-8

Adoráte Deum, omnes Angeli ejus: audívit, et lætáta est Sion: et exsultavérunt fíliæ Judæ. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus regnávit, exsúltet terra: læténtur ínsulæ multæ. ℣. Glória Patri. Adoráte,

Oratio

Deus, qui nos in tantis periculis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsistere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dñum.

¶ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post diem 29 Decembris, 32-33, vel post Dominicam III post Epiphaniam, 51.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13, 8-10

Fratres: Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam: Non adulterábis: Non occídes: Non furáberis: Non falsum testimónium dices: Non concupísces: et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

Graduale Ps. 101, 16-17 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in majestáte sua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 8, 23-27

In illo témpore: Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipse vero dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus, et suscitavérunt eum, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus. Et dicit eis Jesus: Quid tímidi estis, módicæ fídei? Tunc surgens, imperávit ventis et mari, et facta est tranquíllitas magna. Porro hómines miráti sunt, dicéntes: Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei?

Credo.

Offertorium Ps. 117, 16 et 17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut hujus sacrifícii munus oblátum, fragilitátem nostram ab omni malo purget semper et múniat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33 vel 51.
Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Luc. 4, 22 Mirabántur omnes de his, quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio

Múnera tua nos, Deus, a delectatiónibus terrénis expédiant: et cæléstibus semper instáurent aliméntis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 32-33 vel 51.

Dominica V post Epiphaniam

Introitus Ps. 90, 7-8

Adoráte Deum, omnes Angeli ejus: audívit, et lætáta est Sion: et exsultavérunt fíliæ Judæ. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus regná-

vit, exsúltet terra: lætêntur ínsulæ multæ. ℣. Glória Patri. Adoráte.

Oratio

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

¶ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post Dominicam III post Epiphaniam, 51.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 3, 12-17

Fratres: Indúite vos sicut elécti Dei, sancti, et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: supportántes ínvicem, et donántes vobismetipsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore: et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia, docéntes et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo, et Patri per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Graduale Ps. 101, 16-17 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in majestáte sua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater, quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me, omnes qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Credo.

Offertorium Ps. 117, 16 et 17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis offérimus: ut et delícta nostra miserátus absólvas, et nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 51.

Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Luc. 4, 22 Mirabántur omnes de his, quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio

Quæsumus, omnipotens Deus: ut illíus salutáris capiámus efféctum, cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 51.

Dominica VI post Epiphaniam

Introitus Ps. 96, 7-8

Adoráte Deum, omnes Angeli ejus: audívit, et lætáta est Sion: et exsultavérunt fíliæ Judæ. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus regnávit, exsúltet terra: læténtur ínsulæ multæ. ℣. Glória Patri. Adoráte.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur et factis. Per Dóminum.

¶ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post Dominicam III post Epiphaniam, 51.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 1, 2-10

Fratres: Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: sciéntes fratres, dilécti a Deo, electiónem vestram: quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu Sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus Sancti: ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia, et in Achája. A vobis enim diffamátus est sermo Dómini, non solum in Macedónia et in Achája, sed et in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui. Ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos: et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo et vero, et exspectáre Fílium ejus de cælis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra.

Graduale Ps. 101, 16-17 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in majestáte sua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 92, 1 Dóminus regnávit, decórem índuit: índuit Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13, 31-35

In illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo: quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus.

et fit arbor, ita ut vólucres cæli véniant, et hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis: Símile est regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas: et sine parábolis non loquebátur eis: ut implerétur quod dictum erat per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita a constitutióne mundi.

Credo.

Offertorium Ps. 117, 16 et 17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Hæc nos oblátio, Deus, mundet, quǽsumus, et rénovet, gubérnet, et prótegat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 51.

Præfatio de Ssma Trinitate: sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Luc. 4, 22 Mirabántur omnes de his, quæ procedébant de ore Dei.

Postcommunio

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis: quǽsumus; ut semper éadem, per quæ veráciter vívimus, appetámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 51.

Dominica in Septuagesima

Introitus Ps. 17, 5, 6 et 7

Circumdedérunt me gémitus mortis, dolóres inférni circumdedérunt me: et in tribulatióne mea invocávi Dóminum, et exaudívit de templo sancto suo vocem meam. ℣. Ps. ibid., 2-3 Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri. Circumdedérunt.

¶ Non dicitur Glória in excélsis in Missis de Tempore, ab hac Dominica usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive, neque in Dominicis, neque in Feriis.

Oratio

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per Dóminum.

¶ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post diem 20 Decembris, 32-33, vel post Dominicam III post Epiphaniam, 51.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1 Cor. 9, 24-27 et 10, 1-5

Fratres: Nescítis quod ii qui in stádio currunt, omnes quidem currunt, sed unus áccipit bravium? Sic cúrrite, ut comprehendátis. Omnis autem qui in agóne conténdit, ab ómnibus se ábstinet: et illi quidem ut corruptíbilem corónam accípiant; nos autem incorrúptam. Ego ígitur sic curro, non quasi in incértum: sic pugno, non quasi áërem vérberans: sed castígo corpus meum, et in servitútem rédigo: ne forte cum áliis prædicáverim, ipse réprobus effíciar. Nolo enim vos ignoráre, fratres, quóniam patres nostri omnes sub nube fuérunt, et omnes mare transiérunt, et omnes in Móyse baptizáti sunt in nube, et in mari: et

omnes eámdem escam spiritálem manducavérunt, et omnes eúmdem potum spiritálem bibérunt: (bibébant autem de spirituáli, consequénte eos, petra: petra autem erat Christus): sed non in plúribus eórum beneplácitum est Deo.

Graduale Ps. 9, 10-11 et 19-20 Adjútor in opportunitátibus, in tribulatióne: sperent in te, qui novérunt te: quóniam non derelínquis quæréntes te, Dómine. ℣. Quóniam non in finem oblívio erit páuperis: patiéntia páuperum non períbit in ætérnum: exsúrge, Dómine, non præváleat homo.

Tractus Ps. 129, 1-4 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. ℣. Fiant aures tuæ intendéntes in oratiónem servi tui. ℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit? ℣. Quia apud te propitiátio est, et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

¶ A Septuagesima usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ inclusive, quando in Feriis resumitur Missa Dominicæ, non dicitur Tractus, sed tantum Graduale; dicitur tamen Tractus in Dominicis, Festis et Missis votivis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 20, 1-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum hómini patrifamílias, qui éxiit primo mane condúcere operários in víneam suam. Conventióne autem facta cum operáriis ex denário diúrno, misit eos in víneam suam. Et egréssus circa horam tértiam, vidit álios stantes in foro otiósos, et dixit illis: Ite et vos in víneam meam, et quod justum fúerit, dabo vobis. Illi autem abiérunt. Iterum autem éxiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter. Circa undécimam vero éxiit, et invénit álios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiósi? Dicunt ei: Quia nemo nos condúxit. Dicit illis: Ite et vos in víneam meam. Cum sero autem factum esset, dicit dóminus víneæ procuratóri suo: Voca operários, et redde illis mercédem, incípiens a novíssimis usque ad primos. Cum venissent ergo qui circa undécimam horam vénerant, accepérunt síngulos denários. Veniéntes autem et primi, arbitráti sunt quod plus essent acceptúri: accepérunt autem et ipsi síngulos denários. Et accipiéntes murmurábant advérsus patremfamílias, dicéntes: Hi novíssimi una hora fecérunt, et pares illos nobis fecísti, qui portávimus pondus diéi et æstus. At ille respóndens uni eórum, dixit: Amíce, non fácio tibi injúriam: nonne ex denário convenísti mecum? Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novíssimo dare sicut et tibi. Aut non licet mihi, quod volo, fácere? an óculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Sic erunt novíssimi primi, et primi novíssimi. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime.

Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33 vel 51.

Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Ps. 30, 17-18 Illúmina fáciem tuam super servum tuum, et salvum me fac in tua misericórdia: Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te.

Postcommunio

Fidéles tui, Deus, per tua dona firméntur: ut éadem et percipiéndo requírant, et quæréndo sine fine percípiant. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 32-33 vel 51.

In Dominicis et Feriis, non dicitur Ite Missa est ab hac Dominica usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive; sed versus altare dicatur

℣. Benedicámus Dómino.

℟. Deo grátias.

Dominica in Sexagesima

Introitus Ps. 43, 23-26

Exsúrge, quare obdórmis, Dómine? exsúrge, et ne repéllas in finem: quare fáciem tuam avértis, oblivísceris tribulatiónem nostram? adhǽsit in terra venter noster: exsúrge, Dómine, ádjuva nos, et líbera nos. ℣. Ps. ibid., 2 Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annuntiavérunt nobis. ℣. Glória Patri. Exsúrge.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra actióne confídimus: concéde propítius; ut contra advérsa ómnia, Doctóris géntium protéctione muniámur. Per Dóminum.

¶ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post diem 29 Decembris, 32-33, vel post Dominicam III post Epiphaniam, 51.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 11, 19-33 et 12, 1-9

Fratres: Libénter suffértis insipiéntes: cum sitis ipsi sapiéntes. Sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit. Secúndum ignobilitátem dico, quasi nos infírmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet (in insipiéntia dico) áudeo et ego: Hebrǽi sunt, et ego: Israëlítæ sunt, et ego: Semen Abrahæ sunt, et ego: Minístri Christi sunt (ut minus sápiens dico) plus ego: in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter. A Judǽis quinquies quadragénas, una minus, accépi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte et die in profúndo maris fui: in itinéribus sæpe, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex géntibus, perículis in civitáte, perículis in solitúdine, perículis in mari, perículis in falsis frátribus: in labóre et ærúmna, in vigíliis multis, in fame et siti, in jejúniis multis, in frígore et nuditáte:

præter illa quæ extrinsecus sunt, instántia mea quotidiána, sollicitúdo ómnium Ecclesiárum. Quis infirmátur, et ego non infírmor? quis scandalizátur, et ego non uror? Si gloriári opórtet: quæ infirmitátis meæ sunt, gloriábor. Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui est benedíctus in sǽcula, scit quod non méntior. Damásci, præpósitus gentis Arétæ regis custodiébat civitátem Damascenórum, ut me comprehénderet: et per fenéstram in sporta dimíssus sum per murum, et sic effúgi manus ejus. Si gloriári opórtet (non éxpedit quidem), véniam autem ad visiónes et revelatiónes Dómini. Scio hóminem in Christo ante annos quatuórdecim, sive in córpore néscio, sive extra corpus néscio, Deus scit, raptum hujúsmodi usque ad tértium cælum. Et scio hujúsmodi hóminem, sive in córpore, sive extra corpus néscio, Deus scit: quóniam raptus est in paradísum: et audívit arcána verba, quæ non licet hómini loqui. Pro hujúsmodi gloriábor: pro me autem nihil gloriábor, nisi in infirmitátibus meis. Nam, et si volúero gloriári, non ero insípiens: veritátem enim dicam: parco autem, ne quis me exístimet supra id quod videt in me, aut áliquid audit ex me. Et ne magnitúdo revelatiónum extóllat me, datus est mihi stímulus carnis meæ, ángelus sátanæ, qui me colaphízet. Propter quod ter Dóminum rogávi, ut discéderet a me: et dixit mihi: Súfficit tibi grátia mea: nam virtus in infirmitáte perfícitur. Libénter ígitur gloriábor in infirmitátibus meis, ut inhábitet in me virtus Christi.

Graduale Ps. 82, 19 et 14 Sciant gentes, quóniam nomen tibi Deus: tu solus Altíssimus super omnem terram. ℣. Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stípulam ante fáciem venti.

Tractus Ps. 59, 4 et 6 Commovísti, Dómine, terram, et conturbásti eam. ℣. Sana contritiónes ejus, quia mota est. ℣. Ut fúgiant a fácie arcus: ut liberéntur elécti tui.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 8, 4-15

In illo témpore: Cum turba plúrima convenírent, et de civitátibus properárent ad Jesum, dixit per similitúdinem: Exiit, qui séminat, semináre semen suum: et, dum séminat, áliud cécidit secus viam, et conculcátum est, et vólucres cæli comedérunt illud. Et áliud cécidit supra petram: et natum áruit, quia non habébat humórem. Et áliud cécidit inter spinas, et simul exórtæ spinæ suffocavérunt illud. Et áliud cécidit in terram bonam: et ortum fecit fructum céntuplum. Hæc dicens, clamábat: Qui habet aures audiéndi áudiat. Interrogábant autem eum discípuli ejus, quæ esset hæc parábola. Quibus ipse dixit: Vobis datum est nosse mystérium regni Dei, céteris autem in parábolis: ut vidéntes non vídeant, et audiéntes non intélligant. Est autem hæc parábola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt qui áudiunt: deínde venit diábolus, et tollit verbum de corde eórum, ne credéntes

salvi fiant. Nam qui supra petram: qui cum audíerint, cum gáudio suscípiunt verbum: et hi radíces non habent: qui ad tempus credunt, et in témpore tentatiónis recédunt. Quod autem in spinas cécidit: hi sunt, qui audiérunt, et a sollicitudínibus, et divítiis, et voluptátibus vitæ eúntes, suffocántur, et non réferunt fructum. Quod autem in bonam terram: hi sunt, qui in corde bono et óptimo audiéntes verbum rétinent, et fructum áfferunt in patiéntia.

Credo.

Offertorium Ps. 16, 5. 6-7 Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea: mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te, Dómine.

Secreta

Oblátum tibi, Dómine, sacrifícium, vivíficet nos semper, et múniat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33 vel 51.
Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Ps. 42, 4 Introíbo ad altáre Dei, ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficis sacraméntis, tibi étiam plácitis móribus dignánter deservíre concédas. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 32-33 vel 51.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Dominica in Quinquagesima

Introitus Ps. 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii, ut salvum me fácias: quóniam firmaméntum meum, et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me. ℣. Ps. ibid., 2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me, et éripe me. ℣. Glória Patri. Esto mihi.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: atque a peccatórum vínculis absolútos, ab omni nos adversitáte custódi. Per Dóminum.

¶ Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut post diem 29 Decembris, 32-33, vel post Dominicam III post Epiphaniam, 51.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 13, 1-13

Fratres: Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tinniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum, ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non

est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur. Ex parte enim cognóscimus, et ex parte prophetámus. Cum autem vénerit quod perféctum est, evacuábitur quod ex parte est. Cum essem párvulus, loquébar ut párvulus, sapiébam ut párvulus, cogitábam ut párvulus. Quando autem factus sum vir, evacuávi quæ erant párvuli. Vidémus nunc per spéculum in ænígmate: tunc autem fácie ad fáciem. Nunc cognósco ex parte: tunc autem cognóscam sicut et cógnitus sum. Nunc autem manent, fides, spes, cáritas, tria hæc: major autem horum est cáritas.

Graduale Ps. 76, 15 et 16 Tu es Deus qui facis mirabília solus: notam fecísti in géntibus virtútem tuam. ℣. Liberásti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Israël, et Joseph.

Tractus Ps. 99, 2-3 Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia. ℣. Intráte in conspéctu ejus in exsultatióne: scitóte, quod Dóminus ipse est Deus. ℣. Ipse fecit nos, et non ipsi nos: nos autem pópulus ejus, et oves páscuæ ejus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 18, 31-43

In illo témpore: Assúmpsit Jesus duódecim, et ait illis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, et consummabúntur ómnia, quæ scripta sunt per prophétas de Fílio hóminis. Tradétur enim Géntibus, et illudétur, et flagellábitur, et conspuétur: et postquam flagelláverint, occídent eum, et tértia die resúrget. Et ipsi nihil horum intellexérunt, et erat verbum istud abscónditum ab eis, et non intelligébant quæ dicebántur. Factum est autem, cum appropinquáret Jéricho, cæcus quidam sedébat secus viam, mendícans. Et cum audíret turbam prætereúntem, interrogábat quid hoc esset. Dixérunt autem ei, quod Jesus Nazarénus transíret. Et clamávit, dicens: Jesu, fili David, miserére mei. Et qui præíbant, increpábant eum ut tacéret. Ipse vero multo magis clamábat: Fili David, miserére mei. Stans autem Jesus, jussit illum addúci ad se. Et cum appropinquásset, interrogávit illum, dicens: Quid tibi vis fáciam? At ille dixit: Dómine, ut vídeam. Et Jesus dixit illi: Réspice, fides tua te salvum fecit. Et conféstim vidit, et sequebátur illum, magníficans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Credo.

Offertorium Ps. 118, 12-13 Benedíctus es, Dómine, doce me justificatiónes tuas: in lábiis meis pronuntiávi ómnia judícia oris tui.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 32-33 vel 51.

Præfatio de Ssma Trinitate; sed infra hebdomadam Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Ps. 77, 29-30 Manducavérunt, et saturáti sunt nimis, et desidérium eórum áttulit eis Dóminus: non sunt fraudáti a desidério suo.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 32-33, vel 51.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Feria quarta Cinerum

Prima die Quadragesimæ, quæ Cinerum appellatur, mane Sacrista paret Altare, et vas cum cineribus mundis, factis ex Ramis anno præterito benedictis, si commode haberi possint, alias de quibusvis lignis. Et, dicta Tertia, Sexta et Nona, pulsetur campana, ut conveniat populus ad Ecclesiam. Tum vero congregato clero, Missam celebraturus jam sacris vestibus indutus sine Casula, cum Cappa tamen serica, una cum Diacono et Subdiacono, præcedentibus Cruce, Thuriferario et Ceroferariis cum cereis accensis, exeant ad locum ubi clerus fuerit congregatus. Et, remanentibus ibi Cruce et Ceroferariis, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus vadant ad Altare: et in infimo ejus gradu genibus flexis, dicta secrete Oratione Dominica, ascendant ad illud: et, facta rursus reverentia Altari, Diaconus accipiat vas cum cineribus, et stet ad dextram Celebrantis, astantis in cornu Epistolæ: tum ipse Celebrans faciat officium benedictionis cinerum, incipiens Antiphonam:

Ps. 68, 17



Et chorus prosequetur: Quóniam benígna est misericórdia tua: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice nos, Dómine. ℣. Ps. ibid., 2 Salvum me fac, Deus: quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam.

℣. Glória Patri.

Repetitur a choro Ant. Exáudi nos.

Deinde dicat Celebrans submissa voce mediocriter, tamen sonora, et flexis genibus:

Kýrie, eléison.
Chorus Christe, eléison.
Celebrans Kýrie, eléison.
Pater noster, secreto usque ad
℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem.
℟. Sed líbera nos a malo.

Et chorus prosequatur Ps. 66 Deus misereátur nostri, totum cum Glória Patri.

Finito Psalmo, celebrans adhuc genuflexus dicat:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.
℟. Et salutáre tuum da nobis.
℣. Peccávimus cum pátribus nostris.
℟. Injúste égimus: iniquitátem fécimus.
℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.
℟. Et clamor meus ad te véniat.

Et Celebrans surgens, dicat:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

Concéde nobis, quǽsumus, Dómine, præsídia milítiæ christiánæ sanctis inchoáre jejúniis: ut contra spiritáles nequítias pugnatúri, continéntiæ muniámur auxíliis. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Celebrans submissa voce benedicat cineres, dicens:

Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

Deus, qui non mortem, sed pœniténtiam desíderas peccatórum: fragilitátem nostram benigníssime réspice: et hos cíneres quos causa præferéndæ humilitátis atque promeréndæ véniæ capítibus nostris impóni decérnimus: bene ✠ dícere pro tua pietáte dignéris: ut qui nos cínerem esse, et ob pravitátis nostræ méritum in púlverem reversúros cognóscimus: peccatórum ómnium véniam, et prǽmia pœniténtibus repromíssa: misericórditer cónsequi mereámur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus — Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui primo hómini transgrediénti mandátum tuum, nec confiténti peccátum próprium, denuntiásti quod cinis esset et in cínerem reverterétur: te súpplices expóscimus ut parcas nobis, peccáta nostra tibi veráciter confiténtibus: et, per impositiónem huius cíneris, véniam consequámur: et de peccáto ad justítiam, de corruptióne ad incorruptiónem, de morte ad vitam perveníre mereámur ætérnam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus — Oratio

Omnípotens Deus, qui miseréris ómnium, et nihil odísti eórum quæ fecísti, dissímulans peccáta hóminum própter pœniténtiam: qui étiam súbvenis in necessitáte laborántibus: bene ✠ dícere et sanctifi ✠ cáre dignáre hos cíneres, quos causa humilitátis, et sanctæ religiónis ad emundánda delícta nostra super cápita nostra ferre constituísti more Ninivitárum: et da per invocatiónem tui nóminis: ut omnes, qui eos ad prædicándam misericórdiam tuam super cápita sua túlerint, a te mereántur ómnium delictórum suórum véniam accípere, et hódie sic eórum jejúnia inchoáre sancta: ut in die resurrectiónis purificátis méntibus ad sanctum mereántur Pascha accédere, et in futúro perpétuam accípere glóriam. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Benedíctio Dei ✠ Patris omnipoténtis, et Fílii, ✠ et Spíritus ✠ Sancti descéndat et máneat super hos cíneres. Amen.

Expleta benedictione, Celebrans, imposito incenso in Turibulo, ter aspergit cineres aqua benedicta, dicendo Anti-

phonam Aspérges, sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Statim Celebrans cum Ministris descendit ad infimum gradum Altaris, et cantor incipiat:

Antiphonam Joël 2, 17 Inter vestíbulum et altáre plorábant sacerdótes et levítæ, minístri Dómini, dicéntes: Parce, Dómine, parce pópulo tuo, et ne díssipes ora clamántium ad te, Dómine.

Alia Ant. Ibid., 13 Immutémur hábitu: in cínere et cilício, jejunémus et plorémus ante Dóminum: quia multum miséricors est dimíttere peccáta nostra, Deus noster.

Sequitur Responsorium

Esther 13; Joël. 2 Emendémus in mélius, quæ ignoránter peccávimus: ne súbito præoccupáti die mortis, quærámus spátium pœniténtiæ, et inveníre non possímus. * Atténde, Dómine, et miserére: quia peccávimus tibi. ℣. Ps. 78, 9 Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos. Atténde, Dómine. ℣. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Atténde, Dómine.

Et dum cantantur in Choro Antiphonæ suprascriptæ et Responsorium, quæ repetantur interim dum cineres imponuntur, quoties expedierit, imponatur cinis primum Celebraturo Missam, ab alio Sacerdote, si adest: alioquin ipse flexis genibus coram Altari sibi ipsi cineres imponat super caput in modum crucis nihil dicens. Deinde descendat ad infimum gradum Altaris, et Diaconus ad ejus dextram cum vase cinerum præ manibus, et, Celebrans in eo stans, Pontifici accedenti et stanti etiam cineres imponat, post vero Ministris, et successive Clero in tonsura, et populo in fronte. Et, dum Celebrans imponit cineres, Diaconus stet cum vase cinerum ad dextram Celebrantis: Subdiaconus ad sinistram cum aqua benedicta, qua quemlibet aspergat post impositionem cinerum: dum vero Celebrans imponit cineres, dicat cuilibet: Meménto, homo, quia pulvis es: et in púlverem revertéris. Post Ministros, veniunt Beneficiati, et alii Clerici, bini et bini: et, flexis genibus ante Altare, recipiant cineres a Celebrante: et postea laici et mulieres donec omnes recipiant cum devotione, ut dictum est. His expletis, et omnibus genibus flexis, incipiatur Litania a duobus: et, respondente Choro, cantetur usque ad Sancta Virgo vírginum, inclusive. Deinde omnes surgunt, et, præcedente Crucifero inter duos Ceroferarios, omnes de Clero ex utraque parte chori exeuntes, bini et bini, præeuntibus junioribus, Processioni pœnitentiali se associant et intra Ecclesiam ter circumeundo Litanias prosequuntur, quos loco ultimo Celebrans aperto capite et medius inter sacros Ministros vel Assistentes subsequitur, qui ei anteriores Cappæ seu Pluvialis fimbrias sublevant. Post Celebrantem Processioni se associat etiam universus populus, qui cum Clero humiliter et devote respondet invocationibus Litaniæ. Facto tertio circulo intra Ecclesiam et in Presbyterium reversi, Celebrans cum sacris Ministris in ultimo Altaris gradu et alii de Clero et populo in propriis locis utrumque flectunt genu. Expleta Litania et cantato Psalmo 69 Deus, in adjutórium, Celebrans, adhuc genuflexus, Preces subjungit, et, ad Dóminus vobíscum, se erigit et Orationes, post Litaniam dicendas, cantat. Quibus finitis, deponit Pluviale, sumit Manipulum et Casulam, et incipit Missam.

Si vero Pontifex voluerit benedicere cineres et illos imponere, servetur ordo in Pontificali præscriptus.

Introitus Sap. 11, 24, 25 et 27

Miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti, dissímulans peccáta hóminum propter pœniténtiam et parcens illis: quia tu es Dóminus Deus noster. ℣. Ps. 56, 2 Miserére mei, Deus, miserére mei: quóniam in te confídit ánima mea. ℣. Glória Patri. Miseréris ómnium.

Deinde, in Missis solemnibus et cantatis, Celebrans dicat Dóminus vobíscum et Orémus; Diaconus Flectámus génua; Subdiaconus Leváte; in Missis vero privatis, dicat Celebrans Flectámus génua, et Minister, vel, deficiente Ministro, ipse Celebrans Leváte. Et omnes debent flectere genua. Sic dicatur, per totam Quadragesimam usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ, in omnibus Missis de Feria.

Oratio

Præsta, Dómine, fidélibus tuis: ut jejuniórum veneránda solémnia, et cóngrua pietáte suscípiant, et secúra devotióne percúrrant. Per Dóminum.

¶ Ab hac die usque ad Sabbatum infra Hebdomadam IV Quadragesimæ inclusive, quando dicendæ fuerint, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, exceptis Vigiliis, erunt sequentes, nempe 2ª ad poscenda suffragia Sanctorum, A cunctis, 3ª pro vivis et defunctis, Omnípotens. Et in eadem Oratione A cunctis, sicut et in ejus Postcommunione, ad litteram N. exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina, vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa, aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Oratione A cunctis expressum; ac nomina sanctorum. Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba atque beáto N. Si vero Missa, vel Commemoratio fuerint de sancto Joseph, aut de sanctis Apostolis Petro et Paulo, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba quæ eos respiciunt.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum

Oratio

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis: et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N., et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. (Per eúmdem Dóminum).

3ª pro vivis et defunctis Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis: te súpplices exorámus; ut, pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sǽculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum.

¶ In Vigiliis autem per idem Tempus occurrentibus, loco earumdem Orationum, dicitur, juxta Rubricas, 2ª Oratio de sancta Maria, Concéde, ex Missa de Communi, [51], 3ª contra persecutores

Ecclesiæ vel pro Papa, [57]. In Missis tamen de beata Maria Virgine, et in Missis, in quibus de ea facta sit Commemoratio, loco Orationis Concéde, dicitur Oratio de Spiritu Sancto, [57].

Léctio Joëlis Prophétæ.
Joël. 2, 12-19

Hæc dicit Dóminus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejúnio, et in fletu, et in planctu. Et scíndite corda vestra, et non vestiménta vestra, et convertímini ad Dóminum Deum vestrum: quia benígnus, et misericors est, pátiens, et multæ misericórdiæ, et præstábilis super malítia. Quis scit, si convertátur, et ignóscat, et relínquat post se benedictiónem, sacrifícium, et libámen Dómino Deo vestro? Cánite tuba in Sion, sanctificáte jejúnium, vocáte cœtum, congregáte pópulum, sanctificáte ecclésiam, coadunáte senes, congregáte párvulos, et sugéntes úbera: egrediátur sponsus de cubíli suo, et sponsa de thálamo suo. Inter vestíbulum et altáre plorábunt sacerdótes minístri Dómini, et dicent: Parce, Dómine, parce pópulo tuo: et ne des hereditátem tuam in oppróbrium, ut dominéntur eis natiónes. Quare dicunt in pópulis: Ubi est Deus eórum? Zelátus est Dóminus terram suam, et pepércit pópulo suo. Et respóndit Dóminus, et dixit pópulo suo: Ecce ego mittam vobis fruméntum, et vinum, et óleum, et replebímini eis: et non dabo vos ultra oppróbrium in géntibus: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 56, 2 et 4 Miserére mei, Deus, miserére mei: quóniam in te confídit ánima mea. ℣. Misit de cælo, et liberávit me, dedit in oppróbrium conculcántes me.

¶ Sequens Tractus dicitur in Missis de Feria II, IV et VI usque ad Feriam II Majoris Hebdomadæ inclusive, nisi proprius assignetur.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 6, 16-21

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum jejunátis, nolíte fieri sicut hypócritæ, tristes. Extérminant enim fácies suas, ut appáreant homínibus jejunántes. Amen dico vobis, quia recepérunt mercédem suam. Tu autem, cum jejúnas, unge caput tuum, et fáciem tuam lava, ne videáris homínibus jejúnans, sed Patri tuo, qui est in abscóndito: et Pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi. Nolíte thesaurizáre vobis thesáuros in terra: ubi ærúgo, et tínea demolítur: et ubi fures effódiunt, et furántur. Thesaurizáte autem vobis thesáuros in cælo: ubi neque ærúgo, neque tínea demolítur: et ubi fures non effódiunt, nec furántur. Ubi enim est thesáurus tuus, ibi est et cor tuum.

Offertorium Ps. 20, 2-3 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me: Dómine, clamávi ad te, et sanásti me.

Secreta

Fac nos, quǽsumus, Dómine, his munéribus offeréndis conveniénter aptári: quibus ipsíus venerábilis sacraménti celebrámus exórdium. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ:

2° ad poscenda suffragia Sanctorum

Secreta

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris; grátiam tríbuens in præsénti, et glóriam in futúro. (Per Dóminum).

3° pro vivis et defunctis Secreta

Deus, cui soli cógnitus est númerus electórum in supérna felicitáte locándus: tríbue, quǽsumus; ut intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, universórum, quos in oratióne commendátos suscépimus, et ómnium fidélium nómina, beátæ prædestinatiónis liber adscrípta retíneat. Per Dóminum.

¶ Præfatio de Quadragesima; quæ dicitur quotidie usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, juxta Rubricas.

Communio Ps. 1, 2 et 3 Qui meditábitur in lege Dómini die ac nocte, dabit fructum suum in témpore suo.

Postcommunio

Percépta nobis, Dómine, præbeant sacraménta subsídium: ut tibi grata sint nostra jejúnia, et nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones:

2° ad poscenda suffragia Sanctorum

Postcommunio

Mundet et múniat nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti munus oblátum: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N., et ómnibus Sanctis; a cunctis nos reddat et perversitátibus expiátos, et adversitátibus expedítos. (Per eúmdem Dóminum).

3° pro vivis et defunctis

Postcommunio

Puríficent nos, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus, sacraménta quæ súmpsimus: et, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, præsta; ut hoc tuum sacraméntum non sit nobis reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam: sit ablútio scélerum, sit fortitúdo fragílium, sit contra ómnia mundi perícula firmaméntum: sit vivórum atque mortuórum fidélium remíssio ómnium delictórum. Per Dóminum.

¶ Deinde Sacerdos absolute dicit alta voce: Orémus. Et Diaconus (si in officio Diaconatus serviat) versus ad populum, junctis manibus, dicit: Humiliáte cápita vestra Deo. Alioquin ipse Sacerdos, stans in eodem loco ante librum, et non vertens se ad populum. Et omnes inclinent capita, deinde Celebrans mediocri voce dicat Orationem super populum: qua finita, dicat alta voce: Per Dóminum.

Oratio

Inclinántes se, Dómine, majestáti tuæ, propitiátus inténde: ut, qui divíno múnere sunt refécti, cælé-

stibus semper nutriántur auxíliis. Per Dóminum.

¶ Et hic modus dicendi Orationem super populum servatur tantummodo in Missis de Feria, usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive; quando vero dicitur Missa de aliquo Festo et fit Commemoratio de Feria, tunc non dicatur Flectámus génua, nec Humiliáte cápita vestra, nec Oratio super populum, sed tantum prima Oratio pro Commemoratione.

℣. Benedicámus Dómino.
℟. Deo grátias.

Feria Quinta

Introitus Ps. 54, 17-20 et 23

Dum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi, et humiliávit eos, qui est ante sæcula, et manet in ætérnum: jacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. ℣. Ps. ibid., 2-3 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, et exáudi me. ℣. Glória Patri. Dum clamárem.

Oratio

Deus, qui culpa offénderis, pœniténtia placáris: preces pópuli tui supplicántis propítius réspice; et flagélla tuæ iracúndiæ, quæ pro peccátis nostris merémur, avérte. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 38, 1-6

In diébus illis: Ægrotávit Ezechías usque ad mortem: et introívit ad eum Isaías, fílius Amos prophéta, et dixit ei: Hæc dicit Dóminus: Dispóne dómui tuæ, quia moriéris tu, et non vives. Et convértit Ezechías fáciem suam ad paríetem, et orávit ad Dóminum, et dixit: Obsecro, Dómine, meménto, quæso, quómodo ambuláverim coram te in veritáte, et in corde perfécto, et quod bonum est in óculis tuis fécerim. Et flevit Ezechías fletu magno. Et factum est verbum Dómini ad Isaíam, dicens: Vade, et dic Ezechíæ: Hæc dicit Dóminus Deus David patris tui: Audívi oratiónem tuam, et vidi lácrimas tuas: ecce ego adjíciam super dies tuos quíndecim annos: et de manu regis Assyriórum éruam te, et civitátem istam, et prótegam eam, ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 54, 23, 17, 18 et 19 Jacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. ℣. Dum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 8, 5-13

In illo témpore: Cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens centúrio, ait: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: Vade, et vadit; et álii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus,

mirátus est, et sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum: filii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Jesus centurióni: Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Offertorium Ps. 24, 1-3 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur.

Secreta

Sacrifíciis præséntibus, Dómine, quǽsumus, inténde placátus: ut et devotióni nostræ profíciant, et salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 50, 21 Acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta, super altáre tuum, Dómine.

Postcommunio

Cæléstis doni benedictióne percépta: súpplices te, Deus omnípotens, deprecámur; ut hoc idem nobis et sacraménti causa sit et salútis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Parce, Dómine, parce pópulo tuo: ut dignis flagellatiónibus castigátus, in tua miseratióne respíret. Per Dóminum.

Feria Sexta

Introitus Ps. 29, 11

Audívit Dóminus, et misértus est mihi: Dóminus factus est adjútor meus. ℣. Ps. ibid., 2 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri. Audívit.

Oratio

Inchoáta jejúnia, quǽsumus, Dómine, benígno favóre prosequere: ut observántiam, quam corporáliter exhibémus, méntibus étiam sincéris exercére valeámus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Isaíæ Prophétæ. Isai. 58, 1-9

Hæc dicit Dóminus Deus: Clama, ne cesses: quasi tuba exálta vocem tuam: et annúntia pópulo meo scélera eórum, et dómui Jacob peccáta eórum. Me étenim de die in diem quærunt, et scire vias meas volunt: quasi gens, quæ justítiam fécerit, et judícium Dei sui non dereliquerit: rogant me judícia justítiæ: appropinquáre Deo volunt. Quare jejunávimus, et non aspexísti: humiliávimus ánimas nostras, et nescísti? Ecce in die jejúnii vestri invenítur volúntas vestra, et omnes debitóres vestros repétitis. Ecce ad lites, et contentiónes jejunátis, et percútitis pugno ímpie. Nolíte jejunáre sicut usque ad hanc diem, ut audiátur in excélso clamor vester. Numquid tale est jejúnium, quod elégi, per diem affligere hóminem ánimam suam? numquid contorquére quasi círculum caput suum, et saccum et cínerem stérnere? numquid istud vocá-

bis jejúnium, et diem acceptábilem Dómino? Nonne hoc est magis jejúnium quod elégi? dissólve colligatiónes impietátis, solve fascículos depriméntes: dimítte eos, qui confrácti sunt, líberos, et omne onus dirúmpe. Frange esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum. Quia miséricors sum, Dóminus Deus tuus.

Graduale Ps. 26, 4 Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini. ℣. Ut vídeam voluptátem Dómini, et prótegar a templo sancto ejus.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 43-48 et 6, 1-4

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Audístis quia dictum est: Díliges próximum tuum: et ódio habébis inimícum tuum. Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros, benefácite his qui odérunt vos, et oráte pro persequéntibus et calumniántibus vos: ut sitis fílii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oríri facit super bonos et malos, et pluit super justos et injústos. Si enim dilígitis eos qui vos díligunt, quam mercédem habébitis? Nonne et publicáni hoc fáciunt? Et si salutavéritis fratres vestros tantum, quid ámplius fácitis? Nonne et éthnici hoc fáciunt? Estóte ergo vos perfécti, sicut et Pater vester cæléstis perféctus est. Atténdite ne justítiam vestram faciátis coram homínibus, ut videámini ab eis: alióquin mercédem non habébitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Cum ergo facis eleemósynam, noli tuba cánere ante te, sicut hypócritæ fáciunt in synagógis et in vicis, ut honorificéntur ab homínibus. Amen dico vobis, recepérunt mercédem suam. Te autem faciénte eleemósynam, nésciat sinístra tua quid fáciat déxtera tua, ut sit eleemósyna tua in abscóndito, et Pater tuus, qui videt in abscóndito, reddet tibi.

Offertorium Ps. 118, 154 et 125 Dómine, vivífica me secúndum elóquium tuum: ut sciam testimónia tua.

Secreta

Sacrifícium, Dómine, observántiæ quadragesimális, quod offérimus, præsta, quæsumus: ut tibi et mentes nostras reddat accéptas, et continéntiæ promptióris nobis tríbuat facultátem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 2, 11-12 Servíte Dómino in timóre, et exsultáte ei cum tremóre: apprehéndite disciplínam, ne pereátis de via justa.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos uno pane cæléstì satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Tuére, Dómine, pópulum tuum, et ab ómnibus peccátis cleménter emúnda: quia nulla ei nocébit advérsitas, si nulla ei dominétur iníquitas. Per Dóminum.

Sabbato

Introitus Ps. 29, 11

Audívit Dóminus, et misértus est mihi: Dóminus factus est adjútor meus. ℣. Ps. ibid., 2 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri. Audívit.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et concéde; ut hoc solémne jejúnium, quod animábus corporibúsque curándis salúbriter institútum est, devóto servítio celebrémus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 58, 9-14

Hæc dicit Dóminus Deus: Si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris exténdere dígitum, et loqui quod non prodest. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non defícient aquæ. Et ædificabúntur in te desérta sæculórum: fundaménta generatiónis et generatiónis suscitábis: et vocáberis ædificátor sépium, avértens sémitas in quiétem. Si avérteris a sábbato pedem tuum, fácere voluntátem tuam in die sancto meo, et vocáveris sábbatum delicátum, et sanctum Dómini gloriósum, et glorificáveris eum, dum non facis vias tuas, et non invenítur volúntas tua, ut loquáris sermónem: tunc delectáberis super Dómino: et sustóllam te super altitúdines terræ, et cibábo te hereditáte Jacob, patris tui. Os enim Dómini locútum est.

Graduale Ps. 26, 4 Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini. ℣. Ut vídeam voluptátem Dómini, et prótegar a templo sancto ejus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 6, 47-56

In illo témpore: Cum sero esset, erat navis in médio mari, et Jesus solus in terra. Et videns discípulos suos laborántes in remigándo (erat enim ventus contrárius eis), et circa quartam vigíliam noctis venit ad eos ámbulans supra mare: et volébat

prætería eos. At illi, ut vidérunt eum ambulántem supra mare, putavérunt phantásma esse, et exclamavérunt. Omnes enim vidérunt eum, et conturbáti sunt. Et statim locútus est cum eis, et dixit eis: Confídite, ego sum, nolíte timére. Et ascéndit ad illos in navim, et cessávit ventus. Et plus magis intra se stupébant: non enim intellexérunt de pánibus: erat enim cor eórum obcæcátum. Et cum transfretássent, venérunt in terram Genésareth, et applicuérunt. Cumque egréssi essent de navi, contínuo cognovérunt eum: et percurréntes univérsam regiónem illam, cœpérunt in grabátis eos, qui se male habébant, circumférre ubi audiébant eum esse. Et quocúmque introíbat, in vicos, vel in villas, aut civitátes, in platéis ponébant infírmos, et deprecabántur eum, ut vel fímbriam vestiménti ejus tángerent: et quotquot tangébant eum, salvi fiébant.

Offertorium Ps. 118, 154 et 125 Dómine, vivífica me secúndum elóquium tuum: ut sciam testimónia tua.

Secreta

Súscipe, Dómine, sacrifícium, cujus te voluísti dignánter immolatióne placári: præsta, quǽsumus: ut, hujus operatióne mundáti, beneplácitum tibi nostræ mentis offerámus afféctum. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 2, 11-12 Servíte Dómino in timóre, et exsultáte ei cum tremóre: apprehéndite disciplínam, ne pereátis de via justa.

Postcommunio

Cæléstis vitæ múnere vegetáti, quǽsumus, Domine: ut, quod est nobis in præsénti vita mystérium, fiat æternitátis auxílium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Fidéles tui, Deus, per tua dona firméntur: ut éadem et percipiéndo requírant, et quæréndo sine fine percípiant. Per Dóminum.

¶ Notandum quod, a primis Vesperis istius primæ Dominicæ Quadragesimæ usque ad Sabbatum sanctum, imagines et retabula cooperiuntur, et Cruces cum processionaliter portantur. Ponatur præterea inter ingressum et Altare Capellæ majoris velum seu cortina ad omnes Horas, in Dominicis diebus et Feriis. In Solemnibus vero I Ordinis, Octavam Communem habentibus, et in Festo Annuntiationis Virginis Mariæ, a primis vesperis usque in totam sequentem diem, discooperiantur imagines et retabula, si de eis celebratur ante Dominicam in ramis Palmarum. In aliis autem Festis, de quibus in Quadragesima celebratur, deponitur tantum cortina seu velum. De Dominica vero in ramis Palmarum, Feria quinta, et Sabbato Majoris Hebdomadæ suis locis præscribitur regula.



DOMINICA PRIMA
in Quadragesima

Introitus Ps. 90, 15 et 16

Invocábit me, et ego exáudiam eum: erípiam eum, et glorificábo eum: longitúdine diérum adimplébo eum. ℣. Ps. ibid., 1 Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur. ℣. Glória Patri. Invocábit.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam ánnua quadragesimáli observatióne puríficas: præsta famíliæ tuæ; ut, quod a te obtinére abstinéndo nítitur, hoc bonis opéribus exsequátur. Per Dóminum,

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 6, 1-10

Fratres: Exhortámur vos, ne in vácuum grátiam Dei recipiátis. Ait enim: Témpore accépto exaudívi te, et in die salútis adjúvi te. Ecce nunc tempus acceptábile, ecce nunc dies salútis. Némini dantes ullam offensiónem, ut non vituperétur ministérium nostrum: sed in ómnibus exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros, in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ a dextris, et a sinístris: per glóriam, et ignobilitátem: per infámiam, et bonam famam: ut seductóres, et veráces: sicut qui ignóti, et cógniti: quasi moriéntes, et ecce vívimus: ut castigáti, et non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes: tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Graduale Ps. 90, 11-12 Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In

mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Tractus Ibid. 1-7, 11-16 Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur. ℣. Dicet Dómino: Suscéptor meus es tu, et refúgium meum: Deus meus, sperábo in eum. ℣. Quóniam ipse liberávit me de láqueo venántium, et a verbo áspero. ℣. Scápulis suis obumbrábit tibi, et sub pennis ejus sperábis. ℣. Scuto circúmdabit te véritas ejus: non timébis a timóre noctúrno. ℣. A sagítta volánte per diem, a negótio perambulánte in ténebris, a ruína et dæmónio meridiáno. ℣. Cadent a látere tuo mille, et decem míllia a dextris tuis: tibi autem non appropinquábit. ℣. Quóniam Angelis suis mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Super áspidem et basilíscum ambulábis, et conculcábis leónem et dracónem. ℣. Quóniam in me sperávit, liberábo eum: prótegam eum, quóniam cognóvit nomen meum. ℣. Invocábit me, et ego exáudiam eum: cum ipso sum in tribulatióne. ℣. Erípiam eum, et glorificábo eum: longitúdine diérum adimplébo eum, et osténdam illi Salutáre meum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 4, 1-11

In illo témpore: Ductus est Jesus in desértum a Spíritu, ut tentarétur a diábolo. Et cum jejunásset quadragínta diébus, et quadragínta nóctibus, póstea esúriit. Et accédens tentátor, dixit ei: Si Fílius Dei es, dic ut lápides isti panes fiant. Qui respóndens, dixit: Scriptum est: Non in solo pane vivit homo: sed in omni verbo, quod procédit de ore Dei. Tunc assúmpsit eum diábolus in sanctam civitátem, et státuit eum super pinnáculum templi, et dixit ei: Si Fílius Dei es, mitte te deórsum. Scriptum est enim: Quia Angelis suis mandávit de te, et in mánibus tollent te, ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum. Ait illi Jesus: Rursum scriptum est: Non tentábis Dóminum Deum tuum. Iterum assúmpsit eum diábolus in montem excélsum valde: et osténdit ei ómnia regna mundi, et glóriam eórum, et dixit ei: Hæc ómnia tibi dabo, si cadens adoráveris me. Tunc dicit ei Jesus: Vade, Sátana, scriptum est enim: Dóminum Deum tuum adorábis, et illi soli sérvies. Tunc relíquit eum diábolus: et ecce Angeli accessérunt, et ministrábant ei.

Credo.

Offertorium Ps. 90, 4-5 Scápulis suis obumbrábit tibi Dóminus, et sub pennis ejus sperábis: scuto circúmdabit te véritas ejus.

Secreta

Sacrifícium quadragesimális inítii solémniter immolámus, te, Dómine, deprecántes: ut, cum epulárum restrictióne carnálium, a nóxiis quoque voluptátibus temperémus. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 90, 4-5 Scápulis suis obumbrábit tibi Dóminus, et sub

pennis ejus sperábis: scuto circúmdabit te véritas ejus.

Postcommunio

Tui nos, Dómine, sacraménti libátio sancta restáuret: et a vetustáte purgátos, in mystérii salutáris fáciat transíre consórtium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Feria Secunda

Introitus Ps. 122, 2

Sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum: ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri: miserére nostri, Dómine, miserére nostri. ℣. Ps. ibid., 1 Ad te levávi óculos meos: qui hábitas in cælis. ℣. Glória Patri. Sicut óculi.

Oratio

Convérte nos, Deus, salutáris noster: et, ut nobis jejúnium quadragesimále profíciat, mentes nostras cæléstibus ínstrue disciplínis. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 34, 11-16

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego ipse requíram oves meas, et visitábo eas. Sicut vísitat pastor gregem suum in die, quando fúerit in médio óvium suárum dissipatárum: sic visitábo oves meas, et liberábo eas de ómnibus locis, in quibus dispérsæ fúerant in die nubis et calíginis. Et edúcam eas de pópulis, et congregábo eas de terris, et indúcam eas in terram suam: et pascam eas in móntibus Israël, in rivis, et in cunctis sédibus terræ. In páscuis ubérrimis pascam eas, et in móntibus excélsis Israël erunt páscua eárum: ibi requiéscent in herbis viréntibus, et in páscuis pinguibus pascéntur super montes Israël. Ego pascam oves meas, et ego eas accubáre fáciam, dicit Dóminus Deus. Quod períerat, requíram; et quod abjéctum erat, redúcam; et quod confráctum fúerat, alligábo; et quod infírmum fúerat, consolidábo; et quod pingue et forte, custódiam: et pascam illas in judício, dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 83, 10 et 9 Protéctor noster áspice, Deus, et réspice super servos tuos. ℣. Dómine, Deus virtútum, exáudi preces servórum tuórum.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 25, 31-46

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vénerit Fílius hóminis in majestáte sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedébit super

sedem majestátis suæ: et congregabúntur ante eum omnes gentes, et separábit eos ab ínvicem, sicut pastor ségregat oves ab hœdis; et státuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinístris. Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre: sitívi, et dedístis mihi bíbere: hospes eram, et collegístis me: nudus, et cooperuístis me: infírmus, et visitástis me: in cárcere eram, et venístis ad me. Tunc respondébunt ei justi, dicéntes: Dómine, quando te vídimus esuriéntem, et pávimus te: sitiéntem, et dédimus tibi potum? quando autem te vídimus hóspitem, et collégimus te: aut nudum, et cooperúimus te? aut quando te vídimus infírmum, aut in cárcere, et vénimus ad te? Et respóndens Rex, dicet illis: Amen dico vobis: quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis. Tunc dicet et his, qui a sinístris erunt: Discédite a me, maledícti, in ignem ætérnum, qui parátus est diábolo, et ángelis ejus. Esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre: sitívi, et non dedístis mihi potum: hospes eram, et non collegístis me: nudus, et non cooperuístis me: infírmus, et in cárcere, et non visitástis me. Tunc respondébunt ei et ipsi, dicéntes: Dómine, quando te vídimus esuriéntem, aut sitiéntem, aut hóspitem, aut nudum, aut infírmum, aut in cárcere, et non ministrávimus tibi? Tunc respondébit illis, dicens: Amen dico vobis: Quámdiu non fecístis uni de minóribus his, nec mihi fecístis. Et ibunt hi in supplícium ætérnum: justi autem in vitam ætérnam.

Offertorium Ps. 118, 18, 26 et 73 Levábo óculos meos, et considerábo mirabília tua, Dómine, ut dóceas me justítias tuas: da mihi intelléctum, et discam mandáta tua.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 3, 5 et 7 Voce mea ad Dóminum clamávi: et exaudívit me de monte sancto suo: non timébo míllia pópuli, circumdántis me.

Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, múnere satiáti, súpplices exorámus: ut, cujus lætámur gustu, renovémur efféctu. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Absólve, quǽsumus, Dómine, nostrórum víncula peccatórum: et, quidquid pro eis merémur, propitiátus avérte. Per Dóminum.

Feria Tertia

Introitus Ps. 89, 1 et 2

Dómine, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie: a sǽculo, et in sǽculum tu es. ℣. Ps. ibid., 2 Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra, et

orbis: a sæculo, et usque in sæculum tu es Deus. ℣. Glória Patri. Dómine.

Oratio

Réspice, Dómine, famíliam tuam: et præsta; ut apud te mens nostra tuo desidério fúlgeat, quæ se carnis maceratióne castígat. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 55, 6-11

In diébus illis: Locútus est Isaías prophéta, dicens: Quǽrite Dóminum, dum inveníri potest: invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum: et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum: quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris. Et quómodo descéndit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen serénti, et panem comedénti: sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo: non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur in his, ad quæ misi illud: ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 140, 2 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 21, 10-17

In illo témpore: Cum intrásset Jesus Jerosólymam, commóta est univérsa cívitas, dicens: Quis est hic? Pópuli autem dicébant: Hic est Jesus Prophéta a Názareth Galilǽæ. Et intrávit Jesus in templum Dei, et ejiciébat omnes vendéntes, et eméntes in templo: et mensas nummulariórum, et cáthedras vendéntium colúmbas evértit: et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus oratiónis vocábitur: vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et accessérunt ad eum cæci et claudi in templo: et sanávit eos. Vidéntes autem príncipes sacerdótum, et scribæ mirabília, quæ fecit, et púeros clamántes in templo, et dicéntes: Hosánna fílio David: indignáti sunt, et dixérunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Numquam legístis: Quia ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem? Et relíctis illis, ábiit foras extra civitátem in Bethániam: ibíque mansit. Et docébat eos de regno Dei.

Offertorium Ps. 30, 15-16 In te sperávi, Dómine; dixi: Tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 4, 2 Cum invocárem te, exaudísti me, Deus justítiæ

meæ: in tribulatióne dilatásti me: miserére mihi, Dómine, et exáudi oratiónem meam.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut illíus salutáris capiámus efféctum, cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ: et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam. Per Dóminum.

Feria Quarta
Quatuor Temporum Quadragesimæ

Introitus Ps. 24, 6, 3 et 22

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, et misericórdiæ tuæ, quæ a sǽculo sunt: ne umquam dominéntur nobis inimíci nostri: líbera nos, Deus Israël, ex ómnibus angústiis nostris.

℣. Ps. ibid., 1-2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. Reminíscere.

Post Kýrie, eléison, omisso Dóminus vobíscum, dicat Sacerdos, in cornu Altaris, Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Preces nostras, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: et, contra cuncta nobis adversántia, déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Léctio libri Exodi.
Exod. 24, 12-18

In diébus illis: Dixit Dóminus ad Móysen: Ascénde ad me in montem, et esto ibi: dabóque tibi tábulas lapídeas, et legem ac mandáta quæ scripsi: ut dóceas fílios Israël. Surrexérunt Móyses et Jósue miníster ejus: ascendénsque Móyses in montem Dei, senióribus ait: Exspectáte hic donec revertámur ad vos. Habétis Aaron et Hur vobíscum: si quid natum fúerit quæstiónis, referétis ad eos. Cumque ascendísset Móyses, opéruit nubes montem, et habitávit glória Dómini super Sinai, tegens illum nube sex diébus: séptimo autem die vocávit eum de médio calíginis. Erat autem spécies glóriæ Dómini, quasi ignis ardens super vérticem montis, in conspéctu filiórum Israël. Ingressúsque Móyses médium nébulæ, ascéndit in montem: et fuit ibi quadraginta diébus, et quadraginta nóctibus.

Graduale Ps. 24, 17-18 Tribulatiónes cordis mei dilatátæ sunt: de necessitátibus meis éripe me, Dómine. ℣. Vide humilitátem meam, et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea.

Hic dicitur Dóminus vobíscum sine Flectámus génua.

Orémus **Oratio**

Devotiónem pópuli tui, quǽsumus, Dómine, benígnus inténde: ut, qui per abstinéntiam macerántur in córpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum. 3 Reg. 19, 3-8

In diébus illis: Venit Elías in Bersabée Juda, et dimísit ibi púerum suum, et perréxit in desértum, viam unius diéi. Cumque venísset, et sedéret subter unam juníperum, petívit ánimæ suæ ut morerétur, et ait: Súfficit mihi, Dómine, tolle ánimam meam: neque enim mélior sum, quam patres mei. Projecítque se, et obdormívit in umbra juníperi: et ecce Angelus Dómini tétigit eum, et dixit illi: Surge et cómede. Respéxit, et ecce ad caput suum subcinerícius panis, et vas aquæ: comédit ergo et bibit, et rursum obdormívit. Reversúsque est Angelus Dómini secúndo, et tétigit eum, dixítque illi: Surge, cómede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexísset, comédit, et bibit, et ambulávit in fortitúdine cibi illíus quadragínta diébus, et quadragínta nóctibus, usque ad montem Dei Horeb.

Tractus Ps. 24, 17, 18 et 1-4 De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam, et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea. ℣. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei. ℣. Etenim univérsi qui te exspéctant, non confundéntur: confundántur omnes faciéntes vana.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 12, 38-50

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum scribæ et pharisǽi, dicéntes: Magíster, vólumus a te signum vidére. Qui respóndens, ait illis: Generátio mala et adúltera signum quærit: et signum non dábitur ei, nisi signum Jonæ prophétæ. Sicut enim fuit Jonas in ventre céti tribus diébus, et tribus nóctibus: sic erit Fílius hóminis in corde terræ tribus diébus, et tribus nóctibus. Viri Ninivítæ surgent in judício cum generatióne ista, et condemnábunt eam: quia pœniténtiam egérunt in prædicatióne Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic. Regína Austri surget in judício cum generatióne ista, et condemnábit eam: quia venit a fínibus terræ audíre sapiéntiam Salomónis. Et ecce plus quam Sálomon hic. Cum autem immúndus spíritus exíerit ab hómine, ámbulat per loca árida, quærens réquiem, et non ínvenit. Tunc dicit: Revértar in domum meam, unde exívi. Et véniens ínvenit eam vacántem, scopis mundátam, et ornátam. Tunc vadit, et assúmit septem álios spíritus secum nequióres se, et intrántes hábitant ibi: et fiunt novíssima hóminis illíus pejóra prióribus. Sic erit et generatióni huic péssimæ. Adhuc eo loquénte ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant, quæréntes te. At ipse respóndens dicénti sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et exténdens manum in discípulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, et soror, et mater est.

Offertorium Ps. 118, 47 et 48 Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis offérimus: ut et delícta nostra miserátus absólvas, et nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 5, 2-4 Intéllige clamórem meum: inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, et Deus meus: quóniam ad te orábo, Dómine.

Postcommunio

Tui, Dómine, perceptióne sacraménti, et a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Mentes nostras, quæsumus, Dómine, lúmine tuæ claritátis illústra: ut vidére possímus, quæ agénda sunt; et, quæ recta sunt, ágere valeámus. Per Dóminum.

Feria Quinta

Introitus Ps. 95, 6

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus: sánctitas et magnificéntia in sanctificatióne ejus. ℣. Ps. ibid., 1 Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino omnis terra. ℣. Glória Patri. Conféssio.

Oratio

Devotiónem pópuli tui, quæsumus, Dómine, benígnus inténde: ut, qui per abstinéntiam macerántur in córpore, per fructum boni óperis reficiántur in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 18, 1-9

In diébus illis: Factus est sermo Dómini ad me, dicens: Quid est, quod inter vos parábolam vértitis in provérbium istud in terra Israël, dicéntes: Patres comedérunt uvam acérbam, et dentes filiórum obstupéscunt? Vivo ego, dicit Dóminus Deus, si erit ultra vobis parábola hæc in provérbium in Israël. Ecce omnes ánimæ, meæ sunt: ut ánima patris, ita et ánima fílii, mea est: ánima, quæ peccáverit, ipsa moriétur. Et vir si fúerit justus, et fécerit judícium et justítiam, in móntibus non coméderit, et óculos suos non leváverit ad idóla domus Israël: et uxórem próximi sui non violáverit, et ad mulíerem menstruátam non accésserit: et hóminem non contristáverit: pignus debitóri reddíderit, per vim nihil rapúerit: panem suum esuriénti déderit, et nudum operúerit vestiménto: ad usúram non commodáverit, et ámplius non accéperit: ab iniquitáte avérterit manum suam, et judícium verum fécerit inter virum et virum: in præcéptis meis ambuláverit, et judícia mea custodíerit, ut fáciat veritátem: hic justus est, vita vivet, ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 16, 8 et 2 Custódi me, Dómine, ut pupillam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me. ℣. De vultu tuo judícium meum pródeat: óculi tui vídeant æquitátem.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 8, 31-47

In illo témpore: Dicébat Jesus ad eos, qui credidérunt ei, Judæos: Si vos manséritis in sermóne meo, vere discípuli mei éritis: et cognoscétis veritátem, et véritas liberábit vos. Respondérunt ei: Semen Abrahæ sumus, et némini servívimus unquam: quómodo tu dicis: Líberi éritis? Respóndit eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Quia omnis qui facit peccátum, servus est peccáti. Servus autem non manet in domo in ætérnum: Fílius manet in ætérnum. Si ergo Fílius vos liberáverit, vere líberi éritis. Scio quia fílii Abrahæ estis: sed quǽritis me interfícere, quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud Patrem, loquor: et vos quæ vidístis apud patrem vestrum, fácitis. Respondérunt, et dixérunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Jesus: Si fílii Abrahæ estis, ópera Abrahæ fácite. Nunc autem quǽritis me interfícere, hóminem qui veritátem vobis locútus sum, quam audívi a Deo: hoc Abraham non fecit. Vos fácitis ópera patris vestri. Dixérunt ítaque ei: Nos ex fornicatióne non sumus nati: unum patrem habémus Deum. Dixit ergo eis Jesus: Si Deus pater vester esset, diligerétis útique me: ego enim ex Deo procéssi et veni: neque enim a me ipso veni, sed ille me misit. Quare loquélam meam non cognóscitis? Quia non potéstis audíre sermónem meum. Vos ex patre diábolo estis: et desidéria patris vestri vultis fácere. Ille homicída erat ab inítio, et in veritáte non stetit: quia non est véritas in eo. Cum lóquitur mendácium, ex própriis lóquitur, quia mendax est, et pater ejus. Ego autem si veritátem dico, non créditis mihi. Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico, quare vos non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit.

Offertorium Ps. 33, 8-9 Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, et erípiet eos: gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus.

Secreta

Sacrifícia, Dómine, quǽsumus, propénsius ista nos salvent, quæ medicinálibus sunt institúta jejúniis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.

Præfatio de Quadragesima.

Communio Joann. 6, 52 Panis, quem ego dédero, caro mea est pro sǽculi vita.

Postcommunio

Tuórum nos, Dómine, largitáte donórum et temporálibus attólle præsídiis, et rénova sempitérnis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulis christiánis: et, quæ profiténtur, agnóscere, et cæléste munus dilígere, quod frequéntant. Per Dóminum.

Feria Sexta

Quatuor Temporum Quadragesimæ

Introitus Ps. 24, 17 et 18

De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam et labórem meum, et dimítte ómnia peccáta mea.

℣. Ps. ibid., 1-2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. De necessitátibus.

Oratio

Esto, Dómine, propítius plebi tuæ: et, quam tibi facis esse devótam, benígno réfove miserátus auxílio. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 18, 20-28

Hæc dicit Dóminus Deus: Anima, quæ peccáverit, ipsa moriétur: filius non portábit iniquitátem patris: et pater non portábit iniquitátem filii, justítia justi super eum erit, et impíetas ímpii erit super eum. Si autem ímpius égerit pœniténtiam ab ómnibus peccátis suis, quæ operátus est, et custodíerit ómnia præcépta mea, et fécerit judícium et justítiam: vita vivet, et non moriétur. Omnium iniquitátum ejus, quas operátus est, non recordábor; in justítia sua, quam operátus est, vivet. Numquid voluntátis meæ est mors ímpii, dicit Dóminus Deus, et non ut convertátur a viis suis, et vivat? Si autem avérterit se justus a justítia sua, et fécerit iniquitátem secúndum omnes abominatiónes, quas operári solet ímpius, numquid vivet? omnes justítiæ ejus, quas fécerat, non recordabúntur: in prævaricatióne, qua prævaricátus est, et in peccáto suo, quod peccávit, in ipsis moriétur. Et dixístis: Non est æqua via Dómini. Audíte ergo, domus Israël: Numquid via mea non est æqua, et non magis viæ vestræ pravæ sunt? Cum enim avérterit se justus a justítia sua, et fécerit iniquitátem, moriétur in eis: in injustítia, quam operátus est, moriétur. Et cum avérterit se ímpius ab impietáte sua, quam operátus est, et fécerit judícium et justítiam: ipse ánimam suam vivificábit. Consíderans enim, et avértens se ab ómnibus iniquitátibus suis, quas operátus est, vita vivet, et non moriétur, ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 85, 2 et 6 Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te. ℣. Auribus pércipe, Dómine, oratiónem meam.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et pro-

pter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 5, 1-15

In illo témpore: Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis Probática piscína, quæ cognominátur hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum exspectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini descendébat secúndum tempus in piscínam, et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte. Erat autem quidam homo ibi, trigínta et octo annos habens in infirmitáte sua. Hunc cum vidísset Jesus jacéntem, et cognovísset quia jam multum tempus habéret, dicit ei: Vis sanus fíeri? Respóndit ei lánguidus: Dómine, hóminem non hábeo, ut cum turbáta fúerit aqua, mittat me in piscínam: dum vénio enim ego, álius ante me descéndit. Dicit ei Jesus: Surge, tolle grabátum tuum, et ámbula. Et statim sanus factus est homo ille: et sústulit grabátum suum, et ambulábat. Erat autem sábbatum in die illo. Dicébant ergo Judǽi illi qui sanátus fúerat: Sábbatum est, non licet tibi tóllere grabátum tuum. Respóndit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabátum tuum, et ámbula. Interrogavérunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabátum tuum et ámbula? Is autem, qui sanus fúerat efféctus, nesciébat quis esset. Jesus enim declinávit a turba constitúta in loco. Póstea invénit eum Jesus in templo, et dixit illi: Ecce sanus factus es: jam noli peccáre, ne detérius tibi áliquid contíngat. Abiit ille homo, et nuntiávit Judǽis, quia Jesus esset, qui fecit eum sanum.

Offertorium Ps. 102, 2 et 5 Bénedic, ánima mea, Dómino, et noli oblivísci omnes retributiónes ejus: et renovábitur, sicut áquilæ, juvéntus tua.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera nostris obláta servítiis: et tua propítius dona sanctífica. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 6, 11 Erubéscant, et conturbéntur omnes inimíci mei: avertántur retrórsum, et erubéscant valde velóciter.

Postcommunio

Per hujus, Dómine, operatiónem mystérii, et vítia nostra purgéntur, et justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Exáudi nos, miséricors Deus: et méntibus nostris grátiæ tuæ lumen osténde. Per Dóminum.

Sabbato
Quatuor Temporum Quadragesimæ

Introitus Ps. 87, 3

Intret orátio mea in conspéctu tuo: inclína aurem tuam ad precem meam, Dómine. ℣. Ps. ibid., 2 Dómine Deus salútis meæ: in die clamávi, et nocte coram te. ℣. Glória Patri. Intret orátio mea.

Post Kýrie, eléison, non dicitur Dóminus vobíscum; sed absolute dicat Celebrans: Orémus. Deinde Diaconus, vel Celebrans deficiente Diacono, dicat: Flectámus génua. ℟. Leváte.

Idem observatur in quinque sequentibus Orationibus.

Oratio

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, propítius réspice: atque ab eo flagélla tuæ iracúndiæ cleménter avérte. Per Dóminum.

Léctio libri Deuteronómii.
Deut. 26, 15-19

In diébus illis: Orávit Móyses ad Dóminum, dicens: Réspice de sanctuário tuo, et de excélso cælórum habitáculo, et bénedic pópulo tuo Israël, et terræ, quam dedísti nobis, sicut jurásti pátribus nostris, terræ lacte et melle manánti. Hódie Dóminus Deus tuus præcépit tibi, ut fácias mandáta hæc atque judícia: et custódias, et ímpleas ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua. Dóminum elegísti hódie, ut sit tibi Deus, et ámbules in viis ejus, et custódias cæremónias illíus, et mandáta atque judícia, et obédias ejus império. Et Dóminus elégit te hódie, ut sis ei pópulus peculiáris, sicut locútus est tibi, et custódias ómnia præcépta illíus: et fáciat te excelsiórem cunctis géntibus, quas creávit in laudem, et nomen, et glóriam suam: ut sis pópulus sanctus Dómini Dei tui, sicut locútus est.

Graduale Ps. 78, 9 et 10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Deus, qui nos, in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte, vincámus. Per Dóminum.

Léctio libri Deuteronómii.
Deut. 11, 22-25

In diébus illis: Dixit Móyses fíliis Israël: Si custodiéritis mandáta, quæ ego præcípio vobis, et fecéritis ea, ut diligátis Dóminum Deum vestrum, et ambulétis in ómnibus viis ejus, adhæréntes ei, dispérdet Dóminus omnes gentes istas ante fáciem vestram, et possidébitis eas, quæ majóres et fortióres vobis sunt. Omnis locus quem calcáverit pes vester, vester erit. A desérto, et a Líbano, a flúmine magno Euphráte usque ad mare Occidentále, erunt términi vestri. Nullus stabit contra vos: terrórem vestrum et formídinem dabit Dóminus Deus

vester super omnem terram, quam calcatúri estis, sicut locútus est vobis Dóminus Deus vester.

Graduale Ps. 83, 10 et 9 Protéctor noster áspice, Deus, et réspice super servos tuos. ℣. Dómine Deus virtútum, exáudi preces servórum tuórum.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Protéctor noster áspice, Deus, ut qui malórum nostrórum póndere prémimur: percépta misericórdia tua, líbera tibi mente famulémur. Per Dóminum.

Léctio libri Machabæórum.
2 Mach. 1, 23-26 et 27

In diébus illis: Oratiónem faciébant omnes sacerdótes, dum consummarétur sacrifícium, Jónatha inchoánte, céteris autem respondéntibus. Et Nehemíæ erat orátio hunc habens modum: Dómine, Deus ómnium creátor, terríbilis et fortis, justus et miséricors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus justus, et omnípotens, et ætérnus, qui líberas Israël de omni malo, qui fecísti patres eléctos, et sanctificásti eos: áccipe sacrifícium pro univérso pópulo tuo Israël, et custódi partem tuam, et sanctífica: ut sciant gentes, quia tu es Deus noster.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Adésto, quæsumus, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut esse, te largiénte, mereámur et inter próspera húmiles, et inter advérsa secúri. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 36, 1-10

Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum: et immítte timórem tuum super gentes, quæ non exquisiérunt te, ut cognóscant, quia non est Deus nisi tu, et enárrent magnália tua. Alleva manum tuam super gentes aliénas, ut vídeant poténtiam tuam. Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis, ut cognóscant te, sicut et nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dómine. Innova signa, et immúta mirabília. Glorífica manum, et bráchium dextrum. Excita furórem, et effúnde iram. Tolle adversárium, et afflíge inimícum. Festína tempus, et meménto finis, ut enárrent mirabília tua, Dómine, Deus noster.

Graduale Ps. 140, 2 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, pro tui nóminis glória misericórditer liberémur. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 3, 49-55

In diébus illis: Angelus Dómini descéndit cum Azaría, et sóciis ejus in fornácem: et excússit flammam ignis de fornáce, et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Et non tétigit eos omníno ignis, nec contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres, quasi ex uno ore, laudábant et glorificábant et benedicébant Deo in fornáce, dicéntes: Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, et laudábilis et gloriósus et superexaltátus in sǽcula. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum et laudábile et superexaltátum in ómnibus sǽculis. Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ, et superlaudábilis et supergloriósus in sǽcula. Benedíctus es in throno regni tui, et superlaudábilis et superexaltátus in sǽcula. Benedíctus es, qui intuéris abýssos, et sedes super Chérubim, et laudábilis et superexaltátus in sǽcula.

Tractus Dan. 3, 56-88 Benedíctus es in firmaménto cæli: et laudábilis et gloriósus in sǽcula. ℣. Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Benedícite, Angeli Dómini, Dómino, benedícite, cæli, Dómino: benedícite, aquæ omnes quæ super cælos sunt, Dómino: benedícite, omnes virtútes Dómini, Dómino: benedícite, sol et luna, Dómino: benedícite, stellæ cæli, Dómino. ℣. Hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Benedícite, imber et ros, Dómino: benedícite, omnis spíritus Dei, Dómino: benedícite, ignis et æstus, Dómino: benedícite, frigus et æstus, Dómino: benedícite, rores et pruína, Dómino: benedícite, gelu et frigus, Dómino: benedícite, glácies et nives, Dómino. ℣. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Benedícite, noctes et dies, Dómino: benedícite, lux et ténebræ, Dómino: benedícite, fúlgura et nubes, Dómino. ℣. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Benedícat terra Dóminum: benedícite, montes et colles, Dómino: benedícite, univérsa germinántia in terra, Dómino: benedícite, fontes, Dómino: benedícite, mária et flúmina, Dómino: benedícite, cete et ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: benedícite, omnes vólucres cæli, Dómino: benedícite, omnes béstiæ et pécora, Dómino. ℣. Hymnum dícite et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Benedícite, fílii hóminum, Dómino: benedícat Israël Dóminum: benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: benedícite, servi Dómini, Dómino: benedícite, spíritus et ánimæ justórum, Dómino: benedícite, sancti et húmiles corde, Dómino. ℣. Hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Benedícite, Ananía, Azaría, Mísaël, Dómino. ℣. Hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula.

Sacerdos, versus ad populum, dicat Dóminus vobíscum; deinde versus Altare Orémus, sine Flectámus génua.

Oratio

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 5, 14-23

Fratres: Rogámus vos, corrípite inquiétos, consolámini pusillánimes, suscípite infírmos, patiéntes estóte ad omnes. Vidéte ne quis malum pro malo alícui reddat: sed semper quod bonum est sectámini in ínvicem, et in omnes. Semper gaudéte. Sine intermissióne oráte. In ómnibus grátias ágite: hæc est enim volúntas Dei in Christo Jesu in ómnibus vobis. Spíritum nolíte exstínguere. Prophetías nolíte spérnere. Omnia autem probáte: quod bonum est tenéte. Ab omni spécie mala abstinéte vos. Ipse autem Deus pacis sanctíficet vos per ómnia: ut íntegér spíritus vester, et ánima, et corpus sine queréla, in advéntu Dómini nostri Jesu Christi servétur.

Tractus Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 17, 1-9

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos, et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis: Súrgite, et nolíte timére. Levántes autem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Offertorium Ps. 87, 2-3 Dómine Deus salútis meæ, in die clamávi, et nocte coram te: intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

Secreta

Præséntibus sacrifíciis, quǽsumus, Dómine, jejúnia nostra sanctífica: ut, quod observántia nostra profitétur extrínsecus, intérius operétur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.

Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 7, 2 Dómine Deus meus, in te sperávi; líbera me ab ómnibus persequéntibus me, et éripe me.

Postcommunio

Sanctificatiónibus tuis, omnípotens Deus, et vítia nostra curéntur, et remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra. 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Fidéles tuos, Deus, benedíctio desideráta confírmet: quæ eos, et a tua voluntáte numquam fáciat discrepáre, et tuis semper indúlgeat benefíciis gratulári. Per Dóminum.

Dominica secunda in Quadragesima

Introitus Ps. 24, 6, 3 et 22

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, et misericórdiæ tuæ, quæ a sǽculo sunt: ne umquam dominéntur nobis inimíci nostri: líbera nos, Deus Israël, ex ómnibus angústiis nostris. ℣. Ps. ibid., 1-2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. Reminíscere.

Oratio

Deus, qui cónspicis omni nos virtúte destítui: intérius, exteriúsque custódi; ut ab ómnibus adversitátibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 4, 1-7

Fratres: Rogámus vos, et obsecrámus in Dómino Jesu: ut, quemádmodum accepístis a nobis, quómodo opórteat vos ambuláre et placére Deo, sic et ambulétis, ut abundétis magis. Scitis enim quæ præcépta déderim vobis per Dóminum Jesum. Hæc est enim volúntas Dei, sanctificátio vestra: ut abstineátis vos a fornicatióne, ut sciat unusquísque vestrum vas suum possidére in sanctificatióne, et honóre; non in passióne desidérii, sicut et Gentes, quæ ignórant Deum: et ne quis supergrediátur, neque circumvéniat in negótio fratrem suum: quóniam vindex est Dóminus de his ómnibus, sicut prædíximus vobis, et testificáti sumus. Non enim vocávit nos Deus in immundítiam, sed in sanctificatiónem: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 24, 17-18 et 1-4 De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea. ℣. Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei. ℣. Etenim univérsi, qui te expéctant, non confundéntur: confundántur omnes faciéntes vana.

Tractus Matth. 15, 26-28 Dixit Dóminus mulíeri Chananǽæ: Non est bonum súmere panem filiórum, et míttere cánibus ad manducándum. ℣. At illa dixit: Etiam, Dómine: nam et catélli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominórum suórum. ℣. Ait illi Jesus: O múlier, magna est fides tua: fiat tibi, sicut petiísti.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 15, 21-28

In illo témpore: Egréssus Jesus, secéssit in partes Tyri et Sidónis. Et ecce múlier Chananǽa a fínibus illis egréssa clamávit, dicens ei: Miserére mei, Dómine, fili David:

filia mea male a dæmónio vexátur. Qui non respóndit ei verbum. Et accedéntes discípuli ejus rogábant eum, dicéntes: Dimítte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respóndens, ait: Non sum missus nisi ad oves, quæ periérunt domus Isráël. At illa venit, et adorávit eum, dicens: Dómine, ádjuva me. Qui respóndens, ait: Non est bonum súmere panem filiórum, et míttere cánibus. At illa dixit: Etiam, Dómine: nam et catélli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominórum suórum. Tunc respóndens Jesus, ait illi: O múlier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanáta est fília ejus ex illa hora.

Credo.

Offertorium Ps. 118, 47 et 48 Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi.

Secreta

Sacrifíciis præséntibus, Dómine, quǽsumus, inténde placátus: ut et devotióni nostræ profíciant et salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 5, 2-4 Intéllige clamórem meum: inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, et Deus meus: quóniam ad te orábo, Dómine.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficis sacraméntis, tibi étiam plácitis móribus dignánter deservíre concédas. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Feria Secunda

Introitus Ps. 25, 11-12

Rédime me, Dómine, et miserére mei: pes enim meus stetit in via recta: in ecclésiis benedícam Dóminum. ℣. Ps. ibid., 1 Júdica me, Dómine, quóniam ego in innocéntia mea ingréssus sum: et in Dómino sperans, non infirmábor. ℣. Glória Patri. Rédime me.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut família tua, quæ se, affligéndo carnem, ab aliméntis ábstinet; sectándo justítiam, a culpa jejúnet. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Daniélis Prophétæ
Dan. 9, 15-19

In diébus illis: Orávit Dániel Dóminum, dicens: Dómine, Deus noster, qui eduxísti pópulum tuum de terra Ægýpti in manu forti, et fecísti tibi nomen secúndum diem hanc: peccávimus, iniquitátem fécimus, Dómine, in omnem justítiam tuam: avertátur, óbsecro, ira tua, et furor tuus a civitáte tua Jerúsalem, et monte sancto tuo. Propter peccáta enim nostra, et iniquitátes patrum nostrórum, Jerúsalem et pópulus tuus in oppróbrium sunt ómnibus per circúitum nostrum. Nunc ergo exáudi, Deus noster, oratiónem servi tui, et preces ejus: et osténde fáciem tuam super sanctuárium tuum, quod desértum est, propter temetípsum. Inclína, Deus meus, aurem tuam, et audi: áperi óculos tuos, et vide desolatiónem nostram, et civitátem, super

quam invocátum est nomen tuum: neque enim in justificatiónibus nostris prostérnimus preces ante fáciem tuam, sed in miseratiónibus tuis multis. Exáudi, Dómine, placáre. Dómine: attende et fac: ne moréris propter temetípsum, Deus meus: quia nomen tuum invocátum est super civitátem, et super pópulum tuum, Dómine, Deus noster.

Graduale Ps. 69, 6 et 3 Adjútor meus, et liberátor meus esto: Dómine, ne tardáveris. ℣. Confundántur, et revereántur inimíci mei, qui quærunt ánimam meam.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 8, 21-29

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Ego vado, et quærétis me, et in peccáto vestro moriémini. Quo ego vado, vos non potéstis veníre. Dicébant ergo Judæi: Numquid interfíciet semetípsum, quia dixit: Quo ego vado, vos non potéstis veníre? Et dicébat eis: Vos de deórsum estis, ego de supérnis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriémini in peccátis vestris: si enim non credidéritis quia ego sum, moriémini in peccáto vestro. Dicébant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jesus: Princípium, qui et loquor vobis. Multa hábeo de vobis loqui et judicáre. Sed qui me misit verax est: et ego quæ audívi ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognovérunt, quia Patrem ejus dicébat Deum. Dixit ergo eis Jesus: Cum exaltavéritis Fílium hóminis, tunc cognoscétis quia ego sum, et a meipso fácio nihil: sed sicut dócuit me Pater, hæc loquor: et qui me misit, mecum est, et non relíquit me solum: quia ego, quæ plácita sunt ei, fácio semper.

Offertorium Ps. 15, 7 et 8 Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: providébam Dóminum in conspéctu meo semper: quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis, tua nos protectióne dignos effíciat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 8, 2 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra!

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges; consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dóminum.

Feria Tertia

Introitus Ps. 26, 8 et 9

Tibi dixit cor meum: quæsívi vultum tuum: vultum tuum, Dómine, requíram: ne avértas fáciem tuam a me. ℣. Ps. ib., 1 Dóminus illuminátio mea, et salus mea: quem timébo? ℣. Glória Patri. Tibi dixit.

Oratio

Pérfice, quǽsumus, Dómine, benígnus in nobis observántiæ sanctæ subsídium: ut, quæ te auctóre faciénda cognóvimus, te operánte impleámus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum.
3 Reg. 17, 8-16

In diébus illis: Factus est sermo Dómini ad Elíam Thesbíten, dicens: Surge, et vade in Saréphta Sidoniórum, et manébis ibi: præcépi enim ibi mulíeri víduæ, ut pascat te. Surréxit, et ábiit in Saréphta. Cumque venísset ad portam civitátis, appáruit ei múlier vídua cólligens ligna, et vocávit eam, dixítque ei: Da mihi páululum aquæ in vase, ut bibam. Cumque illa pérgeret, ut afférret, clamávit post tergum ejus, dicens: Affer mihi, óbsecro, et buccéllam panis in manu tua. Quæ respóndit: Vivit Dóminus Deus tuus, quia non hábeo panem, nisi quantum pugíllus cápere potest farínæ in hýdria, et páululum ólei in lécytho: en cólligo duo ligna, ut ingrédiar, et fáciam illum mihi, et fílio meo, ut comedámus, et moriámur. Ad quam Elías ait: Noli timére, sed vade, et fac sicut dixísti: verúmtamen mihi primum fac de ipsa farínula subcinerícium panem párvulum, et affer ad me: tibi autem et fílio tuo fácies póstea. Hæc autem dicit Dóminus Deus Israël: Hýdria farínæ non defíciet, nec lécythus ólei minuétur, usque ad diem, in qua Dóminus datúrus est plúviam super fáciem terræ. Quæ ábiit, et fecit juxta verbum Elíæ: et comédit ipse, et illa, et domus ejus: et ex illa die hýdria farínæ non defécit, et lécythus ólei non est imminútus, juxta verbum Dómini, quod locútus fúerat in manu Elíæ.

Graduale Ps. 54, 23, 17, 18 et 19 Jacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. ℣. Dum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 23, 1-12

In illo témpore: Locútus est Jesus ad turbas, et ad discípulos suos, dicens: Super cáthedram Móysi sedérunt scribæ et pharisǽi. Omnia ergo quæcúmque díxerint vobis, serváte et fácite: secúndum ópera vero eórum nolíte fácere: dicunt enim, et non fáciunt. Alligant enim ónera grávia et importabília, et impónunt in húmeros hóminum: dígito autem suo nolunt ea movére. Omnia vero

ópera sua fáciunt, ut videántur ab homínibus: dilátant enim phylactéria sua, et magníficant fímbrias. Amant autem primos recúbitus in cœnis, et primas cáthedras in synagógis, et salutatiónes in foro, et vocári ab homínibus Rabbi. Vos autem nolíte vocári Rabbi: unus est enim Magíster vester, omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolíte vocáre vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in cælis est. Nec vocémini magístri: quia Magíster vester unus est, Christus. Qui major est vestrum, erit miníster vester. Qui autem se exaltáverit, humiliábitur: et qui se humiliáverit, exaltábitur.

Offertorium Ps. 50, 3 Miserére mei, Dómine, secúndum magnam misericórdiam tuam: dele, Dómine, iniquitátem meam.

Secreta

Sanctificatiónem tuam nobis, Dómine, his mystériis operáre placátus: quæ nos et a terrénis purget vítiis, et ad cæléstia dona perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 9, 2-3 Narrábo ómnia mirabília tua: lætábor, et exsultábo in te: psallam nómini tuo, Altíssime.

Postcommunio

Ut sacris, Dómine, reddámur digni munéribus: fac nos tuis, quǽsumus, semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et animárum nostrárum medére languóribus: ut, remissióne percépta, in tua semper benedictióne lætémur. Per Dóminum.

Feria Quarta

Introitus Ps. 37, 22-23

Ne derelínquas me, Dómine, Deus meus, ne discédas a me: inténde in adjutórium meum, Dómine, virtus salútis meæ. ℣. Ps. ibid., 2 Dómine, ne in furóre tuo árguas me: neque in ira tua corrípias me. ℣. Glória Patri. Ne derelínquas.

Oratio

Pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, propítius réspice: et quos ab escis carnálibus præcipis abstinére, a nóxiis quoque vítiis cessáre concéde. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Esther.
Esth. 13, 8-11, 15-17

In diébus illis: Orávit Mardochǽus ad Dóminum, dicens: Dómine, Dómine, Rex omnípotens, in ditióne enim tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israël. Tu fecísti cælum et terram, et quidquid cæli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es, nec est qui resístat majestáti tuæ. Et nunc, Dómine Rex, Deus Abraham, miserére pópuli tui, quia volunt nos inimíci nostri pérdere, et hereditátem tuam delére. Nec despícias partem tuam, quam redemísti tibi de Ægýpto. Exáudi

deprecatiónem meam, et propítius esto sorti et funículo tuo, et convérte luctum nostrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine, et ne claudas ora te canéntium, Dómine, Deus noster.

Graduale Ps. 27, 9 et 1 Salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ. ℣. Ad te, Dómine, clamávi: Deus meus, ne síleas a me, et ero símilis descendéntibus in lacum.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 20, 17-28

In illo témpore: Ascéndens Jesus Jerosólymam, assúmpsit duódecim discípulos secréto, et ait illis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, et Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdótum, et scribis, et condemnábunt eum morte, et tradent eum géntibus ad illudéndum, et flagellándum, et crucifigéndum, et tértia die resúrget. Tunc accéssit ad eum mater filiórum Zebedǽi cum fíliis suis, adórans et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit: Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei: Póssumus. Ait illis: Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam vel sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Et audiéntes decem, indignáti sunt de duóbus frátribus. Jesus autem vocávit eos ad se, et ait: Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum: et qui majóres sunt, potestátem exércent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicúmque volúerit inter vos major fíeri, sit vester miníster: et qui volúerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, et dare ánimam suam, redemptiónem pro multis.

Offertorium Ps. 24, 1-3 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur.

Secreta

Hóstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius réspice: et per hæc sancta commércia, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 10, 8 Justus Dóminus, et justítiam diléxit: æquitátem vidit vultus ejus.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, sacraméntis: ad redemptiónis ætérnæ, quæsumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Deus, innocéntiæ restitútor et amátor, dírige ad te tuórum corda servórum: ut, spíritus tui fervóre concépto, et in fide inveniántur stábiles, et in ópere efficáces. Per Dóminum.

Feria Quinta

Introitus Ps. 69, 2 et 3

Deus, in adjutórium meum inténde: Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur et revereántur inimíci mei, qui quærunt ánimam meam.

℣. Ps. ibid., 4 Avertántur retrórsum, et erubéscant: qui cógitant mihi mala. ℣. Glória Patri. Deus.

Oratio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, auxílium grátiæ tuæ: ut, jejúniis et oratiónibus conveniénter inténti, liberémur ab hóstibus mentis et córporis. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 17, 5-10

Hæc dicit Dóminus Deus: Maledíctus homo, qui confídit in hómine, et ponit carnem bráchium suum, et a Dómino recédit cor ejus. Erit enim quasi myrícæ in desérto, et non vidébit cum vénerit bonum: sed habitábit in siccitáte in desérto, in terra salsúginis, et inhabitábili. Benedíctus vir, qui confídit in Dómino, et erit Dóminus fidúcia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantátur super aquas, quod ad humórem mittit radíces suas: et non timébit cum vénerit æstus. Et erit fólium ejus víride, et in témpore siccitátis non erit sollícitum, nec aliquándo désinet fácere fructum. Pravum est cor ómnium, et inscrutábile: quis cognóscet illud? Ego Dóminus scrutans cor, et probans renes: qui do unicuíque juxta viam suam, et juxta fructum adinventiónum suárum: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 78, 9 et 10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris; ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster; et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 5, 30-47

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Non possum ego a meípso fácere quidquam. Sicut áudio, júdico: et judícium meum justum est, quia non quæro voluntátem meam; sed voluntátem ejus qui misit me. Si ego testimónium perhíbeo de meípso, testimónium meum non est verum. Alius est qui testimónium pérhibet de me: et scio quia verum est testimónium ejus, quod pérhibet de me. Vos misístis ad Joánnem: et testimónium perhí-

buit veritáti. Ego autem ab hómine testimónium non accípio: sed hæc dico, ut vos salvi sitis. Ille erat lucérna ardens et lucens: vos autem voluístis exsultáre ad horam in luce ejus. Ego autem hábeo testimónium majus Joánne. Opera enim quæ mihi dedit Pater, ut perfíciam ea, ipsa ópera quæ ego fácio, testimónium périhibent de me, quia Pater me misit: et qui me misit Pater, ipse testimónium perhíbuit de me. Neque vocem ejus umquam audístis, neque spéciem ejus vidístis. Et verbum ejus non habétis in vobis manens: quia quem misit ille, huic vos non créditis. Scrutámini Scriptúras, quia vos putátis in ipsis vitam ætérnam habére: et illæ sunt quæ testimónium périhibent de me: et non vultis veníre ad me ut vitam habeátis. Claritátem ab homínibus non accípio. Sed cognóvi vos, quia dilectiónem Dei non habétis in vobis. Ego veni in nómine Patris mei, et non accepístis me: si álius vénerit in nómine suo, illum accipiétis. Quómodo potéstis vos crédere, qui glóriam ab ínvicem accípitis: et glóriam, quæ a solo Deo est, non quǽritis? Nolíte putáre quia ego accusatúrus sim vos apud Patrem: est qui accúsat vos: Móyses, in quo vos sperátis. Si enim crederétis Móysi, crederétis fórsitan et mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illíus lítteris non créditis, quómodo verbis meis credétis?

Offertorium Exodi 32, 11, 13 et 14 Precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui, et dixit: Quare, Dómine, irásceris in pópulo tuo? parce iræ ánimæ tuæ: meménto Abraham, Isaac, et Jacob, quibus jurásti dare terram fluéntem lac et mel. Et placátus est Dóminus de malignitáte, quam dixit fácere pópulo suo.

Secreta

Præsénti sacrifício, nómini tuo nos, Dómine, jejúnia dicáta sanctíficent: ut, quod observántia nostra profitétur extérius, intérius operétur efféctu. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Joann. 6, 57 Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo, dicit Dóminus.

Postcommunio

Grátia tua nos, quǽsumus, Dómine, non derelínquat: quæ et sacræ nos déditos fáciat servitúti, et tuam nobis opem semper acquírat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Adésto, Dómine, fámulis tuis, et perpétuam benignitátem largíre poscéntibus: ut iis, qui te auctóre et gubernatóre gloriántur, et congregáta restáures, et restauráta consérves. Per Dóminum.

Feria Sexta

Introitus Ps. 16, 15

Ego autem cum justítia apparébo in conspéctu tuo: satiábor dum manifestábitur glória tua. ℣. Ps. ibid., 1 Exáudi,

Dómine, justítiam meam: inténde deprecatiónem meam. ℣. Glória Patri. Ego autem.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, sacro nos purificánte jejúnio, sincéris méntibus ad sancta ventúra fácias perveníre. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Génesis.
Gen. 37, 6-22

In diébus illis: Dixit Joseph frátribus suis: Audíte sómnium meum, quod vidi: Putábam nos ligáre manípulos in agro: et quasi consúrgere manípulum meum, et stare, vestrósque manípulos circumstántes adoráre manípulum meum. Respondérunt fratres ejus: Numquid rex noster eris? aut subjiciémur ditióni tuæ? Hæc ergo causa somniórum atque sermónum, invídiæ et ódii fómitem ministrávit. Aliud quoque vidit sómnium, quod narrans frátribus, ait: Vidi per sómnium, quasi solem, et lunam, et stellas úndecim adoráre me. Quod cum patri suo et frátribus retulísset, increpávit eum pater suus, et dixit: Quid sibi vult hoc sómnium, quod vidísti? Num ego et mater tua et fratres tui adorábimus te super terram? Invidébant ei ígitur fratres sui: pater vero rem tácitus considerábat. Cumque fratres illíus in pascéndis grégibus patris moraréntur in Sichem, dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oves in Sichímis: veni, mittam te ad eos. Quo respondénte: Præsto sum, ait ei: Vade, et vide si cuncta próspera sint erga fratres tuos, et pécora: et renúntia mihi quid agátur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem: invenítque eum vir errántem in agro, et interrogávit quid quǽreret. At ille respóndit: Fratres meos quæro: índica mihi ubi pascant greges. Dixítque ei vir: Recessérunt de loco isto: audívi autem eos dicéntes: Eámus in Dóthain. Perréxit ergo Joseph post fratres suos, et invénit eos in Dóthain. Qui cum vidíssent eum procul, ántequam accéderet ad eos, cogitavérunt illum occídere, et mútuo loquebántur: Ecce somniátor venit: veníte, occidámus eum, et mittámus in cistérnam véterem, dicemúsque: Fera péssima devorávit eum: et tunc apparébit quid illi prosint sómnia sua. Audiens autem hoc Ruben, nitebátur liberáre eum de mánibus eórum, et dicébat: Non interficiátis ánimam ejus, nec effundátis sánguinem: sed projícite eum in cistérnam hanc, quæ est in solitúdine, manúsque vestras serváte innóxias: hoc autem dicébat, volens erípere eum de mánibus eórum, et réddere patri suo.

Graduale Ps. 119, 1-2 Ad Dóminum cum tribulárer clamávi, et exaudívit me. ℣. Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, et a lingua dolósa.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis.

(Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 21. 33-46

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum, et princípibus sacerdótum parábolam hanc: Homo erat paterfamílias, qui plantávit víneam, et sepem circúmdedit ei, et fodit in ea tórcular, et ædificávit turrim, et locávit eam agrícolis, et péregre proféctus est. Cum autem tempus frúctuum appropinquásset, misit servos suos ad agrícolas, ut acciperent fructus ejus. Et agrícolæ, apprehénsis servis ejus, álium cecidérunt, álium occidérunt, álium vero lapidavérunt. Iterum misit álios servos plures prióribus, et fecérunt illis simíliter. Novíssime autem misit ad eos fílium suum, dicens: Verebúntur fílium meum. Agrícolæ autem vidéntes fílium, dixérunt intra se: Hic est heres, veníte, occidámus eum, et habébimus hereditátem ejus. Et apprehénsum eum ejecérunt extra víneam, et occidérunt. Cum ergo vénerit dóminus víneæ, quid fáciet agrícolis illis? Ajunt illi: Malos male perdet: et víneam suam locábit áliis agrícolis, qui reddant ei fructum tempóribus suis. Dicit illis Jesus; Numquam legístis in Scriptúris: Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli? A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. Ideo dico vobis, quia auferétur a vobis regnum Dei, et dábitur genti faciénti fructus ejus. Et qui cecíderit super lápidem istum, confringétur: super quem vero cecíderit, cónteret eum. Et cum audíssent príncipes sacerdótum et pharisǽi parábolas ejus, cognovérunt quod de ipsis díceret. Et quæréntes eum tenére, timuérunt turbas: quóniam sicut prophétam eum habébant.

Offertorium Ps. 39, 14 et 15 Dómine, in auxílium meum réspice: confundántur et revereántur, qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Secreta

Hæc in nobis sacrifícia, Deus, et actióne permáneant, et operatióne firméntur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 11, 8 Tu, Dómine, servábis nos, et custódies nos a generatióne hac in ætérnum.

Postcommunio

Fac nos, quǽsumus, Dómine: accépto pígnore salútis ætérnæ, sic téndere congruénter; ut ad eam perveníre possímus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Da, quǽsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis: ut, bonis opéribus inhæréndo, tuæ semper virtútis mereátur protectióne deféndi. Per Dóminum.

Sabbato

Introitus Ps. 18, 8

Lex Dómini irreprehensíbilis, convértens ánimas: testimónium Dómini fidéle, sapiéntiam præstans párvulis. ℣. Ps. ibid., 2 Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri. Lex Dómini.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, nostris efféctum jejúniis salutárem: ut castigátio carnis assúmpta, ad nostrárum vegetatiónem tránseat animárum. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Génesis.
Gen. 27, 6-40

In diébus illis: Dixit Rebécca fílio suo Jacob: Audívi patrem tuum loquéntem cum Esau fratre tuo, et dicéntem ei: Affer mihi de venatióne tua, et fac cibos ut cómedam, et benedícam tibi coram Dómino ántequam móriar. Nunc ergo, fili mi, acquiésce consíliis meis: et pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos óptimos, ut fáciam ex eis escas patri tuo, quibus libénter véscitur: quas cum intúleris, et coméderit, benedícat tibi priúsquam moriátur. Cui ille respóndit: Nosti quod Esau frater meus homo pilósus sit, et ego lenis: si attrectáverit me pater meus, et sénserit, tímeo ne putet me sibi voluísse illúdere, et indúcam super me maledictiónem pro benedictióne. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledíctio, fili mi: tantum audi vocem meam, et pergens affer quæ dixi. Abiit, et áttulit, dedítque matri. Parávit illa cibos, sicut velle nóverat patrem illíus. Et véstibus Esau valde bonis, quas apud se habébat domi, induit eum: pelliculásque hœdórum circúmdedit mánibus, et colli nuda protéxit. Dedítque pulméntum, et panes, quos cóxerat, trádidit. Quibus illátis, dixit: Pater mi! At ille respóndit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixítque Jacob: Ego sum primogénitus tuus Esau: feci sicut præcepísti mihi: surge, sede, et cómede de venatióne mea, ut benedícat mihi ánima tua. Rursúmque Isaac ad fílium suum: Quómodo, inquit, tam cito invenire potuísti, fili mi? Qui respóndit: Volúntas Dei fuit, ut cito occúrreret mihi quod volébam. Dixítque Isaac: Accéde huc, ut tangam te, fili mi, et probem utrum tu sis fílius meus Esau, an non. Accéssit ille ad patrem, et palpáto eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Jacob est, sed manus, manus sunt Esau. Et non cognóvit eum, quia pilósæ manus similitúdinem majóris exprésserant. Benedícens ergo illi, ait: Tu es fílius meus Esau? Respóndit: Ego sum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatióne tua, fili mi, ut benedícat tibi ánima mea. Quos cum oblátos comedísset, óbtulit ei étiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum: Accéde ad me, et da mihi ósculum, fili mi. Accéssit, et osculátus est eum. Statímque ut sensit vestimentórum illíus fragrántiam, benedícens illi, ait: Ecce odor fílii mei sicut odor agri pleni, cui benedíxit Dóminus. Det tibi Deus de rore cæli, et de pinguédine terræ abundántiam fru-

ménti et vini. Et sérviant tibi pópuli, et adórent te tribus: esto dóminus fratrum tuórum, et incurvéntur ante te filii matris tuæ. Qui maledíxerit tibi, sit ille maledíctus: et qui benedíxerit tibi, benedictiónibus repleátur. Vix Isaac sermónem impléverat, et egrésso Jacob foras, venit Esau, coctósque de venatióne cibos íntulit patri, dicens: Surge, pater mi, et cómede de venatióne filii tui, ut benedícat mihi ánima tua. Dixítque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respóndit: Ego sum fílius tuus primogénitus Esau. Expávit Isaac stupóre veheménti, et ultra quam credi potest, admírans, ait: Quis ígitur ille est, qui dudum captam venatiónem áttulit mihi, et comédi ex ómnibus priúsquam tu veníres? Benedixíque ei, et erit benedíctus. Audítis Esau sermónibus patris, irrúgiit clamóre magno, et consternátus, ait: Bénedic étiam et mihi, pater mi. Qui ait: Venit germánus tuus fraudulénter, et accépit benedictiónem tuam. At ille subjúnxit: Juste vocátum est nomen ejus Jacob: supplantávit enim me en áltera vice: primogénita mea ante tulit, et nunc secúndo surrípuit benedictiónem meam. Rursúmque ad patrem: Numquid non reservásti, ait, et mihi benedictiónem? Respóndit Isaac: Dóminum tuum illum constítui, et omnes fratres ejus servitúti illíus subjugávi: fruménto et vino stabilívi eum, et tibi post hæc, fili mi, ultra quid fáciam? Cui Esau: Num unam, inquit, tantum benedictiónem habes, pater? Mihi quoque óbsecro ut benedícas. Cumque ejulátu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: In pinguédine terræ, et in rore cæli désuper erit benedíctio tua.

Graduale Ps. 91, 2-3 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 15, 11-32

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis et scribis parábolam istam: Homo quidam hábuit duos fílios, et dixit adolescéntior ex illis patri: Pater, da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit. Et divísit illis substántiam. Et non post multos dies, congregátis ómnibus, adolescéntior fílius péregre profectus est in regiónem longínquam, et ibi dissipávit substántiam suam vivéndo luxurióse. Et postquam ómnia consummásset, facta est fames válida in regióne illa, et ipse cœpit egére. Et ábiit, et adhǽsit uni cívium regiónis illíus. Et misit illum in villam suam, ut pásceret porcos. Et cupiébat implére ventrem suum de síliquis, quas porci manducábant: et nemo illi dabat. In se autem revérsus, dixit: Quanti mercenárii in domo patris mei abúndant pánibus, ego autem hic fame péreo? Surgam, et ibo ad patrem meum, et dicam ei: Pater, peccávi in cælum, et coram te: jam non sum dignus vocári fílius tuus: fac me sicut unum de mercenáriis tuis. Et surgens venit ad patrem suum. Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsíus, et misericórdia motus est, et accúrrens cécidit

super collum ejus, et osculátus est eum. Dixítque ei fílius: Pater, peccávi in cælum, et coram te, jam non sum dignus vocári fílius tuus. Dixit autem pater ad servos suos: Cito proférte stolam primam, et indúite illum, et date ánnulum in manum ejus, et calceaménta in pedes ejus: et addúcite vítulum saginátum, et occídite, et manducémus, et epulémur, quia hic fílius meus mórtuus erat, et revíxit: períerat, et invéntus est. Et cœpérunt epulári. Erat autem fílius ejus sénior in agro: et cum veníret, et appropinquáret dómui, audívit symphóniam, et chorum: et vocávit unum de servis, et interrogávit, quid hæc essent. Isque dixit illi: Frater tuus venit, et occídit pater tuus vítulum saginátum, quia salvum illum recépit. Indignátus est autem, et nolébat introíre. Pater ergo illíus egréssus, cœpit rogáre illum. At ille respóndens, dixit patri suo: Ecce tot annis sérvio tibi, et numquam mandátum tuum præterívi, et numquam dedísti mihi hœdum, ut cum amícis meis epulárer: sed postquam fílius tuus hic, qui devorávit substántiam suam cum meretrícibus, venit, occidísti illi vítulum saginátum. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, et ómnia mea tua sunt: epulári autem, et gaudére oportébat, quia frater tuus hic mórtuus erat, et revíxit: períerat, et invéntus est.

Offertorium Ps. 12, 4-5 Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte: ne quando dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Secreta

His sacrifíciis, Dómine, concéde placátus: ut, qui própriis orámus absólvi delíctis, non gravémur extérnis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Luc. 15, 32 Opórtet te, fili, gaudére, quia frater tuus mórtuus fúerat, et revíxit: períerat, et invéntus est.

Postcommunio

Sacraménti tui, Dómine, divína libátio penetrália nostri cordis infúndat: et sui nos partícipes poténter effíciat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut, quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, cælésti étiam protectióne muniátur. Per Dóminum.

Dominica Tertia in Quadragesima

Introitus Ps. 24, 15-16

Oculi mei semper ad Dóminum, quia ipse evéllet de láqueo pedes meos: réspice in me, et miserére mei, quóniam únicus et pauper sum ego. ℣. Ps. ibid., 1-2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. Oculi mei.

Oratio

Quǽsumus, omnípotens Deus, vota humílium réspice: atque ad defensiónem nostram, déxteram

tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 5, 1-9

Fratres: Estóte imitatóres Dei, sicut fílii caríssimi: et ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetipsum pro nobis oblatiónem, et hóstiam Deo in odórem suavitátis. Fornicátio autem, et omnis immundítia, aut avarítia, nec nominétur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitúdo, aut stultilóquium, aut scurrílitas, quæ ad rem non pértinet: sed magis gratiárum áctio. Hoc enim scitóte intelligéntes, quod omnis fornicátor, aut immúndus, aut avárus, quod est idolórum sérvitus, non habet hereditátem in regno Christi, et Dei. Nemo vos sedúcat inánibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in fílios diffidéntiæ. Nolíte ergo éffici partícipes eórum. Erátis enim aliquándo ténebræ: nunc autem lux in Dómino. Ut fílii lucis ambuláte: fructus enim lucis est in omni bonitáte, et justítia, et veritáte.

Graduale Ps. 9, 20 et 4 Exsúrge, Dómine, non præváleat homo: judicéntur gentes in conspéctu tuo. ℣. In converténdo inimícum meum retrórsum, infirmabúntur et períbunt a fácie tua.

Tractus Ps. 122, 1-3 Ad te levávi óculos meos, qui hábitas in cælis. ℣. Ecce sicut óculi servórum in mánibus dominórum suórum ℣. Et sicut óculi ancíllæ in mánibus dóminæ suæ: ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, donec misereátur nostri. ℣. Miserére nostri, Dómine, miserére nostri.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 14-28

In illo témpore: Erat Jesus ejíciens dæmónium, et illud erat mutum. Et cum ejecísset dæmónium, locútus est mutus, et admirátæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixérunt: In Beélzebub, príncipe dæmoniórum, éjicit dæmónia. Et álii tentántes, signum de cælo quærébant ab eo. Ipse autem ut vidit cogitatiónes eórum, dixit eis: Omne regnum in seípsum divísum desolábitur, et domus supra domum cadet. Si autem et sátanas in seípsum divísus est, quómodo stabit regnum ejus? quia dícitis, in Beélzebub me ejícere dæmónia. Si autem ego in Beélzebub ejício dæmónia: fílii vestri in quo ejíciunt? Ideo ipsi júdices vestri erunt. Porro si in dígito Dei ejício dæmónia: profécto pervénit in vos regnum Dei. Cum fortis armátus custódit átrium suum, in pace sunt ea, quæ póssidet. Si autem fórtior eo supervéniens víceril eum, univérsa arma ejus áuferet, in quibus confidébat, et spólia ejus distríbuet. Qui non est mecum, contra me est: et qui non cólligit mecum, dispérgit. Cum immúndus spíritus exíerit de hómine, ámbulat per loca inaquósa, quærens réquiem: et non invéniens, dicit: Revértar in domum meam, unde exívi. Et cum vénerit, invenit eam scopis mundátam, et ornátam. Tunc vadit, et assúmit septem álios spíritus secum, nequióres se, et in-

gréssi hábitant ibi. Et fiunt novíssima hóminis illíus pejóra prióribus. Factum est autem, cum hæc díceret: extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit: Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Credo.

Offertorium Ps. 18, 9, 10, 11 et 12 Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda, et judícia ejus dulcióra super mel et favum: nam et servus tuus custódit ea.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora, mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 83, 4-5 Passer invénit sibi domum, et turtur nidum, ubi repónat pullos suos: altária tua, Dómine virtútum, Rex meus, et Deus meus: beáti qui hábitant in domo tua, in sǽculum sǽculi laudábunt te.

Postcommunio

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, reátibus et perículis propitiátus absólve: quos tanti mystérii tribuis esse partícipes. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Feria Secunda

Introitus Ps. 55, 5

In Deo laudábo verbum, in Dómino laudábo sermónem: in Deo sperábo, non timébo quid fáciat mihi homo. ℣. Ps. ibid., 2 Miserére mei, Deus, quóniam conculcávit me homo: tota die bellans tribulávit me. ℣. Glória Patri. In Deo.

Oratio

Córdibus nostris, quǽsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: ut, sicut ab escis carnálibus abstinémus; ita sensus quoque nostros a nóxiis retrahámus excéssibus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum.
4 Reg. 5, 1-15

In diébus illis: Náaman, princeps milítiæ regis Sýriæ, erat vir magnus apud dóminum suum, et honorátus: per illum enim dedit Dóminus salútem Sýriæ: erat autem vir fortis et dives, sed leprósus. Porro de Sýria egréssi fúerant latrúnculi, et captívam dúxerant de terra Israël puéllam párvulam, quæ erat in obséquio uxóris Náaman, quæ ait ad dóminam suam: Utinam fuísset dóminus meus ad prophétam, qui est in Samaría: profécto curásset eum a lepra, quam habet. Ingréssus est ítaque Náaman ad dóminum suum, et nuntiávit ei, dicens: Sic et sic locúta est puélla de terra Israël. Dixítque ei rex Sýriæ: Vade, et mittam lítteras ad regem Israël. Qui cum proféctus esset, et tulísset secum decem talénta argénti, et sex míllia áureos, et decem mutatória vestimentórum, détulit lítteras ad regem Israël in hæc verba: Cum accéperis epístolam hanc, scito quod míserim ad te Náaman servum meum, ut cures eum a lepra sua. Cumque legísset rex Israël lítteras, scidit vestiménta

sua, et ait: Numquid Deus ego sum, ut occídere possim, et vivificáre, quia iste misit ad me, ut curem hóminem a lepra sua? animadvértite, et vidéte quod occasiónes quærat advérsum me. Quod cum audísset Eliséus vir Dei, scidísse vidélicet regem Israël vestiménta sua, misit ad eum, dicens: Quare scidísti vestiménta tua? véniat ad me, et sciat esse prophétam in Israël. Venit ergo Náaman cum equis, et cúrribus, et stetit ad óstium domus Eliséi: misítque ad eum Eliséus núntium, dicens: Vade, et laváre sépties in Jordáne, et recípiet sanitátem caro tua, atque mundáberis. Irátus Náaman recedébat, dicens: Putábam quod egrederétur ad me, et stans invocáret nomen Dómini Dei sui, et tángeret manu sua locum lepræ, et curáret me. Numquid non melióres sunt Abana et Pharphar, flúvii Damásci, ómnibus aquis Israël, ut laver in eis, et munder? Cum ergo vertísset se, et abíret indígnans, accessérunt ad eum servi sui, et locúti sunt ei: Pater, et si rem grandem dixísset tibi prophéta, certe fácere debúeras: quanto magis quia nunc dixit tibi: Laváre, et mundáberis? Descéndit, et lavit in Jordáne sépties, juxta sermónem viri Dei, et restitúta est caro ejus, sicut caro púeri párvuli, et mundátus est. Reversúsque ad virum Dei cum univérso comitátu suo, venit, et stetit coram eo, et ait: Vere scio, quod non sit álius Deus in univérsa terra, nisi tantum Dóminus Deus Israël.

Graduale Ps. 55, 9 et 2 Deus, vitam meam annuntiávi tibi: posuísti lácrimas meas in conspéctu tuo. ℣. Miserére mei, Dómine, quóniam conculcávit me homo: tota die bellans tribulávit me.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 4, 23-30

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Utique dicétis mihi hanc similitúdinem: Médice, cura teípsum: quanta audívimus facta in Cafárnaum, fac et hic in pátria tua. Ait autem: Amen dico vobis, quia nemo prophéta accéptus est in pátria sua. In veritáte dico vobis, multæ víduæ erant in diébus Elíæ in Israël, quando clausum est cælum annis tribus, et ménsibus sex, cum facta esset fames magna in omni terra: et ad nullam illárum missus est Elías, nisi in Sarépta Sidóniæ, ad mulíerem víduam. Et multi leprósi erant in Israël sub Eliséo prophéta: et nemo eórum mundátus est nisi Náaman Syrus. Et repléti sunt omnes in synagóga ira, hæc audiéntes. Et surrexérunt, et ejecérunt illum extra civitátem: et duxérunt illum usque ad supercílium montis, super quem cívitas illórum erat ædificáta, ut præcipitá-

rent eum. Ipse autem tránsiens per médium illórum, ibat.

Offertorium Ps. 54, 2-3 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde in me, et exáudi me.

Secreta

Munus, quod tibi, Dómine, nostræ servitútis offérimus, tu salutáre nobis pérfice sacraméntum. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.

Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 13, 7 Quis dabit ex Sion salutáre Israël? cum avérterit Dóminus captivitátem plebis suæ, exsultábit Jacob, et lætábitur Israël.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Subvéniat nobis, Dómine, misericórdia tua: ut ab imminéntibus peccatórum nostrórum perículis, te mereámur protegénte éripi, te liberánte salvári. Per Dóminum.

Feria Tertia

Introitus Ps. 16, 6 et 8

Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea: custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me. ℣. Ps. ibid., 1 Exáudi, Dómine, justítiam meam: inténde deprecatiónem meam. ℣. Glória Patri. Ego clamávi.

Oratio

Exáudi nos, omnípotens et miséricors Deus: et continéntiæ salutáris propítius nobis dona concéde. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum.

4 Reg. 4, 1-7

In diébus illis: Múlier quædam clamábat ad Eliséum prophétam, dicens: Servus tuus vir meus mórtuus est, et tu nosti, quia servus tuus fuit timens Dóminum: et ecce créditor venit, ut tollat duos fílios meos ad serviéndum sibi. Cui dixit Eliséus: Quid vis ut fáciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa respóndit: Non hábeo ancílla tua quidquam in domo mea, nisi parum ólei, quo ungar. Cui ait: Vade, pete mútuo ab ómnibus vicínis tuis vasa vácua non pauca. Et ingrédere, et claude óstium tuum, cum intrínsecus fúeris tu, et fílii tui: et mitte inde in ómnia vasa hæc: et cum plena fúerint, tolles. Ivit ítaque múlier, et clausit óstium super se, et super fílios suos: illi offerébant vasa, et illa infundébat. Cumque plena fuíssent vasa, dixit ad fílium suum: Affer mihi adhuc vas. Et ille respóndit: Non hábeo. Stetítque óleum. Venit autem illa, et indicávit hómini Dei. Et ille: Vade, inquit, vende óleum, et redde creditóri tuo: tu autem, et fílii tui vívite de réliquo.

Graduale Ps. 18, 13-14 Ab occúltis meis munda me, Dómine: et ab alié-

nis parce servo tuo. ℣. Si mei non fúerint domináti, tunc immaculátus ero: et emundábor a delicto máximo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 18, 15-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si peccáverit in te frater tuus, vade, et córripe eum inter te, et ipsum solum. Si te audíerit, lucrátus eris fratrem tuum. Si autem te non audíerit, ádhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duórum, vel trium téstium stet omne verbum. Quod si non audíerit eos: dic ecclésiæ. Si autem ecclésiam non audíerit: sit tibi sicut éthnicus et publicánus. Amen dico vobis, quæcúmque alligavéritis super terram, erunt ligáta et in cælo: et quæcúmque solvéritis super terram, erunt solúta et in cælo. Iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consénserint super terram, de omni re quamcúmque petíerint, fiet illis a Patre meo, qui in cælis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregáti in nómine meo, ibi sum in médio eórum. Tunc accédens Petrus ad eum, dixit: Dómine, quóties peccábit in me frater meus, et dimíttam ei? usque sépties? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque sépties, sed usque septuágies sépties.

Offertorium Ps. 117, 16 et 17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

Secreta

Per hæc véniat, quæsumus, Dómine, sacraménta nostræ redemptiónis efféctus: qui nos et ab humánis rétrahat semper excéssibus, et ad salutária dona perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 14, 1-2 Dómine, quis habitábit in tabernáculo tuo? aut quis requiéscet in monte sancto tuo? Qui ingréditur sine mácula, et operátur justítiam.

Postcommunio

Sacris, Dómine, mystériis expiáti: et véniam, quæsumus, consequámur, et grátiam. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Tua nos, Dómine, protectióne defénde: et ab omni semper iniquitáte custódi. Per Dóminum.

Feria Quarta

Introitus Ps. 30, 7-8

Ego autem in Dómino sperábo: exsultábo, et lætábor in tua misericórdia: quia respexísti humilitátem meam. ℣. Ps. ibid., 2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me, et éripe me. ℣. Glória Patri. Ego autem.

Oratio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: ut, salutáribus jejúniis erudíti, a nóxiis quoque vítiis abstinéntes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Exodi. Exodi 20, 12-24

Hæc dicit Dóminus Deus: Honóra patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram, quam Dóminus Deus tuus dabit tibi. Non occídes. Non mœcháberis. Non furtum fácies. Non loquéris contra próximum tuum falsum testimónium. Non concupísces domum próximi tui: nec desiderábis uxórem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non ásinum, nec ómnia, quæ illíus, sunt. Cunctus autem pópulus vidébat voces, et lámpades, et sónitum búccinæ, montémque fumántem: et perterríti, ac pavóre concússi, stetérunt procul, dicéntes Móysi: Lóquere tu nobis, et audiémus: non loquátur nobis Dóminus, ne forte moriámur. Et ait Móyses ad pópulum: Nolíte timére: ut enim probáret vos, venit Deus, et ut terror illíus esset in vobis, et non peccarétis. Stetítque pópulus de longe. Móyses autem accéssit ad calíginem, in qua erat Deus. Dixit prætérea Dóminus ad Móysen: Hæc dices fíliis Israël: Vos vidístis, quod de cælo locútus sim vobis. Non faciétis deos argénteos, nec deos áureos faciétis vobis. Altáre de terra faciétis mihi, et offerétis super eo holocáusta et pacífica vestra, oves vestras, et boves in omni loco, in quo memória fúerit nóminis mei.

Graduale Ps. 6, 3-4 Miserére mei, Dómine, quóniam infírmus sum: sana me, Dómine. ℣. Conturbáta sunt ómnia ossa mea: et ánima mea turbáta est valde.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 15, 1-20

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum ab Jerosólymis scribæ et pharisæi, dicéntes: Quare discípuli tui transgrediúntur traditiónem seniórum? Non enim lavant manus suas, cum panem mandúcant. Ipse autem respóndens, ait illis: Quare et vos transgredímini mandátum Dei propter traditiónem vestram? Nam Deus dixit: Honóra patrem, et matrem. Et: Qui maledíxerit patri, vel matri, morte moriátur. Vos autem dícitis: Quicúmque díxerit patri, vel matri: munus quodcúmque est ex me, tibi próderit: et non honorificábit patrem suum, aut matrem suam: et írritum fecístis mandátum Dei propter traditiónem vestram. Hypócritæ, bene prophetávit de vobis Isaías, dicens: Pópulus hic lábiis me honórat: cor autem eórum longe est a me. Sine causa autem colunt me, docéntes doctrínas et mandáta hóminum. Et, convocátis ad se turbis, dixit eis: Audíte, et intellígite. Non quod intrat in os, coínquinat hóminem: sed quod procédit ex ore, hoc

coinquinat hóminem. Tunc accedéntes discípuli ejus, dixérunt ei: Scis quia pharisæi, audíto verbo hoc, scandalizáti sunt? At ille respóndens, ait: Omnis plantátio, quam non plantávit Pater meus cæléstis, eradicábitur. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcórum. Cæcus autem si cæco ducátum præstet, ambo in fóveam cadunt. Respóndens autem Petrus, dixit ei: Edíssere nobis parábolam istam. At ille dixit: Adhuc et vos sine intelléctu estis? Non intellígitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, et in secéssum emíttitur? Quæ autem procédunt de ore, de corde éxeunt, et ea coínquinant hóminem: de corde enim éxeunt cogitatiónes malæ, homicídia, adultéria, fornicatiónes, furta, falsa testimónia, blasphémiæ. Hæc sunt, quæ coínquinant hóminem. Non lotis autem mánibus manducáre, non coínquinat hóminem.

Offertorium Ps. 108, 21 Dómine, fac mecum misericórdiam tuam, propter nomen tuum: quia suávis est misericórdia tua.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum: et tua mystéria celebrántes, ab ómnibus nos defénde perículis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 15, 10 Notas mihi fecísti vias vitæ: adimplébis me lætítia cum vultu tuo, Dómine.

Postcommunio

Sanctíficet nos, Dómine, qua pasti sumus, mensa cæléstis: et a cunctis erróribus expiátos, supérnis promissiónibus reddat accéptos. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

Feria Quinta

Introitus

Eccl. vox ex Ps. et Prophetis

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Salus pópuli.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut jejuniórum nobis sancta devótio; et purificatiónem tribuat, et majestáti tuæ nos reddat accéptos. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 7, 1-7

In diébus illis: Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Sta in porta domus Dómini: et prædica ibi

verbum istud, et dic: Audíte verbum Dómini, omnis Juda, qui ingredímini per portas has, ut adorétis Dóminum. Hæc dicit Dóminus exercítuum Deus Israël: Bonas fácite vias vestras, et stúdia vestra: et habitábo vobíscum in loco isto. Nolíte confídere in verbis mendácii, dicéntes: Templum Dómini, templum Dómini, templum Dómini est. Quóniám si bene direxéritis vias vestras, et stúdia vestra: si fecéritis judícium inter virum et próximum ejus, ádvenæ, et pupíllo, et víduæ non fecéritis calúmniam, nec sánguinem innocéntem effudéritis in loco hoc, et post deos aliénos non ambulavéritis in malum vobismetípsis: habitábo vobíscum in loco isto, in terra, quam dedi pátribus vestris a sæculo et usque in sæculum: ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 144, 15-16 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 27-35

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Operámini non cibum qui perit, sed qui pérmanet in vitam ætérnam, quem Fílius hóminis dabit vobis. Hunc enim Pater signávit Deus. Dixérunt ergo ad eum: Quid faciémus, ut operémur ópera Dei? Respóndit Jesus, et dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credátis in eum quem misit ille. Dixérunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum, ut videámus et credámus tibi? Quid operáris? Patres nostri manducavérunt manna in desérto, sicut scriptum est: Panem de cælo dedit eis manducáre. Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Non Móyses dedit vobis panem de cælo, sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim verus est qui de cælo descéndit, et dat vitam mundo. Dixérunt ergo ad eum: Dómine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis Jesus: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esúriet: et qui credit in me, non sítiet in ætérnum.

Offertorium Ps. 137, 7 Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua.

Secreta

Fac nos, quǽsumus, Dómine, ad sancta mystéria purificátis méntibus accédere: ut tibi semper constántes deferámus obséquium. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 118, 4-5 Tu mandásti, mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ, ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Postcommunio

Sacraménti tui, Dómine, veneránda percéptio, et mýstico nos mundet efféctu, et perpétua virtúte deféndat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Subjéctum tibi pópulum, quæsumus, Dómine, propitiátio cæléstis amplíficet: et tuis semper fáciat servíre mandátis. Per Dóminum.

Feria Sexta

Introitus Ps. 85, 17

Fac mecum, Dómine, signum in bonum: ut vídeant, qui me odérunt, et confundántur: quóniam tu, Dómine, adjuvísti me, et consolátus es me. ℣. Ps. ibid., 1 Inclína, Dómine, aurem tuam, et exáudi me: quóniam inops et pauper sum ego. ℣. Glória Patri. Fac mecum.

Oratio

Jejúnia nostra, quæsumus, Dómine, benígno favóre proséquere: ut, sicut ab aliméntis abstinémus in córpore; ita a vítiis jejunémus in mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Número.
Num. 20, 1, 3 et 6-13

In diébus illis: Convenérunt fílii Israël advérsum Móysen et Aaron: et versi in seditiónem, dixérunt: Date nobis aquam, ut bibámus. Ingressúsque Móyses et Aaron, dimíssa multitúdine, tabernáculum fœderis, corruérunt proni in terram, clamaverúntque ad Dóminum, atque dixérunt: Dómine Deus, audi clamórem hujus pópuli, et áperi eis thesáurum tuum, fontem aquæ vivæ, ut satiáti, cesset murmurátio eórum. Et appáruit glória Dómini super eos. Locutúsque est Dóminus ad Móysen, dicens: Tolle virgam, et cóngrega pópulum, tu et Aaron frater tuus, et loquímini ad petram coram eis, et illa dabit aquas. Cumque edúxeris aquam de petra, bibet omnis multitúdo, et juménta ejus. Tulit ígitur Móyses virgam, quæ erat in conspéctu Dómini, sicut præcéperat ei, congregáta multitúdine ante petram, dixítque eis: Audíte, rebélles et incréduli: Num de petra hac vobis aquam potérimus ejícere? Cumque elevásset Móyses manum, percútiens virga bis sílicem, egréssæ sunt aquæ largíssimæ, ita ut pópulus bíberet, et juménta. Dixítque Dóminus ad Móysen et Aaron: Quia non credidístis mihi, ut sanctificarétis me coram fíliis Israël, non introducétis hos pópulos in terram, quam dabo eis. Hæc est aqua contradictiónis, ubi jurgáti sunt fílii Israël contra Dóminum, et sanctificátus est in eis.

Graduale Ps. 27, 7 et 1 In Deo sperávit cor meum, et adjútus sum: et reflóruit caro mea, et ex voluntáte mea confitébor illi. ℣. Ad te, Dómine, clamávi: Deus meus, ne síleas, ne discédas a me.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 4, 5-42

In illo témpore: Venit Jesus in civitátem Samaríæ, quæ dícitur Sichar: juxta prǽdium, quod dedit Jacob Joseph fílio suo. Erat autem ibi fons Jacob. Jesus ergo fatigátus ex itínere, sedébat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. Venit múlier de Samaría haurire aquam. Dicit ei Jesus: Da mihi bíbere. (Discípuli enim ejus abíerant in civitátem, ut cibos émerent). Dicit ergo ei múlier illa Samaritána: Quómodo tu, Judǽus cum sis, bíbere a me poscis, quæ sum múlier Samaritána? non enim coutúntur Judǽi Samaritánis. Respóndit Jesus, et dixit ei: Si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: Da mihi bíbere: tu fórsitan petísses ab eo, et dedísset tibi aquam vivam. Dicit ei múlier: Dómine, neque in quo háurias habes, et púteus altus est: unde ergo habes aquam vivam? Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis púteum, et ipse ex eo bibit, et fílii ejus, et pécora ejus? Respóndit Jesus, et dixit ei: Omnis, qui bibit ex aqua hac, sítiet íterum: qui autem bíberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sítiet in ætérnum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam. Dicit ad eum múlier: Dómine, da mihi hanc aquam, ut non sítiam, neque véniam huc haurire. Dicit ei Jesus: Vade, voca virum tuum, et veni huc. Respóndit múlier, et dixit: Non hábeo virum. Dicit ei Jesus: Bene dixísti, quia non hábeo virum: quinque enim viros habuísti, et nunc, quem habes, non est tuus vir: hoc vere dixísti. Dicit ei múlier: Dómine, vídeo, quia prophéta es tu. Patres nostri in monte hoc adoravérunt, et vos dícitis, quia Jerosólymis est locus, ubi adoráre opórtet. Dicit ei Jesus: Múlier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Jerosólymis adorábitis Patrem. Vos adorátis quod nescítis: nos adorámus quod scimus, quia salus ex Judǽis est. Sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratóres adorábunt Patrem in spíritu et veritáte. Nam et Pater tales quærit, qui adórent eum. Spíritus est Deus: et eos, qui adórant eum, in spíritu et veritáte opórtet adoráre. Dicit ei múlier: Scio, quia Messías venit (qui dícitur Christus). Cum ergo vénerit ille, nobis annuntiábit ómnia. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum. Et contínuo venérunt discípuli ejus: et mirabántur, quia cum mulíere loquebátur. Nemo tamen dixit: Quid quæris, aut quid lóqueris cum ea? Relíquit ergo hýdriam suam múlier, et ábiit in civitátem, et dicit illis homínibus: Veníte, et vidéte hóminem, qui dixit mihi ómnia quæcúmque feci: numquid ipse est Christus? Exiérunt ergo de civitáte, et veniébant ad eum. Intérea rogábant eum discípuli, dicéntes: Rabbi, mandúca. Ille autem dicit eis: Ego cibum hábeo manducáre, quem vos nescítis. Dicébant ergo discípuli ad ínvicem: Numquid áliquis áttulit ei manducáre? Dicit eis Jesus: Meus cibus est, ut fáciam voluntátem ejus, qui misit me, ut perfíciam opus ejus. Nonne

vos dícitis, quod adhuc quátuor menses sunt, et messis venit? Ecce dico vobis: Leváte óculos vestros, et vidéte regiónes, quia albæ sunt jam ad messem. Et qui metit, mercédem áccipit, et cóngregat fructum in vitam ætérnam: ut, et qui séminat, simul gáudeat, et qui metit. In hoc enim est verbum verum: quia álius est qui séminat, et álius est qui metit. Ego misi vos métere quod vos non laborátis: álii laboravérunt, et vos in lábores eórum introístis. Ex civitáte autem illa multi credidérunt in eum Samaritanórum, propter verbum mulíeris testimónium perhibéntis: Quia dixit mihi ómnia quæcúmque feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritáni, rogavérunt eum, ut ibi manéret. Et mansit ibi duos dies. Et multo plures credidérunt in eum propter sermónem ejus. Et mulíeri dicébant: Quia jam non propter tuam loquélam crédimus: ipsi enim audívimus, et scimus, quia hic est vere Salvátor mundi.

Offertorium Ps. 5, 3-4 Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, et Deus meus; quóniam ad te orábo, Dómine.

Secreta

Réspice, quǽsumus, Dómine, propítius ad múnera, quæ sacrámus: ut tibi grata sint, et nobis salutária semper exsístant. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Joann. 4, 13 et 14 Qui bíberit aquam, quam ego dabo ei, dicit Dóminus, fiet in eo fons aquæ saliéntis in vitam ætérnam.

Postcommunio

Hujus nos, Dómine, percéptio sacraménti mundet a crímine: et ad cæléstia regna perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui in tua protectióne confídimus, cuncta nobis adversántia, te adjuvánte, vincámus. Per Dñum.

Sabbato

Introitus Ps. 5, 2-3

Verba mea áuribus pércipe, Dómine, intéllige clamórem meum: inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, et Deus meus. ℣. Ps. ibid., 4 Quóniam ad te orábo, Dómine: mane exáudies vocem meam. ℣. Glória Patri. Verba mea.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui se, affligéndo carnem, ab aliméntis ábstinent; sectándo justítiam, a culpa jejúnent. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 13, 1-9, 15-17, 19-30 et 33-62

In diébus illis: Erat vir hábitans in Babylóne, et nomen ejus Jóakim: et accépit uxórem nómine Susánnam, fíliam Helcíæ, pulchram nimis, et timéntem Deum: paréntes enim illíus, cum essent justi, erudiérunt fíliam suam secúndum legem Móysi. Erat autem Jóakim dives

valde, et erat ei pomárium vicínum dómui suæ: et ad ipsum confluébant Judǽi, eo quod esset honorabílior ómnium. Et constitúti sunt de pópulo duo senes júdices in illo anno: de quibus locútus est Dóminus: Quia egréssa est iníquitas de Babylóne a senióribus judícibus, qui videbántur régere pópulum. Isti frequentábant domum Jóakim, et veniébant ad eos omnes, qui habébant judícia. Cum autem pópulus revertísset per merídiem, ingrediebátur Susánna, et deambulábat in pomário viri sui. Et vidébant eam senes quotídie ingrediéntem, et deambulántem: et exarsérunt in concupiscéntiam ejus: et evertérunt sensum suum, et declinavérunt óculos suos, ut non vidérent cælum, neque recordaréntur judiciórum justórum. Factum est autem, cum observárent diem aptum, ingréssa est aliquándo sicut heri et nudiustértius, cum duábus solis puéllis, voluítque lavári in pomário: æstus quippe erat, et non erat ibi quisquam, præter duos senes abscónditos, et contemplántes eam. Dixit ergo puéllis: Afférte mihi óleum et smígmata, et óstia pomárii cláudite, ut laver. Cum autem egréssæ essent puéllæ, surrexérunt duo senes, et accurrérunt ad eam, et dixérunt: Ecce óstia pomárii clausa sunt, et nemo nos videt, et nos in concupiscéntia tui sumus: quam ob rem assentíre nobis, et commiscére nobíscum. Quod si nolúeris, dicémus contra te testimónium, quod fúerit tecum júvenis, et ob hanc causam emíseris puéllas a te. Ingémuit Susánna, et ait: Angústiæ sunt mihi úndique: si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effúgiam manus vestras. Sed mélius est mihi absque ópere incídere in manus vestras, quam peccáre in conspéctu Dómini. Et exclamávit voce magna Susánna: exclamavérunt autem et senes advérsus eam. Et cucúrrit unus ad óstia pomárii, et apéruit. Cum ergo audíssent clamórem fámuli domus in pomário, irruérunt per postícum, ut vidérent quidnam esset. Postquam autem senes locúti sunt, erubuérunt servi veheménter: quia numquam dictus fúerat sermo hujuscémodi de Susánna. Et facta est dies crástina. Cumque venísset pópulus ad Jóakim virum ejus, venérunt et duo senióres pleni iníqua cogitatióne advérsus Susánnam, ut interfícerent eam. Et dixérunt coram pópulo: Míttite ad Susánnam fíliam Helcíæ, uxórem Jóakim. Et statim misérunt. Et venit cum paréntibus, et fíliis, et univérsis cognátis suis. Flebant ígitur sui, et omnes qui nóverant eam. Consurgéntes autem duo senióres in médio pópuli, posuérunt manus suas super caput ejus. Quæ flens suspéxit ad cælum: erat enim cor ejus fidúciam habens in Dómino. Et dixérunt senióres: Cum deambularémus in pomário soli, ingréssa est hæc cum duábus puéllis: et clausit óstia pomárii, et dimísit a se puéllas. Venítque ad eam adoléscens, qui erat abscónditus, et concúbuit cum ea. Porro nos, cum essémus in ángulo pomárii, vidéntes iniquitátem, cucúrrimus ad eos, et vídimus eos páriter commiscéri. Et illum quidem non quívimus com-

prehéndere, quia fórtior nobis erat, et apértis óstiis exsilívit: hanc autem cum apprehendissémus, interrogávimus, quisnam esset adoléscens, et nóluit indicáre nobis: hujus rei testes sumus. Crédidit eis multitúdo quasi sénibus, et judícibus pópuli, et condemnavérunt eam ad mortem. Exclamávit autem voce magna Susánna, et dixit: Deus ætérne, qui absconditórum es cógnitor, qui nosti ómnia ántequam fiant, tu scis quóniam falsum testimónium tulérunt contra me: et ecce mórior, cum nihil horum fécerim, quæ isti malitióse composuérunt advérsum me. Exaudívit autem Dóminus vocem ejus. Cumque ducerétur ad mortem, suscitávit Dóminus spíritum sanctum púeri junióris, cujus nomen Dániel. Et exclamávit voce magna: Mundus ego sum a sánguine hujus. Et convérsus omnis pópulus ad eum, dixit: Quis est iste sermo, quem tu locútus es? Qui cum staret in médio eórum, ait: Sic fátui, fílii Israël, non judicántes, neque quod verum est cognoscéntes, condemnástis fíliam Israël? Revertímini ad judícium, quia falsum testimónium locúti sunt advérsus eam. Revérsus est ergo pópulus cum festinatióne. Et dixit ad eos Dániel: Separáte illos ab ínvicem procul, et dijudicábo eos. Cum ergo divísi essent alter ab áltero, vocávit unum de eis, et dixit ad eum: Inveteráte diérum malórum, nunc venérunt peccáta tua, quæ operabáris prius: júdicans judícia injústa, innocéntes ópprimens, et dimíttens nóxios, dicénte Dómino: Innocéntem et justum non interfícies. Nunc ergo si vidísti eam, dic sub qua árbore víderis eos colloquéntes sibi. Qui ait: Sub schino. Dixit autem Dániel: Recte mentítus es in caput tuum. Ecce enim Angelus Dei, accépta senténtia ab eo, scindet te médium. Et, amóto eo, jussit veníre álium, et dixit ei: Semen Chánaan, et non Juda, spécies decépit te, et concupiscéntia subvértit cor tuum: sic faciebátis filiábus Israël, et illæ timéntes loquebántur vobis: sed fília Juda non sustínuit iniquitátem vestram. Nunc ergo dic mihi, sub qua árbore comprehénderis eos loquéntes sibi. Qui ait: Sub prino. Dixit autem ei Dániel: Recte mentítus es et tu in caput tuum: manet enim Angelus Dómini, gládium habens, ut secet te médium, et interfíciat vos. Exclamávit ítaque omnis cœtus voce magna, et benedixérunt Deum, qui salvat sperántes in se. Et consurrexérunt advérsus duos senióres (convícerat enim eos Dániel ex ore suo falsum dixísse testimónium), fecerúntque eis sicut male égerant advérsus próximum: et interfecérunt eos, et salvátus est sanguis innóxius in die illa.

Graduale Ps. 22, 4 Si ámbulem in médio umbræ mortis, non timébo mala: quóniam tu mecum es, Dómine. ℣. Virga tua, et báculus tuus, ipsa me consoláta sunt.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 8, 1-11

In illo témpore: Perréxit Jesus in montem Olivéti: et dilúculo íterum venit in templum, et omnis pó-

pulus venit ad eum, et sedens docébat eos. Addúcunt autem scribæ et pharisæi mulierem in adultério deprehénsam: et statuérunt eam in médio, et dixérunt ei: Magister, hæc múlier modo deprehénsa est in adultério. In lege autem Móyses mandávit nobis hujúsmodi lapidáre. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicébant tentántes eum, ut possent accusáre eum. Jesus autem inclínans se deórsum, dígito scribébat in terra. Cum ergo perseverárent interrogántes eum, eréxit se, et dixit eis: Qui sine peccáto est vestrum, primus in illam lápidem mittat. Et íterum se inclínans, scribébat in terra. Audiéntes autem unus post unum exíbant, incipiéntes a senióribus: et remánsit solus Jesus, et múlier in médio stans. Erigens autem se Jesus, dixit ei: Múlier, ubi sunt, qui te accusábant? nemo te condemnávit? Quæ dixit: Nemo, Dómine. Dixit autem Jesus: Nec ego te condemnábo: Vade, et jam ámplius noli peccáre.

Offertorium Ps. 118, 133 Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum: ut non dominétur mei omnis injustítia, Dómine.

Secreta

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut hujus sacrifícii munus oblátum, fragilitátem nostram ab omni malo purget semper, et múniat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.

Præfatio de Quadragesima.

Communio Joann. 8, 10 et 11 Nemo te condemnávit, múlier? Nemo, Dómine. Nec ego te condemnábo: jam ámplius noli peccáre.

Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut inter ejus membra numerémur, cujus córpori communicámus, et sánguini Jesu Christi, Dómini nostri: Qui tecum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Prætende, Dómine, fidélibus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant; et quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum.

Dominica Quarta
in Quadragesima

Introitus Isai. 66, 10 et 11

Lætáre, Jerúsalem: et convéntum fácite, omnes qui dilígitis eam: gaudéte cum lætítia, qui in tristítia fuístis: ut exsultétis, et satiémini ab ubéribus consolatiónis vestræ. ℣. Ps. 121, 1 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Glória Patri. Lætáre.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui ex mérito nostræ actiónis affligimur, tuæ grátiæ consolatióne respirémus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 4, 22-31

Fratres: Scriptum est: Quóniam Abraham duos fílios hábuit: unum de ancílla, et unum de líbera. Sed qui de ancílla, secúndum carnem natus est: qui autem de líbera, per repromissiónem: quæ sunt per alle-

goriam dicta. Hæc enim sunt duo testaménta. Unum quidem in monte Sina, in servitútem génerans: quæ est Agar: Sina enim mons est in Arábia, qui conjúnctus est ei, quæ nunc est Jerúsalem, et servit cum fíliis suis. Illa autem, quæ sursum est Jerúsalem, líbera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim: Lætáre, stérilis, quæ non paris: erúmpe, et clama, quæ non párturis: quia multi fílii desértæ, magis quam ejus, quæ habet virum. Nos autem, fratres, secúndum Isaac promissiónis fílii sumus. Sed quómodo tunc is, qui secúndum carnem natus fúerat, persequebátur eum, qui secúndum spíritum: ita et nunc. Sed quid dicit Scriptúra? Ejice ancillam et fílium ejus: non enim heres erit fílius ancíllæ cum fílio líberæ. Itaque, fratres, non sumus ancíllæ fílii, sed líberæ: qua libertáte Christus nos liberávit.

Graduale Ps. 121, 1 et 7 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Tractus Ps. 124, 1-2 Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem. ℣. Montes in circúitu ejus: et Dóminus in circúitu pópuli sui, ex hoc nunc et usque in sǽculum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 1-15

In illo témpore: Abiit Jesus trans mare Galilǽæ, quod est Tiberíadis: et sequebátur eum multitúdo magna, quia vidébant signa, quæ faciébat super his, qui infirmabántur. Súbiit ergo in montem Jesus: et ibi sedébat cum discípulis suis. Erat autem próximum Pascha, dies festus Judæórum. Cum sublevásset ergo óculos Jesus, et vidísset quia multitúdo máxima venit ad eum, dixit ad Philíppum: Unde emémus panes, ut mandúcent hi? Hoc autem dicébat tentans eum: ipse enim sciébat quid esset factúrus. Respóndit ei Philíppus: Ducentórum denariórum panes non sufficiunt eis, ut unusquísque módicum quid accípiat. Dicit ei unus ex discípulis ejus, Andréas frater Simónis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeáceos, et duos pisces: sed hæc quid sunt inter tantos? Dixit ergo Jesus: Fácite hómines discúmbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuérunt ergo viri, número quasi quinque míllia. Accépit ergo Jesus panes, et cum grátias egísset, distríbuit discumbéntibus; simíliter et ex píscibus quantum volébant. Ut autem impléti sunt, dixit discípulis suis: Collígite quæ superavérunt fragménta, ne péreant. Collegérunt ergo, et implevérunt duódecim cóphinos fragmentórum ex quinque pánibus hordeáceis, quæ superfuérunt his, qui manducáverant. Illi ergo hómines cum vidíssent quod Jesus fécerat signum, dicébant: Quia hic est vere Prophéta, qui ventúrus est in mundum.

Credo.

Offertorium Ps. 134, 3 et 6 Laudáte Dóminum, quia benígnus est: psállite nómini ejus, quóniam suávis est:

ómnia quæcúmque vóluit, fecit in cælo, et in terra.

Secreta

Sacrificiis præséntibus, Dómine, quǽsumus, inténde placátus: ut et devotióni nostræ profíciant, et salúti. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 121, 3-4 Jerúsalem, quæ ædificátur ut cívitas, cujus participátio ejus in idípsum: illuc enim ascendérunt tribus, tribus Dómini, ad confiténdum nómini tuo, Dómine.

Postcommunio

Da nobis, quǽsumus, miséricors Deus: ut sancta tua, quibus incessánter explémur, sincéris tractémus obséquiis, et fidéli semper mente sumámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Feria Secunda

Introitus Ps. 53, 3-4

Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua júdica me: Deus, exáudi oratiónem meam. ℣. Ps. ibid., 5 Quóniam aliéni insurrexérunt advérsum me: et fortes quæsiérunt ánimam meam, et non proposuérunt Deum ante conspéctum suum. ℣. Glória Patri. Deus, in nómine tuo.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum.

3 Reg. 3, 16-28

In diébus illis: Venérunt duæ mulíeres meretríces ad regem Salomónem, steterúntque coram eo, quarum una ait: Obsecro, mi dómine: ego et múlier hæc habitabámus in domo una, et péperi apud eam in cubículo. Tértia autem die postquam ego péperi, péperit et hæc: et erámus simul, nullúsque álius nobíscum in domo, excéptis nobis duábus. Mórtuus est autem fílius mulíeris hujus nocte: dórmiens quippe oppréssit eum. Et consúrgens intempéstæ noctis siléntio, tulit fílium meum de látere meo ancíllæ tuæ dormiéntis, et collocávit in sinu suo: suum autem fílium, qui erat mórtuus, pósuit in sinu meo. Cumque surrexíssem mane, ut darem lac fílio meo, appáruit mórtuus: quem diligéntius íntuens clara luce, deprehéndi non esse meum, quem genúeram. Respondítque áltera múlier: Non est ita ut dicis, sed fílius tuus mórtuus est, meus autem vivit. E contrário illa dicébat: Mentíris: fílius quippe meus vivit, et fílius tuus mórtuus est. Atque in hunc modum contendébant coram rege. Tunc rex ait: Hæc dicit: Fílius meus vivit, et fílius tuus mórtuus est. Et ista respóndit: Non, sed fílius tuus mórtuus est, meus autem vivit. Dixit ergo rex: Afférte mihi gládium. Cumque attulíssent gládium coram rege: Divídite, inquit, infántem vivum in duas partes, et date dimídiam partem uni, et dimídiam partem álteri. Dixit autem múlier, cujus fílius erat vivus, ad regem (commóta sunt quippe víscera ejus

super filio suo); Obsecro, dómine, date illi infántem vivum, et nolíte interfícere eum. E contrário illa dicébat: Nec mihi, nec tibi sit, sed dividátur. Respóndit rex, et ait: Date huic infántem vivum, et non occidátur: hæc est enim mater ejus. Audívit ítaque omnis Israël judícium, quod judicásset rex, et timuérunt regem, vidéntes sapiéntiam Dei esse in eo ad faciéndum judícium.

Graduale Ps. 30, 3 Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii, ut salvum me fácias. ℣. Ps. 70, 1 Deus, in te sperávi: Dómine, non confúndar in ætérnum.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 2, 13-25

In illo témpore: Prope erat Pascha Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam: et invénit in templo vendéntes boves, et oves, et colúmbas, et nummulários sedéntes. Et, cum fecísset quasi flagéllum de funículis, omnes ejécit de templo, oves quoque, et boves, et nummulariórum effúdit æs, et mensas subvértit. Et his, qui colúmbas vendébant, dixit: Auférte ista hinc, et nolíte fácere domum Patris mei, domum negotiatiónis. Recordáti sunt vero discípuli ejus, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comédit me. Respondérunt ergo Judǽi, et dixérunt ei: Quod signum osténdis nobis, quia hæc facis? Respóndit Jesus, et dixit eis: Sólvite templum hoc, et in tribus diébus excitábo illud. Dixérunt ergo Judǽi: Quadragínta et sex annis ædificátum est templum hoc, et tu in tribus diébus excitábis illud? Ille autem dicébat de templo córporis sui. Cum ergo resurrexísset a mórtuis, recordáti sunt discípuli ejus, quia hoc dicébat, et credidérunt Scriptúræ, et sermóni, quem dixit Jesus. Cum autem esset Jerosólymis in Pascha in die festo, multi credidérunt in nómine ejus, vidéntes signa ejus, quæ faciébat. Ipse autem Jesus non credébat semetípsum eis, eo quod ipse nosset omnes, et quia opus ei non erat, ut quis testimónium perhibéret de hómine: ipse enim sciébat, quid esset in hómine.

Offertorium Ps. 99, 1-2 Jubiláte Deo, omnis terra, servíte Dómino in lætítia: intráte in conspéctu ejus in exsultatióne: quia Dóminus ipse est Deus.

Secreta

Oblátum tibi, Dómine, sacrifícium vivíficet nos semper, et múniat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.

Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 18, 13 et 14 Ab occúltis meis munda me, Dómine: et ab aliénis parce servo tuo.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salutáribus sacraméntis: ad redemptiónis ætérnæ, quǽsumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Deprecatiónem nostram, quǽsumus, Dómine, benígnus exáudi: et quibus supplicándi præstas affectum, tríbue defensiónis auxílium. Per Dóminum.

Feria Tertia

Introitus Ps. 54, 2-3

Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde in me, et exáudi me. ℣. Ps. ibid., 3-4 Contristátus sum in exercitatióne mea: et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris. ℣. Glória Patri. Exáudi.

Oratio

Sacræ nobis, quǽsumus, Dómine, observatiónis jejúnia: et piæ conversatiónis augméntum, et tuæ propitiatiónis contínuum præstent auxílium. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Exodi.

Exodi 32, 7-14

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Descénde de monte, peccávit pópulus tuus, quem eduxísti de terra Ægýpti. Recessérunt cito de via, quam ostendísti eis: fecerúntque sibi vítulum conflátilem, et adoravérunt, atque immolántes ei hóstias, dixérunt: Isti sunt dii tui, Israël, qui te eduxérunt de terra Ægýpti. Rursúmque ait Dóminus ad Móysen: Cerno quod pópulus iste duræ cervícis sit: dimítte me, ut irascátur furor meus contra eos, et déleam eos, faciámque te in gentem magnam. Móyses autem orábat Dóminum Deum suum, dicens: Cur, Dómine, iráscitur furor tuus contra pópulum tuum, quem eduxísti de terra Ægýpti, in fortitúdine magna, et in manu robústa? Ne, quæso, dicant Ægýptii: Cállide edúxit eos, ut interfíceret in móntibus, et deléret e terra: quiéscat ira tua, et esto placábilis super nequítia pópuli tui. Recordáre Abraham, Isaac, et Israël servórum tuórum, quibus jurásti per temetípsum, dicens: Multiplicábo semen vestrum sicut stellas cæli: et univérsam terram hanc, de qua locútus sum, dabo sémini vestro, et possidébitis eam semper. Placatúsque est Dóminus, ne fáceret malum, quod locútus fúerat advérsus pópulum suum.

Graduale Ps. 43, 26 et 2 Exsúrge, Dómine, fer opem nobis: et líbera nos propter nomen tuum. ℣. Deus, áuribus nostris audívimus: et patres nostri annuntiavérunt nobis opus, quod operátus es in diébus eórum, et in diébus antíquis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 7, 14-31

In illo témpore: Jam die festo mediánte, ascéndit Jesus in templum, et docébat. Et mirabántur Judǽi, di-

céntes: Quómodo hic litteras scit, cum non didícerit? Respóndit eis Jesus, et dixit: Mea doctrína non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis volúerit voluntátem ejus fácere, cognóscet de doctrína, utrum ex Deo sit, an ego a meípso loquar. Qui a semetípso lóquitur, glóriam própriam quærit. Qui autem quærit glóriam ejus, qui misit eum, hic verax est, et injustítia in illo non est. Nonne Móyses dedit vobis legem: et nemo ex vobis facit legem? Quid me quǽritis interfícere? Respóndit turba, et dixit: Dæmónium habes: quis te quærit interfícere? Respóndit Jesus, et dixit eis: Unum opus feci, et omnes mirámini. Proptérea Móyses dedit vobis circumcisiónem (non quia ex Móyse est, sed ex pátribus): et in sábbato circumcíditis hóminem. Si circumcisiónem áccipit homo in sábbato, ut non solvátur lex Móysi: mihi indignámini, quia totum hóminem sanum feci in sábbato? Nolíte judicáre secúndum fáciem, sed justum judícium judicáte. Dicébant ergo quidam ex Jerosólymis: Nonne hic est, quem quærunt interfícere? Et ecce palam lóquitur, et nihil ei dicunt. Numquid vere cognovérunt príncipes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus, unde sit: Christus autem, cum vénerit, nemo scit unde sit. Clamábat ergo Jesus in templo docens, et dicens: Et me scitis, et unde sim, scitis, et a meípso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescítis. Ego scio eum, quia ab ipso sum, et ipse me misit. Quærébant ergo eum apprehéndere: et nemo misit in illum manus, quia nondum vénerat hora ejus. De turba autem multi credidérunt in eum.

Offertorium Ps. 39, 2, 3 et 4 Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me: et exaudívit deprecatiónem meam: et immísit in os meum cánticum novum, hymnum Deo nostro.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora, mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.

Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 19, 6 Lætábimur in salutári tuo: et in nómine Dómini Dei nostri magnificábimur.

Postcommunio

Hujus nos, Dómine, percéptio sacraménti mundet a crímine: et ad cæléstia regna perdúcat. Per Dóminum

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Miserére, Dómine, pópulo tuo: et contínuis tribulatiónibus laborántem, propítius respiráre concéde. Per Dóminum.

Feria Quarta

Introitus Ezech. 36, 23-26

Cum sanctificátus fúero in vobis, congregábo vos de univérsis terris: et effúndam super vos aquam mundam, et mun-

dabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris: et dabo vobis spíritum novum. ℣. Ps. 33, 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Cum.

Post Kýrie, eléison, non dicitur Dóminus vobíscum: sed absolute Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte, ut supra, 64.

Oratio

Deus, qui, et justis prǽmia meritórum, et peccatóribus per jejúnium véniam præbes: miserére supplícibus tuis; ut reátus nostri conféssio indulgéntiam váleat percípere delictórum. Per Dóminum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 36, 23-28

Hæc dicit Dóminus Deus: Sanctificábo nomen meum magnum, quod pollútum est inter gentes, quod polluístis in médio eárum: ut sciant gentes, quia ego Dóminus, cum sanctificátus fuéro in vobis coram eis. Tollam quippe vos de géntibus, et congregábo vos de univérsis terris, et addúcam vos in terram vestram. Et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis vestris, et ab univérsis idólis vestris mundábo vos. Et dabo vobis cor novum, et spíritum novum ponam in médio vestri: et áuferam cor lapídeum de carne vestra, et dabo vobis cor cárneum. Et spíritum meum ponam in médio vestri: et fáciam ut in præcéptis meis ambulétis, et judícia mea custodiátis et operémini. Et habitábitis in terra, quam dedi pátribus vestris: et éritis mihi in pópulum, et ego ero vobis in Deum: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 33, 12 et 6 Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, et illumináminí: et fácies vestræ non confundéntur.

Hic dicitur: Dóminus vobíscum, sine Flectámus génua.

Orémus — Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, quos jejúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet: ut, terrénis affectibus mitigátis, facílius cæléstia capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 1, 16-19

Hæc dicit Dóminus Deus: Lavámini, mundi estóte, auférte malum cogitatiónum vestrárum ab óculis meis: quiéscite ágere pervérse, díscite benefácere: quǽrite judícium, subveníte opprésso, judicáte pupíllo, deféndite víduam. Et veníte, et argúite me, dicit Dóminus: si fúerint peccáta vestra ut cóccinum, quasi nix dealbabúntur: et si fúerint rubra quasi vermículus, velut lana alba erunt. Si voluéritis, et audiéritis me, bona terræ comedétis: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 32, 12 et 6 Beáta gens, cujus est Dóminus Deus eórum; pópulus, quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. ℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt: et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 9, 1-38

In illo témpore: Prætériens Jesus vidit hóminem cæcum a nativitáte: et interrogavérunt eum discípuli ejus: Rabbi, quis peccávit, hic, aut paréntes ejus, ut cæcus nascerétur? Respóndit Jesus: Neque hic peccávit, neque paréntes ejus: sed ut manifesténtur ópera Dei in illo. Me opórtet operári ópera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operári. Quámdiu sum in mundo, lux sum mundi. Hæc cum dixísset, éxspuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linívit lutum super óculos ejus, et dixit ei: Vade, lava in natatória Síloë (quod interpretátur Missus). Abiit ergo, et lavit, et venit videns. Itaque vicíni, et qui víderant eum prius, quia mendícus erat, dicébant: Nonne hic est, qui sedébat, et mendicábat? Alii dicébant: Quia hic est. Alii autem: Nequáquam, sed símilis est ei. Ille vero dicébat: Quia ego sum. Dicébant ergo ei: Quómodo apérti sunt tibi óculi? Respóndit: Ille homo, qui dícitur Jesus, lutum fecit, et unxit óculos meos, et dixit mihi: Vade ad natatória Síloë, et lava. Et ábii, lavi, et vídeo. Et dixérunt ei: Ubi est ille? Ait: Néscio. Addúcunt eum ad pharisǽos, qui cæcus fúerat. Erat autem sábbatum, quando lutum fécit Jesus, et apéruit óculos ejus. Iterum ergo interrogábant eum pharisǽi, quómodo vidísset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi pósuit super óculos, et lavi, et vídeo. Dicébant ergo ex pharisǽis quidam: Non est hic homo a Deo, qui sábbatum non custódit. Alii autem dicébant: Quómodo potest homo peccátor hæc signa fácere? Et schisma erat inter eos. Dicunt ergo cæco íterum: Tu quid dicis de illo, qui apéruit óculos tuos? Ille autem dixit: Quia prophéta est. Non credidérunt ergo Judǽi de illo, quia cæcus fuísset, et vidísset, donec vocavérunt paréntes ejus, qui víderat: et interrogavérunt eos, dicéntes: Hic est fílius vester, quem vos dícitis, quia cæcus natus est? Quómodo ergo nunc videt? Respondérunt eis paréntes ejus, et dixérunt: Scimus, quia hic est fílius noster, et quia cæcus natus est: quómodo autem nunc vídeat, nescímus: aut quis ejus apéruit óculos, nos nescímus: ipsum interrogáte, ætátem habet, ipse de se loquátur. Hæc dixérunt paréntes ejus, quóniam timébant Judǽos: jam enim conspiráverant Judǽi, ut si quis eum confiterétur esse Christum, extra synagógam fíeret. Proptérea paréntes ejus dixérunt: Quia ætátem habet, ipsum interrogáte. Vocavérunt ergo rursum hómi-

nem, qui fúerat cæcus, et dixérunt ei: Da glóriam Deo. Nos scimus quia hic homo peccátor est. Dixit ergo eis ille: Si peccátor est, néscio: unum scio, quia cæcus cum essem, modo video. Dixérunt ergo illi: Quid fecit tibi? quómodo apéruit tibi óculos? Respóndit eis: Dixi vobis jam, et audístis: quid íterum vultis audíre? Numquid et vos vultis discípuli ejus fíeri? Maledixérunt ergo ei, et dixérunt: Tu discípulus illíus sis: nos autem Móysi discípuli sumus. Nos scimus quia Móysi locútus est Deus: hunc autem nescímus unde sit. Respóndit ille homo, et dixit eis: In hoc enim mirábile est, quia vos nescítis unde sit, et apéruit meos óculos: scimus autem quia peccatóres Deus non audit: sed, si quis Dei cultor est, et voluntátem ejus facit, hunc exáudit. A sǽculo non est audítum, quia quis apéruit óculos cæci nati. Nisi esset hic a Deo, non póterat fácere quidquam. Respondérunt, et dixérunt ei: In peccátis natus es totus, et tu doces nos? Et ejecérunt eum foras. Audívit Jesus quia ejecérunt eum foras, et cum invenísset eum, dixit ei: Tu credis in Fílium Dei? Respóndit ille, et dixit: Quis est, Dómine, ut credam in eum? Et dixit ei Jesus: Et vidísti eum, et qui lóquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo, Dómine. (Hic genuflectitur). Et prócidens adorávit eum.

Offertorium Ps. 65, 8-9 et 20 Benedícite, gentes, Dóminum Deum nostrum, et obaudíte vocem laudis ejus: qui pósuit ánimam meam ad vitam, et non dedit commovéri pedes meos: benedíctus Dóminus, qui non amóvit deprecatiónem meam, et misericórdiam suam a me.

Secreta

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut his sacrifíciis peccáta nostra mundéntur; quia tunc veram nobis tríbuis et mentis et córporis sanitátem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Joann. 9, 11 Lutum fecit ex sputo Dóminus, et linívit óculos meos: et ábii, et lavi, et vidi, et crédidi Deo.

Postcommunio

Sacraménta, quæ súmpsimus, Dómine, Deus noster: et spirituálibus nos rópleant aliméntis, et corporálibus tueántur auxíliis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium: et, ut peténtibus desideráta concédas, fac eos, quæ tibi sunt plácita postuláre. Per Dóminum.

Feria Quinta

Introitus **Ps. 104, 3-4**

Lætétur cor quæréntium Dóminum: quǽrite Dóminum, et confirmámini: quǽrite fáciem ejus semper. ℣. Ps. ibid., 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Glória Patri. Lætétur.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, quos jejúnia votíva castígant, ipsa quoque devótio sancta lætíficet; ut, terrénis afféctibus mitigátis, facílius cæléstia capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum.

4 Reg. 4, 25-38

In diébus illis: Venit múlier Sunamítis ad Eliséum in montem Carméli: cumque vidísset eam vir Dei e contra, ait ad Giézi, púerum suum: Ecce Sunamítis illa. Vade ergo in occúrsum ejus, et dic ei: Recte ne ágitur circa te, et circa virum tuum, et circa fílium tuum? Quæ respóndit: Recte. Cumque venísset ad virum Dei in montem, apprehéndit pedes ejus: et accéssit Giézi ut amovéret eam. Et ait homo Dei: Dimítte illam: ánima enim ejus in amaritúdine est, et Dóminus celávit a me, et non indicávit mihi. Quæ dixit illi: Numquid petívi fílium a dómino meo? Numquid non dixi tibi: Ne illúdas me? Et ille ait ad Giézi: Accínge lumbos tuos, et tolle báculum meum in manu tua, et vade. Si occúrrerit tibi homo, non salútes eum: et si salutáverit te quíspiam, non respóndeas illi: et pones báculum meum super fáciem púeri. Porro mater púeri ait: Vivit Dóminus, et vivit ánima tua, non dimíttam te. Surréxit ergo, et secútus est eam. Giézi autem præcésserat ante eos, et posúerat báculum super fáciem púeri, et non erat vox, neque sensus: reversúsque est in occúrsum ejus, et nuntiávit ei, dicens: Non surréxit puer. Ingréssus est ergo Eliséus domum, et ecce puer mórtuus jacébat in léctulo ejus: ingressúsque clausit óstium super se, et super púerum: et orávit ad Dóminum. Et ascéndit, et incúbuit super púerum: posuítque os suum super os ejus, et óculos suos super óculos ejus, et manus suas super manus ejus: et incurvávit se super eum: et calefácta est caro púeri. At ille revérsus, deambulávit in domo, semel huc atque illuc: et ascéndit et incúbuit super eum: et oscitávit puer sépties, aperuítque óculos. At ille vocávit Giézi, et dixit ei: Voca Sunamítidem hanc. Quæ vocáta ingréssa est ad eum. Qui ait: Tolle fílium tuum. Venit illa, et córruit ad pedes ejus, et adorávit super terram: tulítque fílium suum, et egréssa est, et Eliséus revérsus est in Gálgala.

Graduale Ps. 73, 20, 19 et 22 Réspice, Dómine, in testaméntum tuum: et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. ℣. Exsúrge, Dómine, júdica causam tuam: memor esto oppróbrii servórum tuórum.

Non dicitur Tractus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 5, 17-29

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Pater meus usque modo operátur, et ego óperor. Proptérea ergo magis quærébant eum Judǽi interfícere, quia non solum solvébat sábbatum, sed et Patrem suum dicébat Deum, æquálem se fáciens Deo. Respóndit ítaque Jesus, et dixit eis: Amen, amen dico vo-

bis: non potest Fílius a se fácere quidquam, nisi quod víderit Patrem faciéntem: quæcúmque enim ille fécerit, hæc et Fílius simíliter facit. Pater enim díligit Fílium, et ómnia demónstrat ei, quæ ipse facit: et majóra his demonstrábit ei ópera, ut vos mirémini. Sicut enim Pater súscitat mórtuos et vivíficat: sic et Fílius quos vult, vivíficat. Neque enim Pater júdicat quemquam: sed omne judícium dedit Fílio, ut omnes honoríficent Fílium, sicut honoríficant Patrem. Qui non honoríficat Fílium, non honoríficat Patrem qui misit illum. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam ætérnam, et in judícium non venit: sed tránsiit a morte in vitam. Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei: et qui audíerint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetipso: sic dedit et Fílio habére vitam in semetipso. Et potestátem dedit ei judícium fácere, quia Fílius hóminis est. Nolíte mirári hoc, quia véniet hora, in qua omnes qui in monuméntis sunt, áudient vocem Fílii Dei: et procédent qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ: qui vero mala egérunt, in resurrectiónem judícii.

Offertorium Ps. 69, 2, 3 et 4 Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur omnes, qui cógitant servis tuis mala.

Secreta

Purífica nos, miséricors Deus: ut Ecclésiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia múnera deferéntes, fiant expiátis méntibus gratióres. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra. 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 70, 16-17 et 18 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus: Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio

Cæléstia dona capiéntibus, quæsumus, Dómine: non ad judícium provenire patiáris, quæ fidélibus tuis ad remédium providísti. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra. 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Pópuli tui, Deus, institútor et rector, peccáta, quibus impugnátur, expélle: ut semper tibi plácitus, et tuo munímine sit secúrus. Per Dóminum.

Feria Sexta

Introitus Ps. 18, 15

Meditátio cordis mei in conspéctu tuo semper: Dómine, adjútor meus, et redémptor meus. ℣. Ps. ibid., 2 Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri. Meditátio.

Oratio

Deus, qui ineffabílibus mundum rénovas sacraméntis: præsta, quǽsumus: ut Ecclésia tua et ætérnis profíciat institútis, et temporá-

libus non destituátur auxíliis. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio libri Regum.
3 Reg. 17, 17-24

In diébus illis: Ægrotávit fílius mulíeris matrisfamílias, et erat languor fortíssimus, ita ut non remanéret in eo hálitus. Dixit ergo ad Elíam: Quid mihi et tibi, vir Dei? Ingréssus es ad me, ut rememoraréntur iniquitátes meæ, et interfíceres fílium meum? Et ait ad eam Elías; Da mihi fílium tuum. Tulítque eum de sinu ejus, et portávit in cœnáculum ubi ipse manébat, et pósuit super léctulum suum, et clamávit ad Dóminum, et dixit: Dómine, Deus meus, étiam ne víduam, apud quam ego utcúmque susténtor, afflixísti, ut interfíceres fílium ejus? Et expándit se, atque mensus est super púerum tribus vícibus, et clamávit ad Dóminum, et ait: Dómine, Deus meus, revertátur, óbsecro, ánima púeri hujus in víscera ejus. Et exaudívit Dóminus vocem Elíæ: et revérsa est ánima púeri intra eum, et revíxit. Tulítque Elías púerum, et depósuit eum de cœnáculo in inferiórem domum, et trádidit matri suæ, et ait illi: En vivit fílius tuus. Dixítque múlier ad Elíam: Nunc in isto cognóvi, quóniam vir Dei es tu, et verbum Dómini in ore tuo verum est.

Graduale Ps. 117, 8-9 Bonum est confídere in Dómino, quam confídere in hómine. ℣. Bonum est speráre in Dómino, quam speráre in princípibus.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 11, 1-45

In illo témpore: Erat quidam lánguens Lázarus a Bethánia, de castéllo Maríæ, et Marthæ soróris ejus. (María autem erat, quæ unxit Dóminum unguénto, et extérsit pedes ejus capíllis suis: cujus frater Lázarus infirmabátur). Misérunt ergo soróres ejus ad eum, dicéntes: Dómine, ecce quem amas infirmátur. Audiens autem Jesus, dixit eis: Infírmitas hæc non est ad mortem, sed pro glória Dei, ut glorificétur Fílius Dei per eam. Diligébat autem Jesus Martham, et sorórem ejus Maríam et Lázarum. Ut ergo audívit, quia infirmabátur, tunc quidem mansit in eódem loco duóbus diébus. Deinde post hæc dixit discípulis suis: Eámus in Judǽam íterum. Dicunt ei discípuli: Rabbi, nunc quærébant te Judǽi lapidáre, et íterum vadis illuc? Respóndit Jesus: Nonne duódecim sunt horæ diéi? Si quis ambuláverit in die, non offéndit, quia lucem hujus mundi videt: si autem ambuláverit

in nocte, offéndit, quia lux non est in eo. Hæc ait, et post hæc dixit eis: Lázarus amícus noster dormit: sed vado, ut a somno éxcitem eum. Dixérunt ergo discípuli ejus: Dómine, si dormit, salvus erit. Díxerat autem Jesus de morte ejus: illi autem putavérunt, quia de dormitióne somni díceret. Tunc ergo Jesus dixit eis maniféste: Lázarus mórtuus est: et gáudeo propter vos, ut credátis, quóniam non eram ibi: sed eámus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dícitur Dídymus, ad condiscípulos: Eámus et nos, ut moriámur cum eo. Venit itaque Jesus, et invénit eum quátuor dies jam in monuménto habéntem. (Erat autem Bethánia juxta Jerosólymam quasi stádiis quíndecim). Multi autem ex Judǽis vénerant ad Martham, et Maríam, ut consolaréntur eas de fratre suo. Martha ergo, ut audívit quia Jesus venit, occúrrit illi: María autem domi sedébat. Dixit ergo Martha ad Jesum: Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus: sed et nunc scio, quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resúrget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurréctio, et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis, qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti. Et cum hæc dixísset, ábiit, et vocávit Maríam sorórem suam siléntio, dicens: Magíster adest, et vocat te. Illa ut audívit, surgit cito, et venit ad eum: nondum enim vénerat Jesus in castéllum; sed erat adhuc in illo loco, ubi occúrrerat ei Martha. Judǽi ergo, qui erant cum ea in domo et consolabántur eam, cum vidíssent Maríam, quia cito surréxit, et éxiit, secúti sunt eam, dicéntes: Quia vadit ad monuméntum, ut ploret ibi. María ergo, cum venísset, ubi erat Jesus, videns eum, cécidit ad pedes ejus, et dicit ei: Dómine, si fuísses hic, non esset mórtuus frater meus. Jesus ergo, ut vidit eam plorántem, et Judǽos, qui vénerant cum ea, plorántes, infrémuit spíritu, et turbávit seípsum, et dixit: Ubi posuístis eum? Dicunt ei: Dómine, veni, et vide. Et lacrimátus est Jesus. Dixérunt ergo Judǽi: Ecce quómodo amábat eum. Quidam autem ex ipsis dixérunt: Non póterat hic, qui apéruit óculos cæci nati, fácere ut hic non morerétur? Jesus ergo rursum fremens in semetípso, venit ad monuméntum. Erat autem spelúnca, et lapis superpósitus erat ei. Ait Jesus: Tóllite lápidem. Dicit ei Martha soror ejus, qui mórtuus fúerat: Dómine, jam fœtet, quatriduánus est enim. Dicit ei Jesus: Nonne dixi tibi, quóniam si credíderis, vidébis glóriam Dei? Tulérunt ergo lápidem: Jesus autem, elevátis sursum óculis, dixit: Pater, grátias ago tibi, quóniam audísti me. Ego autem sciébam, quia semper me audis, sed propter pópulum, qui circúmstat, dixi: ut credant, quia tu me misísti. Hæc cum dixísset, voce magna clamávit: Lázare, veni foras. Et statim pródiit, qui fúerat mórtuus, ligátus pedes et manus ínstitis, et fácies illíus sudário

erat ligáta. Dixit eis Jesus: Sólvite eum, et sínite abíre. Multi ergo ex Judǽis, qui vénerant ad Maríam, et Martham, et víderant quæ fecit Jesus, credidérunt in eum.

Offertorium Ps. 17, 28 et 32 Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine, et óculos superbórum humiliábis: quóniam quis Deus præter te, Dómine?

Secreta

Múnera nos, Dómine, quǽsumus, obláta puríficent: et te nobis júgiter fáciant esse placátum. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Joann. 11, 33, 35, 43, 44 et 39 Videns Dóminus flentes soróres Lázari ad monuméntum, lacrimátus est coram Judǽis, et exclamávit: Lázare, veni foras: et pródiit ligátis mánibus et pédibus, qui fúerat quatriduánus mórtuus.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine: participátio Sacraménti; et a própriis reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápite vestra Deo.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui infirmitátis nostræ cónscii, de tua virtúte confídimus, sub tua semper pietáte gaudeámus. Per Dóminum.

Sabbato

Introitus Isai. 55, 1

Sitiéntes, veníte ad aquas, dicit Dóminus: et qui non habétis prétium, veníte, et bíbite cum lætítia. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Sitiéntes.

Oratio

Fiat, Dómine, quǽsumus, per grátiam tuam fructuósus nostræ devotiónis afféctus: quia tunc nobis próderunt suscépta jejúnia, si tuæ sint plácita pietáti. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 64.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 49, 8-15

Hæc dicit Dóminus: In témpore plácito exaudívi te, et in die salútis auxiliátus sum tui: et servávi te, et dedi te in fœdus pópuli, ut suscitáres terram, et possidéres hereditátes dissipátas: ut díceres his, qui vincti sunt: Exíte: et his, qui in ténebris: Revelámini. Super vias pascéntur, et in ómnibus planis páscua eórum. Non esúrient, neque sitient, et non percútiet eos æstus et sol: quia miserátor eórum reget eos, et ad fontes aquárum potábit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et sémitæ meæ exaltabúntur. Ecce isti de longe vénient, et ecce illi ab aquilóne et mari, et isti de terra austráli. Laudáte, cæli, et exsúlta, terra; jubiláte, montes, laudem: quia consolátus est Dóminus pópulum suum, et páuperum suórum mise-

rébitur. Et dixit Sion: Derelíquit me Dóminus, et Dóminus oblítus est mei. Numquid oblivísci potest múlier infántem suum, ut non misereátur fílio úteri sui? et si illa oblíta fúerit, ego tamen non oblivíscar tui, dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 9, 14 et 1-2 Tibi, Dómine, derelíctus est pauper: pupíllo tu eris adjútor. ℣. Ut quid, Dómine, recessísti longe, déspicis in opportunitátibus, in tribulatióne? dum supérbit ímpius, incénditur pauper.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 8, 12-20

In illo témpore: Locútus est Jesus turbis Judæórum, dicens: Ego sum lux mundi: qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ. Dixérunt ergo ei pharisǽi: Tu de teípso testimónium pérhibes: testimónium tuum non est verum. Respóndit Jesus, et dixit eis: Et si ego testimónium perhíbeo de meípso, verum est testimónium meum: quia scio unde veni, et quo vado: vos autem nescítis unde vénio, aut quo vado. Vos secúndum carnem judicátis: ego non júdico quemquam: et si júdico ego, judícium meum verum est, quia solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duórum hóminum testimónium verum est. Ego sum, qui testimónium perhíbeo de meípso: et testimónium pérhibet de me, qui misit me, Pater. Dicébant ergo ei: Ubi est Pater tuus? Respóndit Jesus: Neque me scitis, neque Patrem meum: si me sciretis, fórsitan et Patrem meum sciretis. Hæc verba locútus est Jesus in gazophylácio, docens in templo: et nemo apprehéndit eum, quia necdum vénerat hora ejus.

Offertorium Ps. 17, 3 Factus est Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus: et sperábo in eum.

Secreta

Oblatiónibus nostris, quǽsumus, Dómine, placáre suscéptis: et ad te nostras étiam rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 66.
Præfatio de Quadragesima.

Communio Ps. 22, 1-2 Dóminus regit me, et nihil mihi déerit: in loco páscuæ ibi me collocávit: super aquam refectiónis educávit me.

Postcommunio

Tua nos, quǽsumus, Dómine, sancta puríficent: et operatióne sua tibi plácitos esse perfíciant. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 66.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Deus, qui sperántibus in te miseréri pótius éligis, quam irásci: da nobis digne flere mala, quæ fécimus; ut tuæ consolatiónis grátiam inveníre mereámur. Per Dóminum.



DOMINICA DE PASSIONE

¶ Ab hac Dominica usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive, in Missis de Tempore non dicitur Psalmus Júdica ante Confessionem, neque Glória Patri ad Introitum, post Psalmum Lavábo et, ad Aspersionem Aquæ benedictæ, post Psalmum Miserére.

Introitus Ps. 42, 1-2

Júdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta: ab hómine iníquo, et dolóso éripe me: quia tu es Deus meus, et fortitúdo mea. ℣. Ps. ibid., 3 Emitte lucem tuam, et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua. Júdica me.

Oratio

Quǽsumus, omnípotens Deus, famíliam tuam propítius réspice: ut, te largiénte, regátur in córpore; et, te servánte, custodiátur in mente. Per Dóminum.

¶ Ab hac die usque ad Sabbatum in Albis inclusive, Oratio pro Temporum diversitate assignata erit sequens:

2ª contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Vel 2ª pro Papa **Oratio**

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Non dicitur tertia Oratio: et, ab hac die usque ad Dominicam in Albis inclusive, nulla fit alia Commemoratio in Missis de Dominica et de Feria.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 9, 11-15

Fratres: Christus assístens pón-tifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis: neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis; quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo novi Testaménti mediátor est: ut, morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri Testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt, ætérnæ hereditátis, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 142, 9 et 10 Eripe me, Dómine, de inimícis meis: doce me fácere voluntátem tuam. ℣. Ps. 17, 48-49 Liberátor meus, Dómine, de géntibus iracúndis: ab insurgéntibus in me exaltábis me: a viro iníquo erípies me.

Tractus Ps. 128, 1-4 Sæpe expugnavérunt me a juventúte mea. ℣. Dicat nunc Israël: sæpe expugnavérunt me a juventúte mea. ℣. Etenim non potuérunt mihi: supra dorsum meum fabricavérunt peccatóres. ℣. Prolongavérunt iniquitátes suas: Dóminus justus concídit cervíces peccatórum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 8, 46-59

In illo témpore: Dicébat Jesus turbis Judæórum: Quis ex vobis árguet me de peccáto? Si veritátem dico vobis, quare non créditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit. Proptérea vos non audítis, quia ex Deo non estis. Respondérunt ergo Judǽi, et dixérunt ei: Nonne bene dícimus nos, quia Samaritánus es tu, et dæmónium habes? Respóndit Jesus: Ego dæmónium non hábeo, sed honorífico Patrem meum, et vos inhonorástis me. Ego autem non quæro glóriam meam: est qui quærat, et júdicet. Amen, amen dico vobis: si quis sermónem meum serváverit, mortem non vidébit in ætérnum. Dixérunt ergo Judǽi: Nunc cognóvimus quia dæmónium habes. Abraham mórtuus est, et prophétæ: et tu dicis: Si quis sermónem meum serváverit, non gustábit mortem in ætérnum. Numquid tu major es patre nostro Abraham, qui mórtuus est? et prophétæ mórtui sunt. Quem teípsum facis? Respóndit Jesus: Si ego glorífico meípsum, glória mea nihil est: est Pater meus, qui gloríficat me, quem vos dícitis quia Deus vester est, et non cognovístis eum: ego autem novi eum: et si díxero, quia non scio eum, ero símilis vobis, mendax. Sed scio eum: et sermónem ejus servo. Abraham pater vester exsultávit, ut vidéret diem meum: vidit, et gavísus est. Dixérunt ergo Judǽi ad eum: Quinquagínta annos nondum habes, et Abraham vidísti? Dixit eis Jesus:

Amen, amen dico vobis, ántequam Abraham fieret, ego sum. Tulérunt ergo lápides, ut jácerent in eum: Jesus autem abscóndit se, et exívit de templo.

Credo.

Offertorium Ps. 118, 17 et 107 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo: retríbue servo tuo: vivam, et custódiam sermónes tuos: vivífica me secúndum verbum tuum, Dómine.

Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, et víncula nostræ pravitátis absólvant, et tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. Per Dóminum.

2ª contra persecutores Ecclesiæ

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes; ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur, et mente. Per Dóminum.

Vel 2ª pro Papa — Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

¶ Præfatio de Cruce: quæ dicitur quotidie usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive, juxta Rubricas.

Communio 1 Cor. 11, 24 et 25 Hoc Corpus, quod pro vobis tradétur: hic calix novi Testaménti est in meo Sánguine, dicit Dóminus: hoc fácite, quotiescúmque súmitis, in meam commemoratiónem.

Postcommunio

Adésto nobis, Dómine Deus noster: et quos tuis mystériis recreásti, perpétuis defénde subsídiis. Per Dóminum.

2ª contra persecutores Ecclesiæ

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére; humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

Vel 2ª pro Papa

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper et múniat. Per Dóminum.

Feria Secunda

Introitus — Ps. 55, 2

Miserére mihi, Dómine, quóniam conculcávit me homo: tota die bellans tribulávit me. ℣. Ps. ibid., 3 Conculcavérunt me inimíci mei tota die: quóniam multi bellántes advérsum me. Miserére mihi.

Oratio

Sanctífica, quǽsumus, Dómine, nostra jejúnia: et cunctárum nobis indulgéntiam propítius largíre culpárum. Per Dóminum.

Altera Oratio, ut supra in Dominica Passionis, 128.

Léctio Jonæ Prophétæ.
Jonæ 3, 1-10

In diébus illis: Factum est verbum Dómini ad Jonam prophétam secúndo, dicens: Surge, et vade in Níniven civitátem magnam: et prǽdica in ea prædicatiónem, quam ego loquor ad te. Et surréxit Jonas, et ábiit in Níniven juxta verbum Dómini. Et Nínive erat cívitas magna, itínere trium diérum. Et cœpit Jonas introíre in civitátem itínere diéi uníus: et clamávit, et dixit: Adhuc quadragínta dies, et Nínive subvertétur. Et credidérunt viri Ninivítæ in Deum: et prædicavérunt jejúnium, et vestíti sunt saccis a majóre usque ad minórem. Et pervénit verbum ad regem Nínive: et surréxit de sólio suo, et abjécit vestiméntum suum a se, et indútus est sacco, et sedit in cínere. Et clamávit, et dixit in Nínive ex ore regis, et príncipum ejus, dicens: Hómines, et juménta, et boves, et pécora non gustent quidquam: nec pascántur, et aquam non bibant. Et operiántur saccis hómines, et juménta, et clament ad Dóminum in fortitúdine, et convertátur vir a via sua mala, et ab iniquitáte, quæ est in mánibus eórum. Quis scit, si convertátur, et ignóscat Deus: et revertátur a furóre iræ suæ, et non períbimus? Et vidit Deus ópera eórum, quia convérsi sunt de via sua mala: et misértus est pópulo suo Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 53, 4 et 3 Deus, exáudi oratiónem meam: áuribus pércipe verba oris mei. ℣. Deus, in nómine tuo salvum me fac, et in virtúte tua júdica me.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 7, 32-39

In illo témpore: Misérunt príncipes et pharisǽi minístros, ut apprehénderent Jesum. Dixit ergo eis Jesus: Adhuc módicum tempus vobíscum sum: et vado ad eum qui me misit. Quærétis me, et non inveniétis: et ubi ego sum, vos non potéstis veníre. Dixérunt ergo Judǽi ad semetípsos: Quo hic itúrus est, quia non inveniémus eum? numquid in dispersiónem géntium itúrus est, et doctúrus gentes? Quis est hic sermo, quem dixit: Quærétis me, et non inveniétis: et ubi sum ego, vos non potéstis veníre? In novíssimo autem die magno festivitátis stabat Jesus, et clamábat, dicens: Si quis sitit, véniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptúra, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum.

Offertorium Ps. 6, 5 Dómine, convértere, et éripe ánimam meam: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Secreta

Concéde nobis, Dómine Deus noster: ut hæc hóstia salutáris, et nostrórum fiat purgátio delictórum, et tuæ propitiátio majestátis. Per Dóminum.

Altera Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 23, 10 Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Postcommunio

Sacraménti tui, quǽsumus, Dómine, participátio salutáris, et purificatiónem nobis tríbuat, et medélam. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Da, quǽsumus, Dómine, pópulo tuo salútem mentis et córporis: ut bonis opéribus inhæréndo, tua semper mereátur protectióne deféndi. Per Dóminum.

Feria Tertia

Introitus Ps. 26, 14

Exspécta Dóminum, viríliter age: et confortétur cor tuum, et sústine Dóminum. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus illuminátio mea, et salus mea: quem timébo? Exspécta Dóminum.

Oratio

Nostra tibi, Dómine, quǽsumus, sint accépta jejúnia: quæ nos et expiándo grátia tua dignos effíciant; et ad remédia perdúcant ætérna. Per Dóminum.

Altera Oratio, ut supra, 128.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 14, 27 et 28-42

In diébus illis: Congregáti sunt Babylónii ad regem, et dixérunt ei: Trade nobis Daniélem, qui Bel destrúxit, et dracónem interfécit, alióquin interficiémus te, et domum tuam. Vidit ergo rex, quod irrúerent in eum veheménter: et necessitáte compúlsus trádidit eis Daniélem. Qui misérunt eum in lacum leónum, et erat ibi diébus sex. Porro in lacu erant leónes septem, et dabántur eis duo córpora quotídie, et duæ oves: et tunc non data sunt eis, ut devorárent Daniélem. Erat autem Hábacuc prophéta in Judǽa, et ipse cóxerat pulméntum, et intríverat panes in alvéolo: et ibat in campum, ut ferret messóribus. Dixítque Angelus Dómini ad Hábacuc: Fer prándium, quod habes, in Babylónem Daniéli, qui est in lacu leónum. Et dixit Hábacuc: Dómine, Babylónem non vidi, et lacum néscio. Et apprehéndit eum Angelus Dómini in vértice ejus, et portávit eum capíllo cápitis sui, posuítque eum in Babylóne supra lacum in ímpetu spíritus sui. Et clamávit Hábacuc, dicens: Dániel, serve Dei, tolle prándium, quod misit tibi Deus. Et ait Dániel: Recordátus es mei, Deus, et non dereliquísti diligéntes te. Surgénsque Dániel comédit. Porro Angelus Dómini restítuit Hábacuc conféstim in loco suo. Venit ergo rex die séptimo, ut lugéret Daniélem: et venit ad lacum, et introspéxit, et ecce Dániel sedens in médio leónum. Et exclamávit voce magna rex, dicens: Magnus es, Dómine Deus Daniélis. Et extráxit eum

de lacu leónum. Porro illos, qui perditiónis ejus causa fúerant, intromísit in lacum, et devoráti sunt in moménto coram eo. Tunc rex ait: Páveant omnes habitántes in univérsa terra Deum Daniélis: quia ipse est salvátor, fáciens signa, et mirabília in terra: qui liberávit Daniélem de lacu leónum.

Graduale Ps. 42, 1 et 3 Discérne causam meam, Dómine: ab hómine iníquo et dolóso éripe me. ℣. Emítte lucem tuam, et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 7, 1-13

In illo témpore: Ambulábat Jesus in Galilǽam, non enim volébat in Judǽam ambuláre, quia quærébant eum Judǽi interfícere. Erat autem in próximo dies festus Judæórum, Scenopégia. Dixérunt autem ad eum fratres ejus: Transi hinc, et vade in Judǽam, ut et discípuli tui vídeant ópera tua, quæ facis. Nemo quippe in occúlto quid facit, et quærit ipse in palam esse: si hæc facis, maniféstа teípsum mundo. Neque enim fratres ejus credébant in eum. Dicit ergo eis Jesus: Tempus meum nondum advénit: tempus autem vestrum semper est parátum. Non potest mundus odísse vos: me autem odit: quia ego testimónium perhíbeo de illo, quod ópera ejus mala sunt. Vos ascéndite ad diem festum hunc, ego autem non ascéndo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum implétum est. Hæc cum dixísset, ipse mansit in Galilǽa. Ut autem ascendérunt fratres ejus, tunc et ipse ascéndit ad diem festum non maniféste, sed quasi in occúlto. Judǽi ergo quærébant eum in die festo, et dicébant: Ubi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicébant: Quia bonus est. Alii autem dicébant: Non, sed sedúcit turbas. Nemo tamen palam loquebátur de illo, propter metum Judæórum.

Offertorium Ps. 9, 11-12 et 13 Sperent in te omnes, qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Dómino, qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus oratiónes páuperum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, deférimus immolándas: quæ temporálem consolatiónem nobis præbeant; ut de promíssis non desperémus ætérnis. Per Dóminum.

Altera Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 24, 22 Rédime me, Deus Israël, ex ómnibus angústiis meis.

Postcommunio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut quæ divína sunt, júgiter exsequéntes, donis mereámur cæléstibus propinquáre. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine: perseverántem in tua voluntáte famulátum; ut in diébus nostris, et mérito et número, pópulus tibi sérviens augeátur. Per Dóminum.

Feria Quarta

Introitus Ps. 17. 48-49

Liberátor meus de géntibus iracúndis: ab insurgéntibus in me exaltábis me; a viro iníquo erípies me, Dómine. Ps. ibid., 2-3 Díligam te, Dómine, virtus mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. Liberátor meus.

Oratio

Sanctificáto hoc jejúnio, Deus, tuórum corda fidélium miserátor illústra: et quibus devotiónis præstas afféctum, præbe supplicántibus pium benígnus audítum. Per Dóminum.

Altera Oratio, ut supra, 128.

Léctio libri Levítici.
Levit. 19, 1-2, 11-19 et 25

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere ad omnem cœtum filiórum Israël, et dices ad eos: Ego Dóminus Deus vester. Non faciétis furtum. Non mentiémini, nec decípiet unusquísque próximum suum. Non perjurábis in nómine meo, nec póllues nomen Dei tui. Ego Dóminus. Non fácies calúmniam próximo tuo: nec vi óppries eum. Non morábitur opus mercenárii tui apud te usque mane. Non maledíces surdo, nec coram cæco pones offendículum: sed timébis Dóminum Deum tuum, quia ego sum Dóminus. Non fácies quod iníquum est, nec injúste judicábis. Non consíderes persónam páuperis, nec honóres vultum poténtis. Juste júdica próximo tuo. Non eris criminátor, nec susúrro in pópulo. Non stabis contra sánguinem próximi tui. Ego Dóminus. Non óderis fratrem tuum in corde tuo, sed públice árgue eum, ne hábeas super illo peccátum. Non quæras ultiónem, nec memor eris injúriæ cívium tuórum. Díliges amícum tuum sicut teípsum. Ego Dóminus. Leges meas custodíte. Ego enim sum Dóminus Deus vester.

Graduale Ps. 29, 2-4 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Dómine Deus meus, clamávi ad te, et sanásti me: Dómine, abstraxísti ab ínferis ánimam meam, salvásti me a descendéntibus in lacum.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 10, 22-38

In illo témpore: Facta sunt Encǽnia in Jerosólymis: et hiems erat. Et ambulábat Jesus in templo, in pórticu Salomónis. Circumdedérunt ergo eum Judǽi, et dicébant ei: Quoúsque ánimam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respóndit eis Jesus: Loquor vobis, et

non créditis: Opera, quæ ego fácio in nómine Patris mei, hæc testimónium pérhibent de me: sed vos non créditis, quia non estis ex óvibus meis. Oves meæ vocem meam áudiunt: et ego cognósco eas, et sequúntur me et ego vitam ætérnam do eis: et non peribunt in ætérnum, et non rápiet eas quisquam de manu mea. Pater meus, quod dedit mihi, majus ómnibus est: et nemo potest rápere de manu Patris mei. Ego et Pater unum sumus. Sustulérunt ergo lápides Judǽi, ut lapidárent eum. Respóndit eis Jesus: Multa bona ópera osténdi vobis ex Patre meo, propter quod eórum opus me lapidátis? Respondérunt ei Judǽi: De bono ópere non lapidámus te, sed de blasphémia: et quia tu, homo cum sis, facis teípsum Deum. Respóndit eis Jesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi Scriptúra: quem Pater sanctificávit, et misit in mundum, vos dícitis: Quia blasphémas: quia dixi, Filius Dei sum? Si non fácio ópera Patris mei, nolíte crédere mihi. Si autem fácio, et si mihi non vultis crédere, opéribus crédite, ut cognoscátis, et credátis, quia Pater in me est, et ego in Patre.

Offertorium Ps. 58, 2 Eripe me de inimícis meis, Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me, Dómine.

Secreta

Annue, misericors Deus: ut hóstias placatiónis et laudis, sincéro tibi deferámus obséquio. Per Dóminum.

Altera Secreta, ut supra, 130.

Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 25, 6-7 Lavábo inter innocéntes manus meas, et circuíbo altáre tuum, Dómine: ut áudiam vocem laudis tuæ, et enárrem univérsa mirabília tua.

Postcommunio

Cæléstis doni benedictióne percépta: súpplices te, Deus omnípotens, deprecámur; ut hoc idem nobis et sacraménti causa sit, et salútis. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges; consuétæ misericórdiæ tribue benígnus efféctum. Per Dóminum.

Feria Quinta

Introitus Dan. 3, 31

Omnia, quæ fecísti nobis, Dómine, in vero judício fecísti: quia peccávimus tibi, et mandátis tuis non obedívimus: sed da glóriam nómini tuo, et fac nobíscum secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ. ℣. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. Omnia, quæ fecísti.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut dígnitas conditiónis humánæ per immoderántiam sauciáta, medicinális parsimóniæ stúdio reformétur. Per Dóminum.

Altera Oratio, ut supra, 128.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 3, 25 et 34-45

In diébus illis: Orávit Azarías Dóminum, dicens: Dómine Deus noster: ne, quǽsumus, tradas nos in perpétuum propter nomen tuum, et ne díssipes testaméntum tuum: neque áuferas misericórdiam tuam a nobis propter Abraham, diléctum tuum, et Isaac, servum tuum: et Israël, sanctum tuum: quibus locútus es, póllicens quod multiplicáres semen eórum sicut stellas cæli, et sicut arénam, quæ est in líttore maris: quia, Dómine, imminúti sumus plus quam omnes gentes, sumúsque húmiles in univérsa terra hódie propter peccáta nostra. Et non est in témpore hoc princeps, et dux, et prophéta, neque holocáustum, neque sacrifícium, neque oblátio, neque incénsum, neque locus primitiárum coram te, ut possímus inveníre misericórdiam tuam: sed in ánimo contríto, et spíritu humilitátis suscipiámur. Sicut in holocáusto aríetum, et taurórum, et sicut in míllibus agnórum pínguium: sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi: quóniam non est confúsio confidéntibus in te. Et nunc séquimur te in toto corde, et timémus te, et quǽrimus fáciem tuam. Ne confúndas nos: sed fac nobíscum juxta mansuetúdinem tuam, et secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ. Et érue nos in mirabílibus tuis, et da glóriam nómini tuo, Dómine: et confundántur omnes, qui osténdunt servis tuis mala, confundántur in omni poténtia tua: et robur eórum conterátur: et sciant, quia tu es Dóminus Deus solus, et gloriósus super orbem terrárum, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 95, 8-9 Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus; adoráte Dóminum in aula sancta ejus. ℣. Ps. 28, 9 Revelávit Dóminus condénsa: et in templo ejus omnes dicent glóriam.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 7, 40-53

In illo témpore: Cum audíssent quidam de turba sermónes Jesu, dicébant: Hic est vere prophéta. Alii dicébant: Hic est Christus. Quidam autem dicébant: Numquid a Galilǽa venit Christus? Nónne Scriptúra dicit: Quia ex sémine David, et de Béthlehem castéllo, ubi erat David, venit Christus? Dissénsio ítaque facta est in turba propter eum. Quidam autem ex ipsis volébant apprehéndere eum: sed nemo misit super illum manus. Venérunt ergo minístri ad pontífices et pharisǽos, et dixérunt eis illi: Quare non adduxístis eum? Respondérunt minístri: Nunquam sic locútus est homo, sicut hic lóquitur. Respondérunt ergo eis pharisǽi: Numquid et vos sedúcti estis? Numquid ex princípibus áliquis crédidit in eum, aut ex pharisǽis? Sed turba hæc, quæ non novit legem, maledícti sunt. Dixit Nicodémus ad eos, ille qui vénerat ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: Numquid lex nostra júdicat hóminem, nisi prius audíerit ab ipso, et cognóverit quid fáciat? Respondérunt et dixérunt ei: Numquid et tu Galilǽus

es? Scrutáre Scriptúras, et vide, quia a Galilǽa prophéta non surgit. Et revérsi sunt unusquisque in domum suam.

Offertorium Ps. 136, 1 Super flúmina Babylónis illic sédimus, et flévimus: dum recordarémur tui, Sion.

Secreta

Dómine Deus noster, qui in his pótius creatúris, quas ad fragilitátis nostræ subsídium condidísti, tuo quoque nómini múnera jussísti dicánda constítui: tríbue, quǽsumus; ut et vitæ nobis præséntis auxílium, et æternitátis effíciant sacraméntum. Per Dóminum.

Altera Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 118, 49-50 Meménto verbi tui servo tuo, Dómine, in quo mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Postcommunio

Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus: et de múnere temporáli, fiat nobis remédium sempitérnum. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Esto, quǽsumus, Dómine, propítius plebi tuæ: ut, quæ tibi non placent, respuéntes; tuórum pótius repleántur delectatiónibus mandatórum. Per Dóminum.



Feria Sexta

SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Introitus Joann. 19, 25

Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cleophæ, et Salóme, et María Magdaléne. ℣. Ibid., 26-27 Múlier, ecce fílius tuus: dixit Jesus; ad discípulum autem: Ecce mater tua. ℣. Glória Patri. Stabant juxta crucem.

Oratio

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósæ Vírginis et Matris Maríæ dolóris gládius pertransívit: concéde propítius; ut, qui transfixiónem ejus et passiónem venerándo recólimus, gloriósis méritis et précibus ómnium Sanctórum cruci fidéliter astántium intercedéntibus, passiónis tuæ efféctum felícem consequámur: Qui vivis.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas. In Missis Votivis dicatur sequens

Oratio

Intervéniat pro nobis, quæsumus, Dómine Jesu Christe: nunc, et in hora mortis nostræ, apud tuam cleméntiam beáta Virgo María Mater tua; cujus sacratíssimam ánimam in hora tuæ passiónis dolóris gládius pertransívit: Qui vivis.

Léctio libri Judith.
Judith 13, 22 et 23-25

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad nihilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum et terram: quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recé-

dat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, pro quibus non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, sed subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Graduale Dolorósa et lacrimábilis es, Virgo María, stans juxta crucem Dómini Jesu Fílii tui Redemptóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, hoc crucis fert supplícium, auctor vitæ factus homo.

Tractus Stabat sancta María, cæli Regína, et mundi Dómina, juxta crucem Dómini nostri Jesu Christi dolorósa. ℣. Thren. 1, 12 O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus.

In Missis votivis per Annum:

Graduale Dolorósa et lacrimábilis es, Virgo María, stans juxta crucem Dómini Jesu Fílii tui Redemptóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, hoc crucis fert supplícium, auctor vitæ factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Stabat sancta María, cæli Regína, et mundi Dómina, juxta crucem Dómini nostri Jesu Christi dolorósa. Allelúja.

In Missis votivis Tempore Paschali:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini, descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Thren. 1, 12 O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite, et vidéte, si est dolor sicut dolor meus. Allelúja.

Sequentia

in Missis votivis omittenda

Stabat Mater dolorósa
Juxta crucem lacrimósa,
Dum pendébat Fílius.

Cujus ánimam geméntem,
Contristátam et doléntem,
Pertransívit gládius.

O quam tristis et afflícta
Fuit illa benedícta
Mater Unigéniti!

Quæ mærébat, et dolébat,
Pia Mater, dum vidébat
Nati pœnas ínclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
In tanto supplício?

Quis non posset contristári,
Christi Matrem contemplári
Doléntem cum Fílio?

Pro peccátis suæ gentis
Vidit Jesum in torméntis,
Et flagéllis súbditum.

Vidit suum dulcem Natum
Moriéndo desolátum,
Dum emísit spíritum.

Eja Mater, fons amóris,
Me sentíre vim dolóris
Fac, ut tecum lúgeam.

Fac, ut árdeat cor meum
In amándo Christum Deum,
Ut sibi compláceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifíxi fige plagas
Cordi meo válide.

Tui Nati vulneráti,
Tam dignáti pro me pati,
Pœnas mecum dívide.

Fac me tecum pie flere
Crucifíxo condolére,
Donec ego víxero.

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociáre
In planctu desídero.

Virgo vírginum præclára,
Mihi jam non sis amára:
Fac me tecum plángere.

Fac, ut portem Christi mortem,
Passiónis fac consórtem,
Et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári,
Fac me cruce inebriári,
Et cruóre Fílii.

Flammis ne urar succénsus,
Per te, Virgo, sim defénsus
In die judícii.

Christe, cum sit hinc exíre,
Da per Matrem me veníre
Ad palmam victóriæ.

Quando corpus moriétur,
Fac, ut ánimæ donétur
Paradísi glória. Amen.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertorium Recordáre, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta

Offérimus tibi preces et hóstias, Dómine Jesu Christe, humíliter supplicántes: ut, qui Transfixiónem dulcíssimi spíritus beátæ Maríæ, Matris tuæ, précibus recensémus; suo, suorúmque sub cruce Sanctórum consórtium multiplicáto piíssimo intervéntu, méritis mortis tuæ, méritum cum beátis habeámus: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Transfixióne.

Communio Felíces sensus beátæ Maríæ Vírginis, qui sine morte meruérunt martýrii palmam sub cruce Dómini.

Postcommunio

Sacrifícia, quæ súmpsimus, Dómine Jesu Christe, Transfixiónem Matris tuæ et Vírginis devóte celebrántes: nobis ímpetrent apud cleméntiam tuam omnis boni salutáris efféctum: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Eadem Feria Sexta

Introitus Ps. 30, 10, 16 et 18

Miserére mihi, Dómine, quóniam tríbulor: líbera me, et éripe me de mánibus inimicórum meórum, et a persequéntibus me: Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te. ℣. Ps. ibid., 2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me. Miserére mihi, Dómine.

Oratio

Córdibus nostris, quǽsumus, Dómine, grátiam tuam benígnus infúnde: ut peccáta nostra castigatióne voluntária cohibéntes, temporáliter pótius macerémur, quam supplíciis deputémur ætérnis. Per Dñum.

Altera Oratio, ut supra, 128.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 17, 13-18

In diébus illis: Dixit Jeremías: Dómine, omnes qui te derelínquunt, confundéntur: recedéntes a te, in terra scribéntur: quóniam dereliquérunt venam aquárum vivéntium Dóminum. Sana me, Dómine, et sanábor: salvum me fac, et salvus ero: quóniam laus mea tu es. Ecce ipsi dicunt ad me: Ubi est verbum Dómini? Véniat. Et ego non sum turbátus, te pastórem sequens: et diem hóminis non desiderávi, tu scis. Quod egréssum est de lábiis meis, rectum in conspéctu tuo fuit. Non sis tu mihi formídini, spes mea tu in die afflictiónis. Confundántur, qui me persequúntur, et non confúndar ego: páveant illi, et non páveam ego. Induc super eos diem afflictiónis, et dúplici contritióne cóntere eos, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 34, 20 et 22 Pacífice loquebántur mihi inimíci mei: et in ira molésti erant mihi. ℣. Vidísti, Dómine, ne síleas: ne discédas a me.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 11, 47-54

In illo témpore: Collegérunt pontífices et pharisǽi concílium advérsus Jesum, et dicébant: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimíttimus eum sic, omnes credent in eum: et vénient Románi, et tollent nostrum locum, et gentem. Unus autem ex ipsis, Cáiphas nómine, cum esset póntifex anni illíus, dixit eis: Vos nescítis quidquam, nec cogitátis quia éxpedit vobis, ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat. Hoc autem a semetípso non dixit: sed cum esset póntifex anni illíus, prophetávit, quod Jesus moritúrus erat pro gente, et non tantum pro gente, sed ut fílios Dei, qui erant dispérsi, congregáret in unum. Ab illo ergo die cogitavérunt, ut interfícerent eum. Jesus ergo jam non in palam ambulábat apud Judǽos: sed ábiit in regiónem juxta desértum, in civitátem, quæ dícitur Ephrem, et ibi morabátur cum discípulis suis.

Offertorium Ps. 118, 12, 121 et 42 Benedíctus es, Dómine, doce me justificatiónes tuas; et non tradas calumniántibus me supérbis: et respondébo exprobrántibus mihi verbum.

Secreta

Præsta nobis, miséricors Deus: ut digne tuis servíre semper altáribus mereámur; et eórum perpétua participatióne salvári. Per Dóminum.

Altera Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 26, 12 Ne tradideris me, Dómine, in ánimas persequéntium me: quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Postcommunio

Sumpti sacrifícii, Dómine, perpétua nos tuítio non derelínquat: et nóxia semper a nobis cuncta depéllat. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui protectiónis tuæ grátiam quærimus, liberáti a malis ómnibus, secúra tibi mente serviámus. Per Dóminum.

Sabbato

Introitus Ps. 30, 10, 16 et 18

Miserére mihi, Dómine, quóniam tríbulor: líbera me, et éripe me de mánibus inimicórum meórum, et a persequéntibus me: Dómine, non confúndar, quóniam invocávi te. Ps. ibid., 2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me. Miserére mihi.

Oratio

Profíciat, quæsumus, Dómine, plebs tibi dicáta piæ devotiónis afféctu: ut sacris actiónibus erudíta, quanto majestáti tuæ fit grátior, tanto donis potióribus augeátur. Per Dóminum.

Altera Oratio, ut supra, 128.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 18, 18-23

In diébus illis: Dixérunt ímpii Judæi ad ínvicem: Veníte, et cogitémus contra justum cogitatiónes: non enim períbit lex a sacerdóte, neque consílium a sapiénte, nec sermo a prophéta: veníte, et percutiámus eum lingua, et non attendámus ad univérsos sermónes ejus. Atténde, Dómine, ad me, et audi vocem adversariórum meórum. Numquid rédditur pro bono malum, quia fodérunt fóveam ánimæ meæ? Recordáre, quod stéterim in conspéctu tuo, ut lóquerer pro eis bonum, et avérterem indignatiónem tuam ab eis. Proptérea da fílios eórum in famem, et deduc eos in manus gládii: fiant uxóres eórum absque líberis, et víduæ: et viri eárum interficiántur morte: júvenes eórum confodiántur gládio in prælio. Audiátur clamor de dómibus eórum: addúces enim super eos latrónem repénte: quia fodérunt fóveam, ut cáperent me, et láqueos abscondérunt pédibus meis. Tu autem, Dómine, scis omne consílium eórum advérsum me in mortem: ne propitiéris iniquitáti eórum, et peccátum eórum a fácie tua non deleátur. Fiant corruéntes in conspéctu tuo, in témpore furóris tui abútere eis, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 34, 20 et 22 Pacífice loquebántur mihi inimíci mei: et in ira molésti erant mihi. ℣. Vidísti, Dómine, ne síleas: ne discédas a me.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 6, 54-72

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vi-

tam ætérnam: et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Caro enim mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis qui de cælo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum. Hæc dixit in synagóga docens, in Caphárnaum. Multi ergo audiéntes ex discípulis ejus, dixérunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audíre? Sciens autem Jesus apud semetípsum, quia murmurárent de hoc discípuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalízat? Si ergo vidéritis Filium hóminis ascendéntem ubi erat prius? Spíritus est qui vivíficat: caro non prodest quidquam. Verba, quæ ego locútus sum vobis, spíritus et vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciébat enim ab inítio Jesus, qui essent credéntes, et quis traditúrus esset eum. Et dicébat: Proptérea dixi vobis, quia nemo potest veníre ad me, nisi fúerit ei datum a Patre meo. Ex hoc multi discipulórum ejus abiérunt retro: et jam non cum illo ambulábant. Dixit ergo Jesus ad duódecim: Numquid et vos vultis abíre? Respóndit ergo ei Simon Petrus: Dómine, ad quem ibimus? Verba vitæ ætérnæ habes: et nos crédimus et cognóvimus, quia tu es Christus Fílius Dei. Respóndit eis Jesus: Nonne ego vos duódecim elégi, et ex vobis unus diábolus est? Dicébat autem de Juda Simónis Iscariótis: hic enim erat traditúrus eum, cum esset unus ex duódecim.

Offertorium Ps. 118, 12, 121 et 42 Benedíctus es, Dómine, doce me justificatiónes tuas: et non tradas calumniántibus me supérbis: et respondébo exprobrántibus mihi verbum.

Secreta

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, reátibus et perículis propitiátus absólve: quos tanti mystérii tríbuis esse consórtes. Per Dóminum.

Altera Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 26, 12 Ne tradíderis me, Dómine, in ánimas persequéntium me: quóniam insurrexérunt in me testes iníqui, et mentíta est iníquitas sibi.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut hujus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Altera Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Tueátur, quǽsumus, Dómine, déxtera tua pópulum deprecántem: et purificátum dignánter erúdiat; ut consolatióne præsénti, ad futúra bona profíciat. Per Dóminum.



DOMINICA IN PALMIS

Primo a Sacrista ornetur Altare majus paramentis violaceis, et discooperiantur ipsius Imagines, usque ad exitum Processionis, et, in reditu illius, Altare et Imagines iterum cooperiantur sicut antea. Inter candelabra vero nec Imagines nec Reliquiaria serventur, et Altare, loco florum, ramis palmarum vel aliarum frondium, si palmæ desint, ornetur. Et, dicta Prima, præparetur Processio isto modo: Sacerdos induatur sacris Vestibus violacei coloris, Diaconus autem et Subdiaconus induantur Dalmaticis ejusdem coloris. adsint duo Thuriferarii, etiam Dalmaticis induti, qui cum Thuribulis et incenso Processionem redolere faciant: similiter et Cruciferarius, qui Crucem discoopertam deferat inter duos Ceroferarios, cereos accensos portantes. Et erunt sex cantores cum Cappis sericis, et sceptra tenentes, si officium sit in Metropolitana Ecclesia. In aliis vero, quatuor tantum cantores cum Cappis et sceptris. Si vero Pontifex ramos est benedicturus, induatur Vestibus sacris prædicti coloris, cum Cappa et Mitra simplici. Qui quidem Pontifex, sive Sacerdos, sic indutus, præeuntibus omnibus his ministris, vadat ad Cruciarium, ubi fit aspersio aquæ benedictæ, qua aspersione facta cum Antiphona Aspérges me, sine Glória Patri post Psalmum et cum Oratione Exáudi nos, Dómine sancte, ut moris est, processionaliter procedant cantantes sequens Responsorium:

℟. Joann. 11, 47-49 50 et 53 Collegérunt pontífices et pharisǽi concílium, et dixérunt: Quid fácimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: * Et vénient Románi, et tollent nostrum locum, et gentem. ℣. Unus autem ex illis, Cáiphas nómine, cum esset póntifex anni illíus, prophetávit dicens: Expedit vobis, ut unus moriátur homo pro pópulo, et non tota gens péreat. Ab illo ergo die cogitavérunt interfícere eum, dicéntes. Et vénient.

Et hoc Responsorium repetatur quoties expedierit, donec perveniatur ad

statutum locum benedictionis ramorum. Ad quem cum pervenerint, ille qui Crucem fert cum Ceroferariis ex utraque parte versa facie ad occidentem, stent ultra mensam (ad hoc prius a Sacrista præparatam) ubi collocantur rami olivæ et palmarum, si haberi possint: alioquin aliarum frondium ad benedicendum. Celebrans vero, cum Diacono et Subdiacono et aliis Ministris et Clero, ex adverso sedeant: et dicatur Tertia. Qua peracta, Subdiaconus accipiens librum, et ante pectus versus humerum sinistrum ambabus manibus ab inferiori parte illum tenens, facta reverentia Pontifici vel Sacerdoti, vadat ad sinistrum cornu, ubi legitur Epistola, et versus ad Crucem genuflectat: deinde assurgat et cantet Prophetiam, dicens:

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 62, 11-12 et 53, 1-7

Hæc dicit Dóminus Deus: Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo, et opus illíus coram eo. Et vocábunt eos, Pópulus sanctus, redémpti a Dómino. Tu autem vocáberis: Cívitas quæsíta, et non derelícta. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine virtútis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo: annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret: et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea: et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus quæ réddidit nobis Dóminus Deus noster.

Finita Prophetia, rursus Subdiaconus genuflectat, et redeat ad locum, in quo ante sedebat: et chorus cantet:

Philipp. 2, 8-9 Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Deinde Diaconus, accepta benedictione, et benedicto etiam incenso, oblato per Subdiaconum, accedat cum libro ad dextrum cornu mensæ, et, versa facie ad Aquilonem, incipiat Evangelium, dicens:

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Et, dum respondetur Glória tibi, Dómine, accipiat Thuribulum de manu Subdiaconi, et incenset librum ut moris est in Festis solemnibus, et reddat Thuribulum Subdiacono, deinde prosequatur:

Matth. 21, 1-9

In illo témpore: Cum appropinquásset Jesus Jerosólymis, et venísset Béthphage ad montem Olivéti: tunc misit duos discípulos suos, dicens

eis: Ite in castéllum, quod contra vos est, et statim inveniétis ásinam alligátam, et pullum cum ea: sólvite, et addúcite mihi: et, si quis vobis áliquid díxerit, dícite, Quia Dóminus his opus habet, et conféstim dimíttet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam, dicéntem: Dícite fíliæ Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuétus, sedens super ásinam et pullum, fílium subjugális. Eúntes autem discípuli, fecérunt sicut præcépit illis Jesus, et adduxérunt ásinam, et pullum: et imposuérunt super eos vestiménta sua, et eum désuper sedére fecérunt. Plúrima autem turba stravérunt vestiménta sua in via: álii autem cædébant ramos de arbóribus, et sternébant in via: turbæ autem, quæ præcedébant, et quæ sequebántur, clamábant, dicéntes: Hosánna fílio David: benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Finito Evangelio et osculato a Pontifice vel a Sacerdote, fiat sermo.

Postea Pontifex vel Sacerdos benedicat ramos, ordine sequenti, mediocri voce dicendo:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sǽculum.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

Deus, cujus Fílius pro salúte géneris humáni de cælo descéndit ad terras: et, appropinquánte hora passiónis suæ, Jerosólymam in ásino veníre, et a turbis Rex appellári ac laudári vóluit: bene ✠ dícere dignáre, hos palmárum ceterarúmve fróndium ramos: ut omnes, qui eos latúri sunt, ita benedictiónis tuæ dono repleántur: quátenus et in hoc sǽculo hostis antíqui tentaménta superáre, et in futúro cum palma victóriæ, et fructu bonórum óperum tibi váleant apparére. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus — Oratio

Omnípotens Jesu Christe, mundi Creátor et Redémptor, qui nostræ liberatiónis grátia ex summa cæli arce descéndere, carnémque súmere, et crucem subíre dignátus es: quique sponte própria, loco appropínquans passiónis, a turbis, cum ramis palmárum obviántibus, benedíci, laudári, et Rex benedíctus, in nómine Dómini véniens, clara voce appellári voluísti: tu nunc nostræ laudatiónis confessiónem acceptáre, et hos palmárum cæterarúmque ramos fróndium seu flores bene ✠ dícere dignéris: ut quicúmque in tuæ servitútis obséquio exínde áliquid túlerit, cælésti benedictióne sanctificátus, peccatórum remissiónem, et vitæ ætérnæ prǽmia percípere mereátur. Per te, Salvator noster: qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Orémus — Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui in dilúvio Noë fámulo tuo ostendísti per os colúmbæ, gestántis ra-

mum olívæ, pacem terræ rédditam fore: te súpplices deprecámur, ut hanc creatúram olívæ, quam ante conspéctum glóriæ tuæ offérimus, véritas tua sancti ✠ ficet: ut eam devótus pópulus in mánibus suscípiens, benedictiónis tuæ grátiam cónsequi mereátur. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus **Oratio**

Bone Redémptor Dómine, qui mansuéti animális tergo insídens, ad passiónem pro redemptióne nostra spontáneus appropínquans, te Regem regum et mortis triumphatórem ostendísti: cui humíliter, ad tolerándam pro nobis passiónem, veniénti ramis arbóreis certátim sternebátur: et a triumphatrícibus turbis cum voce laudis occurrebátur: quǽsumus divínam majestátem tuam: ut oris nostri confessiónem, atque corporális jejúnii humiliatiónem libens suscípias, et fructum nobis viriditátis habére concédas: ut, sicut illi tibi fuérunt óbviam cum ramis árborum egréssi: ita nos in secúndo tibi redeúnti advéntu cum palmis victóriæ mereámur occúrrere læti: Salvátor noster, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.


Orémus **Oratio**

Deus qui dispérsa cóngregas, et congregáta consérvas: qui pópulis tuis, óbviam Jesu Christo, Fílio tuo, veniéntibus et ramos palmárum portántibus, benedixísti: béne ✠ dic étiam et hos ramos palmæ et olívæ, cæterarúmve fróndium, quos fámuli tui ad honórem nóminis tui et benedictiónem fidéliter suscípiunt: ut in quemcúmque locum introdúcti fúerint, tuæ benedictiónis efféctum habitatóres loci illíus consequántur: et, omni advérsa valetúdine effugáta, déxtera tua prótegat quos redémit Jesus Christus Fílius tuus, Dóminus noster: Qui tecum vivit, et regnat, in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Deinde, alta voce, cantetur

Præfatio




mus ad Dómi-num. ℣. Grá-ti- as a-gámus Dómi-no De- o nostro.
℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum et justum est, æquum et
su-lu-tá-re nos ti-bi semper et u-bíque grá-ti- as á-ge-re:
Dómi-ne sancte, Pa- ter omní-po-tens, æ-térne De- us: Qui glo-
ri- á-ris in consí- li- o Sanctó-rum tu- ó-rum. Ti-bi e-nim sér-
vi- unt cre- a-tú-ræ tu- æ: qui- a te so-lum auctó-rem De- um et
gu-berna-tó-rem cognóscunt, et omnis factú-ra tu- a te colláudat,
et bene-di-cunt te Sancti tu- i. Qui- a il-lud magnum U-ni-gé-ni- ti
tu- i nomen co-ram ré-gi-bus et po-testá-ti-bus hu-jus sæcu-li



Hic cantetur **Sanctus**, in tono feriali a choro



Deinde Celebrans thus imponit et benedicit, et, accepto aspersorio, ramos ter aspergit aqua benedicta, proferens submissa voce Antiphonam **Aspérges me, Dómine** sine Psalmo; et, accepto Thuribulo, pari modo ramos ter simplici ductu, incensat, nihil dicens.

Postea dicat Celebrans mediocri voce:

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus — Oratio

Hæc tibi, Dómine, festa recolúntur, et ánnuis exácta currículis memorántur: in quibus infántium turbæ præcísas frondes árborum assuméntes, et in tuæ laudis trophǽo: Hosánna fílio David: benedíctus, qui venit in nómine Dómini, acclamántes occurrérunt: ut omnes gentes cognóscerent, et victóriam te le-

vásse de mundo, et de diábolo obtinuísse triúmphum. Præsta ígitur, Dómine: ut hujus diéi celebérrimum cultum præséntiæ tuæ sanctificatióne clarífices: ut, perféctis tibi sacris solémnibus, univérsa hæc plebs tua ad sanctam resurrectiónem tuam excubándo pervéniat. Hæc quoque creatúra árborum, olivárum, seu fróndium, una cum palmis, quam pópulus pro tuis láudibus suscipiéndam álacri devotióne éxpetit, a te, Dómine, ita benedicátur: ut quicúmque pia devotióne pro expelléndis languóribus, sive pro expugnándis hostis insídiis, in cunctas habitatiónes suas eam hinc portáverint, ab omni sint impugnatióne inimíci secúri: Ut cognóscant omnes, quia nomen tuum est gloriósum, Salvátor mundi, qui cum Deo Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde Celebrans ramos distribuat digniori de Clero, a quo ipse ramum accepit, et Ministris: et duo Presbyteri, ramos Canonicis, Beneficiatis et aliis, in suis manentibus locis, distribuant. Et interim a choro cantentur sequentes Antiphonæ:

Púeri Hebræórum, portántes ramos olivárum, obviavérunt Dómino, clamántes, et dicéntes: Hosánna in excélsis.

Alia Antiphona Púeri Hebræórum vestiménta prosternébant in via, et clamábant dicéntes: Hosánna fílio David: benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Quæ si non sufficiant, repetantur donec ramorum fiat distributio. Distributione vero facta, redeant processionaliter ad Ecclesiam, cantando Antiphonam sequentem:

Antiphona Matth. 21, 1-3, 7, 8 et 9

Cum appropinquásset Dóminus Jerosólymam, misit duos ex discípulis suis, dicens: Ite in castéllum, quod contra vos est: et inveniétis pullum ásinæ alligátum, super quem nullus hóminum sedit: sólvite, et addúcite mihi. Si quis vos interrogáverit, dícite: Opus Dómino est. Solvéntes adduxérunt ad Jesum: et imposuérunt illi vestiménta sua, et sedit super eum: álii expandébant vestiménta sua in via: álii ramos de arbóribus sternébant: et qui sequebántur, clamábant: Hosánna, benedíctus, qui venit in nómine Dómini: benedíctum regnum patris nostri David: Hosánna in excélsis: miserére nobis, fili David.

Deinde cantetur Antiphona Ave, Rex noster, incipiendo ter usque ad Redémptor mundi tantum. Et, ter genua flectentes in verbis Ave, Rex noster, in tertia vice prosequantur Antiphonam usque in finem.

Antiphona: Ave, Rex noster, Fili David, Redémptor mundi: quem Prophétæ prædicavérunt Salvatórem dómui Israël esse ventúrum. Te enim ad salutárem Víctimam Pater misit in mundum: quem expectábant omnes Sancti ab orígine mundi, et nunc Hosánna fílio David, benedíctus qui venit in nómine Dómini: Hosánna in excélsis.


Appropinquans igitur Processio ad ostium Ecclesiæ, subsistat eo ordine quo venit. Tum Pontifex vel Sacerdos cum Diacono et Subdiacono, et Cruce majori præcedente cum Ceroferariis, aliis Crucibus in suis locis remanen-

tibus, accedat prope ostium: ubi Minister Crucem majorem ferens, Crucifixi faciem versus occidentem vertat. Tum vero Pontifice vel Celebrante cum Diacono et Subdiacono ad Crucis dexteram constitutis, cantores aliquot Ecclesiam intrent, et clauso ejus ostio, versus Processionem, incipiant ℣. **Glória laus**, totum decantantes usque ad versum **Israël es tu Rex**, et Chorus repetat illud idem. Deinde, stantes intus, cantent versus infra sequentes omnes vel partem, secundum temporis dispositionem: et Chorus respondeat post quemlibet Versum, **Glória laus**, sicut a principio, ordine sequenti:

Stantes intus cantent Versum:




Celebrans vero cum reliquis, stantibus extra, repetant illud idem:




Stantes intus cantent Versum:




Stantes extra repetant Versum:



Stantes intus cantent Versum:




Cœ-tus in ex-cél- sis te laudat cǽ- li-cus omnis. Et mortá-




lis ho- mo et cuncta cre- á- ta simul.

Stantes extra repetant Versum:



Gló- ri- a, laus.

Stantes intus cantent Versum:




Plebs Hebrǽ- a ti- bi cum palmis óbvi- a ve-nit. Cum pre-ce,




vo-to, hymnis, ádsumus ec-ce ti- bi.

Stantes extra repetant Versum:




Gló- ri- a, laus.

Finito Glória laus, cum suis Versibus, Celebrans accipiat Crucem: et ligno ejus percutiat portam cantando:



At-tól-li- te portas, Prínci-pes, vestras: et e- le-vá-mi- ni, portæ



Stantes intus respondeant eodem tono:




Celebrans in eadem voce dicat:




Celebrans iterum percutiat portam: et, elevando gradatim altius vocem, dicat:






Stantes intus respondeant eodem tono:




Celebrans in eadem voce dicat:



Iterum celebrans percutiat portam: et, paulo altius elevans vocem, dicat:




Attól-li-te portas, Prínci-pes, vestras: et e-le-vá-mi-ni, portæ




æ-terná-les, et intro-í-bit Rex gló-ri-æ.

Stantes intus eodem tono respondeant ut prius:



Quis est i-ste Rex gló- ri-æ?

Celebrans in eadem voce dicat:



Dó-mi-nus vir-tú-tum ipse est Rex gló-ri-æ.

Quo finito, aperiantur valvæ Ecclesiæ, et foris stantes intrent Ecclesiam processionaliter, cantantes sequens

℟. Ingrediénte Dómino in sanctam civitátem, Hebræórum púeri resurrectiónem vitæ prænuntiábant, * Cum ramis palmárum Hosánna clamántes in excélsis. ℣. Cumque audíssent, quia venit Jesus Jerosólymam, exiérunt óbviam ei. Cum ramis.

Finita Processione, celebraturus redeat in Sacrarium cum Ministris, et depositis ornamentis solemnibus, induantur ornamentis violaceis, ad Missam celebrandam.

Introitus Ps. 21, 20 et 22

Dómine, ne longe fácias auxílium tuum a me, ad defensiónem meam áspice: líbera me de ore leónis, et a córnibus unicórnium humilitátem meam. Ps. ibid., 2 Deus Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? longe a salúte mea verba delictórum meórum. Dómine, ne longe.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum, Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem

subire fecisti: concéde propítius; ut, et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et dicitur hæc tantum Oratio, etiam si qua ad Laudes facta fuerit Commemoratio.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Phil. 2, 5-11

Fratres: Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu: qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum: et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: (hic genuflectitur) ut in nómine Jesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium, et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Graduale Ps. 72, 24 et 1-3 Tenuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me: et cum glória assumpsísti me. ℣. Quam bonus Israël Deus rectis corde! mei autem pene moti sunt pedes: pene effúsi sunt gressus mei: quia zelávi in peccatóribus, pacem peccatórum videns.

Tractus Ps. 21, 2-9, 18, 19, 22, 24 et 32 Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? ℣. Longe a salúte mea verba delictórum meórum. ℣. Deus meus, clamábo per diem, nec exáudies: in nocte, et non ad insipiéntiam mihi. ℣. Tu autem in sancto hábitas, laus Israël. ℣. In te speravérunt patres nostri: speravérunt, et liberásti eos.

Passio Domini absque benedictione dicatur, et sine luminaribus, et sine incenso; non dicatur Dóminus vobíscum, neque respondeatur Glória tibi, Dómine. Similiter fiat aliis diebus, quando legitur Passio: sed absolute Diaconus sine Dalmatica incipiat:

Pássio Dómini nostri Jesu Christi secúndum Matthæum.

Matth. 26, 1-75 et 27, 1-66

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: ✠ Scitis quia post bíduum Pascha fiet, et Fílius hóminis tradétur ut crucifigátur. C. Tunc congregáti sunt príncipes sacerdótum, et senióres pópuli in átrium príncipis sacerdótum, qui dicebátur Cáiphas: et consílium fecérunt ut Jesum dolo tenérent, et occíderent. Dicébant autem: S. Non in die festo, ne forte tumúltus fíeret in pópulo. C. Cum autem Jesus esset in Bethánia in domo Simónis lepрósi, accéssit ad eum múlier habens alabástrum unguénti pretiósi, et effúdit super caput ipsíus recumbéntis. Vidéntes autem discípuli, indignáti sunt, dicéntes: S. Ut quid perdítio hæc? pótuit enim istud venúmdari multo, et dari paupéribus. C. Sciens autem Jesus, ait illis: ✠ Quid moléstі estis huic mulíeri? opus enim bonum operáta est in me. Nam semper páuperes habétis vobíscum: me autem non semper habétis. Mittens enim hæc unguéntum hoc in corpus meum, ad sepeliéndum me fecit. Amen

dico vobis, ubicúmque prædicátum fúerit hoc Evangélium in toto mundo, dicétur et quod hæc fecit in memóriam ejus. C. Tunc ábiit unus de duódecim, qui dicebátur Judas Iscariótes, ad príncipes sacerdótum, et ait illis: S. Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? C. At illi constituérunt ei trigínta argénteos. Et exínde quærébat opportunitátem ut eum tráderet. Prima autem die azymórum accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: S. Ubi vis parémus tibi comédere pascha? C. At Jesus dixit: ✠ Ite in civitátem ad quemdam, et dícite ei: Magíster dicit: Tempus meum prope est, apud te fácio pascha cum discípulis meis. C. Et fecérunt discípuli, sicut constítuit illis Jesus, et paravérunt pascha. Véspere autem facto, discumbébat cum duódecim discípulis suis. Et edéntibus illis, dixit: ✠ Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditúrus est. C. Et contristáti valde, cœpérunt sínguli dícere: S. Numquid ego sum, Dómine? C. At ipse respóndens, ait: ✠ Qui intíngit mecum manum in parópside, hic me tradet. Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem hómini illi, per quem Fílius hóminis tradétur: bonum erat ei, si natus non fuísset homo ille. C. Respóndens autem Judas, qui trádidit eum, dixit: S. Numquid ego sum, Rabbi? C. Ait illi: ✠ Tu dixísti. C. Cœnántibus autem eis, accépit Jesus panem, et benedíxit, ac fregit, deditque discípulis suis, et ait: ✠ Accípite et comédite: Hoc est Corpus meum. C. Et accípiens cálicem, grátias egit: et dedit illis, dicens: ✠ Bíbite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effundétur in remissiónem peccatórum. Dico autem vobis: non bibam ámodo de hoc genímine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobíscum novum in regno Patris mei. C. Et, hymno dicto, exiérunt in montem Olivéti. Tunc dicit illis Jesus: ✠ Omnes vos scándalum patiémini in me, in ista nocte. Scriptum est enim: Percútiam pastórem, et dispergéntur oves gregis. Postquam autem resurréxero, præcédam vos in Galilæam. C. Respóndens autem Petrus, ait illi: S. Et si omnes scandalizáti fúerint in te, ego numquam scandalizábor. C. Ait illi Jesus: ✠ Amen dico tibi, quia in hac nocte, ántequam gallus cantet, ter me negábis. C. Ait illi Petrus: S. Etiam si oportúerit me mori tecum, non te negábo. C. Simíliter et omnes discípuli dixérunt. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dícitur Gethsémani, et dixit discípulis suis: ✠ Sedéte hic, donec vadam illuc, et orem. C. Et, assúmpto Petro, et duóbus fíliis Zebedæi, cœpit contristári, et mœstus esse. Tunc ait illis: ✠ Tristis est ánima mea usque ad mortem: sustinéte hic, et vigiláte mecum. C. Et progréssus pusíllum, prócidit in fáciem suam, orans, et dicens: ✠ Pater mi, si possíbile est, tránseat a me calix iste. Verúmtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. C. Et venit ad discípulos suos, et invénit eos dormiéntes: et dicit Petro: ✠ Sic non potuístis una hora vigiláre mecum? Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem.

Spíritus quidem promptus est, caro autem infírma. C. Iterum secúndo ábiit, et orávit, dicens: ✠ Pater mi, si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum, fiat volúntas tua. C. Et venit íterum, et invénit eos dormiéntes: erant enim óculi eórum graváti. Et relíctis illis, íterum ábiit, et orávit tértio, eúmdem sermónem dicens. Tunc venit ad discípulos suos, et dicit illis: ✠ Dormíte jam, et requiéscite: ecce appropinquávit hora, et Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. Súrgite, eámus: ecce appropinquávit qui me tradet. C. Adhuc eo loquénte, ecce Judas unus de duódecim venit, et cum eo turba multa cum gládiis, et fústibus, missi a princípibus sacerdótum, et senióribus pópuli. Qui autem trádidit eum, dedit illis signum dicens: S. Quemcúmque osculátus fúero, ipse est, tenéte eum. C. Et conféstim accédens ad Jesum, dixit: S. Ave, Rabbi. C. Et osculátus est eum. Dixítque illi Jesus: ✠ Amíce, ad quid venísti? C. Tunc accessérunt, et manus injecérunt in Jesum, et tenuérunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, exténdens manum, exémit gládium suum, et percútiens servum príncipis sacerdótum, amputávit aurículam ejus. Tunc ait illi Jesus: ✠ Convérte gládium tuum in locum suum. Omnes enim, qui accéperint gládium, gládio períbunt. An putas, quia non possum rogáre Patrem meum, et exhibébit mihi modo plus quam duódecim legiónes Angelórum? Quómodo ergo implebúntur Scriptúræ, quia sic opórtet fíeri? C. In illa hora dixit Jesus turbis: ✠ Tamquam ad latrónem exístis cum gládiis, et fústibus comprehéndere me: quotídie apud vos sedébam docens in templo, et non me tenuístis. C. Hoc autem totum factum est, ut adimpleréntur Scriptúræ prophetárum. Tunc discípuli omnes, relícto eo, fugérunt. At illi tenéntes Jesum, duxérunt ad Cáipham príncipem sacerdótum, ubi scribæ, et senióres convénerant. Petrus autem sequebátur eum a longe, usque in átrium príncipis sacerdótum. Et ingréssus intro, sedébat cum minístris, ut vidéret finem. Príncipes autem sacerdótum, et omne concílium, quærébant falsum testimónium contra Jesum, ut eum morti tráderent: et non invenérunt, cum multi falsi testes accessíssent. Novíssime autem venérunt duo falsi testes, et dixérunt: S. Hic dixit: Possum destrúere templum Dei, et post tríduum reædificáre illud. C. Et surgens princeps sacerdótum, ait illi: S. Nihil respóndes ad ea, quæ isti advérsum te testificántur? C. Jesus autem tacébat. Et princeps sacerdótum ait illi: S. Adjúro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus, Fílius Dei. C. Dicit illi Jesus: ✠ Tu dixísti. Verúmtamen dico vobis, ámodo vidébitis Fílium hóminis sedéntem a dextris virtútis Dei, et veniéntem in núbibus cæli. C. Tunc princeps sacerdótum scidit vestiménta sua, dicens: S. Blasphemávit: quid adhuc egémus téstibus? Ecce nunc audístis blasphémiam: quid vobis vidétur? C. At illi respondéntes, dixérunt: S. Reus est mortis. C. Tunc exspuérunt in fáciem ejus, et cólaphis eum cecidérunt, álii au-

tem palmas in fáciem ejus dedérunt, dicéntes: S. Prophetíza nobis, Christe, quis est qui te percússit? C. Petrus vero sedébat foris in átrio: et accéssit ad eum una ancílla, dicens: S. Et tu cum Jesu Galilǽo eras. C. At ille negávit coram ómnibus, dicens: S. Néscio quid dicis. C. Exeúnte autem illo jánuam, vidit eum ália ancílla, et ait his, qui erant ibi: S. Et hic erat cum Jesu Nazaréno. C. Et íterum negávit cum juraménto: Quia non novi hóminem. Et post pusíllum accessérunt qui stabant, et dixérunt Petro: S. Vere et tu ex illis es: nam et loquéla tua maniféstum te facit. C. Tunc cœpit detestári, et juráre quia non novísset hóminem. Et contínuo gallus cantávit. Et recordátus est Petrus verbi Jesu, quod díxerat: Priúsquam gallus cantet, ter me negábis. Et egréssus foras, flevit amáre. Mane autem facto, consílium iniérunt omnes príncipes sacerdótum, et senióres pópuli advérsus Jesum, ut eum morti tráderent. Et vinctum adduxérunt eum, et tradidérunt Póntio Piláto prǽsidi. Tunc videns Judas, qui eum trádidit, quod damnátus esset; pœniténtia ductus, rétulit trigínta argénteos princípibus sacerdótum, et senióribus, dicens: S. Peccávi, tradens sánguinem justum. C. At illi dixérunt: S. Quid ad nos? Tu víderis. C. Et projéctis argénteis in templo, recéssit: et ábiens, láqueo se suspéndit. Príncipes autem sacerdótum, accéptis argénteis, dixérunt: S. Non licet eos míttere in córbonam: quia prétium sánguinis est. C. Consílio autem ínito, emérunt ex illis agrum fíguli, in sepultúram peregrinórum. Propter hoc vocátus est ager ille, Hacéldama, hoc est, Ager sánguinis, usque in hodiérnum diem. Tunc implétum est, quod dictum est per Jeremíam prophétam, dicéntem: Et accepérunt trigínta argénteos prétium appretiáti, quem appretiavérunt a fíliis Israël: et dedérunt eos in agrum fíguli, sicut constítuit mihi Dóminus. Jesus autem stetit ante prǽsidem, et interrogávit eum præses, dicens: S. Tu es Rex Judæórum? C. Dicit illi Jesus: ✠ Tu dicis. C. Et cum accusarétur a princípibus sacerdótum, et senióribus, nihil respóndit. Tunc dicit illi Pilátus: S. Non audis quanta advérsum te dicunt testimónia? C. Et non respóndit ei ad ullum verbum, ita ut mirarétur præses veheménter. Per diem autem solémnem consuéverat præses pópulo dimíttere unum vinctum, quem voluíssent. Habébat autem tunc vinctum insígnem, qui dicebátur Barábbas. Congregátis ergo illis, dixit Pilátus: S. Quem vultis dimíttam vobis: Barábbam, an Jesum, qui dícitur Christus? C. Sciébat enim quod per invídiam tradidíssent eum. Sedénte autem illo pro tribunáli, misit ad eum uxor ejus, dicens: S. Nihil tibi, et justo illi: multa enim passa sum hódie per visum propter eum. C. Príncipes autem sacerdótum, et senióres persuasérunt pópulis, ut péterent Barábbam, Jesum vero pérderent. Respóndens autem præses ait illis: S. Quem vultis vobis de duóbus dimítti? C. At illi dixérunt: S. Barábbam. C. Dicit illis Pilátus: S. Quid ígitur fáciam de Jesu, qui dícitur Christus? C. Dicunt omnes:

S. Crucifigátur. C. Ait illis præses: S. Quid enim mali fecit? C. At illi magis clamábant, dicéntes: S. Crucifigátur. C. Videns autem Pilátus quia nihil profíceret, sed magis tumúltus fíeret: accépta aqua, lavit manus coram pópulo, dicens: S. Innocens ego sum a sánguine justi hujus: vos vidéritis. C. Et respóndens univérsus pópulus dixit: S. Sanguis ejus super nos, et super fílios nostros. C. Tunc dimísit illis Barábbam: Jesum autem flagellátum trádidit eis, ut crucifigerétur. Tunc mílites præsidis suscipiéntes Jesum in prætórium, congregavérunt ad eum univérsam cohórtem: et exuéntes eum, chlámydem coccíneam circumdedérunt ei: et plecténtes corónam de spinis, posuérunt super caput ejus, et arúndinem in déxtera ejus. Et genu flexo ante eum, illudébant ei, dicéntes: S. Ave, Rex Judæórum. C. Et exspuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus. Et postquam illusérunt ei, exuérunt eum chlámyde, et induérunt eum vestiméntis ejus, et duxérunt eum ut crucifígerent. Exeúntes autem, invenérunt hóminem Cyrenæum, nómine Simónem: hunc angariavérunt, ut tólleret crucem ejus. Et venérunt in locum qui dícitur Gólgotha, quod est Calváriæ locus. Et dedérunt ei vinum bíbere cum felle mixtum. Et cum gustásset, nóluit bíbere. Postquam autem crucifixérunt eum, divisérunt vestiménta ejus, sortem mitténtes: ut impleréfur, quod dictum est per Prophétam, dicéntem: Divisérunt sibi vestiménta mea, et super vestem meam misérunt sortem. Et sedéntes, servábant eum. Et imposuérunt super caput ejus causam ipsíus scriptam: Hic est Jesus, Rex Judæórum. Tunc crucifíxi sunt cum eo duo latrónes: unus a dextris, et unus a sinístris. Prætereúntes autem blasphemábant eum, movéntes cápita sua, et dicéntes: S. Vah, qui déstruis templum Dei, et in tríduo illud reædíficas: salva temetípsum. Si Fílius Dei es, descénde de cruce. C. Simíliter et príncipes sacerdótum illudéntes cum scribis et senióribus, dicébant: S. Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere: si Rex Israël est, descéndat nunc de cruce, et crédimus ei: confídit in Deo: líberet nunc, si vult eum; dixit enim: Quia Fílius Dei sum. C. Idípsum autem et latrónes, qui crucifíxi erant cum eo, improperábant ei. A sexta autem hora, ténebræ factæ sunt super univérsam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamávit Jesus voce magna, dicens: ✠ Eli, Eli, lamma sabactháni? C. Hoc est: ✠ Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? C. Quidam autem illic stantes, et audiéntes, dicébant: S. Elíam vocat iste. C. Et contínuo currens unus ex eis, accéptam spóngiam implévit acéto, et impósuit arúndini, et dabat ei bíbere. Céteri vero dicébant: S. Sine, videámus an véniat Elías líberans eum. C. Jesus autem, iterum clamans voce magna, emísit spíritum.

Statim qui legit Passionem cum palma manus dextræ percutiat librum, et tam ipse quam circumstantes genuflectant, et unusquisque dicat Orationem

Dominicam, vel Credo aut aliam brevem et devotam orationem submissa voce. Et hoc idem fiat in simili loco, quando in aliis diebus cantatur vel legitur Passio. Et, oratione finita, surgat et prosequatur.

Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deórsum: et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monuménta apérta sunt: et multa córpora Sanctórum, qui dormíerant, surrexérunt. Et exeúntes de monuméntis post resurrectiónem ejus, venérunt in sanctam civitátem, et apparuérunt multis. Centúrio autem, et qui cum eo erant, custodiéntes Jesum, viso terræmótu, et his, quæ fiébant, timuérunt valde, dicéntes: S. Vere Fílius Dei erat iste. C. Erant autem ibi mulíeres multæ a longe, quæ secútæ erant Jesum a Galilǽa, ministrántes ei: inter quas erat María Magdaléne, et María Jacóbi, et Joseph mater, et mater filiórum Zebedǽi. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathǽa, nómine Joseph, qui et ipse discípulus erat Jesu. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Tunc Pilátus jussit reddi corpus. Et accépto córpore, Joseph invólvit illud in síndone munda. Et pósuit illud in monuménto suo novo, quod excíderat in petra. Et advólvit saxum magnum ad óstium monuménti, et ábiit. Erat autem ibi María Magdaléne, et áltera María, sedéntes contra sepúlcrum.

Hic accipiat Diaconus Missae benedictionem pro dicendo Evangelio, et, accedentibus Ministris cum Cruce, luminaribus accensis, thuribulo thurificet librum: postea, sine Dóminus vobíscum et quin signet librum vel seipsum, absolute cantet sequens Evangelium: et, eo finito, deferatur osculandum: et similiter fiat in aliis diebus, quando cantatur Passio.

Altera autem die, quæ est post Parascéven, convenérunt príncipes sacerdótum, et pharisǽi ad Pilátum dicéntes: Dómine, recordáti sumus, quia sedúctor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resúrgam. Jube ergo custodíri sepúlcrum usque in diem tértium: ne forte véniant discípuli ejus, et furéntur eum, et dicant plebi: Surréxit a mórtuis: et erit novíssimus error pejor prióre. Ait illis Pilátus: Habétis custódiam, ite, custodíte sicut scitis. Illi autem abeúntes, muniérunt sepúlcrum, signántes lápidem, cum custódibus.

Credo.

Offertorium Ps. 68, 21-22 Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni: et dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Secreta

Concéde, quǽsumus, Dómine: ut óculis tuæ majestátis munus oblátum, et grátiam nobis devotiónis obtíneat, et efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio Matth. 26, 42 Pater, si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum: fiat volúntas tua.

Postcommunio

Per hujus, Dómine, operatiónem mystérii: et vítia nostra purgéntur, et justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

¶ In Missis privatis, legitur in fine Evangelium Cum appropinquásset Jesus, ut supra in benedictione Palmarum, 145.

Feria Secunda
Majoris Hebdomadæ

Introitus Ps. 34, 1-2

Júdica, Dómine, nocéntes me, expúgna impugnántes me: apprehénde arma, et scutum, et exsúrge in adjutórium meum, Dómine, virtus salútis meæ. ℣. Ps. ibid., 3 Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui persequúntur me: dic ánimæ meæ: Salus tua ego sum. Júdica, Dómine.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui in tot advérsis ex nostra infirmitáte defícimus; intercedénte unigéniti Filii tui passióne, respirémus: Qui tecum.

Alia Oratio, ut supra, 128.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 50, 5-10

In diébus illis: Dixit Isaías: Dóminus Deus apéruit mihi aurem, ego autem non contradíco: retrórsum non ábii. Corpus meum dedi percutiéntibus, et genas meas velléntibus: fáciem meam non avérti ab increpántibus, et conspuéntibus in me. Dóminus Deus auxiliátor meus, ídeo non sum confúsus: ídeo pósui fáciem meam, ut petram duríssimam, et scio, quóniam non confúndar. Juxta est, qui justíficat me, quis contradícet mihi? Stemus simul: quis est adversárius meus? Accédat ad me. Ecce Dóminus Deus auxiliátor meus: quis est qui condémnet me? Ecce omnes quasi vestiméntum conteréntur, tínea cómedet eos. Quis ex vobis timens Dóminum, áudiens vocem servi sui? Qui ambulávit in ténebris, et non est lumen ei, speret in nómine Dómini, et innitátur super Deum suum.

Graduale Ps. 34, 23 et 3 Exsúrge, Dómine, et inténde judício meo, Deus meus et Dóminus meus, in causam meam. ℣. Effúnde frámeam, et conclúde advérsus eos, qui me persequúntur.

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti sumus nimis. (Hic genuflectitur). ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 12, 1-36

Ante sex dies Paschæ venit Jesus Bethániam, ubi Lázarus fúerat mórtuus, quem suscitávit Jesus. Fecérunt autem ei cœnam ibi: et Martha ministrábat, Lázarus vero

unus erat ex discumbéntibus cum eo. María ergo accépit libram unguénti nardi pístici pretiósi, et unxit pedes Jesu, et extérsit pedes ejus capíllis suis: et domus impléta est ex odóre unguénti. Dixit ergo unus ex discípulis ejus, Judas Iscariótes, qui erat eum traditúrus: Quare hoc unguéntum non véniit trecéntis denáriis, et datum est egénis? Dixit autem hoc, non quia de egénis pertinébat ad eum, sed quia fur erat, et lóculos habens, ea, quæ mittebántur, portábat. Dixit ergo Jesus: Sínite illam, ut in diem sepultúræ meæ servet illud. Páuperes enim semper habétis vobíscum: me autem non semper habétis. Cognóvit ergo turba multa ex Judǽis, quia illic est: et venérunt, non propter Jesum tantum, sed ut Lázarum vidérent, quem suscitávit a mórtuis. Cogitavérunt autem príncipes sacerdótum: ut et Lázarum interfícerent: quia multi propter illum abíbant ex Judǽis, et credébant in Jesum. In crástinum autem turba multa, quæ vénerat ad diem festum, cum audíssent, quia venit Jesus Jerosólymam: accepérunt ramos palmárum, et processérunt óbviam ei, et clamábant: Hosánna, benedíctus, qui venit in nómine Dómini, Rex Israël. Et invénit Jesus aséllum, et sedit super eum, sicut scriptum est: Noli timére, fília Sion: ecce Rex tuus venit tibi, sedens super pullum ásinæ. Hæc non cognovérunt discípuli ejus primum: sed quando glorificátus est Jesus, tunc recordáti sunt quia hæc erant scripta de eo, et hæc fecérunt ei. Testimónium ergo perhibébat turba, quæ erat cum eo, quando Lázarum vocávit de monuménto, et suscitávit eum a mórtuis. Proptérea et óbviam venit ei turba: quia audiérunt eum fecísse hoc signum. Pharisǽi ergo dixérunt ad semetípsos: Vidétis quia nihil profícimus? Ecce totus mundus post eum ábiit. Erant autem quidam gentiles, ex his qui ascénderant, ut adorárent in die festo. Hi ergo accessérunt ad Philíppum, qui erat a Bethsáida Galilǽæ, et rogábant eum, dicéntes: Dómine, vólumus Jesum vidére. Venit Philíppus, et dicit Andréæ: Andréas rursum et Philíppus dixérunt Jesu. Jesus autem respóndit eis, dicens: Venit hora, ut clarificétur Fílius hóminis. Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti, cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus. Nunc ánima mea turbáta est. Et quid dicam? Pater, salvífica me ex hac hora. Sed proptérea veni in hanc horam. Pater, clarífica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo, dicens ei: Et clarificávi, et íterum clarificábo. Turba autem, quæ stabat et audíerat, dicébat tonítruum factum esse. Alii autem dicébant: Angelus ei locútus est. Respóndit Jesus, et dixit: Non propter me vox hæc venit, sed propter vos. Nunc

judícium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et ego, si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad me ipsum. Hoc autem dicébat, significans qua morte esset moritúrus. Respóndit ei turba: Nos audívimus ex lege, quia Christus manet in ætérnum: et quómodo tu dicis, Opórtet exaltári Fílium hóminis? Et quis est iste Fílius hóminis? Dixit ergo eis Jesus: Adhuc módicum lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habétis: ut ténebræ vos non comprehéndant: et qui ámbulat in ténebris, nescit quo vadat. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Haec locútus est eis Jesus: et ábiit, et abscóndit se ab eis.

Offertorium Ps. 142, 9-10 Eripe me de inimícis meis, Dómine: ad te confúgi, doce me fácere voluntátem tuam: quia Deus meus es tu.

Secreta

Hæc sacrifícia nos, omnípotens Deus, poténti virtúte mundátos, ad suum fáciant purióres veníre princípium. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 130.

Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 34, 26 Erubéscant, et revereántur simul, qui gratulántur malis meis: induántur pudóre et reveréntia, qui malígna loquúntur advérsus me.

Postcommunio

Præbeant nobis, Dómine, divínum tua sancta fervórem: quo eórum páriter, et actu delectémur, et fructu. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et ad benefícia recolénda, quibus nos instauráre dignátus es, tríbue veníre gaudéntes. Per Dóminum.

Feria Tertia
Majoris Hebdomadæ

Introitus Gal. 6, 14

Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti, et liberáti sumus. ℣. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. Nos autem.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus: da nobis ita Domínicæ passiónis sacraménta perágere; ut indulgéntiam percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Alia Oratio, ut supra, 128.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 2, 12-22

In diébus illis: Dixérunt ímpii apud semetípsos: Veníte, circumveniámus justum, quóniam inútilis est nobis, et contrárius est opéribus nostris: et impróperat nobis peccáta legis, et diffámat in nos peccáta disciplínæ nostræ. Promíttit se sciéntiam Dei habére, et fílium Dei se nóminat. Factus est nobis in traductiónem cogitatiónum nostrárum. Gravis est nobis, étiam ad vidéndum: quóniam dissímilis est áliis vita illíus,

et immutátæ sunt viæ ejus. Tamquam nugáces æstimáti sumus ab illo, et ábstinet se a viis nostris tamquam ab immundítiis: præfert novíssima justórum, et gloriátur Patrem se Deum habére. Videámus ergo si sermónes illíus veri sint, et tentémus quæ ventúra sunt illi: et sciémus quæ erunt novíssima illíus. Si enim est verus fílius Dei, suscípiet illum, et liberábit eum de mánibus contrariórum. Contumélia et torménto interrogémus eum: ut sciámus reveréntiam ejus, et probémus patiéntiam illíus. Morte turpíssima condemnémus eum: erit enim ei respéctus ex sermónibus illíus. Hæc cogitavérunt, et erravérunt: excæcávit enim illos malítia eórum. Et nesciérunt sacraménta Dei, neque mercédem speravérunt justítiæ, neque judicavérunt honórem animárum sanctárum.

Graduale Ps. 34, 13 et 1-2 Ego autem, dum mihi molésti essent, induébam me cilício, et humiliábam in jejúnio ánimam meam: et orátio mea in sinu meo convertétur. ℣. Júdica, Dómine, nocéntes me, expúgna impugnántes me: apprehénde arma, et scutum, et exsúrge in adjutórium mihi.

Non dicitur Tractus, et Passio dicitur ut supra, in Dominica Palmarum, 155.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi secúndum Marcum.

Marc. 14, 1-72 et 15, 1-46

In illo témpore: Erat Pascha, et ázyma post bíduum, et quærébant summi sacerdótes et scribæ, quómodo Jesum dolo tenérent et occíderent. Dicébant autem: S. Non in die festo, ne forte tumúltus fíeret in pópulo. C. Et cum esset Jesus Betlániæ in domo Simónis leprósi, et recúmberet: venit múlier, habens alabástrum unguénti nardi spicáti pretiósi, et, fracto alabástro, effúdit super caput ejus. Erant autem quidam indígne feréntes intra semetípsos, et dicéntes: S. Ut quid perdítio ista unguénti facta est? Póterat enim unguéntum istud venúmdari plus quam trecéntis denáriis, et dari paupéribus. C. Et fremébant in eam. Jesus autem dixit: ✠ Sínite eam: quid illi molésti estis? Bonum opus operáta est in me. Semper enim páuperes habétis vobíscum: et cum voluéritis, potéstis illis benefácere: me autem non semper habétis. Quod hábuit hæc, fecit: prævénit úngere corpus meum in sepultúram. Amen dico vobis: Ubicúmque prædicátum fúerit Evangélium istud in univérso mundo, et quod fecit hæc, narrábitur in memóriam ejus. C. Et Judas Iscariótes, unus de duódecim, ábiit ad summos sacerdótes, ut próderet eum illis. Qui audiéntes, gavísi sunt: et promisérunt ei pecúniam se datúros. Et quærébat quómodo illum opportúne tráderet. Et primo die azymórum quando pascha immolábant, dicunt ei discípuli: S. Quo vis eámus, et parémus tibi, ut mandúces pascha? C. Et mittit duos ex discípulis suis, et dicit eis: ✠ Ite in civitátem: et occúrret vobis homo lagénam aquæ bájulans, sequímini eum: et quocúmque introíerit, dícite dómino domus, quia magíster dicit: Ubi est reféctio mea, ubi pascha

cum discípulis meis mandúcem? Et ipse vobis demonstrábit cœnáculum grande, stratum: et illic paráte nobis. C. Et abiérunt discípuli ejus, et venérunt in civitátem: et invenérunt sicut díxerat illis, et paravérunt pascha. Véspere autem facto, venit cum duódecim. Et discumbéntibus eis, et manducántibus, ait Jesus: ✠ Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui mandúcat mecum. C. At illi cœpérunt contristári, et dícere ei singulátim: S. Numquid ego? C. Qui ait illis: ✠ Unus ex duódecim, qui intíngit mecum manum in catíno. Et Fílius quidem hóminis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem hómini illi, per quem Fílius hóminis tradétur. Bonum erat ei, si non esset natus homo ille. C. Et, manducántibus illis, accépit Jesus panem: et benedícens fregit, et dedit eis, et ait: ✠ Súmite, hoc est Corpus meum. C. Et accépto cálice, grátias agens dedit eis: et bibérunt ex illo omnes. Et ait illis: ✠ Hic est Sanguis meus novi testaménti, qui pro multis effundétur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genímine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. C. Et hymno dicto, exiérunt in montem Olivárum. Et ait eis Jesus: ✠ Omnes scandalizabímini in me in nocte ista: quia scriptum est: Percútiam pastórem, et dispergéntur oves. Sed postquam resurréxero, præcédam vos in Galilæam. C. Petrus autem ait illi: S. Et si omnes scandalizáti fúerint in te, sed non ego. C. Et ait illi Jesus: ✠ Amen dico tibi, quia tu hódie in nocte hac, priúsquam gallus vocem bis déderit, ter me es negatúrus. C. At ille ámplius loquebátur: S. Et si oportúerit me simul cómmori tibi, non te negábo. C. Simíliter autem et omnes dicébant. Et véniunt in prædium, cui nomen Gethsémani. Et ait discípulis suis: ✠ Sedéte hic donec orem. C. Et assúmit Petrum, et Jacóbum, et Joánnem secum: et cœpit pavére, et tædére. Et ait illis: ✠ Tristis est ánima mea usque ad mortem: sustinéte hic, et vigiláte. C. Et cum processísset páululum, prócidit super terram; et orábat, ut si fíeri posset, transíret ab eo hora: et dixit: ✠ Abba, Pater, ómnia tibi possibília sunt, transfer cálicem hunc a me: sed non quod ego volo, sed quod tu. C. Et venit, et invénit eos dormiéntes. Et ait Petro: ✠ Simon, dormis? non potuísti una hora vigiláre? Vigiláte, et oráte, ut non intrétis in tentatiónem. Spíritus quidem promptus est, caro vero infírma. C. Et íterum ábiens orávit, eúmdem sermónem dicens. Et revérsus, dénuo invénit eos dormiéntes (erant enim óculi eórum graváti) et ignorábant quid respondérent ei. Et venit tértio, et ait illis: ✠ Dormíte jam, et requiéscite. Súfficit: venit hora: ecce Fílius hóminis tradétur in manus peccatórum. Súrgite, eámus: ecce qui me tradet, prope est. C. Et, adhuc eo loquénte, venit Judas Iscariótes, unus de duódecim, et cum eo turba multa cum gládiis, et lignis, a summis sacerdótibus, et scribis, et senióribus. Déderat autem tráditor ejus signum eis, dicens: S. Quemcúmque osculátus fúero, ipse est, tenéte eum, et dúcite caute. C. Et cum venísset, sta-

tim accédens ad eum, ait: S. Ave, Rabbi. C. Et osculátus est eum. At illi manus injecérunt in eum, et tenuérunt eum. Unus autem quidam de circumstántibus, edúcens gládium, percússit servum summi sacerdótis: et amputávit illi auriculam. Et respóndens Jesus, ait illis: ✠ Tamquam ad latrónem exístis cum gládiis, et lignis comprehéndere me? quotídie eram apud vos in templo docens, et non me tenuístis. Sed ut impleántur Scriptúræ. C. Tunc discípuli ejus relinquéntes eum, omnes fugérunt. Adoléscens autem quidam sequebátur eum, amíctus síndone super nudo: et tenuérunt eum. At ille, rejécta síndone, nudus profúgit ab eis. Et adduxérunt Jesum ad summum sacerdótem: et convenérunt omnes sacerdótes, et scribæ, et senióres. Petrus autem a longe secútus est eum usque intro in átrium summi sacerdótis: et sedébat cum minístris ad ignem, et calefaciébat se. Summi vero sacerdótes, et omne concílium, quærébant advérsus Jesum testimónium, ut eum morti tráderent, nec inveniébant. Multi enim testimónium falsum dicébant advérsus eum: et conveniéntia testimónia non erant. Et quidam surgéntes, falsum testimónium ferébant advérsus eum, dicéntes: S. Quóniam nos audívimus eum dicéntem: Ego dissólvam templum hoc manufáctum, et per tríduum áliud non manufáctum ædificábo. C. Et non erat convéniens testimónium illórum. Et exsúrgens summus sacérdos in médium, interrogávit Jesum, dicens: S. Non respóndes quidquam ad ea, quæ tibi objiciúntur ab his? C. Ille autem tacébat, et nihil respóndit. Rursum summus sacérdos interrogábat eum, et dixit ei: S. Tu es Christus Fílius Dei benedícti? C. Jesus autem dixit illi: ✠ Ego sum: et vidébitis Fílium hóminis sedéntem a dextris virtútis Dei, et veniéntem cum núbibus cæli. C. Summus autem sacérdos scindens vestiménta sua, ait: S. Quid adhuc desiderámus testes? Audístis blasphémiam: quid vobis vidétur? C. Qui omnes condemnavérunt eum esse reum mortis. Et cœpérunt quidam conspúere eum, et veláre fáciem ejus, et cólaphis eum cædere et dícere ei: S. Prophetíza. C. Et minístri álapis eum cædébant. Et cum esset Petrus in átrio deórsum, venit una ex ancíllis summi sacerdótis, et cum vidísset Petrum calefaciéntem se, aspíciens illum, ait: S. Et tu cum Jesu Nazaréno eras. C. At ille negávit, dicens: S. Neque scio, neque novi quid dicas. C. Et éxiit foras ante átrium, et gallus cantávit. Rursus autem cum vidísset illum ancílla, cœpit dícere circumstántibus: Quia hic ex illis est. At ille íterum negávit. Et post pusíllum rursus qui astábant, dicébant Petro: S. Vere ex illis es: nam et Galilǽus es. C. Ille autem cœpit anathematizáre, et juráre: Quia néscio hóminem istum, quem dícitis. Et statim gallus íterum cantávit. Et recordátus est Petrus verbi, quod díxerat ei Jesus: Priúsquam gallus cantet bis, ter me negábis. Et cœpit flere. Et conféstim mane consílium faciéntes summi sacerdótes, cum senióribus, et scribis, et univérso concílio, vinciéntes Jesum, duxérunt, et

tradidérunt Piláto. Et interrogávit eum Pilátus: S. Tu es Rex Judæórum? C. At ille respóndens, ait illi: ✠ Tu dicis. C. Et accusábant eum summi sacerdótes in multis. Pilátus autem rursum interrogávit eum, dicens: S. Non respóndes quidquam? vide in quantis te accúsant. C. Jesus autem ámplius nihil respóndit, ita ut mirarétur Pilátus. Per diem autem festum solébat dimíttere illis unum ex vinctis, quemcúmque petíissent. Erat autem qui dicebátur Barábbas, qui cum seditiósis erat vinctus, qui in seditióne fécerat homicídium. Et cum ascendísset turba, cœpit rogáre, sicut semper faciébat illis. Pilátus autem respóndit eis, et dixit: S. Vultis dimíttam vobis Regem Judæórum? C. Sciébat enim quod per invídiam tradidíssent eum summi sacerdótes. Pontífices autem concitavérunt turbam, ut magis Barábbam dimítteret eis. Pilátus autem íterum respóndens, ait illis: S. Quid ergo vultis fáciam Regi Judæórum? C. At illi íterum clamavérunt: S. Crucifíge eum. C. Pilátus vero dicébat illis: S. Quid enim mali fecit? C. At illi magis clamábant: S. Crucifíge eum. C. Pilátus autem volens pópulo satisfácere, dimísit illis Barábbam, et trádidit Jesum flagéllis cæsum, ut crucifigerétur. Mílites autem duxérunt eum in átrium prætórii, et cónvocant totam cohórtem, et índuunt eum púrpura, et impónunt ei plecténtes spíneam corónam. Et cœpérunt salutáre eum: Ave, Rex Judæórum. Et percutiébant caput ejus arúndine: et conspuébant eum, et ponéntes génua, adorábant eum. Et postquam illusérunt ei, exuérunt illum púrpura, et induérunt eum vestiméntis suis: et edúcunt illum, ut crucifígerent eum. Et angariavérunt prætereúntem quémpiam, Simónem Cyrenæum, veniéntem de villa, patrem Alexándri et Rufi, ut tólleret crucem ejus. Et perdúcunt illum in Gólgotha locum, quod est interpretátum Calváriæ locus. Et dabant ei bíbere myrrhátum vinum: et non accépit. Et crucifigéntes eum, divisérunt vestiménta ejus, mitténtes sortem super eis, quis quid tólleret. Erat autem hora tértia: et crucifixérunt eum. Et erat títulus causæ ejus inscríptus: Rex Judæórum. Et cum eo crucifígunt duos latrónes: unum a dextris, et álium a sinístris ejus. Et impléta est Scriptúra, quæ dicit: Et cum iníquis reputátus est. Et prætereúntes blasphemábant eum, movéntes cápita sua, et dicéntes: S. Vah, qui déstruis templum Dei, et in tribus diébus reædíficas: salvum fac temetípsum, descéndens de cruce. C. Simíliter et summi sacerdótes illudéntes, ad altérutrum cum scribis dicébant: S. Alios salvos fecit, seípsum non potest salvum fácere. Christus Rex Israël descéndat nunc de cruce, ut videámus, et credámus. C. Et qui cum eo crucifíxi erant, convitiabántur ei. Et facta hora sexta, ténebræ factæ sunt per totam terram, usque in horam nonam. Et hora nona exclamávit Jesus voce magna, dicens: ✠ Eloi, Eloi, lamma sabactháni? C. Quod est interpretátum: ✠ Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquísti me? C. Et quidam de circumstántibus audiéntes, dicébant: S. Ecce, Elíam vocat. C. Cur-

rens autem unus, et implens spóngiam acéto, circumponénsque cálamo, potum dabat ei, dicens: S. Sínite, videámus si véniat Elías ad deponéndum eum. C. Jesus autem, emíssa voce magna, exspirávit. (Hic percutiat librum, genuflectatur, et pausetur aliquantulum, ut supra in Dominica Palmarum, 159). Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deórsum. Videns autem centúrio, qui ex advérso stabat, quia sic clamans exspirásset, ait: S. Vere hic homo Fílius Dei erat. C. Erant autem et mulíeres de longe aspiciéntes: inter quas erat María Magdaléne, et María Jacóbi minóris, et Joseph mater, et Salóme: et cum esset in Galilǽa, sequebántur eum, et ministrábant ei, et áliæ multæ, quæ simul cum eo ascénderant Jerosólymam.

Quod sequitur, cantatur in tono Evangelii: et alia fiunt ut supra in Dominica, 160.

Et cum jam sero esset factum (quia erat Parascéve, quod est ante sabbátum) venit Joseph ab Arimathǽa nóbilis decúrio, qui et ipse erat exspéctans regnum Dei, et audácter introívit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu. Pilátus autem mirabátur si jam obiísset. Et, accersíto centurióne, interrogávit eum si jam mórtuus esset. Et cum cognovísset a centurióne, donávit corpus Joseph. Joseph autem mercátus síndonem, et depónens eum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto, quod erat excísum de petra, et advólvit lápidem ad óstium monuménti.

Offertorium Ps. 139, 5 Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis éripe me.

Secreta

Sacrifícia nos, quǽsumus, Dómine, propénsius ista restáurent: quæ medicinálibus sunt institúta jejúniis. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 68, 13-14 Advérsum me exercebántur, qui sedébant in porta: et in me psallébant, qui bibébant vinum: ego vero oratiónem meam ad te, Dómine: tempus beneplácidi, Deus, in multitúdine misericórdiæ tuæ.

Postcommunio

Sanctificatiónibus tuis, omnípotens Deus: et vítia nostra curéntur, et remédia nobis sempitérna provéniant. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 130.

Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Tua nos misericórdia, Deus, et ab omni subreptióne vetustátis expúrget, et capáces sanctæ novitátis effíciat. Per Dóminum.

Feria Quarta
Majoris Hebdomadæ

Introitus Phil. 2, 10, 8 et 11

In nómine Jesu omne genu flectátur, cæléstium, terréstrium et infernórum: quia Dóminus factus est obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis:

ideo Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. ℣. Ps. 101, 2 Dómine, exáudi oratiónem meam: et clamor meus ad te véniat. In nómine.

Post Kýrie, eléison, non dicitur Dóminus vobíscum, sed solum: Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui nostris excéssibus incessánter afflígimur, per unigéniti Fílii tui passiónem liberémur: Qui tecum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 62, 11 et 63, 1-7

Hæc dicit Dóminus Deus: Dícite fíliæ Sion: Ecce Salvátor tuus venit: ecce merces ejus cum eo. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis véstibus de Bosra? Iste formósus in stola sua, grádiens in multitúdine fortitúdinis suæ. Ego, qui loquor justítiam, et propugnátor sum ad salvándum. Quare ergo rubrum est induméntum tuum, et vestiménta tua, sicut calcántium in torculári? Tórcular calcávi solus, et de géntibus non est vir mecum: calcávi eos in furóre meo, et conculcávi eos in ira mea: et aspérsus est sanguis eórum super vestiménta mea, et ómnia induménta mea inquinávi. Dies enim ultiónis in corde meo, annus redemptiónis meæ venit. Circumspéxi, et non erat auxiliátor: quæsívi, et non fuit qui adjuváret: et salvávit mihi bráchium meum, et indignátio mea ipsa auxiliáta est mihi. Et conculcávi pópulos in furóre meo, et inebriávi eos in indignatióne mea, et detráxi in terram virtútem eórum. Miseratiónum Dómini recordábor, laudem Dómini super ómnibus, quæ réddidit nobis, Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 68, 18 et 2-3 Ne avértas fáciem tuam a púero tuo, quóniam tríbulor: velóciter exáudi me. ℣. Salvum me fac, Deus, quóniam intravérunt aquæ usque ad ánimam meam: infíxus sum in limo profúndi et non est substántia.

Hic dicitur ℣. Dóminus vobíscum, Orémus, sine Flectámus génua.

Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concéde nobis fámulis tuis; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Alia Oratio, ut supra, 128.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 53, 1-12

In diébus illis: Dixit Isaías: Dómine, quis crédidit audítui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiénti: non est spécies ei, neque decor: et vídimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi abscónditus vultus ejus, et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo, et

humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus. Omnes nos quasi oves errávimus, unusquísque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est, quia ipse vóluit, et non apéruit os suum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de judício sublátus est: generatiónem ejus quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit, et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit. Ideo dispértiam ei plúrimos: et fórtium dívidet spólia, pro eo quod trádidit in mortem ánimam suam, et cum scelerátis reputátus est: et ipse peccáta multórum tulit, et pro transgressóribus rogávit.

Tractus Ps. 101, 2-5 et 14 Dómine, exáudi oratiónem meam, et clamor meus ad te véniat. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℣. Ne avértas fáciem tuam a me: in quacúmque die tríbulor, inclína ad me aurem tuam. Et clamor meus ad te véniat. ℣. In quacúmque die invocávero te, velóciter exáudi me. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℣. Quia defecérunt sicut fumus dies mei: et ossa mea sicut in frixório confríxa sunt. Et clamor meus ad te véniat. ℣. Percússus sum sicut fœnum, et áruit cor meum: quia oblítus sum manducáre panem meum. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℣. Tu exsúrgens, Dómine, miseréberis Sion: quia venit tempus miseréndi ejus.

Dicitur Passio sine Benedictione, ut supra in Dominica Palmarum, 155.

Pássio Dómini nostri Jesu Christi secúndum Lucam.

Luc. 22, 1-71 et 23, 1-53

In illo témpore: Appropinquábat dies festus azymórum, qui dícitur Pascha: et quærébant príncipes sacerdótum, et scribæ, quómodo Jesum interfícerent: timébant vero plebem. Intrávit autem sátanas in Judam, qui cognominabátur Iscariótes, unum de duódecim. Et ábiit, et locútus est cum princípibus sacerdótum, et magistrátibus, quemádmodum illum tráderet eis. Et gavísi sunt, et pacti sunt pecúniam illi dare. Et spopóndit. Et quærébat opportunitátem ut tráderet illum sine turbis. Venit autem dies azymórum, in qua necésse erat occídi pascha. Et misit Petrum, et Joánnem, dicens: ✠ Eúntes paráte nobis pascha, ut manducémus. C. At illi dixérunt: S. Ubi vis parémus? C. Et dixit ad eos: ✠ Ecce introëúntibus vobis in civitátem, occúrret vobis homo quidam ámphoram aquæ por-

tans: sequímini eum in domum, in quam intrat, et dicétis patrifamílias domus: Dicit tibi Magíster: Ubi est diversórium, ubi pascha cum discípulis meis mandúcem? Et ipse osténdet vobis cœnáculum magnum stratum, et ibi paráte. C. Eúntes autem invenérunt sicut dixit illis, et paravérunt pascha. Et cum facta esset hora, discúbuit, et duódecim Apóstoli cum eo. Et ait illis: ✠ Desidério desiderávi hoc pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. C. Et accépto cálice, grátias egit, et dixit: ✠ Accípite, et divídite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. C. Et, accépto pane, grátias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: ✠ Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiónem. C. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: ✠ Hic est calix novum testaméntum in Sánguine meo, qui pro vobis fundétur. Verúmtamen ecce manus tradéntis me, mecum est in mensa. Et quidem Fílius hóminis, secúndum quod definítum est, vadit: verúmtamen væ hómini illi, per quem tradétur. C. Et ipsi cœpérunt quǽrere inter se, quis esset ex eis, qui hoc factúrus esset. Facta est autem et conténtio inter eos, quis eórum viderétur esse major. Dixit autem eis: ✠ Reges géntium dominántur eórum: et qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Nam quis major est, qui recúmbit, an qui minístrat? nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum, sicut qui minístrat: vos autem estis, qui permansístis mecum in tentatiónibus meis. Et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis, et bibátis super mensam meam in regno meo: et sedeátis super thronos, judicántes duódecim tribus Israël. C. Ait autem Dóminus: ✠ Simon, Simon, ecce sátanas expetívit vos, ut cribráret sicut tríticum: ego autem rogávi pro te, ut non defíciat fides tua: et tu, aliquándo convérsus, confírma fratres tuos. C. Qui dixit ei: S. Dómine, tecum parátus sum et in cárcerem, et in mortem ire. C. At ille dixit: ✠ Dico tibi, Petre: Non cantábit hódie gallus, donec ter ábneges nosse me. C. Et dixit eis: ✠ Quando misi vos sine sácculo, et pera, et calceaméntis, numquid áliquid défuit vobis? C. At illi dixérunt: S. Nihil. C. Dixit ergo eis: ✠ Sed nunc, qui habet sácculum, tollat simíliter et peram: et qui non habet, vendat túnicam suam, et emat gládium. Dico enim vobis, quóniam adhuc hoc, quod scriptum est, opórtet impléri in me: Et cum iníquis deputátus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. C. At illi dixérunt: S. Dómine, ecce duo gládii hic. C. At ille dixit eis: ✠ Satis est. C. Et egréssus ibat secúndum consuetúdinem in montem Olivárum. Secúti sunt autem illum et discípuli. Et cum pervenísset ad locum, dixit illis: ✠ Oráte, ne intrétis in tentatiónem. C. Et ipse

avúlsus est ab eis quantum jactus est lápidis, et pósitis génibus orábat, dicens: ✠ Pater, si vis, transfer cálicem istum a me: verúmtamen non mea volúntas, sed tua fiat. C. Appáruit autem illi Angelus de cælo, confórtans eum. Et, factus in agonía, prolíxius orábat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sánguinis decurréntis in terram. Et cum surrexísset ab oratióne, et venísset ad discípulos suos, invénit eos dormiéntes præ tristítia. Et ait illis: ✠ Quid dormítis? súrgite, oráte, ne intrétis in tentatiónem. C. Adhuc eo loquénte, ecce turba: et qui vocabátur Judas, unus de duódecim, antecedébat eos: et appropinquávit Jesu, ut oscularétur eum. Jesus autem dixit illi: ✠ Juda, ósculo Fílium hóminis tradis? C. Vidéntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futúrum erat, dixérunt ei: S. Dómine, si percútimus in gládio? C. Et percússit unus ex illis servum príncipis sacerdótum, et amputávit aurículam ejus déxteram. Respóndens autem Jesus, ait: ✠ Sínite usque huc. C. Et cum tetigísset aurículam ejus, sanávit eum. Dixit autem Jesus ad eos, qui vénerant ad se, príncipes sacerdótum, et magistrátus templi, et senióres: ✠ Quasi ad latrónem exístis cum gládiis, et fústibus? Cum quotídie vobíscum fúerim in templo, non extendístis manus in me: sed hæc est hora vestra, et potéstas tenebrárum. C. Comprehendéntes autem eum, duxérunt ad domum príncipis sacerdótum: Petrus vero sequebátur a longe. Accénso autem igne in médio átrii, et circumsedéntibus illis, erat Petrus in médio eórum. Quem cum vidísset ancílla quædam sedéntem ad lumen, et eum fuísset intúita, dixit: S. Et hic cum illo erat. C. At ille negávit eum, dicens: S. Múlier, non novi illum. C. Et post pusíllum álius videns eum, dixit: S. Et tu de illis es. C. Petrus vero ait: S. O homo, non sum. C. Et intervállo facto quasi horæ uníus, álius quidam affirmábat, dicens: S. Vere et hic cum illo erat: nam et Galilæus est. C. Et ait Petrus: S. Homo, néscio quid dicis. C. Et contínuo adhuc illo loquénte cantávit gallus. Et convérsus Dóminus respéxit Petrum. Et recordátus est Petrus verbi Dómini, sicut díxerat: Quia priúsquam gallus cantet, ter me negábis. Et, egréssus foras, Petrus flevit amáre. Et viri, qui tenébant illum, illudébant ei, cædéntes. Et velavérunt eum, et percutiébant fáciem ejus: et interrogábant eum, dicéntes: S. Prophetíza, quis est, qui te percússit? C. Et ália multa blasphemántes dicébant in eum. Et ut factus est dies, convenérunt senióres plebis, et príncipes sacerdótum, et scribæ, et duxérunt illum in concílium suum, dicéntes: S. Si tu es Christus, dic nobis. C. Et ait illis: ✠ Si vobis díxero, non credétis mihi: si autem et interrogávero, non respondébitis mihi, neque dimittétis. Ex hoc autem erit Fílius hóminis sedens a dextris virtútis Dei. C. Dixérunt autem omnes: S. Tu ergo es Fílius Dei? C. Qui ait: ✠ Vos dícitis, quia ego sum. C. At illi dixérunt: S. Quid adhuc desiderámus testimónium? Ipsi enim audívimus de ore ejus. C. Et surgens omnis multitúdo

eórum, duxérunt illum ad Pilátum. Cœpérunt autem illum accusáre, dicéntes: S. Hunc invénimus subverténtem gentem nostram, et prohibéntem tribúta dare Cǽsari, et dicéntem se Christum regem esse. C. Pilátus autem interrogávit eum, dicens: S. Tu es Rex Judæórum? C. At ille respóndens, ait: ✠ Tu dicis. C. Ait autem Pilátus ad príncipes sacerdótum, et turbas: S. Nihil invénio causæ in hoc hómine. C. At illi invalescébant, dicéntes: S. Cómmovet pópulum, docens per univérsam Judǽam, incípiens a Galilǽa usque huc. C. Pilátus autem áudiens Galilǽam, interrogávit si homo Galilǽus esset. Et ut cognóvit quod de Heródis potestáte esset, remísit eum ad Heródem, qui et ipse Jerosólymis erat illis diébus. Heródes autem, viso Jesu, gavísus est valde. Erat enim cúpiens ex multo témpore vidére eum, eo quod audíerat multa de eo, et sperábat signum áliquod vidére ab eo fíeri. Interrogábat autem eum multis sermónibus. At ipse nihil illi respondébat. Stabant autem príncipes sacerdótum, et scribæ constánter accusántes eum. Sprevit autem illum Heródes cum exércitu suo: et illúsit indútum veste alba, et remísit ad Pilátum. Et facti sunt amíci Heródes et Pilátus in ipsa die: nam ántea inimíci erant ad ínvicem. Pilátus autem, convocátis princípibus sacerdótum, et magistrátibus, et plebe, dixit ad illos: S. Obtulístis mihi hunc hóminem, quasi averténtem pópulum, et ecce ego, coram vobis intérrogans, nullam causam invéni in hómine isto ex his, in quibus eum accusátis. Sed neque Heródes: nam remísi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendátum ergo illum dimíttam. C. Necésse autem habébat dimíttere eis, per diem festum, unum. Exclamávit autem simul univérsa turba, dicens: S. Tolle hunc, et dimítte nobis Barábbam. C. Qui erat propter seditiónem quamdam factam in civitáte, et homicídium, missus in cárcerem. Iterum autem Pilátus locútus est ad eos, volens dimíttere Jesum. At illi succlamábant, dicéntes: S. Crucifíge, crucifíge eum. C. Ille autem tértio dixit ad illos: S. Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invénio in eo: corrípiam ergo illum, et dimíttam. C. At illi instábant vócibus magnis, postulántes ut crucifigerétur. Et invalescébant voces eórum. Et Pilátus adjudicávit fíeri petitiónem eórum. Dimísit autem illis eum, qui propter homicídium, et seditiónem missus fúerat in cárcerem, quem petébant: Jesum vero trádidit voluntáti eórum. Et cum dúcerent eum, apprehendérunt Simónem quemdam Cyrenénsem, veniéntem de villa: et imposuérunt illi crucem portáre post Jesum. Sequebátur autem illum multa turba pópuli, et mulíerum, quæ plangébant, et lamentabántur eum. Convérsus autem ad illas, Jesus dixit: ✠ Fíliæ Jerúsalem, nolíte flere super me, sed super vos ipsas flete, et super fílios vestros. Quóniam ecce vénient dies, in quibus dicent: Beátæ stériles, et ventres, qui non genuérunt, et úbera, quæ non lactavérunt. Tunc incípient dícere móntibus: Cádite super nos;

et cóllibus: Operíte nos. Quia si in víridi ligno hæc fáciunt, in árido quid fiet? C. Ducebántur autem et álii duo nequam cum eo, ut interficeréntur. Et postquam venérunt in locum, qui vocátur Calváriæ, ibi crucifixérunt eum: et latrónes, unum a dextris, et álterum a sinístris. Jesus autem dicébat: ✠ Pater, dímitte illis: non enim sciunt quid fáciunt. C. Dividéntes vero vestiménta ejus, misérunt sortes. Et stabat pópulus spectans, et deridébant eum príncipes cum eis, dicéntes: S. Alios salvos fecit: se salvum fáciat, si hic est Christus Dei eléctus. C. Illudébant autem ei et mílites accedéntes, et acétum offeréntes ei, et dicéntes: S. Si tu es Rex Judæórum, salvum te fac. C. Erat autem et superscríptio scripta super eum lítteris græcis, et latínis, et hebráicis: Hic est Rex Judæórum. Unus autem de his, qui pendébant, latrónibus, blasphemábat eum, dicens: S. Si tu es Christus, salvum fac temetípsum, et nos. C. Respóndens autem alter increpábat eum, dicens: S. Neque tu times Deum, quod in eádem damnatióne es. Et nos quidem juste, nam digna factis recípimus: hic vero nihil mali gessit. C. Et dicébat ad Jesum: S. Dómine, meménto mei, cum véneris in regnum tuum. C. Et dixit illi Jesus: ✠ Amen dico tibi: Hódie mecum eris in paradíso. C. Erat autem fere hora sexta, et ténebræ factæ sunt in univérsam terram usque in horam nonam. Et obscurátus est sol: et velum templi scissum est médium. Et clamans voce magna Jesus, ait: ✠ Pater, in manus tuas commēndo spíritum meum. C. Et hæc dicens, exspirávit. (Hic percutiat librum, genuflectatur, et pausetur aliquantulum, ut supra in Dominica Palmarum, 159). Videns autem centúrio quod factum fúerat, glorificávit Deum, dicens: S. Vere hic homo justus erat. C. Et omnis turba eórum, qui simul áderant ad spectáculum istud, et vidébant quæ fiébant, percutiéntes péctora sua revertebántur. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulíeres, quæ secútæ eum erant a Galilæa, hæc vidéntes.

Quod sequitur, legitur in tono Evangelii, et alia fiunt ut supra in Dominica, 160.

Et ecce vir nómine Joseph, qui erat decúrio, vir bonus, et justus: hic non consénserat consílio, et áctibus eórum, ab Arimathæa civitáte Judææ, qui exspectábat et ipse regnum Dei. Hic accéssit ad Pilátum, et pétiit corpus Jesu: et depósitum invólvit síndone, et pósuit eum in monuménto exciso, in quo nondum quisquam pósitus fúerat.

Offertorium Ps. 101, 2-3 Dómine, exáudi oratiónem meam, et clamor meus ad te pervéniat: ne avértas fáciem tuam a me.

Secreta

Purífica nos, miséricors Deus: ut Ecclésiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ sunt, pia múnera deferéntes: fiant, expiátis méntibus, gratióres. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 130.
Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 101, 10, 13 et 14
Potum meum cum fletu temperábam: quia élevans allisísti me: et ego sicut fœnum árui: tu autem, Dómine, in ætérnum pérmanes: tu exsúrgens miseréberis Sion, quia venit tempus miseréndi ejus.

Postcommunio

Largire sénsibus nostris, omnípotens Deus: ut, per temporálem Fílii tui mortem, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedisse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 130.


Super populum: Orémus. Humiliáte cápita vestra Deo.

Oratio

Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subire torméntum: Qui tecum.

¶ Triduo sequenti prohibentur omnes Missæ privatæ.

¶ In Cœna Domini ornatur Altare, in quo celebratur Missa, ut in Festis solemnioribus: antipendium Altaris et conopæum Tabernaculi sint albi coloris, et Crux inter candelabra posita etiam velo albo tegatur. In credentia, præter Calicem cum suis paramentis albis, paretur etiam Custodia vel alius Calix cum Palla, Patena et Velo necnon ligula serica et Velum humerale, quæ etiam albi coloris sint. Paretur etiam locus aptus in aliqua Capella Ecclesiæ, vel Altari; et decenter, quoad fieri potest, ornetur cum velis albis, luminibus ac floribus, ubi Custodia vel Calix cum Hostia reservanda reponatur. Super Altare hujus Capellæ, capsula seu urna præparetur, clave firmata, quæ sit intus et foris eleganter elaborata seu pulchre ornata. Deinde, discooperto Altaris retabulo, hora competenti pulsentur campanæ ad Horas, sicut mos est diebus solemnioribus, ut conveniatur ad Ecclesiam: tum, voce aliquantulum demissa, dicitur Prima, Tertia, Sexta et Nona. Post Nonam, si Chrisma fuerit consecrandum, peracta solemni Pontificis receptione ad Ecclesiam, uti sect. VIII Liturgiæ Bracarensis, tit. 2, ordinatur, et, omnibus quæ præscribit Pontificale in Officio hujus sacræ Feriæ præparatis, Presbyteri et sacri Ministri alba Paramenta, cum aliis Ministris ad Altare Pontifici assistentibus, induant et cum eis ad Presbyterium processionaliter pergant, et Missa Pontificalis celebretur, ut locis citatis et sequenti Officio Missæ præcipitur. Si vero sanctum Chrisma non sit conficiendum, dicta Nona, ut supra, et omissis omnibus aliis, Celebrans et Ministri, albis Paramentis induti, incipiunt Missam, ut infra, Choro Officium prosequente.



FERIA V IN CŒNA DOMINI

Introitus Gal. 6, 14

Nos autem gloriári opórtet in cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti, et liberáti sumus. ℣. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. Nos autem.

Si Chrisma fuerit consecrandum, dicitur Glória Patri *ad Introitum; secus vero Introitus repetitur, ut supra. Dicitur* Glória in excélsis, *quo intonato, pulsantur campanæ et organa; et, cantato Hymno, Celebrans dicit* Dóminus vobíscum *et Orationem, sine* Flectámus génua.

Oratio

Deus, a quo et Judas reátus sui pœnam, et confessiónis suæ latro præmium sumpsit, concéde nobis tuæ propitiatiónis efféctum: ut, sicut in passióne sua Jesus Christus Dóminus noster divérsa utrísque íntulit stipéndia meritórum; ita nobis, abláto vetustátis erróre, resurrectiónis suæ grátiam largiátur: Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 11, 20-32

Fratres: Conveniéntibus vobis in unum, jam non est Domínicam cœnam manducáre. Unusquísque enim suam cœnam præsúmit ad manducándum. Et álius quidem ésurit: álius autem ébrius est. Numquid domos non habétis ad manducándum et bibéndum? aut ecclésiam Dei contémnitis, et confúnditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accépi a Dómino, quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus, in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine:

hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis: mortem Dómini annuntiábitis donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo, et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat et bibit indígne, judícium sibi mandúcat et bibit: non dijúdicans corpus Dómini. Ideo inter vos multi infírmi et imbecílles, et dórmiunt multi. Quod si nosmetípsos dijudicarémus, non útique judicarémur. Dum judicámur autem, a Dómino corrípimur, ut non cum hoc mundo damnémur.

Graduale Phil. 2, 8-9 Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Et repetitur Graduale, quia non dicitur Tractus. Deinde Diaconus accipiat benedictionem, et, cereis accensis et Cruce levata et discooperta, cantet Evangelium, incensato textu, ut moris est.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 13, 1-15

Ante diem festum Paschæ, sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut tránseat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexísset suos, qui erant in mundo, in finem diléxit eos. Et cœna facta, cum diábolus jam misísset in cor, ut tráderet eum Judas Simónis Iscariótæ: sciens quia ómnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exívit, et ad Deum vadit: surgit a cœna, et ponit vestiménta sua: et cum accepísset línteum, præcínxit se. Deínde mittit aquam in pelvim, et cœpit laváre pedes discipulórum, et extérgere línteo, quo erat præcínctus. Venit ergo ad Simónem Petrum. Et dicit ei Petrus: Dómine, tu mihi lavas pedes? Respóndit Jesus, et dixit ei: Quod ego fácio, tu nescis modo, scies autem póstea. Dicit ei Petrus: Non lavábis mihi pedes in ætérnum. Respóndit ei Jesus: Si non lávero te, non habébis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Dómine, non tantum pedes meos, sed et manus, et caput. Dicit ei Jesus: Qui lotus est, non índiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciébat enim quisnam esset qui tráderet eum: proptérea dixit: Non estis mundi omnes. Postquam ergo lavit pedes eórum, et accépit vestiménta sua: cum recubuísset íterum, dixit eis: Scitis quid fécerim vobis? Vos vocátis me Magíster et Dómine: et bene dícitis: sum étenim. Si ergo ego lavi pedes vestros, Dóminus et Magíster: et vos debétis alter altérius laváre pedes. Exémplum enim dedi vobis, ut quemádmodum ego feci vobis, ita et vos faciátis.

Credo.

Offertorium Ps. 117, 16 et 17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me: non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini.

¶ In Ecclesiis, ubi die Paschæ Resurrectio Domini post Primam solemniter celebratur, tres a Sacrista præparentur

Hostiæ consecrandæ, quarum unam Celebrans sumit in hac Missa et aliæ duæ Custodia vel Calice inclusæ, in Horto seu Sepulcro collocentur, ut moris est, reservandæ, altera pro die sequenti Parasceves, in quo non conficitur Sacramentum, et altera pro solemniter celebranda Resurrectione Domini in die sancto Paschæ. In Ecclesiis autem, in quibus non fit Processio Resurrectionis, duæ solummodo Hostiæ consecrantur, una pro hac Missa et altera pro sequenti Officio Parasceves. Præter supradictas Hostias, semper in Sacrario reservari debent particulæ consecratæ pro infirmis, qui his forsan diebus saluberrimo hoc Viatico indigebunt.

Secreta

Ipse tibi, quǽsumus, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, sacrifícium nostrum reddat accéptum, qui discípulis suis in sui commemoratiónem hoc fíeri hodiérna traditióne monstrávit, Jesus Christus Fílius tuus, Dóminus noster: Qui tecum.

Præfatio de Cruce.

Infra Actionem

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes, quo Dóminus noster Jesus Christus pro nobis est tráditus: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. **Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.**

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus ob diem, in qua Dóminus noster Jesus Christus trádidit discípulis suis Córporis et Sánguinis sui mystéria celebránda: quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. **Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.**

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quǽsumus, Signat ter super oblata, **be-**

ne ✠ díctam, adscrí ✠ ptam, ra ✠ tam, rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris: Signat semel super Hostiam, ut nobis Cor ✠ pus, et semel super Calicem, et San ✠ guis fiat dilectíssimi Fílii tui Jungit manus Dómini nostri Jesu Christi.

Qui prídie, quam pro nostra omniúmque salúte paterétur, hoc est, hódie, Accipit Hostiam, accépit panem in sanctas, ac venerábiles manus suas, Elevat oculos ad cælum, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, Caput inclinat tibi grátias agens, Signat super Hostiam, bene ✠ díxit, fregit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

Hoc est enim Corpus meum.

Et reliqua dicuntur ut in Canone usque ad Agnus Dei, et, quia in hac Missa pax non datur, omissa Oratione Dómine Jesu Christe, qui es vera pax vel Dómine Jesu Christe, qui dixísti, ulterius procedat Celebrans dicendo Orationem Dómine, Sancte Pater, cum aliis consuetis ante Communionem. Quibus dictis, sumit integrum Sacramentum, seu Corpus et Sanguinem Domini: quo sumpto, ante ablutionem digitorum, ponit Hostiam reservatam, vel Hostias, in Custodia, quam Diaconus cooperit; ubi autem non adsit peculiaris Custodia, Liturgiæ Bracarensis propria, Hostiam ponit in alio Calice, quem item Diaconus Palla et Patena inversa cooperit, et desuper velum expandit, et in medio Corporalis collocat. Deinde Celebrans administrat Sacramentum Clero et fidelibus.


Communio Joann. 13, 12, 13 et 15 Dóminus Jesus, postquam cœnávit cum discípulis suis, lavit pedes eórum, et ait illis: Scitis quid fécerim vobis ego Dóminus, et Magíster? Exémplum dedi vobis, ut et vos ita faciátis.

¶ Interea vero dum Communio cantatur a Choro, Celebrans ad cornu Epistolæ digitos lavat: et postea, sumpta ablutione, legit Communionem, genuflectens quandocumque accedit vel recedit e medio Altaris, ubi adest Sacramentum in Custodia vel in Calice reservatum. Lecta Communione, Celebrans redit ad medium Altaris, et, stans ante ipsum, imponit incensum in duobus Thuribulis absque benedictione: deinde, in medio genuflexus, cum altero incensat ter Sacramentum: et, accepta de manu Diaconi stantis Custodia vel Calice, eoque cooperto extremitatibus veli, quo ejus humeri teguntur, ad populum se convertit, et, medius inter eumdem Diaconum a dextris et Subdiaconum a sinistris, ambabus manibus Custodiam vel Calicem ante faciem suam elevans, incipit cantare ad Vesperas Antiphonam




Et Cantores incipiunt:

Ps. 115



Cré-di- di, propter quod lo-cú-tus



sum: e-go au-tem humi- li- á-



tus sum ni-mis.

Tum accedant Beneficiati vel Sacerdotes aliquot ex dignioribus de Clero, qui deferant Pallium seu Baldachinum, sub quo Celebrans procedit cum sacris Ministris, ut supra, duobus Acolythis continue incensantibus, usque ad locum præparatum, ubi pro crastino Ssm̃um Sacramentum servandum est. Interea solemniter pulsentur campanæ, et, organo comitante, a Clero cantentur Vesperæ usque ad **Magníficat** exclusive, dum omnes de Clero, servata in incessu modestia et gravitate, in Processione bini et bini cum facibus et cereis accensis procedunt. Cum autem ventum fuerit ad locum præparatum, Diaconus genuflexus accipit a Sacerdote stante Custodiam seu Calicem cum Sacramento, et ponit illud primo super Altare, ubi a Sacerdote genuflexo incensatur, ut supra; deinde reponit in capsula, et, ea accurate clausa, Celebrans secum deferat clavem, et diligenter servet illam usque in crastinum. Post hæc, Celebrans revertitur cum aliis de Clero processionaliter ad Altare ubi Missam celebravit, absque tamen Baldachino seu Pallio et facibus seu cereis accensis. Si fuerit Pontifex, eodem ordine prædictas Cærimonias peragit; et, omnibus peractis, cum Mitra ad Altare regreditur. Cum omnes ad Altare pervenerint, cantatis jam Psalmis vespertinis cum suis Antiphonis, non dicitur Capitulum nec Hymnus, sed tantum ℣. **Christus factus est** etc. et ℟. **Mortem autem crucis.** Tunc Celebrans alta voce incipit ad **Magníficat** Antiphonam:



Cœ-nán- ti-bus au-tem.

Et Cantores intonant solemniter Canticum:



Magni- fi- cat á- ni-ma me- a



Dó-mi- num.

Et Chorus Canticum prosequitur et perficit; et, repetita Antiphona, Celebrans, ad populum conversus, dicit **Dóminus vobíscum,** et Choro respondente **Et cum spíritu tuo,** deinde cantat Orationem:

Postcommunio

Refécti vitálibus aliméntis, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quod témpore nostræ mortalitátis exséquimur, immortalitátis tuæ múnere consequámur. Per Dóminum.

¶ Qua finita, Diaconus, versus ad populum, more solito, dicit: **Ite, Missa est,** et Chorus respondet: **Deo grátias.** Et ab

ista hora non amplius pulsantur campanæ neque organa usque ad Hymnum **Glória in excélsis**, in Missa Sabbati sancti; sed, his diebus, loco campanarum, fiat sonus cum tabula. Dum Celebrans redit cum Ministris ad Sacrarium, alius Sacerdos, Superpelliceo et Stola alba indutus, præcedentibus Acolythis cum cereis accensis, ad Altare pergit, et, sumpto Velo humerali albi coloris, Pyxidem cum particulis transfert ad parvum Tabernaculum, extra Ecclesiam ad id præparatum. Deinde exstinguuntur lampades Ecclesiæ et omnes candelæ, iis exceptis quæ in Horto coram Ssmo Sacramento ardent, et postea Sacrista aquam benedictam e vasis Ecclesiæ removet.

¶ Post Missam, Celebrans, depositis in Sacrario albis Paramentis, Alba tantum et Stola violacea indutus, cum sacris Ministris et duobus Acolythis, omnia denudet Altaria, eo excepto in quo Ssmum Sacramentum asservatur dicendo eodem tempore Antiphonam Ps. 21, 19 **Divisérunt sibi vestiménta mea: et super vestem meam misérunt sortem**, et, alternatim cum Ministris et Acolythis, Psalmum 21 **Deus, Deus meus, réspice in me**, qui usque in finem cum devotione recitari debet. Si Chorales adsint, Antiphonam **Divisérunt**, a Celebrante inchoatam, prosequuntur simul cum Psalmo; et ita Versus dividant, ut, simul cum denudatione Altarium, Psalmus prorsus absolvatur.

¶ Post denudationem Altarium, hora competenti facto signo cum tabula, omnes de Clero, in Presbyterium vel in alium locum ad id deputatum, conveniant ad faciendum Mandatum. Pontifex vel Rector Ecclesiæ super Amictu et Alba induitur Stola et Pluviali violaceis, Diaconus et Subdiaconus Paramentis albis, ut in Missa, induantur et quatuor Acolythi Dalmaticis violaceis, quorum unus defert Crucem discoopertam, alter Thuribulum et alii duo candelabra cum cereis accensis: et, ita e Sacrario exeant, ut omnes præcedat Thuriferarius, deinde Cruciferarius inter duos Ceroferarios, postea Subdiaconus, quem sequitur Diaconus duobus manibus librum ante pectus deferens et ultimus Celebrans. Cum pervenerint ad Presbyterium, debitam exhibeant reverentiam Altari, et, simplici genuflexione, etiam Pontifici, si ipse Mandatum fecerit. Deinde Celebrans, ministrante Diacono, imponit incensum in Thuribulo et benedicit: quo facto, Diaconus librum Evangeliorum ante pectus tenens, genuflexus ante Celebrantem petit benedictionem ad dicendum Evangelium. Deinde, facta reverentia Altari et Celebranti, omnes ad pulpitum se conferunt, præcedente Acolytho cum Thuribulo, deinde alius Acolythus Crucem portans inter duos Ceroferarios, deferentes candelabra cum cereis accensis, et tandem Subdiaconus et Diaconus librum tenens. Cum pervenerint ad pulpitum, Diaconus illud ascendit, et, accepto Thuribulo a Subdiacono, signat librum, et incensat, et cantat, ut moris est, Evangelium: **Ante diem festum Paschæ**, ut supra in Missa, 177. Ubi non adsit pulpitum, tenet librum Subdiaconus in cantu Evangelii, Diaconus Thuribulum recipit a Thuriferario et reliqua fiunt, ut supra. Finito Evangelio, Subdiaconus defert librum apertum Celebranti, ut illum deosculetur; quo facto, Diaconus Celebrantem de more incensat et deinde Thuriferarius ad Sacrarium redit. Postea Celebrans exuitur Pluviali, et per Diaconum et Subdiaconum præcingitur linteo, et sic præcinctus, assistentibus sibi iisdem Diacono et Subdiacono, accedit ad lotionem pedum, et per ordinem dispositis iis qui lavandi sunt, Clericis pelvim et aquam ministrantibus, Subdiacono singulorum pedem dextrum tenente, genuflectens singulis, illorum pedem lavat,

extergit, et osculatur, Diacono præbente linteum ad abstergendum. Et interim Clerici Antiphonam Mandátum novum do vobis etc., et alias Antiphonas et Psalmorum Versus, ut infra, cantent.

Antiphona Joann. 13, 34 Mandátum novum do vobis: ut diligátis invicem, sicut diléxi vos, dicit Dóminus. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini.

Et repetitur immediate Antiphona Mandátum novum. Et sic aliæ Antiphonæ, quæ habent Psalmos, vel Versus, repetuntur. Et de quolibet Psalmo dicitur tantum primus Versus.

Antiphona Joann. 13, 4, 5 et 15 Postquam surréxit Dóminus a cœna, misit aquam in pelvim, et cœpit laváre pedes discipulórum suórum: hoc exémplum relíquit eis. Ps. 47, 2 Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Postquam surréxit Dóminus.

Antiphona Joann. 13, 12, 13 et 15 Dóminus Jesus, postquam cœnávit cum discípulis suis, lavit pedes eórum, et ait illis: Scitis quid fécerim vobis ego Dóminus, et Magister? Exémplum dedi vobis, ut et vos ita faciátis. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. Dóminus Jesus.

Antiphona Joann. 13, 6-7 et 8 Dómine, tu mihi lavas pedes? Respóndit Jesus, et dixit ei: Si non lávero tibi pedes, non habébis partem mecum. ℣. Venit ergo ad Simónem Petrum, et dixit ei Petrus.

Et repetitur Antiphona Dómine, tu mihi lavas pedes? Respóndit Jesus, et dixit ei: Si non lávero tibi pedes, non habébis partem mecum. ℣. Quod ego fácio, tu nescis modo: scies autem póstea.

Tertio repetitur Antiphona Dómine, tu mihi lavas pedes? Respóndit Jesus, et dixit ei: Si non lávero tibi pedes, non habébis partem mecum.

Antiphona Si ego Dóminus, et Magister vester lavi vobis pedes: quanto magis debétis alter altérius laváre pedes? Ps. 48, 2 Audíte hæc, omnes gentes: áuribus percípite, qui habitátis orbem. Si ego Dóminus.

Antiphona Joann. 13, 35 In hoc cognóscent omnes, quia discípuli mei estis, si dilectiónem habuéritis ad invicem. ℣. Dixit Jesus discípulis suis. In hoc cognóscent.

Antiphona 1 Cor. 13, 13 Máneant in vobis fides, spes, cáritas, tria hæc; major autem horum est cáritas. ℣. Nunc autem manent fides, spes, cáritas, tria hæc: major horum est cáritas. Máneant in vobis.

Antiphona Benedicta sit sancta Trínitas, atque indivísa únitas: confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam. ℣. Benedicámus Patrem, et Fílium, cum Sancto Spíritu. Ps. 83, 2-3 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. Benedicta sit.

Antiphona 1 Joann. 2; 3, 4 Ubi cáritas, et amor, Deus ibi est. ℣. Congregávit nos in unum Christi amor. ℣. Exsultémus, et in ipso jucundémur. ℣. Timeámus, et amémus Deum vivum. ℣. Et ex corde diligámus nos sincéro.

Et repetitur Antiphona Ubi cáritas, et amor, Deus ibi est. ℣. Simul ergo cum in unum congregámur: ℣. Ne nos mente dividámur, caveámus. ℣. Cessent júrgia malígna, cessent lites. ℣. Et in médio nostri sit Christus Deus.

Et repetitur Antiphona Ubi cáritas, et amor, Deus ibi est. ℣. Simul quoque cum beátis videámus. ℣. Gloriánter vultum tuum, Christe Deus: ℣. Gáudium, quod est imménsum, atque probum. ℣. Sǽcula per infiníta sæculórum. Amen.

Post lotionem Pontifex, vel qui aliis abluit pedes, lavat manus, et abstergit alio linteo: deinde rediens ad locum, ubi prius fuerat, accipit Pluviale, et stans capite detecto dicit:

Pater noster, secreto usque ad

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. Tu mandásti mandáta tua, Dómine. ℟. Custódiri nimis.

℣. Tu lavásti pedes discipulórum tuórum. ℟. Opera mánuum tuárum ne despícias.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.


℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Adésto, Dómine, quǽsumus, offício servitútis nostræ: et quia tu discípulis tuis pedes laváre dignátus es, ne despícias ópera mánuum tuárum, quæ nobis retinénda mandásti: ut, sicut hic nobis, et a nobis exterióra abluúntur inquinaménta; sic a te ómnium nostrum interióra lavéntur peccáta. Quod ipse præstáre dignéris, qui vivis et regnas Deus: per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.

Quibus peractis, Celebrans et alii, præcedente Acolytho cum Cruce inter duos Ceroferarios, eodem ordine quo venerunt, ad Sacrarium redeunt.

¶ Si autem lotio pedum non fit, Capitulum vel omnes de Clero, processionaliter constituti ante cancellos Presbyterii, expectent Celebrantem, Ministros et Acolythos, qui exeuntes de Sacrario accedant ordine quo supra ad dictum Capitulum, et omnes simul bini et bini procedant ad Presbyterium vel ad locum constitutum, ubi Mandatum dici consuevit. Et, textu Evangelii incensato a Diacono, ipse incipiat, ut supra, Evangelium Ante diem festum Paschæ. De quo quidem textu legat in una vel duabus stationibus, ut moris fuerit. Et, hoc finito, ordine quo venerunt redeant in Sacrarium, ubi deponant vestimenta, et, tempore convenienti, dicantur Horæ Canonicæ.



FERIA VI IN PARASCEVE

Ista die et Sabbato sancto sequenti non dicuntur Missæ privatæ, sed solum Missa solemnis seu Conventualis: in qua quidem Feria Sexta, hora consueta, Prima, Tertia, Sexta et Nona, demissa voce et fere sub silentio in Choro recitatis, Celebrans Pluviali nigri coloris et sacri Ministri Planetis plicatis ejusdem coloris induti, sine cereis et sine incenso, procedunt ad Altare, et ante illud in infimo ejus gradu super pulvillos violaceos vel nigros prostrati, aliquandiu devote orent. Et, si ipsi videbitur, dicat Celebrans secreto hanc Orationem:

Oratio

Deus, qui peccáti véteris hereditáriam mortem, in qua posteritátis genus omne succésserat, Christi Fílii tui Dómini nostri passióne solvísti: da; ut, confórmes eídem facti, sicut corruptiónem terréni hóminis gérimus, sic imáginem cæléstis glóriæ sanctificatióne portémus Jesu Christi Dómini nostri: Qui tecum et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Interim Acolythi unam tantum mappam extendunt super Altare. Et Celebrans cum Ministris, completa oratione, ascendit ad Altare et osculatur illud in medio: deinde Lector, superpelliceo indutus, accedit ad legendam Prophetiam in loco, ubi legitur Epistola, et incipit eam absolute et sine titulo: quam etiam Celebrans legit submissa voce apud Altare in cornu Epistolæ.

Osee 6, 1-6

Hæc dicit Dóminus: In tribulatióne sua mane consurgent ad me: Veníte, et revertámur ad Dóminum: quia ipse cepit, et sanábit nos: percútiet, et curábit nos. Vivificábit nos post duos dies: in die tértia suscitábit nos, et vivémus in conspéctu ejus. Sciémus, sequemúrque, ut cognoscámus Dóminum: quasi dilúculum præparátus est egréssus ejus, et véniet quasi imber nobis tempo-

ráneus, et serótinus terræ. Quid fáciam tibi, Ephraïm? Quid fáciam tibi, Juda? misericórdia vestra quasi nubes matutína: et quasi ros mane pertránsiens. Propter hoc dolávi in prophétis, occídi eos in verbis oris mei: et judícia tua quasi lux egrediéntur. Quia misericórdiam vólui, et non sacrifícium, et sciéntiam Dei, plus quam holocáusta.

¶ Et non respondetur Deo grátias, quod servatur etiam post Lectionem sequentem.

Tractus Habacuc 3 Dómine, audívi audítum tuum, et tímui: considerávi ópera tua, et expávi. ℣. In médio duórum animálium innotescéris: dum appropinquáverint anni, cognoscéris: dum advénerit tempus, ostendéris. ℣. In eo, dum conturbáta fúerit ánima mea: in ira, misericórdiæ memor eris. ℣. Deus a Líbano véniet, et Sanctus de monte umbróso, et condénso. ℣. Opéruit cælos majéstas ejus: et laudis ejus plena est terra.

Finito Tractu et Versibus, Celebrans dicit: Orémus, Diaconus: Flectámus génua, et Subdiaconus: Leváte. Deinde Celebrans media voce Orationem absolute dicit:

Oratio

Deus, a quo et Judas reátus sui pœnam, et confessiónis suæ latro præmium sumpsit, concéde nobis tuæ propitiatiónis efféctum: ut, sicut in passióne sua Jesus Christus Dóminus noster divérsa utrísque íntulit stipéndia meritórum; ita nobis, abláto vetustátis erróre, resurrectiónis suæ grátiam largiátur: Qui tecum.

Finita Oratione, Subdiaconus Planetam plicatam deponit, et, in eodem loco in quo prima Prophetia dicta est, in tono Epistolæ cantat secundam sine titulo.

Exod. 12, 1-11

In diébus illis: Dixit Dóminus ad Móysen, et Aaron in terra Ægýpti: Mensis iste, vobis princípium ménsium: primus erit in ménsibus anni. Loquímini ad univérsum cœtum filiórum Israël, et dícite eis: Décima die mensis hujus tollat unusquísque agnum per famílias, et domos suas. Sin autem minor est númerus, ut sufficere possit ad vescéndum agnum, assúmet vicínum suum, qui junctus est dómui suæ, juxta númerum animárum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque mácula, másculus, annículus: juxta quem ritum tollétis et hœdum. Et servábitis eum usque ad quartam décimam diem mensis hujus: immolabítque eum univérsa multitúdo filiórum Israël ad vésperam. Et sument de sánguine ejus, ac ponent super utrúmque postem, et in superlimináribus domórum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, et ázymos panes cum lactúcis agréstibus. Non comedétis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantum assum igni: caput cum pédibus ejus, et intestínis vorábitis. Nec remanébit quidquam ex eo usque mane. Si quid resíduum fúerit, igne comburétis. Sic autem comedétis illum: Renes vestros accingétis, et calceaménta habébitis in pédibus, tenéntes báculos in mánibus, et comedétis festinánter: est enim Phase (id est tránsitus) Dómini.

Tractus Ps. 139, 2-10 et 14 Eripe me, Dómine, ab hómine malo: a viro iníquo líbera me. ℣. Qui cogitavérunt malítias in corde: tota die constituébant prǽlia. ℣. Acuérunt linguas suas sicut serpéntis: venénum áspidum sub lábiis eórum. ℣. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis líbera me. ℣. Qui cogitavérunt supplantáre gressus meos: abscondérunt supérbi láqueum mihi. ℣. Et funes extendérunt in láqueum pédibus meis: juxta iter scándalum posuérunt mihi. ℣. Dixi Dómino: Deus meus es tu: exáudi, Dómine, vocem oratiónis meæ.

Sub finem Tractus, tres Diaconi, Stola nigri coloris super Amictum et Albam induti, unus post alium, Cæremoniario præeunte, singuli cum libro Passionis ante pectus et capite cooperto, e Sacrario procedunt et ad Altare se conferunt. Et, stantes in medio plani, simul Altari genuflectunt, et, salutato Choro, sine Thuribulo et sine cereis, ad locum paratum se conferunt; ubi, completo Tractu, super nudum pulpitum absolute et sine Dóminus vobíscum, **incipiunt cantum Passionis.**

Pássio Dómini nostri Jesu Christi secúndum Joánnem.

Joann. 18, 1-40 et 19, 1-42

In illo témpore: Egréssus est Jesus cum discípulis suis trans torréntem Cedron, ubi erat hortus, in quem introívit ipse, et discípuli ejus. Sciébat autem et Judas, qui tradébat eum, locum: quia frequénter Jesus convénerat illuc cum discípulis suis. Judas ergo cum accepísset cohórtem, et a pontifícibus et pharisǽis minístros, venit illuc cum latérnis, et fácibus, et armis. Jesus itaque sciens ómnia, quæ ventúra erant super eum, procéssit, et dixit eis: ✠ Quem quǽritis? C. Respondérunt ei: S. Jesum Nazarénum. C. Dicit eis Jesus: ✠ Ego sum. C. Stabat autem et Judas, qui tradébat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abiérunt retrórsum, et cecidérunt in terram. Iterum ergo interrogávit eos: ✠ Quem quǽritis? C. Illi autem dixérunt: S. Jesum Nazarénum. C. Respóndit Jesus: ✠ Dixi vobis, quia ego sum: si ergo me quǽritis, sínite hos abíre. C. Ut implerétur sermo, quem dixit: Quia quos dedísti mihi, non pérdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gládium edúxit eum: et percússit pontíficis servum: et abscídit aurículam ejus déxteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: ✠ Mitte gládium tuum in vagínam. Cálicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? C. Cohors ergo, et tribúnus, et minístri Judæórum comprehendérunt Jesum, et ligavérunt eum: et adduxérunt eum ad Annam primum, erat enim socer Cáiphæ, qui erat póntifex anni illíus. Erat autem Cáiphas, qui consílium déderat Judǽis: Quia éxpedit, unum hóminem mori pro pópulo. Sequebátur autem Jesum Simon Petrus, et álius discípulus. Discípulus autem ille erat notus pontífici, et introívit cum Jesu in átrium pontíficis. Petrus autem stábat ad óstium foris. Exívit ergo discípulus álius, qui erat notus pontífici, et dixit ostiáriæ: et introdúxit Petrum. Dicit ergo Petro ancílla ostiária: S. Numquid et tu ex disci-

pulis es hóminis istíus? C. Dicit ille: S. Non sum. C. Stabant autem servi, et minístri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciébant se: erat autem cum eis et Petrus stans, et calefáciens se. Póntifex ergo interrogávit Jesum de discípulis suis, et de doctrína ejus. Respóndit ei Jesus: ✠ Ego palam locútus sum mundo: ego semper dócui in synagóga, et in templo, quo omnes Judǽi convéniunt: et in occúlto locútus sum nihil. Quid me intérrogas? intérroga eos, qui audiérunt quid locútus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ díxerim ego. C. Hæc autem cum dixísset, unus assístens ministrórum dedit álapam Jesu, dicens: S. Sic respóndes pontífici? C. Respóndit ei Jesus; ✠ Si male locútus sum, testimónium pérhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? C. Et misit eum Annas ligátum ad Cáipham pontíficem. Erat autem Simon Petrus stans, et calefáciens se. Dixérunt ergo ei: S. Numquid et tu ex discípulis ejus es? C. Negávit ille, et dixit: S. Non sum. C. Dicit ei unus ex servis pontíficis, cognátus ejus, cujus abscídit Petrus aurículam: S. Nonne ego te vidi in horto cum illo? C. Iterum ergo negávit Petrus: et statim gallus cantávit. Addúcunt ergo Jesum a Cáipha in prætórium. Erat autem mane: et ipsi non introiérunt in prætórium, ut non contaminaréntur, sed ut manducárent pascha. Exívit ergo Pilátus ad eos foras, et dixit: S. Quam accusatiónem affértis advérsus hóminem hunc? R. Respondérunt, et dixérunt ei: S. Si non esset hic malefáctor, non tibi tradidissémus eum. C. Dixit ergo eis Pilátus: S. Accípite eum vos, et secúndum legem vestram judicáte eum. C. Dixérunt ergo ei Judǽi: S. Nobis non licet interfícere quemquam. C. Ut sermo Jesu implerétur, quem dixit, significans qua morte esset moritúrus. Introívit ergo íterum in prætórium Pilátus, et vocávit Jesum, et dixit ei: S. Tu es Rex Judæórum? C. Respóndit Jesus: ✠ A temetípso hoc dicis, an álii dixérunt tibi de me? C. Respóndit Pilátus: S. Numquid ego Judǽus sum? Gens tua, et pontífices tradidérunt te mihi: quid fecísti? C. Respóndit Jesus: ✠ Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, minístri mei útique decertárent ut non tráderer Judǽis; nunc autem regnum meum non est hinc. C. Dixit ítaque ei Pilátus: S. Ergo Rex es tu? C. Respóndit Jesus: ✠ Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritáti: omnis qui est ex veritáte, audit vocem meam. C. Dicit ei Pilátus: S. Quid est véritas? C. Et cum hoc dixísset, íterum exívit ad Judǽos, et dicit eis: S. Ego nullam invénio in eo causam. Est autem consuetúdo vobis ut unum dimíttam vobis in Pascha: vultis ergo dimíttam vobis Regem Judæórum? C. Clamavérunt ergo rursum omnes, dicéntes: S. Non hunc, sed Barábbam. C. Erat autem Barábbas latro. Tunc ergo apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes corónam de spinis, imposuérunt cápiti ejus: et veste purpúrea circumdedérunt eum. Et veniébant

ad eum, et dicébant: S. Ave, Rex Judæórum. C. Et dabant ei álapas. Exívit ergo íterum Pilátus foras, et dicit eis: S. Ecce addúco vobis eum foras, ut cognoscátis, quia nullam invénio in eo causam. C. (Exívit ergo Jesus portans corónam spíneam, et purpúreum vestiméntum). Et dicit eis: S. Ecce homo. C. Cum ergo vidíssent eum pontífices et minístri, clamábant, dicéntes: S. Crucífige, crucífige eum. C. Dicit eis Pilátus: S. Accípite eum vos, et crucifígite: ego enim non invénio in eo causam. C. Respondérunt ei Judǽi: S. Nos legem habémus, et secúndum legem debet mori, quia Fílium Dei se fecit. C. Cum ergo audísset Pilátus hunc sermónem, magis tímuit. Et ingréssus est prætórium íterum: et dixit ad Jesum: S. Unde es tu? C. Jesus autem respónsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilátus: S. Mihi non lóqueris? nescis quia potestátem hábeo crucifígere te, et potestátem hábeo dimíttere te? C. Respóndit Jesus: ✠ Non habéres potestátem advérsum me ullam, nisi tibi datum esset désuper. Proptérea, qui me trádidit tibi, majus peccátum habet. C. Et exínde quærébat Pilátus dimíttere eum. Judǽi autem clamábant dicéntes: S. Si hunc dimíttis, non es amícus Cǽsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradícit Cǽsari. C. Pilátus autem cum audísset hos sermónes, addúxit foras Jesum, et sedit pro tribunáli, in loco, qui dícitur Lithóstrotos, hebráice autem Gábbatha. Erat autem Parascéve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judǽis: S. Ecce Rex vester. C. Illi autem clamábant: S. Tolle, tolle, crucífige eum. C. Dicit eis Pilátus: S. Regem vestrum crucifígam? C. Respondérunt pontífices: S. Non habémus regem, nisi Cǽsarem. C. Tunc ergo trádidit eis illum ut crucifigerétur. Suscepérunt autem Jesum, et eduxérunt. Et bájulans sibi crucem, exívit in eum, qui dícitur Calváriæ, locum, hebráice autem Gólgotha: ubi crucifixérunt eum, et cum eo álios duos, hinc et hinc, médium autem Jesum. Scripsit autem et títulum Pilátus: et pósuit super crucem. Erat autem scriptum: Jesus Nazarénus, Rex Judæórum. Hunc ergo títulum multi Judæórum legérunt, quia prope civitátem erat locus, ubi crucifíxus est Jesus. Et erat scriptum hebráice, græce, et latíne. Dicébant ergo Piláto pontífices Judæórum: S. Noli scríbere, Rex Judæórum, sed quia ipse dixit: Rex sum Judæórum. C. Respóndit Pilátus: S. Quod scripsi, scripsi. C. Mílites ergo cum crucifixíssent eum, accepérunt vestiménta ejus (et fecérunt quátuor partes: unicuíque míliti partem), et túnicam. Erat autem túnica inconsútilis, désuper contéxta per totum. Dixérunt ergo ad ínvicem: S. Non scindámus eam, sed sortiámur de illa cujus sit. C. Ut Scriptúra implerétur, dicens: Partíti sunt vestiménta mea sibi: et in vestem meam misérunt sortem. Et mílites quidem hæc fecérunt. Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: ✠ Múlier, ecce fílius tuus.

C. Deinde dicit discípulo: ✠ Ecce mater tua. C. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Póstea sciens Jesus quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: ✠ Sítio. C. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: ✠ Consummátum est. C. Et inclináto cápite trádidit spíritum.


Hic manu dextra percutiat librum, et ipse, alii Diaconi et circumstantes flectant genua, et dicat unusquisque, Credo in Deum, vel aliam orationem brevem submissa voce: qua finita, surgat et prosequatur:


Judǽi ergo (quóniam Parascéve erat) ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum veníssent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis, et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus. Et ille scit, quia vera dicit: ut et vos credátis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt.

Hic Diaconus Missæ Planetam plicatam deponit, et, ejus loco, sumit Stolam latiorem, et, dicto secreto Munda cor meum, etc. et sumpto libro Evangeliorum, quin petat benedictionem, ad consuetum pergit locum, ubi ultimam partem Passionis in tono Evangelii cantat; et non dicitur Dóminus vobíscum, nec deferuntur cerei, neque thurificatur textus Evangelii.

Post hæc autem rogávit Pilátum Joseph ab Arimathǽa (eo quod esset discípulus Jesu, occúltus autem propter metum Judæórum), ut tólleret corpus Jesu. Et permísit Pilátus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodémus, qui vénerat ad Jesum nocte primum, ferens mixtúram myrrhæ, et áloës, quasi libras centum. Accepérunt ergo corpus Jesu, et ligavérunt illud línteis cum aromátibus, sicut mos est Judǽis sepelíre. Erat autem in loco, ubi crucifíxus est, hortus: et in horto monuméntum novum, in quo nondum quisquam pósitus erat. Ibi ergo propter Parascéven Judæórum, quia juxta erat monuméntum, posuérunt Jesum.


Quo finito, Evangelium non portetur deosculandum; sed statim Celebrans, in cornu Epistolæ stans versus Altare, absolute incipit Orationes sequentes lenta voce, quæ dicuntur binæ et binæ: prima junctis manibus et in tono Præfationis dicitur, qua finita, non respondetur Amen; sed statim post Orémus, Diaconus dicit: Flectámus génua, et Subdiaconus: Leváte; secunda autem extensis manibus dicitur et in tono feriali Orationis Missæ, qua finita, respondetur: Amen. Et sic fiat in omnibus aliis Orationibus sequentibus excepta Oratione pro perfidis Judæis, in qua non dicitur Fléctamus génua, nec respondetur Amen.


O-rémus, di- le-ctís-si-mi no-bis, pro Ecclé-si- a sancta De- i:
ut e- am De- us et Dómi-nus noster pa-ci- fi-cáre, a-duná-re,
et custo-dí- re digné- tur to- to orbe ter-rá-rum; su-bjí- ci- ens
si- bi princi-pá- tus et po- testá- tes detque no-bis qui- é- tam et
tranquíllam vi- tam de-gén-ti-bus glo- ri- fi- cá- re De- um Pa-trem
omni-po- téntem.
Diaconus
Subdiaconus
O-rémus. Flectámus gé-nu- a. Lev-á- te.
Oratio
Omni-po-tens sempi- térne De- us, qui gló-ri- am tu- am ómni-bus


in Chri-sto gén-ti-bus re-ve-lásti: custó-di ó-pe-ra mi-se-ri-
córdi- æ tu- æ; ut Eccle-si- a tu- a, to-to orbe dif-fú-sa,
stá-bi-li fi-de in conféssi- ó-ne tu- i nómi-nis perse-vé-ret.
Per e- úmdem Dó-mi-num nostrum Je-sum Chri-stum Fí- li- um
tu- um: qui te-cum vi- vit, et regnat, in u-ni- tá-te Spí- ri- tus
Sancti De- us. Per ómni- a sǽ-cu- la sæ-cu- ló-rum. ℟. Amen.
Pro Papa
Oratio
O-rémus et pro be- a- tissimo Pa-pa nostro N. ut De- us
et Dómi-nus noster, qui e-lé-git e- um in ór-di-nem E-pisco-




pá-tus, salvum atque incó-lumem custó-di- at Ecclé-si- æ su- æ



sanctæ ad re-géndum pó-pu-lum sanctum De- i.

Diaconus Subdiaconus




O-rémus. Fle-ctámus gé-nu- a. Le-vá- te.

Omnipotens sempitérne Deus, cujus judício univérsa fundántur: réspice propítius ad preces nostras, et eléctum nobis Antístitem tua pietáte consérva; ut christiána plebs, quæ te gubernátur auctóre, sub tanto Pontífice, credulitátis suæ méritis augeátur. Per Dóminum. ℟. Amen.

Pro Clero et populo


Oratio




O-rémus et pro ómni-bus E-písco-pis: Presbý-te-ris, Di- a-có-



ni-bus, Subdi- a-có-ni-bus, A-có-ly-this, Exorci-stis, Lectó-ri-bus:




Osti- á-ri- is, Confessó-ri-bus, Virgí-ni-bus, Ví-du- is, et pro



omni pópu-lo sancto De- i.

Diaconus — Subdiaconus




O-rémus. Flectámus génu- a Le- vá- te.


Omnípotens sempitérne Deus, cujus spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur, et régitur: exáudi nos pro univérsis ordínibus supplicántes; ut grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro Rege — Oratio



O-rémus et pro fi-de- líssimo re-ge nostro N. ut De- us




et Dó-mi-nus noster súbdi- tas il- li fá- ci- at omnes bárba-ras



na- ti- ó-nes: ad nostram perpé-tu- am pa-cem.

Diaconus — Subdiaconus



O-rémus. Fle-ctámus gé-nu- a. Le-vá- te.

Omnípotens sempitérne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestátes, et ómnium jura regnórum: réspice ad Románum benígnus Impérium; ut gentes, quæ in sua feritáte confídunt, poténtiæ tuæ déxtera comprimántur. Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro catechumenis — Oratio



O-rémus et pro ca-techúme-nis nostris: ut De- us et Dómi-nus




Omnipotens sempitérne Deus, qui Ecclésiam tuam nova semper prole fœcúndas: auge fidem et intelléctum catechúmenis nostris; ut renáti fonte baptismatis, adoptiónis tuæ fíliis aggregéntur. Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro necessitatibus et incolumitate — Oratio






Omnipotens sempitérne Deus, mæstórum consolátio, laborántium fortitúdo: pervéniant ad te preces de quacúmque tribulatióne clamántium; ut omnes sibi in necessitátibus suis misericórdiam tuam gáudeant affuísse. Per Dóminum.
℟. Amen.

Pro hæreticis schismaticis


Oratio




Omnipotens sempitérne Deus, qui salvas omnes, et néminem vis perire: réspice ad ánimas diabólica fraude decéptas; ut omni hærética pravitáte depósita, errántium corda resipíscant, et ad veritátis tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum.

℟. Amen.

Pro Judæis — Oratio



O-rémus et pro pér-fi-dis Judǽ-is: ut De-us et Dómi-nus



noster áu-fe-rat ve-lámen de córdi-bus e-ó-rum; ut et ip-si




agnóscant Je-sum Chri-stum Dó-mi-num nostrum.

Non dicitur Flectámus génua, nec Leváte; sed, cantata præcedenti Oratione, statim dicitur:

Omnipotens sempitérne Deus, qui étiam judáicam perfídiam a tua misericórdia non repéllis: exáudi preces nostras, quas pro illíus pópuli obcæcatióne deférimus; ut, ágnita veritátis tuæ luce, quæ Christus est, a suis ténebris eruántur. Per eúmdem Dóminum.

Hic non respondetur Amen.

Pro paganis — Oratio




O-rémus et pro pa-gá-nis: ut De-us omní-po-tens áufe-rat




i-ni-qui-tá-tem de córdi-bus e-ó-rum; ut, re-lí-ctis i-dó-lis



su-is, convertántur ad De-um vi-vum et ve-rum et ú-ni-cum









Omnipotens sempitérne Deus, qui non mortem peccatórum, sed vitam semper inquíris: súscipe propítius oratiónem nostram, et líbera eos ab idolórum cultúra; et ággrega Ecclésiæ tuæ sanctæ, ad laudem, et glóriam nóminis tui. Per Dóminum.
℟. Amen.

Dum dicitur ista ultima Oratio, Clerici Cantores, Amictu et Alba induti, præeunte Cæremoniario, bini et bini manibus junctis e Sacrario egrediuntur et ad Presbyterium se conferunt, ut Agios et alia cantent; ultimi autem duo Crucem, velo nigri coloris coopertam, reverenter deferant. Cum ad Presbyterium pervenerint, alii Cantores ad cornu Epistolæ se recipiunt, duo vero Crucem deferentes extra Presbyterium sistant. Completis Orationibus, aufertur Crux Altaris et Sacerdos deponit Pluviale, Subdiaconus Planetam plicatam, et omnes, depositis Manipulis et manibus ante pectus junctis, in Subpedaneo ad cornu Epistolæ versus populum se convertunt, Diaconus a dexteris, Subdiaconus a sinistris Celebrantis. Tunc duo ex dignioribus de Clero Crucem sumentes, eam ad primum Altaris gradum deferunt, ubi, flexis genibus, sequentia improperia, in persona Christi nudi, e ligno pendentis, devote cantant, dicentes:






Qua finita, duo Cantores, Alba induti et inter Chorum et Altare genuflexi, cantant:



Et Chorus respondet:




Tunc qui tenent Crucem, ulterius progredientes, cum ea ad secundum Altaris gradum ascendunt et sequentem cantant:






Et duo Cantores repetunt, ut supra:




Et Chorus respondet, ut supra:



Et iterum qui tenent Crucem cum ea ad tertium ascendunt gradum, et sequentem cantant:





Et duo Cantores repetunt, ut supra:



Et Chorus respondet, ut supra:




Tunc prædicti Sacerdotes accedunt ad Altare cum Cruce eamque tradunt Celebranti, stanti ad cornu Epistolæ, qui, ad populum conversus, ambabus manibus reverenter eam velatam accipit. Tunc duo Clerici, qui Crucem e Sacrario detulerunt, astantes juxta Altare, unus ad dexteram et alter ad sinistram Altaris, sindonem candidam, duabus virgis ligatam, manibus tenebunt erectam, ita ut Celebrantem cum Ministris velare possit, ne a populo videantur: et, dum Crux ostendenda sit, sindonem aliquantulum deorsum inclinent, ut populus eam adoret, et postea sindonem iterum elevent, et hoc ter faciendum est: in ultima autem ostensione Crucis, prædicti Clerici sindonem omnino submittant, ut tota Crux a populo adoretur. Et Celebrans, stans in dicto loco manu dextera discooperiens eam usque ad caput Crucifixi exclusive, elevet ipsam ambabus manibus, adjuvantibus eum Ministris, ita ut summitas Crucis non excedat oculos Celebrantis, et, populo Crucem ostendens, voce submissa incipiat solus Antiphonam:



Et Chorus prosequitur:





Pontifex, si præsens sit, et omnes alii, excepto Celebrante, genua flectunt usque ad terram et reverenter Crucem adorant. Deinde Celebrans lente procedit ulterius usque ad cornu Evangelii, et, discooperiens caput et faciem Crucifixi, elevansque vocem et Crucem aliquantulum altius quam prius, iterum incipit: Ecce lignum Crucis, et adjuvatur, respondetur, genuflectitur et adoratur, ut supra. Tandem Celebrans revertitur ad medium Altaris, et, finita Antiphona in Choro, discooperiens totaliter Crucem et altius quam prius elevans vocem et Crucem, tertio incipit: Ecce lignum Crucis, et omnia alia fiunt ut superius dictum est. Quibus peractis, Celebrans vertit se ad Altare, et ibi collocat Crucem erectam: et, facta ei genuflexione, pergit ad scamnum, et tam ipse quam Ministri deponunt calceamenta: postea revertitur ad Altare, et, facta genuflexione, Crucem ambabus manibus accipit, adjuvantibus Ministris: et, nulli faciens reverentiam, neque Altari neque Pontifici, descendit ad stratum, illic ante gradus Altaris paratum, et ibi, flexis genibus, deponit Crucem: et, surgens, retrahit se aliquantulum a loco ubi Crucem posuerat, et adorat, tergenua flectens, cum aliqua distantia in eundo. Accedens vero prope Crucem, antequam eam osculetur, potest dicere, si voluerit, versum: O Crux, ave spes única, et, osculata semel Cruce, offert oblationem, et, facta genuflexione, revertitur ad suum locum. Si Pontifex præsens fuerit, præcedit Celebrantem in adoratione Crucis, ut supra, et immediate Celebrans facit similiter, et deinde Pontifex ad thronum et Celebrans ad scamnum revertitur, ubi sedet, resumptis prius calceamentis et Pluviali. Post Celebrantem Ministri simili modo adorant Crucem, et, assurgentes et manibus ante pectus junctis versus populum manent hinc inde, Diaconus a dexteris et Subdiaconus a sinistris Crucis, prope eam astantes usque ad finem adorationis. Deinde alii de Clero bini et bini, præcedentibus dignioribus, eodem ordine adorant et postea ad sua loca redeunt, omnesque alii christifideles præsentes, si voluerint, idem faciant; ita tamen ut Pontifex et alii de Clero, in ista Crucis adoratione, deponunt calceamenta exteriora, et non ceteri fideles. Et, interea dum fit adoratio Crucis, cantat Chorus Antiphonam: Crucem tuam adorámus, Dómine, et reliqua, ut in Graduali, totaliter vel in parte, prout adorantium multitudo vel paucitas requirit: quæ etiam Sacerdos sedens ad scamnum solus vel cum Cæremoniario legit, ut infra:

℣. Crucem tuam adorámus, Dómine: et sanctam resurrectiónem tuam laudámus, et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: ℟. Illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

℣. Crucem tuam adorámus, Dómine: et sanctam resurrectiónem tuam laudámus, et glorificámus: ecce enim propter lignum venit gáudium in univérso mundo. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Hymnus ℣. Pange lingua gloriósi láuream certáminis, et super Crucis trophæo dic triúmphum nóbilem: quáliter Redémptor orbis immolátus vícerit. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

℣. De paréntis protoplásti fraude Factor cóndolens, quando pomi noxiális in necem morsu ruit: ipse lignum tunc notávit, damna ligni ut sólveret. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

℣. Hoc opus nostræ salútis ordo depopóscerat: multifórmis proditóris ars ut artem fálleret: et medélam ferret inde, hostis unde læserat. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

℣. Quando venit ergo sacri plenitúdo témporis, missus est ab arce Patris Natus, orbis Cónditor: atque ventre virgináli carne amictus pródiit. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

℣. Vagit infans inter arcta cónditus præsépia: membra pannis involúta Virgo Mater álligat: et Dei manus, pedésque stricta cingit fáscia. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

℣. Lustra sex qui jam perégit, tempus implens córporis, sponte libera Redémptor passióni déditus, Agnus in Crucis levátur immolándus stípite. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

℣. Felle potus ecce languet: spina, clavi, láncea mite corpus perforárunt, unda manat, et cruor: terra, pontus, astra, mundus, quo lavántur flúmine! ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

℣. Flecte ramos arbor alta, tensa laxa víscera, et rigor lentéscat ille, quem dedit natívitas: et supérni membra Regis tende miti stípite. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

℣. Sola digna tu fuísti ferre mundi víctimam: atque portum præparáre arca mundo náufrago: quam sacer cruor perúnxit, fusus Agni córpore. ℟. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis: nulla silva talem profert, fronde, flore, gérmine.

℣. Sempitérna sit beátæ Trinitáti glória: æqua Patri, Filióque: par decus Paráclito: Unius, Trinique nomen laudet univérsitas. Amen. ℟. Dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.

Postquam adorata fuerit, sacri Ministri Crucem sublevant, et, omnibus interim genuflexis, eam tradunt Celebranti, qui, stans in medio Altaris, Crucem reverenter accipit eamque versus populum elevans, alta voce incipit Antiphonam:



Et Chorus prosequitur:



Qua finita, Celebrans super Altare Crucem reponit, et, facta ei genuflexione, ad scamnum cum Ministris pergit, ubi, deposito Pluviali, sumit Manipulum et Planetam, Diaconus resumit Manipulum et Subdiaconus Manipulum et Planetam plicatam, et interim aufertur pulvillus et pannus adorationis et accenduntur candelæ super Altare præparatæ. Deinde Celebrans cum Ministris pergit ad infimum Altaris gradum, ubi, omnibus genuflexis, et, dicta Confessione, Diaconus surgit, et, accepta Bursa Corporalium a Cæremoniario, ascendit ad Altare et, more solito, explicat Corporale et juxta illud ponit Purificatorium. Paratis omnibus et ordinata Processione, sicut in præcedenti die cum Palio seu Baldachino, luminaribus, et duobus Thuriferariis cum Thuribulis ad thurificandum Sacramentum, Celebrans, Ministri et omnes alii de Clero in silentio pergunt ad Capellam, in qua Corpus Domini pridie repositum fuerat: præcedit Acolythus cum Cruce inter duos Ceroferarios, deferentes candelabra cum cereis accensis, et Clerus per ordinem et ultimus Sacerdos cum Ministris: et, accedentes ad gradus Altaris ipsius Capellæ, omnes utrumque genu flectunt Sacramento. Deinde accenduntur intorticia et cerei, et non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti: et dum Sacerdos, genuflexus ante Sacramentum, orat aliquantulum, Diaconus aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini. Postea Sacerdos surgens, absque benedictione, imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum: tum Diaconus, extrahens Custodiam vel Calicem cum Sacramento de capsula, dat ad manus Sacerdotis, et tegit extremitatibus Veli, quod humeros illius circumdat. Calicem sic coopertum habens in manibus, versus ad populum, incipit Antiphonam:



Et Chorus prosequitur:



Dum cantatur Antiphona, omnes procedunt ordine quo venerant: defertur palium super Sacramentum: et duo Acolyti cum thuribulis continue Sacramentum incensant. Ministri autem hinc inde sustinentes brachia Celebrantis, sic procedunt in Processione usque ad Altare majus, quo cum perventum fuerit, Celebrans maxima cum reverentia, Calicem cum Corpore Christi ponit super Aram, quo facto, genuflexus rursum incensat: deinde imponit incensum in thuribulo absque benedictione, et incensat Oblata, Crucem et Altare more solito, genuflectens ante et post, et quandocumque transit ante Sacramentum.

Cum incensat Oblata totumque Altare, dicit:

Incénsum istud a te benedíctum, ascéndat ad te, Dómine: et descéndat super nos misericórdia tua.

Ps. 140, 2-4

Dirigátur, Dómine, orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo: elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum. Pone, Dómine, custódiam ori meo, et óstium circumstántiæ lábiis meis: ut non declínet cor meum in verba malítiæ, ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Quando reddit thuribulum Diacono, dicit:

Accéndat in nobis Dóminus ignem sui amóris, et flammam ætérnæ caritátis. Amen.

Et ipse non incensatur.

Postea, aliquantulum ad populum conversus, extra Altare in cornu Epistolæ lavat manus, nihil dicens: deinde in medio Altaris unam deponit Hostiam ex Calice super Patenam, quam Diaconus tenet et aliam relinquit in Custodia, si adsit, secus super Corporale reponit. Deinde, accipiens Patenam de manu Diaconi cum Hostia sacra, eam ponit super Corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase. Deinde Subdiaconus, nihil dicens, Calicem præparet cum vino et aqua, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam: postea Diaconus, Calicem de manu Subdiaconi accipiens, Celebranti offert, qui eum ponit super

Altare, nihil dicens: et Diaconus illum cooperit Palla.

Deinde inclinat se ante Altare, et, junctis manibus, dicit:


In spíritu humilitátis, et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Deinde versus ad populum in cornu Evangelii, dicit more solito:

Oráte, fratres, pro me: ut meum, ac vestrum sacrifícium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Et per eamdem viam revertitur, non perficiens circulum. Tunc inclinatus reverenter accipiat de Patena Corpus Domini, teneatque illud super Calicem, et, ostendens eum populo, sine Per ómnia sǽcula sæculórum, absolute dicat:





℟. Sed lí-be-ra nos a ma- lo.

Tunc Celebrans, sub silentio dicto Amen, eadem voce qua dixit Pater noster, absolute sine Orémus in tono Missæ ferialis, dicit:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis prætéritis, præséntibus, et futúris: et intercedénte beáta, et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque Andréa, et ómnibus Sanctis, (non signat se patena) da propítius pacem in diébus nostris: ut ope misericórdiæ tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi, et ab omni perturbatióne secúri. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Et responso a choro Amen, facta reverentia usque ad terram, statim dextera accipiens Hostiam supra Calicem dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in Calicem more solito nihil dicens. Pax Domini non dicitur, nec Agnus Dei, neque pacis osculum datur. Postmodum vero, antequam reliquas duas partes recipiat, dicat sub silentio:

Dómine Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem meam do vobis, pacem relínquo vobis: ne respícias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ: eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre, et coadunáre dignáre: Qui vivis et regnas, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Percéptio Córporis tui, Dómine Jesu Christe, quod ego indígnus súmere præsúmo, non mihi provéniat in judícium et condemnatiónem: sed pro tua pietáte prosit mihi ad tutaméntum mentis et córporis, et ad medélam percipiéndam: Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Tunc accipit Patenam cum Corpore Christi: et, maxima humilitate ac reverentia, dicit:

Panem cæléstem accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Percutit pectus suum, ter dicens:

Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Postea sumit Corpus Domini reverenter, signans se illo et dicens:

Corpus Dómini nostri Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen.

Postquam autem sumpserit Corpus Domini, omissis omnibus aliis quæ ante sumptionem Calicis dici solent, immediate particulam Hostiæ cum vino et aqua de Calice recipiat reverenter. Facta Communione, Celebrans, ablutis manibus in cornu Epistolæ, ut coram Ssmo Sacramento moris est, ad medium Altaris revertitur, et, coram ipso inclinatus, manibus junctis, secrete dicit:


Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus: et, de mú-

nere temporáli, fiat nobis remédium sempitérnum.


Non dicitur Corpus tuum, Dómine, nec Postcommunio, nec Pláceat tibi, Sancta Trinitas, nec datur Benedictio; sed statim Celebrans Custodiam cum Sanctissimo Sacramento ponit in medio Corporalis et Calicem cum Purificatorio tradit Subdiacono, qui eum mundat et cum Patena et Palla ad abacum defert et Diaconus deponit Stolam largiorem et resumit Planetam plicatam: deinde Ministri iterum redeunt ad Altare. Ubi autem non adsit Custodia, Celebrans ipse mundat Calicem et in eo recondit Hostiam consecratam, et Diaconus Calicem Palla et Patena inversa cooperit, desuper Velum sericum albi coloris expandit quod ligula serica ad pedem devincit et in medio Altaris collocat. Deinde Celebrans digitos abluit, ut supra dictum est, et Diaconus resumit Planetam plicatam. His peractis, Celebrans accipit Custodiam vel Calicem coopertum, et, ad populum cum Ministris conversus, incipit primam Antiphonam ad Vesperas Cálicem salutáris, ut supra in Feria V, 179, et, statim ad Altare conversus, reponit Calicem super Corporale et Cantores Antiphonam perficiunt et intonant Psalmum Crédidi, et Chorus, flexis genibus, Vesperas prosequitur. Dum cantantur Vesperæ, quatuor Sacerdotes ex dignioribus de Clero, Amictu et Alba induti, e Sacrario afferunt feretrum, velo serico nigri coloris coopertum, in quo positi sint quatuor mappæ plicatæ et super ipsas Ara sacra et Corporale extensum, liber Veteris et Novi Testamenti seu Missale, parva Crux, tintinnabulum, urceoli vacui et claves ecclesiæ. Cum ad Altare pervenerint, Celebrans apprehendit Calicem, cum Ministris paulisper recedit ad partem Evangelii, et Sacerdotes super Altare deponunt feretrum, in quo super Corporale statim Celebrans devote Calicem recondit et diligenter firmat. Quibus peractis, Diaconus feretrum claudit et clavem ligula serica appendit collo Celebrantis, qui absque benedictione ponit incensum in Thuribulo et Sacramentum flexis genibus thurificat. Finitis autem Psalmis et Antiphonis, duo Clerici cantant Versum:



Et Chorus respondet:




Deinde Celebrans incipit Antiphonam ad Magnificat:



Tanto témpo-re vo-bíscum e- ram.

Et Cantores intonant Canticum:




Ma-gni- fi-cat * á-nima me- a Dó-mi- num.

Quo finito et reiterata Antiphona Tanto témpore, dicitur secreto Pater noster, et postea Celebrans tono gravi incipit Psalmum Miserére mei, Deus, quem Chorus alternatim prosequitur usque in finem. Quo recitato, Celebrans eodem tono dicit Orationem:


Réspice, quǽsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum. Et in silentio concluditur: Qui tecum.

His omnibus expletis, Celebrans ponit incensum absque benedictione in duobus Thuribulis et Sacramentum genibus flexis incensat, deinde ordinatur Processio; præcedunt duo Ceroferarii cum candelabris, quos sequuntur omnes de Clero, Paramentis nigri coloris super Albam induti, cereos deferentes, bini et bini incedentes, junioribus præeuntibus, et omnes capita in signum luctus Amictu velabunt, deinde feretrum sub Pallio seu Baldachino nigri coloris, quod a supradictis quatuor Sacerdotibus super humeros portabitur, Sacramentum incensantibus duobus Thuriferariis, deinde Ministri, unus post alium, et tandem Celebrans Processionem claudit. Et, statim ac Ceroferarii incedere incipiunt, etiam duo Clerici devote cantant Versum:



He- u, he- u, Dó-mi- ne: he- u, he- u, Salvá-tor no- ster.


Et, sistente Processione, Chorus respondet:



Pu-píl-li facti sumus absque Pa-tre: Ma-ter nostra ví-du- a.

¶ Et sic alternatim fieri debet, ut Processio moveatur dum cantantur Heu, et sistat dum Chorus respondet.

Duo Cantores repetunt Versum Heu, heu, ut supra; et Chorus respondet:




Cé-ci-dit co-róna cá-pi-tis nostri: væ no-bis qui-a peccá-vimus.

Duo Cantores iterum repetunt Versum Heu, heu, ut supra; et Chorus respondet:




Spi-ri-tus cordis no-stri, Chri-stus Dó-mi-nus, morte turpis-sima



condemná- tus.

Duo Cantores iterum repetunt Versum Heu, heu, ut supra; et Chorus respondet:



De-fé-cit gáudi-um cor-dis: versa est in luctum cítha-ra no-stra.

Deinde duo Cantores et Chorus alternatim cantant Versum Heu, heu, quoties oportuerit, usquedum perveniatur ad locum sepulcri, in quo reponendum est feretrum cum Sacramento. Ad quem cum accesserint, extendatur velamen seu cortina, remanentibus intra Celebrante cum Ministris; et, reposito feretro super Altare et incensato Sacramento, Celebrans, respondente Choro, dicit:

℣. In pace factus est locus ejus. ℟. Et habitátio ejus in Sion.


℣. Caro mea. ℟. Requiéscet in spe.

℣. In pace in idípsum. ℟. Dórmiam et requiéscam.


Quo finito, deponitur velamen et Chorus cantat Responsorium:



Se-púl-to Dó-mi-no, signá-tum est monumén-



tum, volvén-tes lá-pi- dem ad ósti-um monu-



Et, cantato Responsorio et facta flexis genibus brevi adoratione Sacramento, omnes capite cooperto ad Sacrarium revertuntur, et, si ante Altare majus transierint, Crucifixo genuflectant.

¶ In Ecclesiis vero, in quibus Corpus Domini non reservatur in sepulcro usque ad crastinum Paschæ, facta Communione dictoque Quod ore súmpsimus, prætermissis Corpus tuum, Dómine et Pláceat tibi, Sancta Trínitas, statim Celebrans incipit primam Antiphonam ad Vesperas Cálicem salutáris, ut supra, 179, et Chorus prosequitur Vesperas, ut in Breviario continetur. Quibus finitis cum Cantico Magníficat et Antiphona Tanto témpore, flexis genibus secreto dicatur Pater noster, postea tono gravi Psalmus Miserére mei, Deus et deinde Celebrans eodem tono dicit Orationem Réspice, quǽsumus, Dómine, ut supra, 208 qua finita, Celebrans et Ministri ad Sacrarium regrediuntur, et sic absolvitur Officium Parasceves.



SABBATO SANCTO

Hora competenti, Altaria mappis cooperiuntur et Antipendiis albis ornantur, Imagines vero et retabula cooperta maneant usquedum Celebrans intonet in Missa **Glória in excélsis Deo**; in Altari autem majori, Antipendio albo aliud apponitur violaceum post Litanias amovendum, et tunc, antequam Missa inchoetur, si commode fieri potest, amplo et pulchro tapete Altaris gradus tegantur.

In Presbyterio præparatur a latere Evangelii prope infimum gradum Altaris pes ligneus vel basis marmorea pro arundine firmanda, magnum candelabrum cum Cereo Paschali, pulpitum velo albo contectum ad cantandum Præconium, aliud legile nudum in medio Presbyterii vel in plano ad latus Epistolæ ad legendas Prophetias. Super scamnum apponentur Planeta cum Manipulo coloris violacei, a Celebrante post Præconium assumenda, alii duo Manipuli ejusdem coloris pro sacris Ministris. Super Credentiam, alba tobalea contectam, ponetur Calix cum suis paramentis albi coloris, parva candela pro lampadibus accendendis et Missale pro cantando Præconio.

In Cruciario vel in atrio seu aditu Ecclesiæ, ad latus Epistolæ, paranda est mensa, albo linteo cooperta, et super eam: legile vel pulvillus violaceus cum Missali et parva candela ad lumen accendendum. Prope latus sinistrum mensæ, tripes cum foculo, in quo carbones, ligna et instrumenta ad novum ignem e silice accendendum ponantur: a latere autem dextero, ponetur arundo, eleganter ornata, cum tribus candelis in ima parte conjunctis et quæ in summitate in tres distinguuntur, ita æque inter se dissitas, ut in vertice trianguli similitudo oriatur.

¶ In Baptisterio paretur mensa albo linteo cooperta, et super eam: legile cum Missali, ampullæ Oleorum Chrismatis et Catechumenorum, vas pro aqua benedicta et aspersorium, vasa ad hauriendam aquam e fonte, pelvicula cum bombacio ac mica panis et manutergia.

¶ Omnibus ita præparatis, et, dicta Nona in Choro, Celebrans et Ministri, induti Paramentis violaceis, nempe, Celebrans indutus Amictu, Alba, Cingulo, Stola et Pluviali, vel sine Casula, et Ministri induti Dalmaticis, aperto capite, omnes processionaliter ad Cruciarium vel atrium Ecclesiæ exeant de Sacrario, eo ordine, ut præcedat Thuriferarius cum Thuribulo vacuo et navicula cum incenso, deinde Cruciferarius cum Cruce aperta inter Ceroferarios cum cereis exstinctis, postea Acolythus cum patera argentea vel argentata cum quinque globulis incensi, Cereo Paschali infigendis, et alius Acolythus cum vase aquæ benedictæ, deinde omnes alii de Clero bini et bini et Cæremoniarius, et ultimo loco Celebrans inter sacros Ministros. Cum omnes ad locum benedictionis pervenerint, Celebrans sistit ante mensam, et, facie ad Crucem Cruciferarii conversa et manibus junctis, profert sine cantu:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

Orémus. Oratio

Deus, qui per Fílium tuum, angulárem scílicet lápidem, claritátis tuæ fidélibus tuis ignem contulísti, prodúctum e sílice, nostris profutúrum úsibus, novum hunc ignem san✠ctífica: et concéde nobis, ita per hæc festa paschália cæléstibus desidériis inflammári; ut ad perpétuæ claritátis, puris méntibus, valeámus festa pertíngere. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus

Dómine Deus, Pater omnípotens, Lumen indeficiens, sancte Cónditor ómnium lúminum: béne✠dic, quǽsumus, hoc lumen, quod a te sanctificátum atque benedíctum est, qui illumináati totum mundum: ut ab eo lúmine accendámur et illuminémur, scílicet igne caritátis tuæ quo Móysen illumináati: et hoc lumen tribue córdibus nostris; ut ad vitam ætérnam pervenire valeámus. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Orémus

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: benedicéntibus nobis hunc ignem in nómine tuo, et unigéniti Fílii tui Dei ac Dómini nostri Jesu Christi, et Spíritus Sancti, cooperári dignéris et ádjuva nos: Qui vivis et regnas cum eódem Unigénito tuo, in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti, Deus: per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde benedicit quinque grana incensi, hanc Orationem absolute dicens:

Véniat, quǽsumus, omnípotens Deus, super hoc incénsum larga tuæ bene✠dictiónis infúsio: et hunc noctúrnum splendórem invisíbilis Regenerátor accénde; ut non solum sacrifícium, quod hac nocte litátum est, arcána lúminis tui admixtióne refúlgeat; sed in quocúmque loco ex hujus sanctificatiónis ministério áliquid fúerit deportátum, expúlsa diabólicæ fraudis nequítia, virtus tuæ majestátis assístat. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Benedíctio Dei ✠ Patris omnipoténtis et Fí✠lii et Spíritus ✠ Sancti descéndat et máneat super hoc lumen et incénsum istud.

℟. Amen.


Dum benedicuntur grana incensi, Acolythus assumens de carbonibus ignis benedicti ponit in Thuribulo: finita vero benedictione, Sacerdos de navicula ponit incensum in Thuribulo, benedicens illud more solito: deinde prædicta grana incensi et ignem ter aspergit aqua benedicta, dicens: Aspérges me, Dómine, sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso.

Peracta Benedictione, Cæremoniarius lumine novo accendit tres candelas arundinis et cereos Ceroferariorum, et omnes pergunt ad Presbyterium eo ordine quo venerant e Sacrario, excepto quod post Cruciferarium incedit Acolythus cum arundine seu serpentina. Interim omnia lumina Ecclesiæ debent esse exstincta, ut de igne benedicto postmodum suo tempore accendantur. Cum pervenerint ad Altare majus, Celebrans, facta cum Ministris reverentia Altari, ad scamnum cum eisdem pergit ibique sistit. Tum alius Diaconus, Dalmatica albi coloris indutus, e Sacrario exiens et ad Celebrantem accedens, benedictionem, ut ad cantum Evangelii moris est, petit, quem Celebrans benedicit, dicens:


Cæléstì benedictióne benedícat te divína Majéstas et una Déitas Pater, et Fílius, et Spíritus Sanctus. Amen.

Postea Celebrans more solito ponit et benedicit incensum in Thuribulo, et, præcedentibus Thuriferario, Cruciferario, Ceroferariis et aliis Acolythis, Diaconus vadit ad pulpitum et ponit super eum librum, et, sine ullo Crucis signo, eum incensat. A dextris Diaconi stent Ceroferarius, Cruciferarius cum Cruce et Thuriferarius; a sinistris alter Ceroferarius et duo Acolythi, ille qui tenet Arundinem et alter deferens in vase quinque grana incensi benedicti, figenda in Cereo. Tunc, stantibus omnibus, ut ad Evangelium fieri solet, Diaconus cantat:





orbis se sén-ti- at a-mi-sisse ca- li- gi- nem. Læ-té-tur
et ma- ter Ecclé- si- a, tan-ti lúmi- nis a-dorná-ta fulgó-
ri-bus: et magnis po-pu-ló-rum vó-ci-bus hæc aula re-súl-
tet. Quaprópter adstánti-bus vo-bis, fratres ca- rís-si-mi, ad tam
mi- ram hu- jus sancti lúmi- nis cla- ri- tá- tem, u-na me-cum,
quæso, De- i omni-po-téntis mi-se-ri-córdi- am in-vo-cá- te.
Ut qui me, non me- is mé-ri- tis, intra Le-vi-tá-rum núme-rum
digná- tus est aggre-gá-re, lú-mi-nis su- i cla-ri- tá-tem in-
fúndens, Cé-re- i hu-jus laudem implé-re per-fi- ci- at.


Per Dómi-num nostrum Je-sum Chri-stum Fi- li- um tu- um: qui
cum e- o vi-vit et regnat, in u-ni-tá-te Spí-ri-tus Sancti
De- us. Per ómni- a sǽ-cu-la sæ-cu-ló-rum. ℟. Amen.
℣. Dó-mi-nus vo-bí-scum. ℟. Et cum spi-ri-tu tu- o. ℣. Sursum
corda. ℟. Ha-bémus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a-gámus
Dómi-no De- o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re qui- a
dignum et justum est, invi- sí- bi- lem De- um Patrem omni-
po- téntem, Fi- li- úmque e-jus u-ni-gé-ni- tum, Je-sum Christum
Dómi-num nostrum, to- to cordis ac men-tis af- féctu, et



vo-cis mi-ni-sté-ri- o perso-ná-re. Qui pro no-bis æ-térno
Pa-tri Adæ dé-bi-tum sol-vit: et vé-te-ris pi- á-cu-li cau-
ti- ó-nem pi- o cru- ó- re de-térsit. Hæc sunt e-nim festa
paschá-li- a, in quibus ve-rus il-le Agnus oc-ci-di-tur, cu-jus
sánguine postes fi-dé-li- um consecrántur. Hæc nox est,
in qua primum patres nostros fí- li- os Isra- ël e-dúctos de
Æ-gypto, ma- re rubrum sicco ve-stí-gi- o transi- re
fe- ci-sti. Hæc í- gi- tur nox est, quæ pecca- tó-rum ténebras,
co-lúmnæ il-lu-mi-na- ti- ó- ne purgá-vit. Hæc nox est,


quæ hó-di- e per u-ni-vérsum mundum, in Chri-sto cre-déntes,
a ví-ti- is sæcu-li, et ca-lí-gi-ne pecca-tó-rum segre-gá-tos,
red- dit grá- ti- æ, so- ci- átque sancti- tá- ti. Hæc nox
est, in qua destrú-ctis víncu- lis mortis, Chri-stus ab ínfe-ris
vi-ctor ascéndit. Ni-hil e-nim no-bis nasci pró-fu- it, ni-si
ré-di-mi pro-fu- ísset. O mi-ra cir-ca nos tu-æ pi- e-tá- tis
digná- ti- o! O in-æsti-má-bi- lis di-léc-ti- o ca-ri- tá- tis:
ut servum re-dí-me-res, Fí- li- um tra-di-dí-sti! O cer-te
ne-cessá-ri- um Adæ pec-cá-tum, quod Chri-sti mor-te de-lé-tum


est! O fe- lix culpa, quæ ta- lem ac tantum mé-ru- it
ha-bé-re Re-demptó-rem! O ve-re be- á- ta nox, quæ
so- la mé-ru- it scí-re tempus et ho-ram, in qua Christus ab
ín-fe-ris re-surré- xit! Hæc nox est, de qua scri- ptum est:
Et nox si-cut di- es il-lu-mi-ná-bi-tur: Et nox il-lumi-ná-ti- o
me- a in de- lí- ci- is me- is. Hu-jus í- gi- tur sancti- fi-cá-
ti- o no-ctis fu- gat scé-le-ra, culpas la-vat: et reddit
inno-cénti- am lapsis, et mœ-stis læ-tí- ti- am. Fu- gat
ó-di- a, concórdi- am pa-rat et cur-vat impé- ri- a.


Hic quinque grana incensi a Diacono infigantur cereo in modum crucis, hoc ordine:


1
4 2 5
3



Hic accendatur Cereus a Diacono, cum una ex tribus candelis, in arundine positis.




quas in substán-ti- am pre- ti- ó-sæ hu- jus lámpa-dis, a- pis
ma- ter e-dú-xit. O ve-re et admi-rá-bi- lis a-pis,
cu- jus nec se-xum máscu- li ví- o- lant, fœ-tus non cassant,
nec fí- li- i déstru- unt casti- tá-tem! Sic sancta concé-
pit virgo Ma- rí- a, virgo pé-pe- rit, et vir- go permánsit.
Hic accendantur lampades et alia luminaria Ecclesiæ.
O ve-re be- á- ta nox, quæ exspo- li- á- vit Æ- gýpti- os,
di- tá- vit Hebræ- os! Nox ista, in qua terré-nis cæ- lésti- a,
humá-nis di-ví- na jungúntur. O-rámus ergo te, Dómi- ne:
ut Cé-re- us iste in ho-nó-rem tu- i nómi- nis conse-crá-tus,


ad no-ctis hu-jus ca- li-gi-nem destru- éndam, inde- fi- ci- ens
per-se- vé- ret. Et in o-dó-re su- a-vi- tá- tis ac-céptus,
su-pérnis lu-mi-ná- ri-bus misce- á- tur. Flam- mas e- jus
lú-ci- fer ma-tu-tí- nus invé-ni- at. Il- le, inquam, lú-ci- fer,
qui ne-scit occá-sum. Il-le qui regréssus ab ínfe-ris, humá-
no gé-ne-ri se-ré- nus il-lú-xit. Pre-cámur ergo te, Dómi-ne:
ut nos fámu-los tu- os, omnémque cle-rum, et de-vo- tíssimum
pó-pu- lum: u-na cum be- a- tís-simo Pa-pa nostro N.
et Antísti-te nostro. N. qui- é-te témpo-rum concéssa,


in his paschá- li-bus gáudi- is, assí-du- a pro-te-cti- ó-ne
ré-ge-re, gu-berná-re, et conservá- re digné-ris. Ré- spi-ce
é- ti- am ad de-vo- tís-simum re-gem nostrum N. cu- jus
tu, De- us, de-si-dé-ri- i vo-ta prænóscens, in-ef-fá-bi- li pi- e-
tá-tis et mi-se-ri-córdi- æ tu- æ mú-ne-re, tranquíllum perpé-
tu-æ pa-cis ac-cómmoda: et cæ-léstem victó-ri- am cum omni
pó-pu-lo su- o. Per Dómi-num nostrum Jesum Christum Fi- li- um
tu- um: Qui te-cum vi-vit et regnat in u-ni-tá-te Spi-ri-tus
Sancti De- us: per ómni- a sǽcu- la sæ-cu-ló-rum. ℟. Amen.

Peracto cantu Præconii, Diaconus redit ad Sacrarium, Crux, Serpentina et candelabra propriis locis ponuntur. Celebrans exuitur Pluviali et sumit Manipulum et Casulam violacei coloris et Ministri sacri sumunt etiam Manipulos ejusdem coloris, et omnes debitis cum reverentiis ad Altare pergunt. Deinde in plano Presbyterii leguntur Prophetiæ sine titulo, nec in earum fine respondetur Deo grátias, et Celebrans in cornu Epistolæ dicit, in fine Prophetiarum, Orationes et Tractus modo infra notato.

Prophetia I

Gen. 1, 1-31 et 2 1-2

In princípio creávit Deus cælum, et terram. Terra autem erat inánis, et vácua, et ténebræ erant super fáciem abýssi: et Spíritus Dei ferebátur super aquas. Dixítque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona: et divísit lucem a ténebris. Appellavítque lucem Diem, et ténebras Noctem: factúmque est véspere, et mane, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmaméntum in médio aquárum: et dívidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmaméntum, divisítque aquas, quæ erant sub firmaménto, ab his, quæ erant super firmaméntum. Et factum est ita. Vocavítque Deus firmaméntum Cælum: et factum est véspere, et mane, dies secúndus. Dixit vero Deus: Congregéntur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum unum: et appáreat árida. Et factum est ita. Et vocávit Deus áridam, Terram: congregationésque aquárum appellávit Mária. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait: Gérminet terra herbam viréntem, et faciéntem semen, et lignum pomíferum fáciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetípso sit super terram. Et factum est ita. Et prótulit terra herbam viréntem, et faciéntem semen juxta genus suum, lignúmque fáciens fructum, et habens unumquódque seméntem secúndum spéciem suam. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere, et mane, dies tértius. Dixit autem Deus: Fiant luminária in firmaménto cæli, et dívidant diem, ac noctem, et sint in signa, et témpora, et dies, et annos: ut lúceant in firmaménto cæli, et illúminent terram. Et factum est ita. Fecítque Deus duo luminária magna: luminàre majus, ut præésset diéi: ei luminàre minus, et præésset nocti: et stellas. Et pósuit eas in firmaménto cæli, ut lucérent super terram, et præéssent diéi ac nocti, et divíderent lucem, ac ténebras. Et vidit Deus quod esset bonum. Et factum est véspere, et mane, dies quartus. Dixit étiam Deus: Prodúcant aquæ réptile ánimæ vivéntis, et volátile super terram sub firmaménto cæli. Creavítque Deus cete grándia, et omnem ánimam vivéntem atque motábilem, quam prodúxerant aquæ in spécies suas, et omne volátile secúndum genus suum. Et vidit Deus quod esset bonum. Benedixítque eis, dicens: Créscite, et multiplicámini, et repléte aquas maris: avésque multiplicéntur super terram. Et factum est véspere, et mane, dies quintus. Dixit quoque Deus: Prodúcat terra ánimam vivéntem in género suo: juménta et reptília, et béstias terræ secúndum spécies suas. Factúmque est ita. Et fecit Deus béstias terræ juxta

spécies suas, et juménta, et omne réptile terræ in génere suo. Et vidit Deus quod esset bonum, et ait: Faciámus hóminem ad imáginem, et similitúdinem nostram: et præsit píscibus maris, et volatílibus cæli, et béstiis, universǽque terræ, omníque réptili, quod movétur in terra. Et creávit Deus hóminem ad imáginem suam: ad imáginem Dei creávit illum, másculum et féminam creávit eos. Benedixítque illis Deus, et ait: Créscite, et multiplicámini, et repléte terram, et subjícite eam, et dominámini píscibus maris, et volatílibus cæli, et univérsis animántibus, quæ movéntur super terram. Dixítque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferéntem semen super terram, et univérsa ligna, quæ habent in semetípsis seméntem géneris sui, ut sint vobis in escam: et cunctis animántibus terræ, omníque vólucri cæli, et univérsis, quæ movéntur in terra, et in quibus est ánima vivens, ut hábeant ad vescéndum. Et factum est ita. Vidítque Deus cuncta, quæ fécerat: et erant valde bona. Et factum est véspere, et mane, dies sextus. Igitur perfécti sunt cæli, et terra, et omnis ornátus eórum. Complevítque Deus die séptimo opus suum, quod fécerat: et requiévit die séptimo ab univérso ópere quod patrárat.

Qua completa, Sacerdos dicit: **Orémus**, Diaconus: **Flectámus génua**, et Subdiaconus: **Leváte.**

Oratio

Deus, qui mirabíliter creásti hóminem, et mirabílius redemísti: da nobis, quǽsumus, contra oblectaménta peccáti, mentis ratióne persístere: ut mereámur ad ætérna gáudia pervenire. Per Dóminum.

Prophetia II

Exodi 14, 24-31 et 15, 1

In diébus illis: Factum est in vigília matutína, et ecce respíciens Dóminus super castra Ægyptiórum per colúmnam ignis, et nubis, interfécit exércitum eórum: et subvértit rotas cúrruum, ferebantúrque in profúndum. Dixérunt ergo Ægýptii: Fugiámus Israélem: Dóminus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dóminus ad Móysen: Exténde manum tuam super mare, ut revertántur aquæ ad Ægýptios super currus, et équites eórum. Cumque extendísset Móyses manum contra mare, revérsum est primo dilúculo ad priórem locum: fugientibúsque Ægýptiis occurrérunt aquæ, et invólvit eos Dóminus in médiis flúctibus. Reversǽque sunt aquæ, et operuérunt currus, et équites cuncti exércitus Pharaónis, qui sequéntes ingréssi fúerant mare: nec unus quidem supérfuit ex eis. Fílii autem Israël perrexérunt per médium sicci maris, et aquæ eis erant quasi pro muro a dextris et a sinístris: liberavítque Dóminus in die illa Israël de manu Ægyptiórum. Et vidérunt Ægýptios mórtuos super littus maris, et manum magnam, quam exercúerat Dóminus contra eos: timuítque pópulus Dóminum, et credidérunt Dómino, et Móysi servo ejus. Tunc cécinit Móyses, et fílii Israël carmen hoc Dómino, et dixérunt:

Tractus Exodi 15, 1 et 2 Cantémus Dómino: glorióse enim hono-

rificátus est: equum, et ascensórem projécit in mare: adjútor, et protéctor factus est mihi in salútem. ℣. Hic Deus meus, et honorificábo eum: Deus patris mei, et exaltábo eum. ℣. Dóminus cónterens bella: Dóminus nomen est illi.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Deus, cujus antíqua mirácula etiam nostris sǽculis coruscáre séntimus: dum quod uni pópulo, a persecutióne Ægyptíaca liberándo, déxteræ tuæ poténtia contulísti, id in salútem géntium per aquam regeneratiónis operáris: præsta: ut in Abrahæ fílios, et in Israëlíticam dignitátem, totíus mundi tránseat plenitúdo. Per Dóminum.

Prophetia III

Isai. 4, 1-6

Apprehéndent septem mulíeres virum unum in die illa, dicéntes: Panem nostrum comedémus, et vestiméntis nostris operiémur: tantúmmodo invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia, et glória, et fructus terræ sublímis, et exsultátio his, qui salváti fúerint de Israël. Et erit: Omnis qui relíctus fúerit in Sion, et resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, et sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus, in spíritu judícii, et spíritu ardóris. Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, et ubi invocátus est, nubem per diem, et fumum, et splendórem ignis flammántis in nocte: super omnem enim glóriam protéctio. Et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, et in securitátem, et absconsiónem a túrbine, et a plúvia.

Tractus Isaiæ 5, 1 et 2 Vínea facta est diléсto in cornu, in loco úberi. ℣. Et macériam circúmdedit, et circumfódit: et plantávit víneam Sorec, et ædificávit turrim in médio ejus. ℣. Et tórcular fodit in ea: vínea enim Dómini Sábaoth, domus Israël est.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Deus qui nos ad celebrándum paschále sacraméntum, utriúsque Testaménti páginis ínstruis: da nobis intellígere misericórdiam tuam; ut ex perceptióne præséntium múnerum firma sit expectátio futurórum. Per Dóminum.

Prophetia IV

Isai. 54, 16 et 55, 1-11

Hæc est heréditas servórum Dómini: et justítia eórum apud me, dicit Dóminus. Omnes sitiéntes veníte ad aquas: et qui non habétis argéntum, properáte, émite, et comédite: veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne, vinum, et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima

vestra. Inclináte aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet ánima vestra, et fériam vobíscum pactum sempitérnum, misericórdias David fidéles. Ecce testem pópulis dedi eum, ducem, ac præceptórem géntibus. Ecce gentem, quam nesciébas, vocábis: et gentes, quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum Deum tuum, et sanctum Israël, quia glorificávit te. Quærite Dóminum, dum inveniri potest: invocáte eum, dum prope est. Derelínquat ímpius viam suam, et vir iníquus cogitatiónes suas, et revertátur ad Dóminum, et miserébitur ejus, et ad Deum nostrum: quóniam multus est ad ignoscéndum. Non enim cogitatiónes meæ, cogitatiónes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dóminus. Quia sicut exaltántur cæli a terra, sic exaltátæ sunt viæ meæ a viis vestris, et cogitatiónes meæ a cogitatiónibus vestris. Et quómodo descéndit imber, et nix de cælo, et illuc ultra non revértitur, sed inébriat terram, et infúndit eam, et germináre eam facit, et dat semen seménti, et panem comedénti; sic erit verbum meum, quod egrediétur de ore meo: non revertétur ad me vácuum, sed fáciet quæcúmque vólui, et prosperábitur in his, ad quæ misi illud: dicit Dóminus omnipotens.

Tractus Deut. 33, 1-4 Atténdite, cæli, et loquar: et áudiat terra verba ex ore meo. ℣. Expectétur sicut plúvia elóquium meum: et descéndant sicut ros verba mea. ℣. Sicut imber super gramen, et sicut nix super fœnum: quia nomen Dómini invocábo. ℣. Date magnitúdinem Deo nostro: Deus, vera ópera ejus, et omnes viæ ejus judícia. ℣. Deus fidélis, in quo non est iníquitas: justus, et sanctus Dóminus.

Orémus. Flectámus génua. ℟. Leváte.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam semper Géntium vocatióne multíplicas: concéde propítius; ut, quos aqua baptísmatis ábluis, contínua protectióne tueáris. Per Dóminum.

Ubi non fit benedictio Fontis, omittitur sequens Tractus Sicut cervus *et Oratio* Concéde, quǽsumus, *et statim incipiunt Litaniæ, ut infra,* 227, *notatur: si autem Ecclesia habuerit Fontem, cantatur a Choro sequens*

Tractus Ps. 41, 2-4 Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? ℣. Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus?

Et, sine Dóminus vobíscum *et sine* Flectámus génua, *dicitur:*

Orémus. Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui festa paschália ágimus; cæléstibus desidériis accénsi, fontem vitæ sitiámus. Per Dóminum.

Deinde Celebrans descendit ad scamnum, ibique deponit Casulam et Manipulum, et sumit Pluviale violaceum


et Ministri item Manipulos deponunt: postea redeunt ad infimum Altaris gradum; et, omnibus genuflexis, duo Cantores in medio Chori vel Presbyterii incipiunt sequentes Litanias, omnibus aliis idem simul respondentibus.




Ký-ri- e, e-lé- i-son. Christe, e-lé- i-son. Ký-ri- e, e-lé- i-son.




Christe, au-di nos. Christe, exáudi nos. Christe, de-fénde nos.




Pa-ter de cæ-lis De- us, mi-se-ré-re no-bis.




Fi- li Red-émptor mundi De- us, mi-se-ré-re no-bis.



Spi-ri-tus Sancte De- us, mi-se-ré-re no-bis.



Sancta Trí-ni-tas u-nus De- us, mi-se-ré-re no-bis.



Sancta Ma-rí- a, o-ra pro no-bis.


Sancta Dei Génitrix, ora.
Sancta Virgo vírginum, ora.

Tunc surgunt omnes, et, facta Altari genuflexione, Litanias prosequuntur intra Ecclesiam ter circumeundo ante benedictionem Fontis, et fit Processio hoc ordine: primus omnium præibit Clericus cum Cereo Paschali, illum sequitur alter Clericus cum arundine seu serpentina, deinde Crux inter Ceroferarios cum cereis accensis, postea omnes

de Clero bini et bini, præeuntibus junioribus, et postremus Celebrans inter Ministros, Pluvialis fimbriam elevantes. Post Celebrantem Processioni se associat omnis populus, qui cum Clero humiliter et devote respondet invocationibus Litaniarum. Facto tertio circulo intra Ecclesiam, omnes sistunt ante cancellos Fontis.

Sancte Michaël, ora pro nobis.
Sancte Gábriel, ora.
Sancte Ráphaël, ora.
Omnes sancti Angeli et Archángeli Dei, oráte pro nobis.
Omnes sancti beatórum Spirítuum órdines, oráte.
Sancte Joánnes Baptísta, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriárchæ et Prophétæ, oráte.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andréa, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Joánnes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacóbe, ora.
Sancte Philíppe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.
Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Matthía, ora.
Sancte Bárnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apóstoli et Evangelistæ, oráte.
Omnes sancti Discípuli Dómini, oráte.
Omnes sancti Innocéntes, oráte.
Sancte Stéphane, ora.
Sancte Petre de Rates, ora.
Sancte Laurénti, ora.
Sancte Vincénti, ora.
Sancti Fabiáne et Sebastiáne, oráte.
Sancti Joánnes et Paule, oráte.
Sancti Cosma et Damiáne, oráte.
Sancte Geórgi, ora.
Sancte Victor, ora.
Sancte Pelági, ora.
Sancte Jacóbe Intercíse, ora.
Sancte Ovídi, ora.
Sancte Torquáte, ora.
Sancti Gervási et Protási, oráte.
Omnes sancti Mártyres, oráte.
Sancte Silvéster, ora.
Sancte Grégori, ora.
Sancte Ambrósi, ora.
Sancte Augustíne, ora.
Sancte Hierónyme, ora.
Sancte Martíne, ora.
Sancte Fructuóse, ora.
Sancte Gerálde, ora.
Sancte Nicoláë, ora.
Sancte Martíne de Dume, ora.
Sancte Ludovíce, ora.
Sancte Bonaventúra, ora.
Omnes sancti Pontífices et Confessóres, oráte.
Omnes sancti Doctóres, oráte.
Sancte Antóni, ora.
Sancte Benedícte, ora.
Sancte Francísce, ora.
Sancte Bernárde, ora
Sancte Domínice, ora.
Omnes sancti Mónachi et Eremítæ, oráte.
Omnes sancti Sacerdótes et Levítæ, oráte.
Sancta Anna, ora.
Sancta María Magdaléna, ora.
Sancta Martha, ora.
Sancta Agatha, ora.

Sancta Quitéria, ora.
Sancta Engrátia, ora.
Sancta Lúcia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcília, ora.
Sancta Catharína, ora.
Sancta Bárbara, ora.
Sancta Clara, ora.
Sancta Elísabeth, ora.
Sancta Anastásia, ora.
Omnes sanctæ Vírgines et Víduæ, oráte.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercédite pro nobis.




Propítius esto, exáudi nos, Dómine.
Ad omni malo, líbera nos, Dómine.
Ab omni peccáto, líbera.
Ab ira tua, líbera.
A subitánea et improvísa morte, líbera.
Ab insídiis diáboli, líbera.
Ab ira, et ódio, et omni mala voluntáte, líbera.
A spíritu fornicatiónis, líbera.
A fúlgure et tempestáte, líbera.
A flagéllo terræmótus, líbera.
A peste, fame et bello, líbera.
A morte perpétua, líbera.
Per mystérium sanctæ incarnatiónis tuæ, líbera.
Per advéntum tuum, líbera nos, Dómine.
Per nativitátem tuam, líbera.
Per baptísmum, et sanctum jejúnium tuum, líbera.
Per crucem et passiónem tuam, líbera.
Per mortem, et sepultúram tuam, líbera.
Per sanctam resurrectiónem tuam, líbera.
Per admirábilem ascensiónem tuam, líbera.
Per adventum Spíritus Sancti Paráclitì, líbera.
In die judícii, líbera.



Ut nobis parcas, te rogámus.
Ut nobis indúlgeas, te rogámus.
Ut ad veram pœniténtiam nos perdúcere dignéris, te rogámus.
Ut Ecclésiam tuam sanctam régere, et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut domnum Apostólicum, et omnes ecclesiásticos órdines in sancta religióne conserváre dignéris, te rogámus.
Ut inimícos sanctæ Ecclésiæ humiliáre dignéris, te rogámus.
Ut régibus et princípibus christiánis

pacem, et veram concórdiam donáre dignéris, te rogámus.
Ut cuncto pópulo christiáno pacem et unitátem largíri dignéris, te rogámus.
Ut nosmetípsos in tuo sancto servítio confortáre, et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut mentes nostras ad cæléstia desidéria érigas, te rogámus.
Ut ómnibus benefactóribus nostris sempitérna bona retríbuas, te rogámus.
Ut ánimas nostras, fratrum, propinquórum et benefactórum nostrórum ab ætérna damnatióne erípias, te rogámus.
Ut fructus terræ dare, et conserváre dignéris, te rogámus.
Ut ómnibus fidélibus defúnctis réquiem ætérnam donáre dignéris, te rogámus.
Ut nos exaudíre dignéris, te rogámus.


Tunc silent omnes, et accedit Celebrans ad Fontem, et cantat benedicendo:



Ut fontem istum bene-dí ✠ ce-re digné-ris, te ro-gámus, audi nos.




Ut fontem istum bene-dí ✠ ce-re, et sancti- fi ✠ cá-re digné-ris,



te ro-gámus, au-di nos.




Ut fontem i-stum be-ne- dí ✠ ce-re, et sancti- fi ✠ cá-re, et con-




se ✠ crá-re digné-ris, te ro-gámus, au-di nos.

Deinde Cantores prosequuntur:


Fili Dei, te rogámus.
Fili Dei, te rogamus.
Fili Dei, te rogámus.



Agnus De- i, qui tol-lis peccá- ta mundi, parce no-bis, Dómi-ne.




Agnus De- i, qui tol-lis peccá- ta mundi, exáudi nos, Dómi-ne.




Agnus De- i, qui tol-lis peccá- ta mundi, mi-se-ré-re no-bis.

Tunc Celebrans, aliis idem respondentibus, devote cantat:



Christe, au-di nos. Chri-ste, ex-áu-di nos. Ký-ri- e, e-lé- i-son.




Christe, e-lé- i-son. Ký-ri- e, e- lé- i-son.

Deinde dicit ad modum Lectionis ℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.


Orémus. **Oratio**

Omnipotens sempitérne Deus, adésto magnæ pietátis tuæ Mystériis, adésto Sacraméntis: et, ad recreándos novos pópulos, quos tibi fons baptísmatis párturit, spíritum adoptiónis emítte; ut, quod humilitátis nostræ geréndum est mystério, tuæ virtútis compleátur effectu. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.


Et prosequitur in tono Præfationis:




Per ómni- a sǽ-cu-la sæ-cu- ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus




vo-bis-cum. ℟. Et cum spi- ri- tu tu- o. ℣. Sursum corda.




℟. Ha-bémus ad Dó-mi-num. ℣. Grá- ti- as a-gámus Dó-mi-no


De- o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum et
justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper, et
u-bi-que grá-ti- as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omni-po-tens,
æ-térne De- us: Qui, invi- sí- bi- li po-tén-ti- a, sacramen-
tó-rum tu- ó-rum mi-ra-bi- li-ter o-pe-rá-ris ef-féctum: Et,
li-cet nos tan-tis mysté-ri- is ex-sequéndis simus indigni:
tu tamen, grá-ti- æ tu- æ do-na non dé-se-rens, é- ti- am ad
pre-ces no-stras au-res tu- æ pi- e-tá- tis in-cli-nas. De- us,
cu- jus Spí- ri- tus su-per aquas, in-ter ipsa mundi primórdi- a.


fe-re-bá-tur: ut jam tunc vir-tú-tem sancti- fi-ca- ti- ó-nis
aquá-rum na-tú-ra conci-pe-ret. De- us, qui no-cén-tis mundi
cri-mi-na per aquas áblu- ens, re-ge-ne-ra- ti- ó-nis spé-ci- em
in ipsa di- lú-vi- i ef-fu-si- ó-ne signá-sti: ut u-ni- us
e- jusdémque e- lemén-ti mysté- ri- o, et fi-nis esset ví-
ti- is, et o- rí-go vir-tú- ti-bus. Ré-spi-ce, Dómi-ne, in fá-
ci- em Ecclé- si- æ tu- æ, et mul-tí-pli-ca in e- a re-ge-ne-
ra- ti- ónes tu- as: qui grá- ti- æ tu- æ afflu- én-tis ímpe-tu
læ-ti- fi-cas ci-vi-tá-tem tu-am: fontémque baptísma-tis á-pe-ris



Hic Sacerdos manu dextera tangit et dividit aquam in modum Crucis; deinde, manu linteo extersa, prosequitur:





Iterum manu tangit aquam: deinde, ubi inferius assignatur, dividit eam in modum Crucis.



Sancto, perféctæ purga-ti- ó-nis indulgénti- am consequántur.

Hic non tangit aquam, sed ter benedicat eam in modum Crucis, dicens:

Unde be-ne-dí-co te, cre- a-tú-ra aquæ, per De- um ✠ vi-vum,

per De- um ✠ ve-rum, per De- um ✠ sanctum: per De- um, qui te

in princí- pi- o, verbo se-pa-rá- vit ab á- ri-da: cu- jus Spí-


ri- tus su-per te fe-re-bá-tur.

Dum **in quátuor flumínibus** *pronuntiaverit, dividit aquam in quatuor partes, eam manu extra Fontem projiciens in modum Crucis.*


Qui te de pa-ra-dí-so ma-ná-re fe-cit, et in quá-tu-or

flumi-ni-bus to-tam terram ri-gá-re præ-cé-pit. Qui te in de-sérto


amá-ram, su- a-vi-tá-te índi-ta, fe-cit esse po-tá-bi-lem, et si-


ti- én-ti pó-pu- lo de petra pro-dú- xit.
Hic facit Crucem supra Fontem.
Be✠ne- dí- co te per Je-sum Christum, Fí- li- um e- jus ú-ni-cum,
Dómi-num nostrum, qui te in Ca-na Ga- li- lǽ- æ, signo admi-
rá-bi- li, su- a po-ténti- a convértit in vi-num. Qui pé-di-bus
su-per te ambu- lá- vit, et a Jo- ánne in Jordáne in te
bapti-zá-tus est. Qui te, una cum sánguine e-jus, de lá-te-re
su- o pro-dú-xit: et di-scí-pu- lis su- is jussit, ut cre-déntes
bapti-za-réntur in te, di-cens: I-te, docé-te omnes gentes, bapti-
zántes e- os in nómi-ne Patris, et Fí- li- i, et Spí-ri-tus Sancti.


Hic Celebrans non dicit **Amen**; sed mutat vocem, et prosequitur in tono Lectionis, dicens:




Hoc loco aspiret ter super aquam in modum Crucis, terque repetens **Hæc nobis praecépta**, ut supra. Deinde prosequatur:



Hic Sacerdos immergit Cereum accensum in aquam, dicens:



Hic tollitur Cereus et prosequitur:



Et, antequam Chrisma et Oleum ponatur in Fonte, omnes qui causa devotionis voluerint accipere aquam benedictam de Fonte ad aspergendum in domibus suis, sumant secundum Decretum Summi Pontificis Alexandri. Deinde

Celebrans fundit Chrisma et oleum Catechumenorum in modum Crucis super ipsam aquam, infundens quodlibet seorsim et dicens voce submissa:

Conjúnctio Chrísmatis sancti ✠ ficatiónis: et Olei un ✠ ctiónis, in Christo Jesu, Dómino nostro, in vitam ætérnam. Amén.


Postmodum infundit Chrisma simul et Oleum, dicens:

In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti Paracléti: sanctificétur et fœcundétur de hoc Oleo salutífero et Chrísmate fons iste: ad abluénda crímina et ad regenerándas ánimas in vitam ætérnam. Amen.

Completa Fontis benedictione, et, redeunte Clero processionaliter ad Altare majus, cantetur Tractus **Cantémus Dómino**, ut supra, 224, in fine 11 Prophetiae.


¶ Ubi vero non fit benedictio Fontis, Tractus **Sicut Cervus** et Oratio **Concéde, quæsumus, 226**, non dicuntur; sed, finita Oratione **Deus, qui Ecclésiam, 226**, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus sub infimum gradum ante Altare procumbant, et alii de Clero stent in Choro vel Presbyterio, in cujus medio constituantur duo ex eis, qui Litanias cantent, Choro idem respondente usque ad finem.

¶ Servato igitur ordine supra præscripto, scilicet, ubi fit benedictio Fontis usque ad dictum Tractum **Cantémus Dómino**, et, ubi non fit benedictio Fontis, usque ad finem Litaniæ, Celebrans, Diaconus et Subdiaconus induuntur Paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda, et incipiunt Confessionem, ut moris est: qua quidem Confessione peracta, vadant ad Cereum paschale; et, ter exstincto, ter iterum accendant, dicente Celebrante qualibet vice, et vocem gradatim altius elevante:



Accéndi- te.

Et Chorus respondet:



De- o grá- ti- as.

Deinde Chorus cantat solemniter **Kýrie, eléison, Christe, eléison, Kýrie, eléison**, et ter singula repetit, et interim Celebrans incensat Altare, ut moris est: et, finitis a Choro **Kýrie, eléison**, incipit solemniter **Glória in excélsis Deo**. Et tunc tollatur velum quod est ante retabulum, et pulsentur omnes campanæ et organa. Finito cantu Hymni, Celebrans vertit se ad populum, dicens:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem glória Domínicæ Resurrectiónis illústras: consérva in nova famíliæ tuæ progénie adoptiónis Spíritum, quem dedísti; ut cór-

pore et mente renováti, puram tibi exhibeant servitútem. Per eúmdem Dóminum… in unitáte ejúsdem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 3, 1-4

Fratres: Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quǽrite, ubi Christus est in déxtera Dei sedens: quæ sursum sunt sápite, non quæ super terram. Mórtui enim estis, et vita vestra est abscóndita cum Christo in Deo. Cum Christus apparúerit, vita vestra: tunc et vos apparébitis cum ipso in glória.

Finita Epistola, Celebrans vertit se ad populum et ter cantat totum Allelúja, gradatim vocem elevando



Et Chorus eodem tono, post quamlibet vicem, repetat idem Allelúja: postea Chorus prosequitur:

℣. Ps. 117, 1 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Deinde dicitur

Tractus Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ad Evangelium non portantur cerei accensi sed exstincti: ponitur incensum et petitur benedictio, et fiunt alia ut moris est.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 28, 1-7

Véspere autem sábbati, quæ lucéscit in prima sábbati, venit María Magdaléne, et áltera María vidére sepúlcrum. Et ecce terræmótus factus est magnus. Angelus enim Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum: erat autem aspéctus ejus sicut fulgur: et vestiméntum ejus sicut nix. Præ timóre autem ejus extérriti sunt custódes, et facti sunt velut mórtui. Respóndens autem Angelus, dixit muliéribus: Nolíte timére vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifíxus est, quǽritis: non est hic: surréxit enim, sicut dixit. Veníte, et vidéte locum, ubi pósitus erat Dóminus. Et cito eúntes, dícite discípulis ejus, quia surréxit: et ecce præcédit vos in Galilǽam: ibi eum vidébitis. Ecce prædíxi vobis.

Non dicitur Credo; sed, finito Evangelio, Celebrans dicit: Dóminus vobíscum, et postea: Orémus. Non dicitur Offertorium: sed offertur Hostia et Calix, et fiunt cetera, more solito.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, preces pópuli tui, cum oblatiónibus hostiárum: ut paschálibus initiáta mystériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, profíciant. Per Dóminum.

Præfatio Te quidem, Dómine, omni témpore, sed in hac potíssimum nocte.

Et dicitur quotidie usque ad Ascensionem, nisi alia propria assignetur. In hac tantum Missa dicatur Nocte, tam in Præfatio quam in Communicántes; in die vero sancto Paschæ et per ejus Octavam, usque ad Sabbatum inclusive, dicatur Die: in reliquo autem Tempore usque ad Ascensionem exclusive, dicatur: Te quidem, Dómine, omni témpore: sed in hoc potíssimum gloriósius, ut proprio loco notatur.

Infra Actionem

Communicántes, et noctem sacratíssimam celebrántes Resurrectiónis Dómini nostri Jesu Christi secúndum carnem: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.


Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque, quos regeneráre dignátus es ex aqua, et Spíritu Sancto, tribuens eis remissiónem ómnium peccatórum, quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.


Quam oblatiónem, ut in Canone.

Dicto vero in hac Missa: Pax Dómini sit semper vobiscum, omissis Agnus Dei et pacis osculo, Celebrans sub silentio dicit Orationem: Hæc sacrosáncta commíxtio vel Fiat commíxtio, cum solitis Orationibus, excepta de Pace. Et, sumpto Sacramento, non dicitur Communio nec Postcommunio: sed, praeintonato a Celebrante Allelúja pro Vesperis, cantatur in Choro, cum Psalmo Laudáte, Antiphona:





Ps. 116, 1-2



Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Glória Patri, et Fílio, * et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper, * et in sǽcula sæculórum. Amen.

Et post dictum Psalmum ter cum Antiphona, Celebrans ad **Magníficat** incipit sequentem Antiphonam:




Et prosequitur Chorus:



Et, finita Antiphona, Cantores exordiuntur:

Canticum B. M. Virg.



Et alternatim Chorus et Cantores totum Canticum absolvunt.

Et, dum Chorus illud cantat, Celebrans incensat Altare, ut moris est in Solemnibus; et, repetita post dictum Canticum Antiphona **Véspere autem Sábbati**, Celebrans vertit se ad populum, et dicit:

℣. Dóminus vobíscum.


℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infunde: ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Deinde dicit: **Dóminus vobíscum.**

Et Diaconus vertens se ad populum, cantat:



℟. Deo grátias, allelúja, allelúja.

Et sic Missa et Vesperæ simul finiuntur.

ORDO MISSÆ

Cum paratus fuerit Sacerdos ad Missam celebrandam, ingressus Sacrarium, antequam sacras Vestes accipiat, pectinet caput, dicens:

Intérius extériusque, caput meum totúmque corpus simul et mentem, tuus, Dómine, emúndet et répleat Spíritus. Amen.

Deinde lavet manus, dicens:

Da, Dómine, virtútem mánibus meis ad extergéndam omnem máculam immúndam, ut sine pollutióne mentis et córporis váleam tibi servíre. Amen.

Postea de intimo corde commendet se gloriosæ Virgini Mariæ, ut ipsa eum offerat acceptabilem ministrum Deo Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, atque ei in hoc Sacrificio mediatrix adsit et adjutrix.

Deinde muniat se signo Crucis, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Ad Amictum Oratio

Pone, Dómine, gáleam salútis in cápite meo, ad expugnándas et superándas omnes diabólicas fraudes, et ómnium inimicórum meó-

...m, persequéntium me, sævítiam ...uperándam. Per Christum Dómi...um nostrum. Amen.

Ad Albam Oratio

Indue me, Dómine, vestiménto salútis, et induménto justítiæ circúmda me. Per Christum.

Ad Cingulum Oratio

Præcinge, Dómine, cíngulo fídei et virtúte castitátis lumbos mei córporis: et cómprime et exstíngue in eis humórem libídinis; ut júgiter máneat in me tenor totíus castitátis. Per Christum.

Ad Manipulum Oratio

Mérear precor, Dómine, Manípulum portáre mente flébili cum patiéntia, ut illum cum exsultatióne deferéndo, cum justis portiónem accípiam. Per Christum.

Ad Stolam Oratio

Redde mihi, Dómine, óbsecro, stolam immortalitátis, quam pérdidi in prævaricatióne primi paréntis: et, quia cum hoc ornaménto, quamvis indígnus, accédo ad tuum sanctum ministérium, cum eódem mérear lætári in perpétuum. Per Christum.

Ad Casulam Oratio

Dómine, qui dixísti discípulis tuis: Jugum meum suáve est, et onus meum leve: præsta; ut, sic illud deportáre váleam, quátenus cónsequi possim tuam grátiam: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. Amen.

Celebraturus itaque, sacris Vestibus indutus, modeste et devote exeat de Sacrario, capite cooperto et manibus ante pectus junctis, vel Calicem cum Patena et aliis paramentis manibus tenens, et, accedens ad Altare, facta ei reverentia convenienti, super ipsum ponit in Missis privatis et præparat Calicem juxta Rubricas: deinde descendit ad infimum Altaris gradum, ubi, flexis genibus, dicit:

Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui Jesus.

Cui minister et circumstantes respondent:

Sancta María, Mater Dei, ora pro nobis peccatóribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

¶ In Missis Defunctorum non dicitur Ave, María; in Missis autem solemnibus, cum pervenerit ad Altare, omissa præparatione Calicis, dicit: Ave, María, cui sacri Ministri et alii respondent: Sancta María, ut supra.

Postea surgit et signat se signo Crucis a fronte ad pectus, dicens:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

Deinde, junctis ante pectus manibus, prosequitur:

℣. Sancti Spíritus adsit nobis grátia.

Ministri respondent:

℟. Amen.

Postea incipit Antiphonam:

Introíbo ad Altáre Dei.

Ministri respondent:

Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Postea alternatim cum Ministris dicit sequentem

Ps. 42, 1-5

Júdica me, Deus, et discérne causam meam de gente non sancta: ab hómine iníquo, et dolóso érue me.

M. Quia tu es, Deus, fortitúdo mea: quare me repulisti, et quare tristis incédo, dum affligit me inimícus?

S. Emítte lucem tuam, et veritátem tuam: ipsa me deduxérunt, et adduxérunt in montem sanctum tuum, et in tabernácula tua.

M. Et introíbo ad altáre Dei: ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

S. Confitébor tibi in cíthara, Deus, Deus meus: quare tristis es, ánima mea, et quare contúrbas me?

M. Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor illi: salutáre vultus mei, et Deus meus.

S. Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

M. Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculórum. Amen.

S. repetit Antiphonam:

Introíbo ad altáre Dei.

℟. Ad Deum qui lætíficat juventútem meam.

Signat se, dicens:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde, junctis manibus et mediocriter inclinatus, facit Confessionem.

¶ In Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, omittitur Psalmus Júdica me, Deus, cum Glória Patri, et repetitione Antiphonæ, sed dicto In nómine Patris, Sancti Spíritus, Introíbo et Adjutórium, fit Confessio, ut sequitur:

Confíteor Deo omnipoténti, et beátæ Maríæ Vírgini, et sanctis Apóstolis Petro et Paulo, et ómnibus Sanctis, et vobis, fratres: quia peccávi nimis cogitatióne, locutióne, ópere et omissióne: (Percutit sibi pectus ter, dicens:) mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa. Ideo déprecor beatíssimam Vírginem Maríam, et omnes Sanctos et Sanctas Dei, et vos, fratres, oráre pro me.

Ministri, genibus flexis, respondent:

Misereátur tui omnípotens Deus, et, dimíssis peccátis tuis, perdúcat te ad vitam ætérnam.

Sacerdos dicit: Amen et erigit se.

Deinde Ministri repetunt Confessionem: et ubi a Sacerdote dicebatur vobis, fratres, et vos, fratres, a Ministris dicitur tibi, pater, et te, pater.

Postea Sacerdos, junctis manibus, facit absolutionem, dicens:

Misereátur vestri omnípotens Deus, et, dimíssis ómnibus peccátis vestris, perdúcat vos ad vitam ætérnam.

℟. Amen.

Signat se signo Crucis, dicens:

Indulgéntiam, absolutiónem, et remissiónem ómnium peccatórum nostrórum tríbuat nobis omnípotens et miséricors Dóminus.

℟. Amen.

Et inclinatus prosequitur:

℣. Deus, tu convérsus vivificábis nos.

℟. Et plebs tua lætábitur in te.

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

℟. Et salutáre tuum da nobis.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Et extendens, ac jungens manus, clara voce dicit: Orémus, et ascendens ad Altare, dicit secreto:

Aufer a nobis, quǽsumus, Dómine, cunctas iniquitátes nostras: ut ad Sancta sanctórum puris mereámur méntibus introíre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde, manibus junctis et super Altare inclinatus, item secreto dicit:

Orámus te, Dómine, per mérita Sanctórum tuórum, (Osculatur Altare in medio) quorum relíquiæ hic sunt, et ómnium Sanctórum: ut mihi indulgére dignéris ómnia peccáta mea. Amen.

Deinde Celebrans pergit ad cornu Epistolæ, et, signans se signo Crucis, incipit Introitum: quo finito, junctis manibus, redit ad medium Altaris et alternatim cum ministro dicit:

Kýrie, eléison. Kýrie, eléison.
Kýrie eléison. Christe, eléison.
Christe, eléison. Christe, eléison.
Kýrie, eléison. Kýrie, eléison.
Kýrie, eléison.

¶ In Missa autem solemni, Celebrans, antequam legat Introitum, ponit incensum in Thuribulo, dicens: Ab illo benedicáris, in cujus honóre cremáberis. Amen, et deinde illud benedicit. Postea, accepto Thuribulo a Diacono, incensat Altare, nihil dicens. Deinde Diaconus, accepto Thuribulo a Celebrante, incensat illum tantum. Quo facto, Celebrans incipit Introitum, ut supra; et, eo finito, dicit in cornu Epistolæ Kýrie, eléison, ut supra, alternatim cum Ministris.

Postea in medio Altaris extendens et jungens manus, caputque aliquantulum inclinans, dicit, si dicendum est, Glória in excélsis Deo, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit Adorámus te, Grátias ágimus tibi, et Jesu Christe, et Súscipe deprecatiónem, inclinat caput: et in fine dicens: Cum Sancto Spíritu, signat se a fronte ad pectus.

¶ Intonationes Hymni Glória in excélsis, secundum varietatem Festorum:

I In Solemnibus et Duplicibus




Vel alia



II In Missis beatæ Mariæ Virginis




III In Festis Angelorum




Gló-ri- a in excél-sis De- o.

IV In Dominicis




Gló- ri- a in excél-sis De- o.

V In Semiduplicibus et Simplicibus



Gló-ri- a in excél-sis De- o.

VI Infra Octavas, quæ non sint beatæ Mariæ Virginis



Gló-ri- a in excél-sis De- o.

Et in terra pax homínibus bonæ voluntátis. Laudámus te. Benedícimus te. Adorámus te. Glorificámus te. Grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam. Dómine Deus, Rex cæléstis, Deus Pater omnípotens. Dómine Fili unigénite, Jesu Christe. Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris. Qui tollis peccáta mundi, miserére nobis. Qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecatiónem nostram. Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis. Quóniam tu solus Sanctus. Tu solus Dóminus. Tu solus Altíssimus, Jesu Christe. Cum Sancto Spíritu, in glória Dei Patris. Amen.

¶ In Feriis, in quibus dicuntur plures Orationes et Prophetiæ, Sacerdos, dicto ultimo **Kýrie, eléison** et omisso **Glória**, statim pergit ad cornu Epistolæ.

Absoluto Hymno, osculatur Altare in medio, et versus ad populum dicit: ℣. **Dóminus vobíscum.** ℟. **Et cum spíritu tuo.** Postea dicit: **Orémus,** et Orationes, unam aut plures, ut ordo Officii postulat. Deinde dicitur Epistola, quam sequitur Graduale, aut Tractus, vel **Allelúja** cum suo Versu, aut Sequentia, prout Tempus aut qualitas Missæ postulat.

¶ Postea in Missis solemnibus, infuso vino in Calicem, Subdiaconus ampullam aquæ offert Celebranti, dicens: **Benedícite, Pater reverénde.** Et Celebrans, faciens signum Crucis super ampullam, dicit:

Dóminus ipse te benedícat, cujus Spíritus in mundi primórdio ferebátur super aquas. In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Et, dum Subdiaconus infundit aquam super vinum, dicit:

Ex látere Dómini nostri Jesu Christi, sanguis et aqua exiísse perhibétur: et ídeo nos páriter commiscémus, ut miséricors Deus utrúmque ad medélam animárum nostrárum sanctificáre dignétur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

¶ In Missis pro Defunctis dicit Orationem Ex látere: sed aquam non benedicit.

Tum Diaconus, reposito Calice super Altare, ante ipsum deponit Missale seu librum Evangeliorum, et, in ore suppedanei genuflexus, manibus junctis, dicit:

Munda cor meum, ac lábia mea, omnípotens Deus, qui lábia Isaíæ Prophétæ cálculo mundásti ignito: ita me tua grata miseratióne dignáre mundáre, ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postea accipit librum de Altari, et rursus genuflexus petit benedictionem a Sacerdote, dicens: Jube, domne, benedícere.

Sacerdos respondet:

Dóminus sit in corde tuo, et in lábiis tuis: ut digne et competénter annuntiáre váleas sanctum Evangélium suum: et benedicit eum, dicens: In nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti. Amen.

Et, accepta benedictione, osculatur manum Celebrantis, ibique sistit dum Celebrans benedicit incensum: qua benedictione peracta, cum aliis Ministris, incenso, et luminaribus, accedens ad locum Evangelii, stans junctis manibus, dicit: ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo. Et pronuntians: Initium vel Sequéntia sancti Evangélii secúndum N., pollice dexteræ manus signat librum in principio Evangelii, quod est lecturus, deinde seipsum in fronte, ore, et pectore: et dum Ministri respondent Glória tibi, Dómine, incensat ter librum, postea prosequitur Evangelium junctis manibus. Quo finito, Subdiaconus defert librum Sacerdoti, qui osculatur Evangelium, dicens: Per evangélica dicta deleántur nostra delicta.

Deinde Sacerdos incensatur a Diacono.

Si vero Sacerdos sine Diacono et Subdiacono celebrat, delato libro ad aliud cornu Altaris, inclinatus in medio, junctis manibus, dicit:

Munda cor meum, ut supra, et Jube, Dómine, benedícere. Dóminus sit in corde meo, et in lábiis meis: ut digne et competénter annúntiem sanctum Evangélium suum. Amen.

Deinde, conversus ad librum, junctis manibus, dicit: ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Et pronuntians: Sequéntia sive Inítium sancti Evangélii, signat librum, et se in fronte, ore, et pectore, et legit Evangelium, ut dictum est. Quo finito, respondet Minister: Laus tibi, Christe, et Sacerdos osculatur Evangelium, dicens: Per evangélica dicta, ut supra.


¶ In Missis Defunctorum dicitur Munda cor meum, sed non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, Celebrans non signat librum nec seipsum et non osculatur librum.

Deinde ad medium Altaris extendens, elevans, et jungens manus, dicit, si


dicendum est. Credo in unum Deum, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit Deum, caput Cruci inclinat: quod similiter facit, cum dicit Jesum Christum, et simul adorátur. Ad illa autem verba Et incarnátus est, utrumque flectit genu usque dum dicatur Et homo factus est. In fine ad Et vitam ventúri sǽculi, signat se signo Crucis a fronte ad pectus.

¶ Intonationes Symboli:

I In Solemnibus, Duplicibus et Dominicis per Annum



II In Dominicis Adventus et a Septuagesima usque ad Pascha, infra Octavas Festorum et in Votivis, quando in eis dicendum est Symbolum



Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ, visibílium ómnium, et invisibílium. Et in unum Dóminum Jesum Christum, Fílium Dei unigénitum. Et ex Patre natum ante ómnia sǽcula. Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero. Génitum, non factum, consubstantiálem Patri: per quem ómnia facta sunt. Qui propter nos hómines, et propter nostram salútem descéndit de cælis. (Hic utrumque flectit genu). Et incarnátus est de Spíritu Sancto ex María Vírgine: Et homo factus est. Crucifíxus étiam pro nobis: sub Póntio Piláto passus, et sepúltus est. Et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras. Et ascéndit in cælum: sedet ad déxteram Patris. Et íterum ventúrus est cum glória judicáre vivos et mórtuos: cujus regni non erit finis. Et in Spíritum Sanctum, Dóminum, et vivificántem: qui ex Patre, Filióque procédit. Qui cum Patre, et Fílio simul adorátur, et conglorificátur: qui locútus est per Prophétas. Et unam sanctam cathólicam et apostólicam Ecclésiam. Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum. Et exspécto resurrectiónem mortuórum. Et vitam ventúri sǽculi. Amen.

Deinde osculatur Altare, et versus ad populum, dicit: ℣. Dóminus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Postea dicit: Orémus, et Offertorium.

Quo dicto, si est Missa solemnis, explicans partem anteriorem Corporalis, dicit:

In tuo conspéctu, quǽsumus, Dómine, hæc múnera tibi sint plácita; ut nos tibi semper placére valeámus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde Diaconus porrigit Celebranti Patenam cum Hostia; si vero Missa sit privata, Sacerdos ipse accipit Patenam cum Hostia, quam offerens, dicit:

Acceptábilis sit Majestáti tuæ, omnípotens Deus, oblátio hæc, quam tibi offérimus pro reátibus et facinóribus nostris, et pro stabilitáte sanctæ Ecclésiæ Cathólicæ, necnon et pro animábus ómnium fidélium Defunctórum. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde, faciens Crucem cum eadem Patena, deponit Hostiam super Corporale.

Postea accipit Calicem, et offert dicens:

Offérimus tibi, Dómine, cálicem salutáris, tuam deprecántes cleméntiam: ut in conspéctu divínæ Majestátis tuæ, pro nostra, et totíus mundi salúte cum odóre suavitátis ascéndat. Amen.

Deinde facit signum Crucis cum Calice, et illum ponit super Corporale, et Palla cooperit: tum, junctis manibus super Altare, aliquantulum inclinatus, dicit:

In spíritu humilitátis, et in ánimo contríto suscipiámur a te, Dómine: et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi, Dómine Deus.

Erectus expandit manus, easque in altum porrectas jungens, elevatis ad cælum oculis, et statim demissis, dicit:

Veni, sanctificátor omnípotens ætérne Deus: Benedicit oblata, prosequendo: et béne ✠ dic hoc sacrifícium, tuo sancto nómini præparátum.

Postea, si solemniter celebrat, benedicit incensum, dicens:

Per intercessiónem beáti Michaélis Archángeli, stantis a dextris altáris incénsi, et ómnium electórum suórum, incénsum istud dignétur Dóminus benedícere, et in odórem suavitátis accípere. Per Christum Dóminum nostrúm. Amen.

Et, accepto thuribulo a Diacono, incensat oblata, modo in Ritu Missæ solemnis præscripto, dicens:

Incénsum istud a te benedíctum, ascéndat ad te, Dómine: et descéndat super nos misericórdia tua.

Deinde incensat Altare, dicens:

Ps. 140, 2-4

Dirigátur, Dómine, orátio mea, sicut incénsum, in conspéctu tuo: elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum. Pone, Dómine, custódiam ori meo, et óstium circumstántiæ lábiis meis: ut non declínet cor meum in verba malítiæ, ad excusándas excusatiónes in peccátis.

Dum reddit thuribulum Diacono, dicit:

Accéndat in nobis Dóminus ignem sui amóris, et flammam ætérnæ caritátis. Amen.

Ad Offertorium populi, Celebrans offerenti dicit:

Céntuplum accípias, et vitam ætérnam possídeas in regno Dei. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem. Interim Sacerdos lavat manus, dicens:

Ps. 25, 6-12

Lavábo inter innocéntes manus meas: et circúmdabo altáre tuum, Dómine:

Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérsa mirabília tua.

Dómine, diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ.

Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguinum vitam meam:

In quorum mánibus iniquitátes sunt; déxtera eórum repléta est munéribus.

Ego autem in innocéntia mea ingréssus sum: rédime me, et miserére mei.

Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sǽcula sæculórum. Amen.

¶ In Missis pro Defunctis, et Tempore Passionis in Missis de Tempore omittitur Glória Patri.

Deinde aliquantulum inclinatus in medio Altaris, junctis manibus super eo, dicit:

Súscipe, sancta Trínitas, hanc oblatiónem, quam tibi offérimus, ob memóriam passiónis, resurrectiónis, et ascensiónis Jesu Christi Dómini nostri; et in honórem beátæ Maríæ semper Vírginis, et beáti Joánnis Baptístæ, et sanctórum Apostolórum Petri et Pauli, et istórum, et ómnium Sanctórum: ut illis profíciat ad honórem, nobis autem ad salútem: et illi pro nobis intercédere dignéntur in cælis, quorum memóriam fácimus in terris. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postea osculatur Altare, et versus ad populum extendens, et jungens manus, voce paululum elevata, dicit:

Oráte, fratres, pro me: ut meum ac vestrum sacrifícium acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Minister, seu circumstantes respondent:

Suscípiat Dóminus sacrifícium de mánibus tuis, ad laudem, et glóriam nóminis sui, ad utilitátem quoque nostram, totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.

Sacerdos submissa voce dicit: Amen.

Quodsi nemo adfuerit qui respondeat, ipsemet Celebrans dicat Suscípiat Dóminus sacrifícium de mánibus meis, et omnia alia, ut supra.

Deinde, manibus extensis, absolute sine Orémus subjungit Orationes secretas. Quibus finitis, cum pervenerit ad conclusionem, clara voce dicit: Per ómnia sǽcula sæculórum, cum Praefatione, ut in sequentibus.

Præfationem incipit ambabus manibus positis hinc inde super Altare: quas aliquantulum elevat, cum dicit: Sursum corda. Jungit eas ante pectus, et caput inclinat, cum dicit: Grátias agámus Dómino Deo nostro.


Deinde disjungit manus, et disjunctas tenet usque ad finem Præfationis: qua finita, iterum jungit eas, et inclinatus dicit: Sanctus. Et cum dicit: Benedíctus qui venit, signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.


PRÆFATIONES IN CANTU SOLEMNI

adhibendae in omnibus Missis de quolibet Officio Solemni, aut Duplici, vel Semiduplici, et in Missis votivis pro re gravi et publica simul causa. Numquam tamen adhibentur in Missis ritus Simplicis, et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint. Commemoratio autem aut Octava, Præfatione propria gaudens, licet, juxta Rubricas, servet jus ad illam quoad textum, non servat quoad cantum solemnem, nisi talis cantus Missæ, quæ celebratur, conveniat.

Præfatio de Nativitate

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas: 1. In Missis de Nativitate Domini, de Dominica infra Octavam Nativitatis, dummodo post diem 1 Ianuarii non sit resumenda, de die infra Octavam Nativitatis, et de omnibus aliis Missis, quæ infra eamdem Octavam Nativitatis celebrentur; 2. In Missis de Circumcisione Domini, de Ssmo Nomine Jesu, de Vigilia Epiphaniæ Domini, de Ssmo Eucharistiæ Sacramento et de Transfiguratione Domini; 3. In Missis de Annuntiatione et in omnibus aliis Missis beatæ Mariæ Virginis, quæ a Nativitate Domini usque ad Purificationem inclusive celebrentur: 4. In omnibus Missis, in quibus alicujus ex recensitis Christi vel beatæ Mariæ Virginis Mysteriis fiat Commemoratio vel celebretur Octava communis. Cauto quod, in recto usu hujus Præfatii, præ oculis habeantur et serventur normæ, infra in Præfatione sine cantu recensendæ.




justum est, æquum et sa- lu- tá-re. nos ti- bi semper, et
u-bíque grá-ti- as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omní-po-tens,
æ-térne De- us: Qui-a per incarná-ti Verbi my-sté-ri- um, nova
mentis nostræ ó-cu- lis lux tu- æ cla-ri- tá- tis in-fúlsit: ut dum
vi- si-bí- li- ter De- um cognóscimus, per hunc in invi- si-bí- li- um
amó- rem ra-pi- ámur. Et i-de- o cum Ange-lis et Ar-chán-
ge- lis, cum Thro-nis, et Domi-na- ti- ó-ni-bus, cumque omni
mi- lí- ti- a cæ-léstis ex- ér-ci- tus, hymnum gló-ri- æ tu- æ
cá-nimus, si- ne fi- ne di-céntes.


Infra Actionem


In prima Missa Nativitatis Domini dicitur: Communicántes, et noctem sacratissimam celebrántes, quo beátæ Maríæ, etc., ut infra; in aliis vero Missis, usque ad Octavam Nativitatis Domini inclusive, quæ de Octava vel de Dominica infra Octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius Commemoratione habeantur, dicitur:

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes, quo beátæ Maríæ intemeráta virgínitas huic mundo édidit Salvatórem: sed et memóriam venerántes, in primis ejúsdem gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum: quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Præfatio de Epiphania Domini

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Epiphania Domini, et per Octavam, non excepta Dominica; præ oculis tamen habeantur normæ, infra in Præfatione sine cantu recensendæ.





Infra Actionem

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes, quo Unigénitus tuus in tua tecum glória coætérnus, in veritáte carnis nostræ visibíliter corporális appáruit: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini


nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum: quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et dicitur per totam Octavam in omnibus Missis, quæ de Octava vel de Dominica infra Octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius Commemoratione habeantur.

Hanc igitur oblatiónem, etc., ut in Canone.

Præfatio de Quadragesima

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Dominicis Quadragesimæ usque ad Dominicam IV inclusive. Dicitur etiam, a Feria V post Cineres, usque ad Sabbatum infra Hebdomadam IV Quadragesimæ, in omnibus Festis quæ Præfationem propriam non habeant, juxta normas, infra in Præfatione sine cantu recensendas.





Præfatio de sancta Cruce

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur: 1. In Dominica Passionis, in Dominica Palmarum et in Feria V in Cœna Domini; 2. In Missis de sancta Cruce, de Passione Domini et pretiosissimo Sanguine Domini nostri Jesu Christi et

de sacratissimo Corde Jesu; 3. In Missis in quibus fiat Commemoratio de Tempore Passionis, vel alicujus ex recensitis Mysteriis aut de eis Octava communis celebretur, juxta normas, infra in Præfatione sine cantu recensendas.






Præfatio Paschalis

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, a Sabbato sancto usque ad Sabbatum in Albis, et in Dominicis usque ad V post Pascha inclusive. Item dicitur a Feria II post Dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, quoties alia Præfatio non sit adhibenda, juxta normas, infra in Præfatione sine cantu, recensendas. In Missa Sabbati sancti dicitur: **In hac potissimum nocte**; in die Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive: **In hac potissimum die**; alias: **in hoc potissimum gloriósius**, omisso verbo: **die.**


Per ómni- a sǽ-cu- la sæ-cu- ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus
vo- bís- cum. ℟. Et cum spí- ri- tu tu- o. ℣. Sur- sum corda.
℟. Ha-bé- mus ad Dó-mi-num. ℣. Grá- ti- as a-gá- mus Dómi- no
De- o nostro. ℟. Di-gnum et justum est. Ve-re dignum et
justum est, æquum et sa- lu- tá-re: Te quidem, Dómi-ne, omni
témpo-re, sed in hac po-tíssimum di- e glo- ri- ó-si- us præ-di-
cá-re, cum Pascha nostrum immo-lá- tus est Christus. Ipse e-nim
ve-rus est Agnus, qui ábstu- lit pec-cá-ta mundi. Qui mortem nostram
mo-ri- éndo destrú-xit, et vi- tam re-surgéndo re-pa-rá-vit.



Et í-de- o cum Ange-lis et Archánge- lis, cum Thro-nis et Domi-



na- ti- ó-ni-bus, cumque omni mi- lí- ti- a cæ-léstis ex-érci-tus,



hymnum gló-ri- æ tu- æ cá-nimus, si- ne fi- ne di-céntes.

Infra Actionem

Communicántes, et noctem sacratíssimam celebrántes, etc., ut infra, dicitur tantum in Missa Sabbati sancti; deinceps vero usque ad Sabbatum in Albis inclusive, in omnibus Missis, quæ de Octava celebrentur, aut cum ejus Commemoratione habeantur, dicitur:

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes Resurrectiónis Dómini nostri Jesu Christi secúndum carnem: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque, quos regeneráre dignátus es ex aqua, et Spíritu Sancto, tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde dicitur:

Quam oblatiónem tu Deus in ómnibus, etc. ut in Canone.

Præfatio de Ascensione Domini

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, a die Ascensionis usque ad Feriam VI post Octavam inclusive, non excepta Dominica, quoties

alia Præfatio non sit adhibenda, juxta normas, infra in Præfatione sine cantu recensendas.





Infra Actionem


Communicántes, et diem sacratissimum celebrántes, quo Dóminus noster, unigénitus Fílius tuus, unítam sibi fragilitátis nostræ substántiam, in glóriæ tuæ déxtera collocávit: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et dicitur per Octavam in omnibus Missis, quæ de Octava vel de Dominica infra Octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius Commemoratione habeantur.

Hanc ígitur oblatiónem, etc. ut in Canone.

Præfatio de Spiritu Sancto

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive: item in Missis votivis de Spiritu Sancto, quæ pro re gravi et publica simul causa solemniter canantur, in quibus tamen omittuntur verba: hodiérna die: servatis normis, infra in Præfatione sine cantu, recensendis.


Per ómni- a sæ-cu- la sæ-cu- ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus
vo-bis-cum ℟. Et cum spi- ri- tu tu- o. ℣. Sur-sum corda.
℟. Ha-bé- mus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a-gá- mus Dó-mi-no
De- o nostro. ℟. Di-gnum et justum est. Ve-re dignum et
justum est, æquum et sa- lu- tá-re, nos ti- bi semper, et
u-bique grá- ti- as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omní-po-tens,
æ-térne De- us: per Chri-stum Dó-mi-num nostrum. Qui ascéndens
super omnes cæ-los, se-dénsque ad déxte-ram tu- am, promíssum
Spí-ri-tum Sanctum ho-di- érna di- e in fi- li- os adopti- ó- nis



Infra Actionem

Communicántes, et diem sacratíssimum Pentecóstes celebrántes, quo Spíritus Sanctus Apóstolis in ígneis linguis appáruit: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ, Genitrícis Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc igitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque, quos regeneráre dignátus es ex aqua, et Spíritu Sancto, tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum, quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos erípi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et dicitur tantum a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive, in omnibus Missis, quæ de Vigilia vel de Octava celebrantur, aut cum alterutrius Commemoratione habeantur.

Quam oblatiónem tu Deus in ómnibus, etc., ut in Canone

Præfatio de Sanctissima Trinitate

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis de Ssma Trinitate, et in omnibus Dominicis per annum, etiam anticipatis, quæ Præfationem propriam aut de Tempore assignatam non habeant; non excepta Dominica II post Pentecosten, si ad Missam omittatur Commemoratio Octavæ Ssmi Corporis Christi: item in Missis in quibus fit Commemoratio Dominicæ, aut fit Commemoratio Sanctissimæ Trinitatis aut Octava communis celebratur, juxta normas, infra, in Præfatione sine cantu, recensendas.




Sancto, u-nus es De-us, u-nus es Dómi-nus: non in u-ní-us
singu-la-ri-tá-te per-sónæ, sed in u-ní-us Tri-ni-tá-te substán-
ti-æ. Quod e-nim de tu-a glό-ri-a, reve-lánte te, cré-dimus,
hoc de Fí-li-o tu-o, hoc de Spi-ri-tu Sancto, si-ne dif-feréntí-a
discre-ti-ó-nis sentímus. Ut in confessi-óne veræ sempi-ter-
næque De-i-tá-tis, et in persónis proprí-e-tas, et in esséntí-a
ú-ni-tas, et in ma-jestá-te ado-ré-tur æquá-li-tas. Quem laudant
Ange-li atque Archánge-li, Ché-ru-bim quoque ac Sé-raphim:
qui non cessant clamá-re quotí-di-e, u-na vo-ce di-céntes.

Præfatio de Beata Maria Virgine

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in omnibus Missis de beata Maria Virgine, præterquam in Festo Annuntiationis, et a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis inclusive, quibus in casibus sumitur Præfatio de ipsa Nativitate Domini: servatis tamen normis, infra, in *Præfatione sine cantu*, recensendis.

Dicitur autem vel **Et te in Visitatióne**, vel **Assumptióne**, vel **Nativitáte**, vel **Præsentatióne**, secundum denominationem Festi.

In Missis vero de Conceptione immaculata, dicitur: **Et te in Conceptióne immaculáta.**


In Missis de Septem Doloribus, dicitur: **Et te in Transfixióne.**


In Missis de Gaudiis, dicitur: **Et te in Exsultatióne.**

In Festo de Monte Carmelo, dicitur: **Et te in Commemoratióne.**

In omnibus aliis Festis, dicitur: **Et te in Festivitáte.**

Quando celebratur Officium de Canticis Canticorum, et in Missis votivis, in quibus speciale Mysterium non sit exprimendum, dicitur: **Et te in Veneratióne.**




u-bi-que grá-ti- as á-ge-re: Dó-mi-ne sancte, Pa-ter omni-
po-tens, æ-térne De- us: Et te in • • • • • • be- á-tæ
et glo-ri- ósæ sempérque Vírgi-nis Ma- rí- æ, exsul-tán-ti-bus
á-nimis, lau-dá-re, be-ne-dí-ce-re et præ-di-cá-re. Quæ et
U-ni-gé-ni-tum tu- um Sancti Spí-ri-tus obumbra-ti- óne concé-pit:
et vir-gi-ni- tá- tis gló- ri- a perma-nénte, hu- ic mundo lumen
æ-térnum ef- fú-dit, Je-sum Christum Dó- mi-num nostrum.
Per quem ma-jestá-tem tu- am laudant Ange- li, a-dó-rant Do-mi-
na-ti- ónes, tremunt Po-testá-tes. Cæ-li, cæ-lo-rúmque Virtú-tes,



ac be- á- ta Sé-raphim, só- ci- a exsul-ta- ti- ó- ne concé-




lebrant. Cum qui-bus et nostras vo-ces, ut admit-ti jú-be- as,




depre- cámur, súp-pli- ci confessi- ó- ne di- céntes.

Præfatio de sancto Joseph Sponso B. M. V.


Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis de sancto Joseph; servatis tamen normis, infra, in Præfatione sine cantu, recensendis. In Missis autem votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa celebrentur, dicitur: Et te in Veneratióne.



Per ómni- a sæ-cu- la sæ-cu- ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus




vo- bís- cum. ℟. Et cum spí- ri- tu tu- o. ℣. Sur- sum corda.




℟. Ha-bé- mus ad Dó-mi-num. ℣. Grá- ti- as a-gá- mus Dómi- no




De- o nostro. ℟. Di-gnum et justum est. Ve-re dignum et



justum est, æquum et sa- lu- tá-re: nos ti- bi semper, et



u-bíque grá-ti- as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omni-po-tens,
æ-térne De- us: Et te in Festi-vi-tá-te be- á-ti Joseph dé-bi- tis
magni- fi-cá-re præ- có-ni- is, be-ne-di- ce-re et præ-di-cá-re.
Qui et vir justus, a te De- i-pa-ræ Vírgi-ni Sponsus est da-tus:
et fi-dé- lis servus ac pru-dens, su-per Fa-mi- li- am tu- am est
consti- tú-tus: ut Uni-gé-ni-tum tu-um, Sancti Spi- ri-tus ob-um-
bra-ti- óne concéptum, pa-térna vi-ce custo- dí-ret, Je-sum Christum
Dó- mi-num nostrum. Per quem ma- jestá- tem tu- am lau-dant
Ange-li, adó-rant Domi-na- ti- ó-nes, tremunt Po- testá- tes.



Præfatio de Apostolis

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis Apostolorum, aut Evangelistarum et quando fit eorum Commemoratio aut Octava Communis celebratur, præterquam infra Octavam Nativitatis Domini, in qua sumitur Præfatio de Octava: item in Missis Creationis et Coronationis Papæ et utriusque Anniversarii, vel in alterutrius Commemoratione; servatis tamen normis, infra, in Præfatione sine cantu, recensendis.






Præfatio Communis


Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas: 1. In omnibus Missis quæ Præfationem propriam non habeant, et in quibus non sit adhibenda

Præfatio Missæ vel Officii, etsi tantum commemorati, aut Octavae communis, vel Temporis propria; 2. In Missis de Dedicatione Ecclesiæ; servatis normis, infra, in Præfatione sine cantu, recensendis.







ti- ónes, tremunt Po-testá-tes. Cæ-li, cæ-lo-rúmque Virtú-tes,



ac be- á-ta Sé-raphim, só- ci- a exsulta-ti- ó-ne concé-lebrant.



Cum quibus et nostras voces, ut admít-ti júbe- as, depre-cámur,




súp-pli- ci confessi- ó- ne di-céntes.

PRÆFATIONES IN CANTU FERIALI


adhibendæ in omnibus Missis ritus Simplicis, et in Missis votivis quæ pro re gravi et publica simul causa non sint. Commemoratio tamen aut Octava, Præfatione propria gaudens, licet, juxta Rubricas, servet jus ad illam quoad textum, non servat quoad cantum solemnem, nisi talis cantus Missæ, quæ celebratur, conveniat. Quod si cantus Ferialis adhibendus sit infra Octavas Nativitatis, Paschatis et Ascensionis, Orationes **Communicántes** et **Hanc igitur** (ut supra post Præfationes in cantu solemni) dicuntur in omnibus Missis, in quibus Commemoratio Octavæ vel Dominicæ infra Octavam non sit omittenda.

Præfatio de Nativitate Domini

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in Missa Dominicæ infra Octavam Nativitatis, quæ post diem 1 Januarii sit resumenda. Item dicitur, juxta Rubricas, in Missis votivis de Ssmo Sacramento, de Ssmo Nomine Jesu, de Annuntiatione et Purificatione, et in aliis Missis votivis beatæ Mariæ a Nativitate Domini usque ad Vigiliam Purificationis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, et in omnibus Missis a die 2 ad 5 Januarii inclusive celebrandis, in quibus alia Præfatio non sit adhibenda.



Per ómni- a sǽ-cu- la sæ-cu-ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus


vo-biscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu-o. ℣. Sursum corda.
℟. Ha-bémus ad Dómi-num. ℣. Grá-ti-as a-gámus Dó-mi-no
De-o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum et
justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper, et
u-bíque grá-ti-as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omni-
po-tens, æ-térne De-us: Qui-a per incarná-ti Verbi my-sté-
ri-um, no-va men-tis nostræ ó-cu-lis lux tu-æ cla-ri-tá-tis
infúl-sit: ut dum vi-si-bí-li-ter De-um cognóscimus, per hunc
in invi-si-bí-li-um amó-rem ra-pi-ámur. Et i-de-o cum

Ange- lis et Archánge- lis, cum Thro-nis et Domi-na- ti- ó-

ni-bus, cumque omni mi- li- ti- a cœ-léstis ex-érci- tus, hymnum

glóri- æ tu- æ cá-ni-mus, si-ne fi-ne di- céntes.

Præfatio de Epiphania Domini

Sequens Præfatio, cum cantu, dicitur in Missis votivis de Epiphania et de Sancta Familia, quæ pro re gravi et publica causa non sint.


Per ómni- a sǽ-cu- la sǽ-cu-ló- rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus

vo-bís-cum. ℟. Et cum spí-ri- tu tu- o. ℣. Sursum corda.

℟. Ha-bémus ad Dómi-num. ℣. Grá- ti- as a-gámus Dó-mi-no


De- o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum et

justum est, æquum et sa- lu- tá- re: nos ti-bi semper, et




Præfatio de Quadragesima

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Feriis Quadragesimæ, a die Cinerum usque ad Sabbatum infra Hebdomadam IV Quadragesimæ inclusive.






vo-bíscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu-o. ℣. Sursum corda.
℟. Ha-bémus ad Dómi-num. ℣. Grá-ti-as a-gámus Dó-mi-no
De-o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum et
justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper, et
u-bi-que grá-ti-as á-ge-re: Dó-mi-ne sancte, Pa-ter omni-
po-tens, æ-térne De-us: Qui corpo-rá-li je-jú-ni-o vi-ti-a
cómprimis, mentem é-le-vas, vir-tú-tem largi-ris, et præmi-a:
per Christum Dómi-num nostrum. Per quem ma-jestá-tem tu-am
laudant Ange-li, a-dó-rant Domi-na-ti-ó-nes, tremunt Po-te-




Præfatio de sancta Cruce

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis ferialibus a Feria II Passionis usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive; item in Missis votivis de sancta Cruce, de Passione et pretiosissimo Sanguine Domini et de sacratissimo Corde Jesu, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.






justum est, æquum et sa- lu- tá-re, nos ti- bi semper, et
u-bi-que grá- ti- as á-ge-re: Dó-mi-ne sancte, Pa- ter omni-
po- tens, æ-térne De- us: Qui sa- lú- tem humá- ni gé-ne- ris in
ligno Cru- cis consti- tu- í-sti: ut unde mors o- ri- e-bá- tur,
inde vi- ta re-súrge-ret: et qui in ligno vincé-bat, in ligno
quoque vince- ré- tur: per Chri-stum Dómi-num nostrum. Per quem
ma-jestá-tem tu- am laudant Ange- li, a-dó-rant Domina- ti- ónes
tremunt Po-testá-tes. Cæ- li, cæ-lo-rúmque Virtú-tes, ac be- á-ta
Sé-raphim, só-ci- a exsul-ta- ti- ó-ne concé- lebrant. Cum quibus



Præfatio Paschalis

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis ferialibus et in Festis simplicibus, a Feria II post Octavam Paschæ usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive. Dicitur etiam in Missis Litaniarum majorum et minorum, servatis normis, infra, in Præfatione sine cantu, recensendis.






præ-di-cá-re. cum Pascha nostrum immo-lá-tus est Christus.




Ipse e-nim ve-rus est Agnus, qui ábstu-lit peccá-ta mundi.



Qui mortem nostram mo-ri-éndo destrú-xit, et vi-tam re-sur-



géndo re-pa-rá-vit. Et í-de-o cum Ange-lis et Archán-



ge-lis, cum Thro-nis et Domi-na-ti-ó-ni-bus, cumque omni




mi-li-ti-a cæ-lé-stis ex-ér-ci-tus, hymnum gló-ri-æ tu-æ




cá-ni-mus, si-ne fi-ne di-céntes.

Præfatio de Ascensione Domini

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, Feria VI post Octavam Ascensionis, in Missis votivis quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.



Per ómni-a sǽ-cu-la sæ-cu-ló-rum. ℟. Amen. ℣. Dó-mi-nus


vo-biscum. ℟. Et cum spi-ri-tu tu-o. ℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dómi-num. ℣. Grá-ti-as a-gámus Dó-mi-no
De-o nostro. ℟. Dignum et justum est. Ve-re dignum et
justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper, et
u-bíque grá-ti-as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omní-
po-tens, æ-térne De-us: per Chri-stum Dó-mi-num nostrum.
Qui post re-surrecti-ó-nem su-am ómni-bus di-scí-pu-lis su-is
ma-ni-féstus appá-ru-it, et ipsis cernénti-bus est e-le-vá-tus
in cæ-lum, ut nos di-vi-ni-tá-tis su-æ tri-bú-e-ret esse



Præfatio de Spiritu Sancto


Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis votivis de Spiritu Sancto, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.





justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper, et
u-bique grá-ti-as á-ge-re: Dómi-ne sancte, Pa-ter omní-
po-tens, æ-térne De-us: per Chri-stum Dó-mi-num nostrum.
Qui ascéndens su-per omnes cæ-los, se-dénsque ad déxte-ram
tu-am, pro-míssum Spí-ri-tum Sanctum in fí-li-os a-do-
pti-ó-nis ef-fú-dit. Quaprópter pro-fú-sis gáu-di-is, to-tus in
orbe terrá-rum mundus exsúl-tat. Sed et su-pérnæ Virtú-tes,
atque angé-li-cæ Po-testá-tes hymnum gló-ri-æ tu-æ cón-
ci-nunt, si-ne fi-ne di-céntes.

Præfatio de Sanctissima Trinitate

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis votivis de Ssma Trinitate, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.




non in u-ní- us singu-la-ri-tá-te persó-næ, sed in u-ní- us
Tri-ni-tá-te substánti- æ. Quod e-nim de tu- a gló-ri- a, re-ve-
lánte te, cré-dimus, hoc de Fí- li- o tu- o, hoc de Spí-ri-tu
Sancto, si-ne dif-fe-rénti- a discre-ti- ó-nis sentímus. Ut in
confessi- ó-ne ve-ræ sempi-ternǽque De- i-tá-tis, et in per-
só-nis proprí- e-tas et in essén-ti- a ú-ni-tas, et in
ma- jestá-te a-do-ré-tur æquá- li-tas. Quem laudant Ange- li,
atque Archánge- li, Ché-ru-bim quoque ac Sé-raphim: qui non
cessant clamá-re quo-tí-di- e, u-na vo-ce di-céntes.

Præfatio de beata Maria Virgine

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis votivis de beata Maria, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.

Dicitur autem, vel **Et te in Visitatióne,** vel **Assumptióne,** vel **Nativitáte,** vel **Præsentatióne,** secundum denominationem Festi.

In Missis vero de Conceptione immaculata, dicitur: **Et te in Conceptióne immaculáta.**


In Missis de Septem Doloribus, dicitur: **Et te in Transfixióne.**

In Missis de Gaudiis, dicitur: **Et te in Exsultatióne.**


In Festo de Monte Carmelo, dicitur: **Et te in Commemoratióne.**

In omnibus aliis Festis, dicitur: **Et te in Festivitáte.**

In Missis votivis, in quibus speciale Mysterium non sit exprimendum, dicitur: **Et te in Veneratióne.**






æ-térne De- us: Et te in • • • • • • be- á-tæ et glóri- ósæ sempérque Vír-gi-nis Ma- rí- æ, exsultánti-bus á-nimis,
laudá-re, be-ne-di-ce-re et præ-di-cá-re. Quæ et U-ni-gé-ni-tum
tu- um Sancti Spí- ri-tus ob-umbra- ti- ó-ne concé-pit: et virgi-
ni- tá- tis gló- ri- a perma-nénte, hu- ic mundo lumen æ-térnum
ef-fú-dit, Jesum Christum Dómi-num nostrum. Per quem ma- je-
stá-tem tu- am laudant Ange- li, a-dó-rant Do-mi-na- ti- ó-nes,
tremunt Po-testá-tes. Cæ- li, cæ- lo-rúmque Virtú-tes, ac be- á-ta
Sé-raphim, só-ci- a exsul-ta- ti- ó-ne concé- lebrant. Cum quibus



Præfatio de Sancto Joseph, Sponso B. M. V.

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis votivis de S. Joseph, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.






po-tens, æ-térne De- us: Et te in Ve-ne-ra-ti- ó-ne be- á- ti
Jo-seph dé-bi- tis magni- fi- cá- re præ-có- ni- is, be-ne-dí-ce-re
et præ-di-cá-re. Qui et vir justus, a te De- í-pa-ræ Vírgi-ni
Sponsus est da-tus: et fi-dé- lis servus ac pru-dens, su-per
Famí- li- am tu- am est consti-tú-tus: ut U-ni-gé-ni-tum tu- um,
Sancti Spí-ri-tus ob-umbra- ti- ó-ne concéptum, pa-térna vi-ce
custo- dí- ret, Je-sum Chri-stum Dó-mi-num nostrum. Per quem
ma-jestá-tem tu- am laudant Ange-li, adó-rant Domi-na- ti- ó-nes,
tremunt Po-testá-tes. Cæ-li, cæ-lo-rúmque Virtú-tes, ac be- á-ta



Præfatio de Apostolis

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas, in Missis votivis Apostolorum aut Evangelistarum, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.






Præfatio Communis

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur, juxta Rubricas: 1. In Missis de Feria et de Festis Simplicibus, et in omnibus Missis votivis, quæ pro re

gravi et publica simul causa non sint, in quibus alia Præfatio non sit adhibenda; 2. In Missis de Feriis Adventus et de Vigilia Nativitatis Domini, extra Dominicam occurrente, in quibus agenda sit Commemoratio de beata Maria Virgine.







Præfatio Defunctorum

Sequens Præfatio cum suo cantu dicitur in omnibus Missis Defunctorum.





justum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos ti-bi semper, et
u-bí-que grá-ti-as á-ge-re: Dó-mi-ne sancte, Pa-ter omní-
po-tens, æ-térne De-us: per Chri-stum Dó-mi-num nostrum.
In quo no-bis spes be-á-tæ re-surre-cti-ó-nis ef-fúl-sit, ut
quos contrís-tat certa mo-ri-éndi condí-ti-o, e-ósdem con-
so-lé-tur fu-tú-ræ immorta-li-tá-tis pro-mís-si-o. Tu-is
e-nim fi-dé-li-bus, Dómi-ne, vi-ta mu-tá-tur, non tól-li-tur,
et disso-lú-ta terréstris hu-jus inco-lá-tus domo, æ-térna
in cæ-lis ha-bi-tá-ti-o compa-rá-tur. Et i-de-o cum An-



ge- lis et Archánge- lis, cum Thro-nis, et Domi-na-ti- ó-ni-bus,



cumque omni mi- lí- ti- a cæ-léstis ex-érci-tus, hymnum gló-ri- æ



tu- æ cá- nimus, si-ne fi-ne di- céntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Pleni sunt cæli, et terra glória tua.

Hosánna in excélsis.

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis.



PRÆFATIONES SINE CANTU

Præfatio de Nativitate Domini

Sequens Præfatio dicitur, juxta Rubricas: 1. In Missis de Nativitate Domini, de Dominica infra Octavam Nativitatis, quamvis post diem 1 Januarii resumenda, de die infra Octavam ipsius Nativitatis et in omnibus Missis quæ infra Octavam ejusdem Nativitatis celebrentur, inclusis iis quæ secus Præfationem propriam haberent, dummodo et de Octava vel de Dominica infra Octavam fiat Commemoratio, et ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam de divinis Mysteriis vel Personis non exigant Præfationem; 2. In Missis de Circumcisione Domini, de Ssmo Nomine Jesu, de Vigilia Epiphaniæ Domini, de Ssmo Eucharistiæ Sacramento et de Transfiguratione Domini; 3. In Missis de Annuntiatione et in omnibus aliis Missis beatæ Mariæ Virginis, quæ a Nativitate Domini usque ad Purificationem inclusive celebrentur; 4. In omnibus Missis, in quibus ex recensitis Christi ac beatæ Mariæ Virginis Mysteriis fiat Commemoratio, dummodo pariter ipsa Missa, aut Commemoratio prius facta, aliam non exigant Præfationem; 5. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infra Octavam communem cujusvis ex indicatis Christi ac beatæ Mariæ Virginis Mysteriis; 6. In Missis, a die 2 ad diem 4 Januarii occurrentibus, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Tempore vel de Octava, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque Præfatio Octavæ vel Temporis pro iisdem tribus Januarii diebus in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubique grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: Quia per incarnáti Verbi mystérium, nova mentis nostræ óculis lux tuæ claritátis infúlsit: ut dum visibíliter Deum cognóscimus, per hunc in invisibílium amórem rapiámur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Infra Actionem

In prima Missa Nativitatis Domini, dicitur: Communicántes, et noctem sa-

cratíssimam celebrántes, quo beátæ Maríæ, etc., ut infra; in aliis vero Missis, usque ad Octavam Nativitatis Domini inclusive, quæ de Octava vel de Dominica infra Octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius Commemoratione habeantur, dicitur:

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes, quo beátæ Maríæ intemeráta virginitas huic mundo édidit Salvatórem: sed et memóriam venerántes, in primis ejúsdem gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Præfatio de Epiphania Domini

Sequens Præfatio dicitur, juxta Rubricas: 1. In Missis de Epiphania Domini, de Dominica infra Octavam, ac de die Octava ipsius Epiphaniæ, necnon in Missis de Sancta Familia Jesu, Mariæ, Joseph, quamvis infra Octavam Nativitatis Domini celebrandis; 2. Dicitur etiam in omnibus Missis quæ infra Octavam Epiphaniæ celebrentur, dummodo et de Octava vel de Dominica infra Octavam fiat Commemoratio, et ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 3. Item dicitur in omnibus Missis quæ cum Commemoratione ejusdem Sanctæ Familiæ celebrentur, dummodo pariter ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; ac dicitur, juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infra Octavam communem ipsius Sanctæ Familiæ alicubi celebratam, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Sancta Familia, aut cum ejus Commemoratione non habeatur, neque Præfatio Octavæ in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: Quia, cum Unigénitus tuus in substántia nostræ mortalitátis appáruit, nova nos immortalitátis suæ luce reparávit. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in ex-

célsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Infra Actionem

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes, quo Unigénitus tuus in tua tecum glória coætérnus in veritáte carnis nostræ visibíliter corporális appáruit: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semperque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et dicitur per totam Octavam in omnibus Missis, quæ de Octava vel de Dominica infra Octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius Commemoratione habeantur.

Hanc ígitur oblatiónem, etc., ut in Canone.

Præfatio de Quadragesima

Sequens Præfatio dicitur: 1. In Missis de Tempore a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum infra Hebdomadam IV Quadragesimæ; 2. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ eo Tempore celebrentur, et ad nullum Domini Festum vel Mysterium referantur; dummodo et de Tempore fiat Commemoratio, et ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus: Qui corporáli jejúnio vítia cómprimis, mentem élevas, virtútem largíris, et prǽmia: per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli, cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Præfatio de Sancta Cruce

Sequens Præfatio dicitur: 1. In Missis de Tempore a Dominica Passionis usque ad Feriam V in Cœna Domini inclusive; 2. In omnibus Missis, quamvis infra Octavam Nativitatis celebran-

dis, de sancta Cruce, de Passione Domini, de pretiosissimo Sanguine Domini nostri Jesu Christi et de sacratissimo Corde Jesu: 3. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis in quibus fiat Commemoratio ejusdem Temporis vel alicujus ex recensitis Mysteriis, dummodo ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 4. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infra Octavam communem cujusvis ex indicatis Mysteriis alicubi celebratam, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Octava, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque Præfatio Octavæ in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: Qui salútem humáni géneris in ligno Crucis constituísti: ut unde mors oriebátur, inde vita resúrgeret: et qui in ligno vincébat, in ligno quoque vincerétur: per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli, cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómine. Hosánna in excélsis.

Præfatio Paschalis

Sequens Præfatio dicitur: 1. In Missis de Tempore a Sabbato Sancto usque ad Vigiliam Ascensionis Domini inclusive, atque in Missis Litaniarum majorum et minorum; 2. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ eo Tempore celebrentur, dummodo ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita aliam non exigant Præfationem, et dummodo, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de ipso Tempore, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque ipsius Temporis Præfatio in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

In Missa Sabbati sancti dicitur: in hac potissimum nocte; in die autem Paschæ usque ad Sabbatum in Albis inclusive, etiam in Missa Litaniarum majorum, quæ infra Octavam Paschatis, cum Commemoratione ejusdem celebretur: in hac potíssimum die; alias, et in Missa insuper Litaniarum majorum, quæ infra Octavam Paschatis, sine hujus Commemoratione celebretur: in hoc potíssimum gloriósius, omisso verbo: die.

Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda,
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum est justum est, æquum et salutáre: Te quidem, Dómine, omni témpore, sed in hac potíssimum die (vel in hoc potíssimum) gloriósius prædicáre, cum Pascha nostrum immolátus est Christus. Ipse enim verus est Agnus, qui ábstulit peccáta mundi. Qui mortem nostram moriéndo destrúxit, et vitam resurgéndo reparávit. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Infra Actionem

Communicántes, et noctem sacratíssimam celebrántes, etc., ut infra, dicitur tantum in Missa Sabbati sancti; deinceps vero usque ad Sabbatum in Albis inclusive, in omnibus Missis, quæ de Octava celebrentur, aut cum ejus Commemoratione habeantur, dicitur:

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes Resurrectiónis Dómini nostri Jesu Christi secúndum carnem: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc igitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque, quos regeneráre dignátus es ex aqua, et Spíritu Sancto, tríbuens eis remissiónem ómnium peccatórum, quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias, diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde dicitur:

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, etc., ut in Canone.

Præfatio de Ascensione Domini

Sequens Præfatio dicitur: 1. In Missis de Ascensione Domini, de Dominica infra Octavam ac de Feria VI post Octavam ipsius Ascensionis: 2. Etiam juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ infra eamdem Octavam celebrentur, dummodo et de Octava vel de Domi-

-dea infra Octavam fiat Commemoratio, et ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 3. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, Feria VI post Octavam, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Feria, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque Præfatio de Ascensione Domini in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Qui post resurrectiónem suam ómnibus discípulis suis maniféstus appáruit, et ipsis cernéntibus est elevátus in cælum, ut nos divinitátis suæ tribúeret esse partícipes. Et ideo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Infra Actionem

Communicántes, et diem sacratíssimum celebrántes, quo Dóminus noster, unigénitus Fílius tuus, unítam sibi fragilitátis nostræ substántiam, in glóriæ tuæ déxtera collocávit: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ semperque Vírginis Maríæ, Genitrícis ejúsdem Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et dicitur per totam Octavam in omnibus Missis, quæ de Octava vel de Dominica infra Octavam celebrentur, aut cum utriusque vel alterutrius Commemoratione habeantur.

Hanc ígitur oblationem, etc., ut in Canone.

Præfatio de Spiritu Sancto

Sequens Præfatio dicitur: 1. In Missis de Tempore a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive: 2. In Missis votivis de Spiritu Sancto, quamvis infra Octavam Nativitatis Domini celebrandis, in quibus tamen, extra Vigiliam et Octavam Pentecostes, omittuntur verba: hodiérna die; 3. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus

Missis quæ in Vigilia et infra Octavam Pentecostes celebrentur, dummodo et de Vigilia vel de Octava fiat Commemoratio, et ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem: 4. Juxta eamdem normam, in Missis, in quibus de Spiritu Sancto agenda sit Commemoratio.

Per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.

℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Qui ascéndens super omnes cælos, sedénsque ad déxteram tuam, promíssum Spíritum Sanctum (hodiérna die) in fílios adoptiónis effúdit. Quaprópter profúsis gáudiis, totus in orbe terrárum mundus exsúltat. Sed et supérnæ Virtútes, atque angélicæ Potestátes, hymnum glóriæ tuæ cóncinunt, sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Infra Actionem

Communicántes, et diem sacratíssimum Pentecóstes celebrántes, quo Spíritus Sanctus Apóstolis in ígneis linguis appáruit: sed et memóriam venerántes, in primis gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, Genitrícis Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et beatórum Apostolórum, ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomæi, Matthæi, Simónis et Thaddæi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum, quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc igitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus pro his quoque, quos regeneráre dignátus es ex aqua, et Spíritu Sancto, tribuens eis remissiónem ómnium peccatórum, quæsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Et dicitur tantum a Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive in omnibus Missis, quæ de Vigilia vel de Octava celebrentur, aut cum alterutrius Commemoratione habeantur.

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, etc., ut in Canone.

Præfatio de Sanctissima Trinitate.

Sequens Præfatio dicitur: 1. In Missis de Sanctissima Trinitate, quamvis infra Octavam Nativitatis Domini celebrandis; 2. In Missis de Dominicis privatis, ac de omnibus Dominicis communibus, licet Sabbato anticipatis, post Octavam Epiphaniæ et Pentecostes: exclusis Missis infra Hebdomadam resumendis, in quibus, si alterius Missæ vel Officii, etsi commemorati, Præfatio propria desit, ponitur Præfatio communis; et exclusa pariter Missa Dominicæ II post Pentecosten, in qua, si omittenda non sit Commemoratio Octavæ Sanctissimi Corporis Christi, sumitur Præfatio de Nativitate Domini; 3. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ cum Commemoratione Sanctissimæ Trinitatis, aut cujusvis ex indicatis Dominicis occurrentibus et Sabbato anticipatis celebrentur, dummodo ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 4. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infra Octavam communem ipsius Sanctissimae Trinitatis alicubi celebratam, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Octava, aut cum ejus Commemoratione non habeatur, neque Præfatio Octavæ in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubique grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnipotens, ætérne Deus: Qui cum unigénito Fílio tuo, et Spíritu Sancto, unus es Deus, unus es Dóminus: non in uníus singularitáte persónæ, sed in uníus Trinitáte substántiæ. Quod enim de tua glória, revelánte te, crédimus, hoc de Fílio tuo, hoc de Spíritu Sancto, sine differéntia discretiónis sentímus. Ut in confessióne veræ sempiternǽque Deitátis, et in persónis proprietas, et in esséntia únitas, et in majestáte adorétur æquálitas. Quem laudant Angeli atque Archángeli, Chérubim quoque ac Séraphim: qui non cessant clamáre quotídie, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Præfatio de beata Maria Virgine.

Hæc Præfatio: A. Non dicitur: 1. In Festis et per Octavas communes Annuntiationis et Purificationis beatæ Mariæ Virginis, alicubi celebratas, et in Festis vel Missis ejusdem beatæ Mariæ Virginis, quæ a Nativitate Domini usque ad Purificationem celebrentur vel de quibus fiat Commemoratio, quibus in casibus sumitur Præfatio de ipsa Nativitate Domini; 2. In Vigiliis beatæ Mariæ Virginis et in Missis de Feriis Adventus, in quibus, si alterius Missæ vel Officii, etsi commemorati, vel Octavæ communis, aut pro Vigiliis,

etiam Temporis Præfatio propria desit, ponitur Præfatio communis; B. Dicitur autem: 1. In omnibus aliis Missis beatæ Mariæ Virginis; 2. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ cum Commemoratione ipsius beatæ Mariæ Virginis celebrentur, et ad nullum Domini Festum vel Mysterium referantur, dummodo ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 3. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infra Octavam communem ejusdem beatæ Mariæ Virginis, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Octava, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque Præfatio Octavæ in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Dicitur autem vel Et te in Visitatióne, vel Assumptióne, vel Nativitáte, vel Præsentatióne, secundum denominationem Festi.

In Missis vero de Conceptione immaculata dicitur: Et te in Conceptióne immaculáta.

In Missis de Septem Doloribus, dicitur: Et te in Transfixióne.

In Missis de Gaudiis, dicitur: Et te in Exsultatióne.

In Festo de Monte Carmelo, dicitur: Et te in Commemoratióne.

In omnibus aliis Festis B. Mariæ Virginis, dicitur: Et te in Festivitáte.

Quando celebratur Officium de Canticis Canticorum, et in Missis votivis, in quibus speciale Mysterium non sit exprimendum, dicitur: Et te in Veneratióne.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: Et te in *** beátæ et gloriósæ sempérque Vírginis Maríæ, exsultántibus ánimis, laudáre, benedícere et prædicáre. Quæ et Unigénitum tuum Sancti Spíritus obumbratióne concépit: et virginitátis glória permanénte, huic mundo lumen ætérnum effúdit, Jesum Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli, cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Præfatio de sancto Joseph Sponso B. M. V.

Sequens Præfatio: A. Non dicitur in Missis, quæ celebrentur infra Octavam Nativitatis Domini, in quibus, si ejusdem Octavæ vel Dominicæ infra Octavam omittenda non sit Commemoratio

sumitur Præfatio de ipsa Nativitate, B. Dicitur autem: 1. In omnibus aliis Missis sancti Joseph, Sponsi beatæ Mariæ Virginis; 2. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ cum Commemoratione ipsius sancti Joseph celebrentur, et ad nullum Domini Festum vel Mysterium referantur, dummodo ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 3. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infrà Octavam communem ejusdem S. Joseph, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Octava, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque Præfatio Octavæ in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

In Missis votivis dicitur: Et te in Veneratióne.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: Et te in Festivitáte beáti Joseph débitis magnificáre præcóniis, benedícere et prædicáre. Qui et vir justus, a te Deíparæ Vírgini Sponsus est datus: et fidélis servus ac prudens, super Famíliam tuam est constitútus: ut Unigénitum tuum, Sancti Spíritus obumbratióne concéptum, patérna vice custodíret, Jesum Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli, cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Præfatio de Apostolis.

Sequens Præfatio: A. Non dicitur: 1. In Missis quæ celebrantur infra Octavam Nativitatis Domini, in quibus, si ejusdem Octavæ vel Dominicæ infra Octavam omittenda non sit Commemoratio, sumitur Præfatio de ipsa Nativitate. 2. In Vigiliis Apostolorum aut Evangelistarum, in quibus, si alterius Missæ vel Officii, etsi commemorati, aut Octavæ communis, aut temporis Præfatio desit, ponitur Præfatio communis. B. Dicitur autem: 1. In omnibus aliis Missis Apostolorum et Evangelistarum; 2. In Missa Creationis et Coronationis Summi Pontificis et utriusque Anniversarii; 3. Etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ cum Commemoratione ipsorum Apostolorum aut Evangelistarum, vel cum Commemoratione Missæ pro Papa superius indicatæ et eo die impeditæ celebrentur, et ad nullum Domini Festum vel Mysterium referantur, dummodo ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem; 4. Juxta eamdem normam, et disjunctim quoque a sua Commemoratione, infra Octavam com-

munem eorumdem Apostolorum aut Evangelistarum, dummodo insuper, si agatur de Missis cantatis et conventualibus, alia conventualiter vel in cantu Missa de Octava, aut cum ejus Commemoratione, non habeatur, neque Præfatio Octavæ in una ex Missis cantatis vel conventualibus fuerit admissa.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre: Te, Dómine, supplíciter exoráre, ut gregem tuum Pastor ætérne, non déseras: sed per beátos Apóstolos tuos, contínua protectióne custódias: Ut iisdem rectóribus gubernétur, quos óperis tui vicários eídem contulísti præésse pastóres. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómine. Hosánna in excélsis.

Præfatio communis.

Sequens Præfatio dicitur, juxta Rubricas: 1. In omnibus Missis quæ Præfationem propriam non habeant, et in quibus adhibenda non sit Præfatio alicujus Missæ vel Officii etsi commemorati, aut Octavæ communis, aut Temporis occurrentis propria; 2. In Missis de Dedicatione Ecclesiæ et de alio Festo vel Mysterio Domini alicubi celebrato, quod Præfatione propria careat, in quibus numquam adhibetur Præfatio de Tempore Quadragesimæ, neque Missæ vel Officii commemorati vel Octavæ, quæ non sint de ipso Domino; 3. In Missis de Feriis Adventus et de Vigilia Nativitatis Domini extra Dominicam occurrente, in quibus agenda sit Commemoratio de beata Maria Virgine, et Præfatio alterius Missæ aut Officii commemorati propria non habeatur.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. Per quem majestátem tuam laudant Angeli, adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes. Cæli, cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim, sócia exsultatióne concélebrant. Cum quibus et nostras voces, ut admítti júbeas, deprecámur, súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in ex-

célsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.


Præfatio Defunctorum

Sequens Præfatio dicitur in omnibus Missis Defunctorum.

Per ómnia sæcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine, sancte Pater, omnípotens, ætérne Deus: per Christum Dóminum nostrum. In quo nobis spes beátæ resurrectiónis effúlsit, ut quos contrístat certa moriéndi condítio, eósdem consolétur futúræ immortalitátis promíssio. Tuis enim fidélibus, Dómine, vita mutátur, non tóllitur, et dissolúta terréstris hujus incolátus domo, ætérna in cælis habitátio comparátur. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.



Ut nos sanctificaret, semetipsum obtulit immaculatum Deo. Ad Hebr. 9, 13-14.



CANON MISSÆ

Caveat Sacerdos, ne quid in Sacro Canone aut addat, aut mutet, aut detrahat, aut prætereat; sed omnia, et sola, quæ in eo ordinata sunt ita legat attente, ut, quoad fieri potest, cor et animus prompti efficiantur ad verba et Mysteria tam sancta.

Finita Præfatione, extendit, elevat aliquantulum et jungit manus, elevansque ad cælum oculos, et statim demittens, profunde inclinatus, manibus junctis et super Altare positis, dicit:

Te ígitur, clementíssime Pater, per Jesum Christum Fílium tuum Dóminum nostrum, súpplices rogámus, et pétimus, Osculatur Altare, et, junctis manibus ante pectus, dicit: uti accépta hábeas, et benedícas, Signat ter super Hostiam et Calicem simul, dicens: hæc ✠ dona, hæc ✠ mú-

nera, hæc ✠ sancta sacrifícia illibáta, Elevatis et extensis manibus, prosequitur: in primis, quæ tibi offérimus pro Ecclésia tua sancta cathólica: quam pacificáre, custodíre, adunáre, et régere dignéris toto orbe terrárum: una cum fámulo tuo Papa nostro N. et Antístite nostro N. et Rege nostro N. et me indígno fámulo tuo N. et ómnibus orthodóxis, atque cathólicæ, et apostólicæ fídei cultóribus.

Oratio pro vivis

Meménto, Extendit et elevat manus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum N. et N.

Jungit manus et claudit oculos, dum mentaliter orat aliquantulum pro quibus orare intendit. Deinde, manibus extensis, prosequitur:

Et ómnium circumstántium, quorum tibi fides cógnita est, et nota devótio, pro quibus tibi offérimus: vel qui tibi ófferunt hoc sacrifícium laudis, pro se, suísque ómnibus: pro redemptióne animárum suárum, pro spe salútis, et incolumitátis suæ: tibíque reddunt vota sua ætérno Deo, vivo et vero.

Infra Actionem

Communicántes, et memóriam venerántes, in primis gloriósæ sem-

périque Vírginis Maríæ, Genitrícis Dei et Dómini nostri Jesu Christi: sed et * beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum, Petri et Pauli, Andréæ, Jacóbi, Joánnis, Thomæ, Jacóbi, Philíppi, Bartholomǽi, Matthǽi, Simónis et Thaddǽi: Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti, Cornélii, Cypriáni, Lauréntii, Chrysógoni, Joánnis et Pauli, Cosmæ et Damiáni: et ómnium Sanctórum tuórum; quorum méritis, precibúsque concédas, ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quǽsumus, Signat ter super oblata, bene ✠ díctam, adscrí ✠ ptam, ra ✠ tam, rationábilem, acceptabilém-

que fácere dignéris: Signat semel super Hostiam, ut nobis Cor ✠ pus, et semel super Calicem, et San ✠ guis fiat, Jungit manus, dilectíssimi Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi.

Qui prídie, Tergit pollices et indices, quam paterétur, Accipit Hostiam, accépit panem in sanctas, ac venerábiles manus suas, Elevat aliquantulum oculos ad cælum, et elevátis óculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipoténtem, Caput inclinat, tibi grátias agens, Manu dextera signat super Hostiam, bene ✠ díxit, ac fregit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et manducáte ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices, profert verba consecrationis secrete, distincte, et attente super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ.

Hoc est enim Corpus meum.

Quibus verbis prolatis, statim Hostiam consecratam, utroque genu flexus, adorat: surgit et Corpus Christi elevat adeo, ut a circumstantibus possit videri et adorari, reponit super Corporale, et utrumque iterum genu flectens, adorat: nec amplius pollices et indices disjungit, nisi quando Hostia tractanda est, usque

ad ablutionem digitorum. Tunc, detecto Calice, dicit:

Símili modo postquam cœnátum est, Ambabus manibus accipit Calicem, et iterum deponit, accípiens et hunc præclárum Cálicem in sanctas, ac venerábiles manus suas: item, Caput inclinat, tibi grátias agens, Sinistra tenens Calicem, dextera signat super eum, bene ✠ díxit, dedítque discípulis suis, dicens: Accípite, et bíbite ex eo omnes.

Profert verba consecrationis super Calicem, attente, continuate, et secrete, tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix Sánguinis mei, novi et ætérni testaménti: mystérium fídei: qui pro vobis et pro multis effundétur in remissiónem peccatórum.

Quibus verbis prolatis, deponit Calicem super Corporale, et, extersis digitis super Calicem, eum cooperit Palla, dicens secrete:

Hæc quotiescúmque fecéritis, in mei memóriam faciétis.

Utroque genu flexus, adorat: surgit, ostendit populo, deponit super Altare, et, utrumque iterum genu flectens, adorat.

Unde et mémores, *Disjungit et extendit manus ante pectus,* Dómine, nos servi tui, sed et plebs tua sancta, ejúsdem Christi Fílii tui Dómini nostri tam beátæ passiónis, nec non et ab ínferis resurrectiónis, sed et in cælos gloriósæ ascensiónis: offérimus, *Jungit manus,* præclárae majestáti tuæ de tuis donis, ac datis, *Et signat ter super Hostiam, et Calicem simul, dicens:* hóstiam ✠ puram, hóstiam ✠ sanctam, hóstiam ✠ immaculátam, *Deinde signat semel super Hostiam, dicens:* Panem ✠ sanctum vitæ ætérnæ, *Et semel super Calicem, dicens:* et Cálicem ✠ salútis perpétuæ.

Extensis manibus, prosequitur:

Supra quæ propítio ac seréno vultu respícere dignéris: et accépta habére, sícuti accépta habére dignátus es múnera púeri tui justi Abel, et sacrifícium Patriárchæ nostri Abrahæ: et quod tibi óbtulit summus sacérdos tuus Melchísedech, sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam.

Profunde inclinatus, junctis manibus et super Altare positis, dicit:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: jube hæc perférri per manus sancti Angeli tui in sublíme altáre tu-

um, in conspéctu divínæ majestátis tuæ: ut quotquot, Extensis manibus et super Altare positis, illud osculatur, ex hac altáris participatióne, Jungit manus, sacrosánctum Fílii tui, Et signat semel super Hostiam, et semel super Calicem, Cor ✠ pus, et Sán ✠ guinem sumpsérimus, Seipsum signat, dicens: omni benedictióne cæléstí et grátia repleámur. Jungit manus. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Oratio pro defunctis

Meménto étiam, Extendit et elevat manus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum N. et N.:

Jungit manus, et, oculis ad sacram Hostiam intentis, orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit. Deinde, extensis manibus, prosequitur:

Qui nos præcessérunt cum signo fídei, et dórmiunt in somno pacis: ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus, locum refrigérii, lucis et pacis, ut indúlgeas, deprecámur. Jungit manus, et caput inclinat, dicens: Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. Amen.

Manu dextera percutit sibi pectus, elata aliquantulum voce dicens:

Nobis quoque peccatóribus Extensis manibus ut prius, secrete prose-


quitur: fámulis tuis, de multitúdine miseratiónum tuárum sperántibus, partem áliquam, et societátem donáre dignéris, cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus: cum Joánne, Stéphano, Mathía, Bárnaba, Ignátio, Alexándro, Marcellíno, Petro, Felicitáte, Perpétua, Agatha, Lúcia, Agnéte, Cæcília, Anastásia, et cum ómnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consórtium, non æstimátor mériti, sed véniæ, quǽsumus, largítor admítte. Jungit manus. Per Christum Dóminum nostrum.

Per quem hæc ómnia, Dómine, semper bona creas, Signat ter super Hostiam, et Calicem simul, dicens: sancti✠ficas, viví✠ficas, bene✠dícis, et præstas nobis.

Discooperit Calicem, utrumque flectit genu, accipit Hostiam inter pollicem et indicem manus dexteræ: et, tenens sinistra Calicem, cum Hostia signat ter a labio ad labium Calicis, dicens:

Per ip✠sum, et cum ip✠so, et in ip✠so, Cum ipsa Hostia signat bis inter se et Calicem, dicens: est tibi Deo Patri ✠ omnipoténti, in unitáte Spíritus ✠ Sancti, omnis honor, et glória.

Elevans aliquantulum Calicem cum Hostia, dicit:





Sinistra tenens Calicem, manu dextera elevat Hostiam tantum, ut in prima elevatione, eamque iterum suo loco reponit, Calicem cooperit statimque, manibus super Corporale positis, dicit:



Extendit manus






Et dimít-te no-bis dé-bi- ta nostra, sic- ut et nos



dimít-timus de-bi- tó-ri-bus nostris. Et ne nos




indú-cas in tenta- ti- ó- nem.



℟. Sed lí-be-ra nos a ma- lo.

Sacerdos secrete dicit: Amen.


¶ Sequens cantus dicitur in Festis Simplicibus, in diebus Ferialibus et in Missis Defunctorum.



Per ómni- a sǽ-cu- la sæ-cu- ló- rum. ℟. Amen.



O-rémus:



Præ-céptis sa- lu- tá- ri-bus mó-ni- ti, et di-ví-na



insti- tu- ti- ó-ne formá- ti, audémus di-ce-re:



Sacerdos secrete dicit: Amen.

Deinde, manibus super Corporale positis, dicit secrete:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis, prætéritis, præséntibus, et futúris: et intercedénte beáta, et gloriósa, sempérque Vírgine Dei Genitríce María, et beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque Andréa, cum ómnibus Sanctis, Manu dextera accipit inter indicem et medium digitos Patenam, et signat se cum ea a fronte ad pectus, da propítius pacem in diébus nostris: Patenam osculatur, ut ope misericórdiæ tuæ adjúti, et a peccáto simus semper líberi, et ab omni perturbatióne secúri.

Submittit Patenam Hostiæ, discooperit Calicem, utrumque flectit genu, surgit, accipit Hostiam, et eam super Calicem tenens utraque manu, frangit per medium, dicens:

Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum.

Et mediam partem, quam in dextera manu tenet, ponit super Patenam. Deinde ex parte, quæ in sinistra remanserat, frangit particulam, dicens:

Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Aliam mediam partem quam in sinistra manu habet, adjungit mediæ super Patenam positæ, et particu-

Iam parvam dextera retinens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam tenet, utrumque parum elevat, intelligibili voce dicens:




Per ómni- a sǽ-cu- la sæ-cu- ló- rum. ℟. Amen.

Suo loco reponit Calicem, et ipsa particula signat ter super eum, dicens:



Pax ✠ Dómi- ni sit ✠ semper vo- bís- ✠ cum.



℟. Et cum spí- ri- tu tu- o.

Particulam ipsam immittit in Calicem, dicens secrete:

Hæc sacrosáncta commíxtio Córporis et Sánguinis Dómini nostri Jesu Christi, fiat mihi et ómnibus suméntibus, salus mentis et córporis, et ad vitam ætérnam capessendam præparátio salutáris. Te præstánte, Deus noster, qui ætérnus vivis et regnas, Deus, per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Vel hæc alia:

Fiat commíxtio, et consecrátio Córporis et Sánguinis Dómini nostri

Jesu Christi, accipiéntibus nobis in vitam ætérnam. Amen.

Tergit pollices et indices, et, Calicem cooperiens ac Sacramento inclinatus, junctis manibus, et ter pectus percutiens, intelligibili voce dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.

In Missis Defunctorum non dicitur miserére nobis, sed ejus loco, dona eis réquiem, et in tertio additur sempitérnam.

Et, si non celebrat pro Defunctis, antequam sumatur Pax, junctis manibus super Altare, inclinatus dicit secrete sequentem Orationem:

Dómine Jesu Christe, qui es vera pax et vera concórdia: fac nos pacificári in hac sancta hora.

Si danda est pax, osculatur Altare, et, dans pacem, dicit: Pax tecum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Vel hanc aliam:

Dómine Jesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis: Pacem meam do vobis, pacem relínquo vobis: ne respícias peccáta mea, sed fidem Ecclésiæ tuæ: eámque secúndum voluntátem tuam pacificáre, custodíre et coadunáre dignéris: Qui vi-

vis et regnas cum Deo Patre in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Supradictæ Orationes non sunt ambæ dicendæ, sed una tantum, quam voluerit Celebrans.

In Missis Defunctorum non datur pax, neque dicitur præcedens Oratio.

Deinde inclinatus, ut supra, dicit sequentes Orationes:

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, da mihi hoc Corpus et Sánguinem Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, ita súmere: ut mérear per illud remissiónem ómnium peccatórum meórum accípere, et tuo Sancto Spíritu repléri: quia tu es Deus benedíctus, et præter te non est alter: cujus regnum et impérium sine fine pérmanet in sǽcula sæculórum. Amen.

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntáte Patris, cooperánte Spíritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificásti: líbera me per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum ab ómnibus iniquitátibus meis, et univérsis malis: et fac me tuis semper inhærére mandátis, et a te numquam separári permíttas: Qui cum eódem Patre vivis et regnas in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus. Per

ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Dómine Jesu Christe, non sum dignus te suscípere: sed tantum, óbsecro, propítius esto mihi indígno peccatóri, et præsta, ut hæc vera Córporis et Sánguinis tui percéptio, non sit mihi ad judícium neque ad condemnatiónem, sed sit ómnium peccatórum meórum optáta remíssio, et ánimæ et córporis mei pia gubernátio, et potens ad vitam ætérnam introdúctio: te præstánte, Deus noster: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas, Deus. Per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

Accipit Patenam cum Corpore Christi, maxima humilitate et reverentia dicens:

Panem cæléstem accípiam, et nomen Dómini invocábo.

Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes Hostiæ inter pollicem, et indicem sinistræ manus, et Patenam inter eumdem indicem, et medium supponit, et paulisper corpus deflectens, ita ut circumstantes sacram Hostiam videre et adorare possint, genu dexterum aliquantulum et modeste flectens, et dextera tribus vicibus percutiens pectus, elata aliquantulum voce, ter dicit devote, et humiliter:

Dómine, non sum dignus, Et secrete prosequitur: ut intres sub tectum meum: sed tan-

tum dic verbo, et sanábitur ánima mea.

Postea dextera se signans cum Corpore Christi super Patenam, dicit:

Corpus Dómini nostri ✠ Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen.

Et se inclinans, reverenter sumit ambas partes Hostiæ: quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, et erigens se jungit manus, et quiescit aliquantulum in meditatione Ssmi Sacramenti. Deinde discooperit Calicem, colligit fragmenta, si quæ sint, extergit Patenam super Calicem, utrumque flectit genu, interim dicens:

Quid retríbuam Dómino pro ómnibus quæ retríbuit mihi? Cálicem salutáris accípiam, et nomen Dómini invocábo. Laudans invocábo Dóminum, et ab inimícis meis salvus ero.

Utraque manu accipit Calicem cum Sanguine Christi, et eo se signans, dicit:

Sanguis Dómini nostri ✠ Jesu Christi custódiat ánimam meam in vitam ætérnam. Amen.

Sumpto Sanguine, si qui sunt communicandi, eos communicet. Deinde porrigit Calicem ministro, qui infundit in eo parum vini, interim dicens:

Quod ore súmpsimus, Dómine, pura mente capiámus: et de múnere temporáli fiat nobis

remédium sempitérnum. Amen.

Deinde abluit et extergit digitos, dicens:

Corpus tuum, Dómine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potávi, adhǽreat viscéribus meis: et præsta; ut in me non remáneat scélerum mácula, quem tam sancta et pura refecérunt sacraménta: Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitáte Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sǽcula sæculórum. Amen.

Postea sumit ablutionem, extergit os, et Calicem, quem, plicato Corporali, operit et super Altare ad latus Evangelii deponit: deinde prosequitur Missam.


Dicto, post ultimam Orationem, ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo, dicit pro Missæ qualitate, vel Ite, missa est, vel Benedicámus Dómino. ℟. Deo grátias.

In Missis Defunctorum dicit: ℣. Requiéscant in pace. ℟. Amen.


I. Tempore Paschali, hoc est a Missa Sabbati sancti usque ad Vigiliam Trinitatis inclusive, et in Festo Corporis Christi et per totam Octavam in omnibus Festis Solemnibus, etiam de B. Maria Virg.




II. Tempore Paschali et per Octavam Corporis Christi, ut supra, in Festis et Missis non solemnibus




III. Extra Tempus Paschale, in Festis Solemnibus, etiam de B. Maria Virg.




IV. In Festis Duplicibus




V. In Missis B. Mariæ Virg., quæ non sint Solemnes




VI. In Dominicis infra annum, in Festis Semiduplicibus et infra Octavas, quæ non sint B. Mariæ Virg.



VII. In Festis Simplicibus




VIII. In Dominicis Tempore Adventus, Quadragesimæ et Passionis



IX. In Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ



X. In omnibus Feriis extra Tempus Paschale, in Litaniis majoribus et minoribus, in Vigiliis communibus item extra Tempus Paschale, atque, si omissum fuerit Glória in excélsis, in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint.



XI. In Vigilia Nativitatis Domini, etiamsi in Dominica occurrat, in Festo Ss. Innocentium, et in Missis votivis pro re gravi, quando non dicitur Glória in excélsis Deo.



XII. A Festo Nativitatis usque ad Circumcisionem Domini inclusive, loco Ite, Missa est, dicatur, si placuerit






XIII. In Festo Epiphaniæ Dómini, loco Ite, Missa est, dicatur, si placuerit





XIV. In Missis Defunctorum



Dicto Ite, missa est, Sacerdos, ad populum conversus, benedicit, dicens: In unitáte Sancti Spíritus ✠ benedícat vos Pater et Fílius.

In Missa autem Pontificali, ter benedicit Pontifex, dicens: In unitáte Sancti ✠ Spíritus benedícat vos Pa ✠ ter et Fí ✠ lius.

Quando dicitur Benedicámus Dómino, datur antea Benedictio, omissis tamen verbis In unitáte etc.

Deinde inclinat se ante medium Altaris, et, manibus junctis super illud, dicit secrete:

Pláceat tibi, sancta Trínitas, obséquium servitútis meæ: et præsta; ut sacrifícium, quod óculis tuæ majestátis indígnus óbtuli, tibi sit acceptábile, mihíque, et ómnibus, pro quibus illud óbtuli, sit, te miseránte, propitiábile. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Deinde Sacerdos osculatur Altare, et in cornu Evangelii, junctis manibus, dicit: ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Et signans signo Crucis primum Altare, vel librum, deinde se in fronte, ore, et pectore, dicit:

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Vel, si aliud Evangelium legendum sit: Sequéntia sancti Evangélii, etc.

℟. Glória tibi, Dómine.

Junctis manibus, prosequitur:

Joann. 1, 1-14

In princípio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in princípio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hóminum: et lux in ténebris lucet, et ténebræ eam non comprehendérunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. Hic venit in testimónium, ut testimónium perhibéret de lúmine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimónium perhibéret de lúmine. Erat lux vera, quæ illúminat omnem hóminem veniéntem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognóvit. In

própria venit, et sui eum non recepérunt. Quotquot autem recepérunt eum, dedit eis potestátem fílios Dei fíeri, his, qui credunt in nómine ejus: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntáte carnis, neque ex voluntáte viri, sed ex Deo nati sunt. Utrumque flectit genu, dicens: Et Verbum caro factum est, Et surgens prosequitur: et habitávit in nobis: et vídimus glóriam ejus, glóriam quasi Unigéniti a Patre, plenum grátiæ et veritátis.

℟. Deo grátias.

In Missis Defunctorum non datur benedictio, sed, dicto Requiéscant in pace, dicit: Pláceat tibi, sancta Trínitas: deinde, osculato Altari, legit, absque ullo Crucis signo, Evangelium sancti Joannis, ut supra.

Finito Evangelio sancti Joannis, descendit ante medium Altaris, ubi, flexis genibus, Tempore Paschali excepto, dicit, juxta diversitatem Temporum, Commemorationem beatæ Mariæ Virginis, ut infra:

I Per Annum

Sub tuum præsídium confúgimus, sancta Dei Génitrix: nostras deprecatiónes ne despícias in necessitátibus, sed a perículis cunctis líbera nos semper, Virgo benedícta.

℣. Dignáre me laudáre te, Virgo sacráta.

℟. Da mihi virtútem contra hostes tuos.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui gloriósæ Vírginis Matris Maríæ corpus et ánimam, ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur, Spíritu Sancto cooperánte, præparásti: da, ut cujus commemoratióne lætámur, ejus pia intercessióne ab instántibus malis et a cunctis perículis, et a morte subitánea atque perpétua liberémur, et ad gáudia ætérna perveníre mereámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

¶ Quæ Antiphona, cum suo Versu et Oratione, ut supra, dicitur per totum Annum, exceptis Temporibus infra notatis.

II A Dominica I Adventus usque ad Vigiliam Nativitatis Domini

Missus est Gábriel Angelus ad Maríam Vírginem, desponsátam Joseph.

℣. Angelus Dómini nuntiávit Maríæ.

℟. Et concépit de Spíritu Sancto.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

III A Nativitate Domini usque ad Vigiliam Purificationis beatæ Mariæ Virginis

Nésciens mater Virgo virum, péperit sine dolóre Salvatórem sæculórum; ipsum Regem Angelórum sola Virgo lactábat, úbere de cælo pleno.

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti.

℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri præmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus Auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum. Qui tecum vivit, et regnat in sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

IV A Sabbato sancto usque ad Vigiliam Ascensionis

Regína cæli, lætáre, allelúja. Quia quem meruísti portáre, allelúja. Resurréxit, sicut dixit, allelúja. Ora pro nobis Deum, allelúja.

℣. Gaude, et lætáre, Virgo María, allelúja.

℟. Quia surréxit Dóminus vere, allelúja.

Oratio

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde, ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii tui incarnatiónem cognóvimus, per passiónem ejus, et crucem ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Dicta Commemoratione beatæ Mariæ Virginis, Celebrans, facta reverentia Altari, et etiam Choro atque Pontifici, si adsunt, revertitur ad Sacrarium, eo ordine et modo quo venit ad Altare, dicendo Te Deum laudámus, cum aliis precibus, ut habetur in principio Missalis.





DOMINICA RESURRECTIONIS

Introitus Ps. 138, 18, 5-6

Resurréxi, et adhuc tecum sum, allelúja: posuísti super me manum tuam, allelúja: mirábilis facta est sciéntia tua, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Resurréxi. ℣. Glória Patri. Resurréxi.

Oratio

Deus, qui hodiérna die per Unigénitum tuum, æternitátis nobis áditum devícta morte reserásti: vota nostra, quæ prævenióndo aspíras, etiam adjuvándo proséquere. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 5, 7-8

Fratres: Expurgáte vetus ferméntum, ut sitis nova conspérsio, sicut estis ázymi. Etenim Pascha nostrum immolátus est Christus. Itaque epulémur: non in ferménto véteri, neque in ferménto malítiæ, et nequítiæ: sed in ázymis sinceritátis, et veritátis.

Graduale Ps. 117, 24 et 1 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea. ℣. Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. 1 Cor. 5, 7 Pascha nostrum immolátus est Christus.

Sequentia

Víctimæ pascháli laudes ímmolent Christiáni.

Agnus redémit oves: Christus ínnocens Patri reconciliávit peccatóres.

Mors et vita duéllo conflixére mirándo: dux vitæ mórtuus, regnat vivus.

Dic nobis, María, quid vidísti in via?

Sepúlcrum Christi vivéntis: et glóriam vidi resurgéntis.

Dic nobis, María, quid vidísti in via?

Angélicos testes, sudárium, et vestes.

Dic nobis, María, quid vidísti in via?

Surréxit Christus spes mea: præcédet vos in Galilǽam.

Credéndum est magis soli Maríæ veráci, quam Judæórum turbæ falláci.

Scimus Christum surrexísse a mórtuis vere: tu nobis, victor Rex, miserére. Amen. Allelúja.

¶ Sequentia dicitur usque ad Sabbatum in Albis inclusive.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 16, 1-7

In illo témpore: María Magdaléne, et María Jacóbi, et Salóme emérunt arómata, ut veniéntes úngerent Jesum. Et valde mane una sabbatórum, véniunt ad monuméntum, orto jam sole. Et dicébant ad ínvicem: Quis revólvet nobis lápidem ab óstio monuménti? Et respiciéntes vidérunt revolútum lápidem. Erat quippe magnus valde. Et introëúntes in monuméntum vidérunt júvenem sedéntem in dextris, coopértum stola cándida, et obstupuérunt. Qui dicit illis: Nolíte expavéscere: Jesum quǽritis Nazarénum, crucifíxum: surréxit, non est hic, ecce locus ubi posuérunt eum. Sed ite, dícite discípulis ejus, et Petro, quia præcédit vos in Galilǽam: ibi eum vidébitis, sicut dixit vobis.

Credo.

Offertorium Ps. 75, 9-10 Terra trémuit, et quiévit, dum resúrgeret in judício Deus, allelúja.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum: ut paschálibus initiáta mystériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, profíciant. Per Dóminum.

¶ Præfatio Paschalis Te quidem, Dómine, omni témpore, sed in hac potíssimum die.

Infra Actionem Communicántes, et Hanc ígitur oblatiónem propria.

Et sic dicitur usque ad Sabbatum in Albis inclusive.

Communio 1 Cor. 5, 7-8 Pascha nostrum immolátus est Christus, allelúja: ítaque epulémur in ázymis sinceritátis, et veritátis, allelúja, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

¶ Post Dóminus vobíscum dicitur Ite, missa est, allelúja, allelúja.

℟. Deo grátias, allelúja, allelúja.

Et sic dicitur Ite, missa est. cum duplici Allelúja usque ad Vigiliam Trinitatis inclusive, in diebus quibus dicitur Glória in excélsis.

Feria Secunda
Infra Octavam Paschæ

Introitus Exodi 13, 5 et 9

Introdúxit vos Dóminus in terram fluéntem lac, et mel, allelúja: et ut lex Dómini semper sit in ore vestro, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 104, 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte

inter gentes ópera ejus. Introdúxit. ℣. Glória Patri. Introdúxit.

Oratio

Deus, qui solemnitáte pascháli mundo remédia contulísti: pópulum tuum, quæsumus, cælésti dono proséquere; ut et perféctam libertátem cónsequi mereátur, et ad vitam profíciat sempitérnam. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 10, 37-43

In diébus illis: Stans Petrus in médio plebis, dixit: Viri fratres, vos scitis quod factum est verbum per univérsam Judǽam: incípiens enim a Galilǽa, post baptísmum, quod prædicávit Joánnes, Jesum a Názareth: quómodo unxit eum Deus Spíritu Sancto, et virtúte, qui pertránsiit benefaciéndo, et sanándo omnes oppréssos a diábolo, quóniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus ómnium, quæ fecit in regióne Judæórum, et Jerúsalem, quem occidérunt suspendéntes in ligno. Hunc Deus suscitávit tértia die, et dedit eum maniféstum fíeri, non omni pópulo, sed téstibus præordinátis a Deo: nobis, qui manducávimus, et bíbimus cum illo, postquam resurréxit a mórtuis. Et præcépit nobis prædicáre pópulo, et testificári, quia ipse est, qui constitútus est a Deo judex vivórum, et mortuórum. Huic omnes prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum.

Graduale Ps. 117, 14 et 2 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus et lætémur in ea. ℣. Dicat nunc Israël, quóniam bonus: quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 24, 32 Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Jesu, dum nobíscum loquerétur in via?

Et dicitur Sequentia Víctimæ pascháli, ut in Festo, 339.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 24, 13-35

In illo témpore: Duo ex discípulis Jesu ibant ipsa die in castéllum, quod erat in spátio stadiórum sexagínta ab Jerúsalem, nómine Emmaus. Et ipsi loquebántur ad ínvicem de his ómnibus, quæ accíderant. Et factum est, dum fabularéntur, et secum quǽrerent: et ipse Jesus appropínquans ibat cum illis: óculi autem illórum tenebántur, ne eum agnóscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermónes, quos confértis ad ínvicem ambulántes, et estis tristes? Et respóndens unus, cui nomen Cléophas, dixit ei: Tu solus peregrínus es in Jerúsalem, et non cognovísti, quæ facta sunt in illa his diébus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixérunt: De Jesu Nazaréno, qui fuit vir prophéta, potens in ópere et sermóne, coram Deo, et omni pópulo: et quómodo eum tradidérunt summi sacerdótes, et príncipes nostri in damnatiónem mortis, et crucifixérunt eum. Nos autem sperabámus, quia ipse esset redemptúrus Israël: et nunc super hæc ómnia, tértia dies est hódie, quod hæc facta sunt. Sed et mulíeres quædam ex nostris terruérunt

nos, quæ ante lucem fuérunt ad monuméntum, et, non invénto córpore ejus, venérunt, dicéntes se etiam visiónem Angelórum vidisse, qui dicunt eum vívere. Et abiérunt quidam ex nostris ad monuméntum: et ita invenérunt sicut mulieres dixérunt, ipsum vero non invenérunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credéndum in ómnibus, quæ locúti sunt prophétæ! Nonne hæc opórtuit pati Christum, et ita intráre in glóriam suam? Et incípiens a Móyse, et ómnibus prophétis, interpretabátur illis in ómnibus Scriptúris, quæ de ipso erant. Et appropinquavérunt castéllo, quo ibant: et ipse se finxit lóngius ire. Et coëgérunt illum, dicéntes: Mane nobíscum, quóniam advesperáscit, et inclináta est jam dies. Et intrávit cum illis. Et factum est, dum recúmberet cum eis, accépit panem, et benedíxit, ac fregit, et porrigébat illis. Et apérti sunt óculi eórum, et cognovérunt eum: et ipse evánuit ex óculis eórum. Et dixérunt ad ínvicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loquerétur in via, et aperíret nobis Scriptúras? Et surgéntes eádem hora regréssi sunt in Jerúsalem: et invenérunt congregátos úndecim, et eos, qui cum illis erant, dicéntes: Quod surréxit Dóminus vere, et appáruit Simóni. Et ipsi narrábant, quæ gesta erant in via: et quómodo cognovérunt eum in fractióne panis.

Credo.

Offertorium Matth. 28, 2, 5 et 6 Angelus Dómini descéndit de cælo, et dixit muliéribus: Quem quǽritis, surréxit, sicut dixit, allelúja.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum: ut paschálibus initiáta mystériis, ad æternitátis nobis medélam, te operánte, profíciant. Per Dóminum.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Paschæ.

Communio Luc. 24, 34 Surréxit Dóminus, et appáruit Petro, allelúja.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Feria Tertia
Infra Octavam Paschæ

Introitus Eccli. 15, 3 et 4

Aqua sapiéntiæ potávit eos, allelúja: firmábitur in illis, et non flectétur, allelúja: et exaltábit eos in ætérnum, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 104, 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. Aqua sapiéntiæ. ℣. Glória Patri. Aqua sapiéntiæ.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam novo semper fœtu multíplicas: concéde fámulis tuis; ut sacraméntum vivéndo téneant, quod fide percepérunt. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 13, 16 et 26-33

In diébus illis: Surgens Paulus, et manu siléntium índicens, ait: Viri fratres, fílii géneris Abraham, et qui

in vobis timent Deum, vobis verbum salútis hujus missum est. Qui enim habitábant Jerúsalem, et príncipes ejus, ignorántes Jesum, et voces prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, judicántes implevérunt: et nullam causam mortis inveniéntes in eo, petiérunt a Piláto, ut interfícerent eum. Cumque consummássent ómnia, quæ de eo scripta erant, deponéntes eum de ligno, posuérunt eum in monuménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis tértia die: qui visus est per dies multos his, qui simul ascénderant cum eo de Galilǽa in Jerúsalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem. Et nos vobis annuntiámus eam, quæ ad patres nostros repromíssio facta est: quóniam hanc Deus adimplévit fíliis nostris, resúscitans Jesum Christum Dóminum nostrum.

Graduale Ps. 117, 24 Hæc dies, quam fecit Dóminus; exsultémus, et lætémur in ea. ℣. Ps. 106, 2 Dicant nunc, qui redémpti sunt a Dómino: quos redémit de manu inimíci, et de regiónibus congregávit eos.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 24, 42 Obtulérunt discípuli Dómino partem piscis assi et favum mellis.

Et dicitur Sequentia Víctimæ pascháli, ut in Festo, 339.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 24, 36-47

In illo témpore: Stetit Jesus in médio discipulórum suórum, et dicit eis: Pax vobis: ego sum, nolíte timére. Conturbáti vero, et contérriti, existimábant se spíritum vidére. Et dixit eis: Quid turbáti estis, et cogitatiónes ascéndunt in corda vestra? Vidéte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum: palpáte, et vidéte: quia spíritus carnem, et ossa non habet, sicut me vidétis habére. Et cum hoc dixísset, osténdit eis manus, et pedes. Adhuc autem illis non credéntibus, et mirántibus præ gáudio, dixit: Habétis hic áliquid, quod manducétur? At illi obtulérunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et cum manducásset coram eis, sumens relíquias, dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba, quæ locútus sum ad vos, cum adhuc essem vobíscum, quóniam necésse est impléri ómnia, quæ scripta sunt in lege Móysi, et Prophétis, et Psalmis de me. Tunc apéruit illis sensum, ut intellígerent Scriptúras. Et dixit eis: Quóniam sic scriptum est, et sic oportébat Christum pati, et resúrgere a mórtuis tértia die: et prædicári in nómine ejus pœniténtiam, et remissiónem peccatórum in omnes gentes. Credo.

Offertorium Ps. 17, 14 et 16 Intónuit de cælo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: et apparuérunt fontes aquárum, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, fidélium preces cum oblatiónibus hostiárum: ut per hæc piæ devotiónis offícia, ad cæléstem glóriam transeámus. Per Dóminum.

Præfatio, Communicántes et Hanc igitur, ut in die Paschæ.

Communio Coloss. 3, 1-2 Si consurrexístis cum Christo, quæ sursum sunt quǽrite, ubi Christus est

in déxtera Dei sedens, allelúja: quæ sursum sunt sápite, allelúja.

Postcommunio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut paschális percéptio sacraménti, contínua in nostris méntibus persevéret. Per Dóminum.

Feria Quarta
Infra Octavam Paschæ

Introitus Matth. 25, 34

Veníte, benedícti Patris mei, percípite regnum, allelúja: quod vobis parátum est ab orígine mundi, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 95, 1 Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri. Veníte, benedícti.

Oratio

Deus, qui nos Resurrectiónis Domínicæ ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut per temporália festa quæ ágimus, pervenire ad gáudia ætérna mereámur. Per eúmdem Dóminum.

2ª contra persecutores Ecclesiæ
Oratio

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

vel 2ª pro Papa Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quæsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 3, 13-15 et 17-19

In diébus illis: Apériens Petrus os suum, dixit: Viri Israëlítæ, et qui timétis Deum, audíte. Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrórum, glorificávit Fílium suum Jesum, quem vos quidem tradidístis, et negástis ante fáciem Piláti, judicánte illo dimítti. Vos autem sanctum, et justum negástis, et petístis virum homicídam donári vobis: auctórem vero vitæ interfecístis, quem Deus suscitávit a mórtuis, cujus nos testes sumus. Et nunc, fratres, scio quia per ignorántiam fecístis, sicut et príncipes vestri. Deus autem, quæ prænuntiávit per os ómnium Prophetárum, pati Christum suum, sic implévit. Pœnitémini igitur, et convertímini, ut deleántur peccáta vestra.

Graduale Ps. 117, 24 et 16 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea. ℣. Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 24, 34 Surréxit Dóminus vere: et appáruit Petro.

Et dicitur Sequentia Víctimæ Pascháli, ut in Festo, 339.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 21, 1-14

In illo témpore: Manifestávit se íterum Jesus discípulis ad mare Tiberíadis. Manifestávit autem sic.

Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dícitur Dídymus, et Nathánaël, qui erat a Cana Galilǽæ, et fílii Zebedǽi, et álii ex discípulis ejus duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscári. Dicunt ei: Venímus et nos tecum. Et exiérunt, et ascendérunt in navim: et illa nocte nihil prendidérunt. Mane autem facto, stetit Jesus in líttore: non tamen cognovérunt discípuli quia Jesus est. Dixit ergo eis Jesus: Púeri, numquid pulmentárium habétis? Respondérunt ei: Non. Dicit eis: Míttite in déxteram navígii rete, et inveniétis. Misérunt ergo: et jam non valébant illud tráhere præ multitúdine píscium. Dixit ergo discípulus ille, quem diligébat Jesus, Petro: Dóminus est. Simon Petrus cum audísset quia Dóminus est, túnica succínxit se (erat enim nudus), et misit se in mare. Alii autem discípuli navígio venérunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cúbitis ducéntis), trahéntes rete píscium. Ut ergo descendérunt in terram, vidérunt prunas pósitas, et piscem superpósitum, et panem. Dicit eis Jesus: Afférte de píscibus, quos prendidístis nunc. Ascéndit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis píscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete. Dicit eis Jesus: Venite, prandéte. Et nemo audébat discumbéntium interrogáre eum: Tu quis es? sciéntes, quia Dóminus est. Et venit Jesus, et áccipit panem, et dat eis, et piscem simíliter. Hoc jam tértio manifestátus est Jesus discípulis suis, cum resurrexísset a mórtuis. Credo.

Offertorium Ps. 77, 23-25 Portas cæli apéruit Dóminus: et pluit illis manna, ut éderent: panem cæli dedit eis: panem Angelórum manducávit homo, allelúja.

Secreta

Sacrifícia, Dómine, paschálibus gáudiis immolámus: quibus Ecclésia tua mirabíliter et páscitur et nutrítur. Per Dóminum.

2ª contra persecutores Ecclesiæ
Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur, et mente. Per Dóminum.

vel 2ª pro Papa — Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Paschæ.

Communio Rom. 6, 9 Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, allelúja: mors illi ultra non dominábitur, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Ab omni nos, quǽsumus, Dómine, vetustáte purgátos: sacraménti tui veneránda percéptio in novam tránsferat creatúram: Qui vivis.

2ª contra persecutores Ecclesiæ
Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

vel 2ª pro Papa

Postcommunio

Hæc nos, quæsumus, Dómine, divini sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti: una cum commisso sibi grege, salvet semper, et múniat. Per Dóminum.

Feria Quinta
Infra Octavam Paschæ

Introitus Sap. 10, 20-21

Victrícem manum tuam, Dómine, laudavérunt páriter, allelúja: quia sapiéntia apéruit os mutum, et linguas infántium fecit disértas, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri. Victrícem.

Oratio

Deus, qui diversitátem géntium in confessióne tui nóminis adunásti: da, ut renátis fonte baptísmatis una sit fides méntium, et píetas actiónum. Per Dóminum.

Alia Oratio, ut supra, 344.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 8, 26-40

In diébus illis: Angelus Dómini locútus est ad Philíppum, dicens: Surge, et vade contra meridiánum, ad viam, quæ descéndit ab Jerúsalem in Gazam: hæc est desérta. Et surgens ábiit. Et ecce vir Æthiops eunúchus, potens Candácis reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas ejus, vénerat adoráre in Jerúsalem: et revertebátur sedens super currum suum, legénsque Isaiam prophétam. Dixit autem Spíritus Philíppo: Accéde, et adjúnge te ad currum istum. Accúrrens autem Philíppus, audívit eum legéntem Isaiam prophétam, et dixit: Putásne intélligis, quæ legis? Qui ait: Et quómodo possum, si non áliquis osténderit mihi? Rogavítque Philíppum, ut ascénderet, et sedéret secum. Locus autem Scriptúræ, quam legébat, erat hic: Tamquam ovis ad occisiónem ductus est: et sicut agnus coram tondénte se, sine voce, sic non apéruit os suum. In humilitáte judícium ejus sublátum est. Generatiónem ejus quis enarrábit, quóniam tollétur de terra vita ejus? Respóndens autem eunúchus Philíppo, dixit: Obsecro te, de quo prophéta dicit hoc? de se, an de álio áliquo? Apériens autem Philíppus os suum, et incípiens a Scriptúra ista, evangelizávit illi Jesum. Et dum irent per viam, venérunt ad quamdam aquam: et ait eunúchus: Ecce aqua, quid próhibet me baptizári? Dixit autem Philíppus: Si credis ex toto corde, licet. Et respóndens, ait: Credo, Fílium Dei esse Jesum Christum. Et jussit stare currum, et descendérunt utérque in aquam, Philíppus, et eunúchus, et baptizávit eum. Cum autem ascendíssent de aqua, Spíritus Dómini rápuit Philíppum, et ámplius non vidit eum eunúchus. Ibat autem per viam suam gaudens. Philíppus autem invéntus est in Azóto, et pertránsiens evangelizábat civitátibus cunctis; donec veníret Cæsaréam, prædicans nomen Dómini Jesu Christi.

Graduale Ps. 117, 24 et 22-23 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea. ℣. Lápidem, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli: a Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Surréxit Altíssimus de sepúlcro, qui pro nobis pepéndit in ligno.

Et dicitur Sequentia Víctimæ Paschâli, ut supra, 339.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 20, 11-18

In illo témpore: María stabat ad monuméntum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinávit se, et prospéxit in monuméntum: et vidit duos Angelos in albis, sedéntes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi pósitum fúerat corpus Jesu. Dicunt ei illi: Múlier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulérunt Dóminum meum: et néscio, ubi posuérunt eum. Hæc cum dixisset, convérsa est retrórsum, et vidit Jesum stantem: et non sciébat quia Jesus est. Dicit ei Jesus: Múlier, quid ploras? quem quæris? Illa existimans quia hortulánus esset, dicit ei: Dómine, si tu sustulísti eum, dícito mihi ubi posuísti eum: et ego eum tollam. Dicit ei Jesus: María. Convérsa illa, dicit ei: Rabbóni (quod dícitur Magister). Dicit ei Jesus: Noli me tángere, nondum enim ascéndi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, et dic eis: Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. Venit María Magdaléne annúntians discípulis: Quia vidi Dóminum, et hæc dixit mihi.

Credo.

Offertorium Exodi 13, 5 In die solemnitátis vestræ, dicit Dóminus, indúcam vos in terram fluéntem lac et mel, allelúja.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera populórum tuórum propítius: ut confessióne tui nóminis et baptísmate renováti, sempitérnam beatitúdinem consequántur. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 345.
Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Paschæ.

Communio 1 Petr. 2, 9 Pópulus acquisitiónis, annuntiáte virtútes ejus, allelúja: qui vos de ténebris vocávit in admirábile lumen suum, allelúja.

Postcommunio

Exáudi, Dómine, preces nostras: ut redemptiónis nostræ sacrosáncta commércia, et vitæ nobis cónferant præséntis auxílium, et gáudia sempitérna concílient. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 345.

Feria Sexta
Infra Octavam Paschæ

Introitus Ps. 77, 53

Edúxit eos Dóminus in spe, allelúja: et inimícos eórum opéruit mare, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Edúxit.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui paschále sacraméntum in reconciliatiónis humánæ fœdere contulísti: da méntibus nostris; ut, quod professióne celebrámus, imitémur efféctu. Per Dóminum.

Alia Oratio, ut supra, 344.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 3, 18-22

Caríssimi: Christus semel pro peccátis nostris mórtuus est, justus pro injústis, ut nos offérret Deo, mortificátus quidem carne, vivificátus autem spíritu. In quo et his, qui in cárcere erant, spirítibus véniens prædicávit: qui incréduli fúerant aliquándo, quando exspectábant Dei patiéntiam in diébus Noë, cum fabricarétur arca, in qua pauci, id est octo ánimæ salvæ factæ sunt per aquam. Quod et vos nunc símilis formæ salvos facit baptísma: non carnis depositio sórdium, sed consciéntiæ bonæ interrogátio in Deum per resurrectiónem Jesu Christi Dómini nostri, qui est in déxtera Dei.

Graduale Ps. 117, 24 et 26-27 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea. ℣. Benedíctus, qui venit in nómine Dómini: Deus Dóminus, et illúxit nobis.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 28, 18 Data est mihi omnis potéstas in cælo, et in terra.

Et dicitur Sequentia Víctimæ Pascháli, ut supra, 339.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 28, 16-20

In illo témpore: Undecim discípuli abiérunt in Galilæam, in montem, ubi constitúerat illis Jesus. Et vidéntes eum adoravérunt: quidam autem dubitavérunt. Et accédens Jesus locútus est eis, dicens: Data est mihi omnis potéstas in cælo, et in terra. Eúntes ergo, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti: docéntes eos serváre ómnia quæcúmque mandávi vobis. Et ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus, usque ad consummatiónem sǽculi.

Credo.

Offertorium Exodi 12, 14 Erit vobis hæc dies memoriális, allelúja: et diem festum celebrábitis solémnem Dómino in progénies vestras: legítimum sempitérnum diem, allelúja, allelúja, allelúja.

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, placátus assúme: quas et pro renatórum expiatióne peccáti deférimus, et pro acceleratióne cæléstis auxílii. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 345.
Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Paschæ.

Communio Matth. 28, 18-19 Data est mihi omnis potéstas in cælo, et in terra, allelúja: eúntes, docéte omnes gentes, baptizántes eos in nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Réspice, quæsumus, Dómine, pópulum tuum: et quem ætérnis dignátus es renováre mystériis, a temporálibus culpis dignánter absólve. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 345.

Sabbato in Albis

Introitus Ps. 104, 43

Edúxit Dóminus pópulum suum in exsultatióne, allelúja: et eléctos suos in lætítia, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Glória Patri. Edúxit.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui festa paschália venerándo égimus, per hæc contíngere ad gáudia ætérna mereámur. Per Dóminum.

Alia Oratio, ut supra, 344.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 2, 1-10.

Caríssimi: Deponéntes ígitur omnem malítiam, et omnem dolum, et simulatiónes, et invídias, et omnes detractiónes, sicut modo géniti infántes, rationábile, sine dolo lac concupíscite: ut in eo crescátis in salútem: si tamen gustástis, quóniam dulcis est Dóminus. Ad quem accedéntes lápidem vivum, ab homínibus quidem reprobátum, a Deo autem eléctum, et honorificátum: et ipsi tamquam lápides vivi superædificámini, domus spirituális, sacerdótium sanctum, offérre spirituáles hóstias, acceptábiles Deo per Jesum Christum. Propter quod cóntinet Scriptúra: Ecce pono in Sion lápidem summum anguláem, eléctum, pretiósum: et qui crediderit in eum, non confundétur. Vobis ígitur honor credéntibus: non credéntibus autem lapis, quem reprobavérunt ædificántes, hic factus est in caput ánguli, et lapis offensiónis, et petra scándali his, qui offéndunt verbo, nec credunt in quo et pósiti sunt. Vos autem genus eléctum, regále sacerdótium, gens sancta, pópulus acquisitiónis: ut virtútes annuntiétis ejus, qui de ténebris vos vocávit in admirábile lumen suum. Qui aliquándo non pópulus, nunc autem pópulus Dei: qui non consecúti misericórdiam, nunc autem misericórdiam consecúti.

Allelúja. ℣. Ps. 117, 24 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum, laudáte nomen Dómini. Allelúja.

Et iste ordo dicendi quatuor Allelúja cum duobus Versibus, omisso Graduali, servetur in omnibus Missis, ab hac die usque ad Sabbatum Quatuor Temporum Pentecostes inclusive: in Missa tamen Rogationum, in Vigilia Pentecostes et post quamlibet Lectionem in Sabbato Quatuor Temporum ejusdem, dicitur unum Allelúja cum suo Versu, et in fine non repetitur Allelúja.

Sequentia Víctimæ Pascháli, ut supra, 339.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 20, 1-9

In illo témpore: Una sábbati, María Magdaléne venit mane, cum adhuc ténebræ essent, ad monu-

méntum: et vidit lápidem sublátum a monuménto. Cucúrrit ergo, et venit ad Simónem Petrum, et ad álium discípulum, quem amábat Jesus, et dicit illis: Tulérunt Dóminum de monuménto, et nescímus ubi posuérunt eum. Exiit ergo Petrus, et ille álius discípulus, et venérunt ad monuméntum. Currébant autem duo simul, et ille álius discípulus præcucúrrit cítius Petro, et venit primus ad monuméntum. Et cum se inclinásset, vidit pósita linteámina, non tamen introívit. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introívit in monuméntum, et vidit linteámina pósita, et sudárium, quod fúerat super caput ejus, non cum linteamínibus pósitum, sed separátim involútum in unum locum. Tunc ergo introívit et ille discípulus, qui vénerat primus ad monuméntum: et vidit, et crédidit: nondum enim sciébant Scriptúram, quia oportébat eum a mórtuis resúrgere.

Credo.

Offertorium Ps. 117, 26-27 Benedíctus, qui venit in nómine Dómini: benedíximus vobis de domo Dómini: Deus Dóminus, et illúxit nobis, allelúja, allelúja.

Secreta

Concéde, quǽsumus, Dómine, semper nos per hæc mystéria paschália gratulári: ut contínua nostræ reparatiónis operátio perpétuæ nobis fiat causa lætítiæ. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 345.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Paschæ.

Communio Gal. 3, 27 Omnes qui in Christo baptizáti estis, Christum induístis, allelúja.

Postcommunio

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti, quǽsumus, Dómine: ut hoc perpétuæ salútis auxílio fides semper vera profíciat. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 345.

Dominica in Albis
In Octava Paschæ

Introitus 1 Petr. 2, 2

Quasi modo géniti infántes, allelúja: rationábiles, sine dolo lac concupíscite, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 80, 2 Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob. ℣. Glória Patri. Quasi modo.

¶ Dicitur Glória in excélsis in hac et sequentibus Dominicis post Pascha, etiam quando infra hebdomadam resumitur Missa Dominicæ præcedentis.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui paschália festa perégimus, hæc, te largiénte, móribus et vita teneámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli. 1 Joann. 5, 4-10

Caríssimi: Omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum: et hæc est victória, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis est, qui vincit mundum, nisi qui credit, quóniam Jesus est Fílius Dei? Hic est qui venit per aquam, et sánguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. Et Spíritus est, qui testificátur, quó-

niam Christus est véritas. Quóniam tres sunt, qui testimónium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimónium dant in terra: Spíritus, et aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt. Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est: quóniam hoc est testimónium Dei, quod majus est: quóniam testificátus est de Fílio suo. Qui credit in Fílium Dei, habet testimónium Dei in se.

Allelúja. ℣. Joann. 20, 19 Post dies octo, jánuis clausis, stetit Jesus in médio discipulórum suórum, et dixit: Pax vobis. Allelúja, allelúja. ℣. 1 Cor. 5, 7 Pascha nostrum immolátus est Christus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 20, 19-31

In illo témpore: Cum sero esset die illo, una sabbatórum, et fores essent clausæ, ubi erant discípuli congregáti propter metum Judæórum: venit Jesus, et stetit in médio, et dixit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, osténdit eis manus, et latus. Gavísi sunt ergo discípuli, viso Dómino. Dixit ergo eis íterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixísset, insufflávit: et dixit eis: Accípite Spíritum Sanctum: quorum remiséritis peccáta, remittúntur eis: et quorum retinuéritis, reténta sunt. Thomas autem unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli: Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis: Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus, jánuis clausis, et stetit in médio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incrédulus, sed fidélis. Respóndit Thomas, et dixit ei: Dóminus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti, qui non vidérunt, et credidérunt. Multa quidem et ália signa fecit Jesus in conspéctu discipulórum suórum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt, ut credátis, quia Jesus est Christus Fílius Dei: et ut credéntes, vitam habeátis in nómine ejus.

Credo.

Offertorium Matth. 28, 2. 5 et 6 Angelus Dómini descéndit de cælo, et dixit muliéribus: Quem quǽritis, surréxit sicut dixit, allelúja.

Secreta

Súscipe múnera, Dómine, quǽsumus, exsultántis Ecclésiæ: et cui causam tanti gáudii præstitísti, perpétuæ fructum concéde lætítiæ. Per Dóminum.

Præfatio Paschalis, in qua dicitur: In hoc potíssimum gloriósius prædicáre.

Communio Joann. 20, 27 Mitte manum tuam, et cognósce loca clavórum, allelúja: et noli esse incrédulus, sed fidélis, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine Deus noster: ut sacrosáncta mystéria, quæ pro reparatiónis nostræ munímine contulisti; et præsens nobis remédium esse fácias, et futúrum. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali, a Dominica in Albis usque ad Feriam VI post Octavam Ascensionis inclusive, quando dicendæ sint, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, etiam infra Octavas, exceptis Missis de beata Maria Virgine, et iis in quibus de eadem fit Commemoratio, et excepta pariter Missa votiva de Omnibus Sanctis, erunt sequentes:

2ª de S. Maria — Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. (Per Dóminum).

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem, et pacem. (Per Dóminum).

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. (Per Dóminum).

3ª contra persecutores Ecclesiæ
Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur, et mente. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster, ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

vel 3ª pro Papa — Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper, et múniat. Per Dóminum.

Feria Secunda

post Dominicam in Albis

Gaudiorum B. Mariæ Virg.

Introitus Habac. 3. 18

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábo in Deo Jesu meo: Deus Dóminus fortitúdo mea: super excélsa dedúcet me. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 102. 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. Gaudens gaudébo. ℣. Glória Patri. Gaudens gaudébo.

Oratio

Prosit nobis semper, quǽsumus, omnípotens Pater, et præcípue inter hæc Paschália Fílii tui solémnia, continuáta Dei Genitrícis Maríæ memória: quæ, et ástitit vulneráta caritáte in cruce pendénti, et astat a dextris Regína in cælo regnánti. Per eúmdem.

In Missis votivis, extra Tempus Paschale, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui, post acerbíssimum Transfixiónis gládium, sanctíssimæ Genitrícis tuæ spíritum miris Gáudiis exsultáre fecísti: concéde propítius; ut, ejus méritis fulti, post ærúmnas et lácrimas hujus sǽculi, supérna júgiter consolatióne repleámur: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Cant. 2. 1-14

Ego flos campi, et lílium convállium. Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. Sicut malus inter ligna silvárum, sic diléctus meus inter fílios. Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Introdúxit me in cellam vináriam, ordinávit in me caritátem. Fulcíte me flóribus, stipáte me malis: quia amóre lángueo. Læva ejus sub cápite meo, et déxtera illíus amplexábitur me. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, per cápreas cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, quoadúsque ipsa velit. Vox diléćti mei, ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Tob. 3, 22 Benedíctum est nomen tuum, Deus, qui, post lacrimatiónem et fletum, exsultatiónem infúndis. Allelúja.

In Missis votivis per Annum, dicitur:

Graduale Isai. 61, 10 Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo. ℣. Quia induit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis.

Allelúja, allelúja. ℣. Hebr. 1, 9 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo exsultatiónis præ participibus tuis. Allelúja.

A Septuagesima ad Pascha, omissis, post Graduale, Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Luc. 1, 46-49 Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. ℣. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. ℣. Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 66, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 34, 9 Anima mea exsultábit in Dómino, et delectábitur super Salutári suo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant, juxta crucem Jesu, Mater ejus, et soror Matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus Matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit Matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce Mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Credo.

Offertorium 28, 2 et 5-6 Angelus Dómini descéndit de cælo, et dixit muliéribus: Quem quǽritis, surréxit, sicut dixit vobis, allelúja.

Secreta

Propitiétur nobis, quǽsumus, Dómine, illíus Agni Pascháls oblátio acceptíssima: cum beátæ Dei Genitrícis Maríæ pia intervencióne, quem ipsa génuit perpétua virginitáte: Qui tecum vivit.

Præfatio de beata Maria Virgine Et te in Exsultatióne.

Communio Ps. 29, 12 Convertísti, Dómine, planctum meum in gáudium mihi: conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia, allelúja.

Postcommunio

Per hæc Sacraménta Paschália nos tibi, clementíssime Deus, beátæ semper Vírginis Maríæ orátio concíliet: quæ nobis panem Angelórum et cæléstem alimóniam generávit, Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum

---

Dominica Secunda
post Pascha

Introitus Ps. 32, 5-6

Misericórdia Dómini plena est terra allelúja: verbo Dómini cæli firmáti sunt, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Misericórdia Dómini.

Oratio

Deus, qui in Filii tui humilitáte jacéntem mundum erexísti: fidélibus tuis perpétuam concéde lætítiam; ut quos perpétuæ mortis eripuísti cásibus, gáudiis fácias pérfrui sempitérnis. Per eúmdem Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra post Missam Dominicæ in Albis, 352.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

1 Petr. 2, 21-25

Caríssimi: Christus passus est pro nobis, vobis relínquens exémplum, ut sequámini vestígia ejus. Qui peccátum non fecit, nec invéntus est dolus in ore ejus: qui cum maledicerétur, non maledicébat: cum paterétur, non comminabátur: tradébat autem judicánti se injúste: qui peccáta nostra ipse pértulit in córpore suo super lignum: ut peccátis mórtui, justítiæ vivámus: cujus livóre sanáti estis. Erátis enim sicut oves errántes, sed convérsi estis nunc ad pastórem et epíscopum animárum vestrárum.

Allelúja. ℣. Eccl. vox Crucifíxus surgens ex mórtuis, redémit nos Sánguine suo: adorémus eum in glória. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 10, 14 Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 10, 11-16

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Credo.

Offertorium Ps. 62, 2 et 5 Deus, Deus meus, ad te de luce vígilo: et in nómine tuo levábo manus meas, allelúja.

Secreta

Benedictiónem nobis, Dómine, cónferat salutárem sacra semper oblátio: ut, quod agit mystério, virtúte perfíciat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352.

Præfatio Paschalis, in qua dicitur: in hoc potíssimum gloriósius prædicáre.

Communio Joann. 10, 14 Ego sum pastor bonus, allelúja: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut vivificatiónis tuæ grátiam consequéntes, in tuo semper múnere gloriémur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352.

Dominica Tertia
post Pascha

Introitus Ps. 65, 1-2

Jubiláte Deo, omnis terra, allelúja: psalmum dícite nómini ejus, allelúja: date glóriam laudi ejus, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 3 Dícite Deo, quam terribília sunt ópera tua, Dómine! in multitúdine virtútis tuæ mentiéntur tibi inimíci tui. ℣. Glória Patri. Jubiláte Deo.

Oratio

Deus, qui errántibus, ut in viam possint redíre justítiæ, veritátis tuæ lumen osténdis: da cunctis qui christiána professióne censéntur, et illa respúere, quæ huic inimíca sunt nómini; et ea quæ sunt apta, sectári. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra post Missam Dominicæ in Albis. 352.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 2, 11-19

Caríssimi: Obsecro vos tamquam ádvenas, et peregrínos abstinére vos a carnálibus desidériis, quæ mílitant advérsus ánimam, conversatiónem vestram inter gentes habéntes bonam: ut in eo, quod detréctant de vobis tamquam de malefactóribus, ex bonis opéribus vos considerántes, gloríficent Deum in die visitatiónis. Subjécti ígitur estóte omni humánæ creatúræ propter Deum: sive regi, quasi præcellénti: sive dúcibus, tamquam ab eo missis ad vindíctam malefactórum, laudem vero bonórum: quia sic est volúntas Dei, ut benefaciéntes, obmutéscere faciátis imprudéntium hóminum ignorántiam: quasi líberi, et non quasi velámen habéntes malítiæ libertátem, sed sicut servi Dei. Omnes honoráte: fraternitátem dilígite: Deum timéte: regem honorificáte. Servi, súbditi estóte in omni timóre dóminis, non tantum bonis et modéstis, sed étiam dýscolis. Hæc est enim grátia: in Christo Jesu Dómino nostro.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 9 Surréxit Dóminus, et, occúrrens muliéribus, ait: Avéte: tunc accessérunt et adoravérunt eum. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 16, 16 Módicum, et non vidébitis me, dicit Dóminus: íterum módicum, et vidébitis me: quia vado ad Patrem. Allelúja.

✠ **Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.**
Joann. 16, 16-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Módicum, et jam non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me: quia vado ad Patrem. Dixérunt ergo ex discípulis ejus ad ínvicem: Quid est hoc, quod dicit nobis: Módicum, et non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me, et quia vado ad Patrem? Dicébant ergo: Quid est hoc, quod dicit: Módicum? nescímus, quid lóquitur. Cognóvit autem Jesus, quia volébant eum interrogáre, et dixit eis: De hoc quǽritis inter vos, quia dixi: Módicum, et non vidébitis me: et íterum módicum, et vidébitis me. Amen, amen dico vobis: quia plo-

rábitis, et flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos autem contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ propter gáudium, quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Credo.

Offertorium Ps. 145, 2 Lauda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea: psallam Deo meo, quámdiu ero, allelúja.

Secreta

His nobis, Dómine, mystériis conferátur, quo terréna desidéria mitigántes, discámus amáre cæléstia. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352.

Præfatio Paschalis, in qua dicitur: In hoc potíssimum gloriósius prædicáre.

Communio Joann. 16, 16 Módicum, et non vidébitis me, allelúja: íterum módicum, et vidébitis me: quia vado ad Patrem, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, quǽsumus, Dómine: et spirituálibus nos instáurent aliméntis, et corporálibus tueántur auxíliis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352.

Dominica Quarta post Pascha

Introitus Ps. 97, 1 et 2

Cantáte Dómino cánticum novum, allelúja: quia mirabília fecit Dóminus, allelúja: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Salvávit sibi déxtera ejus: et bráchium sanctum ejus. ℣. Glória Patri. Cantáte Dómino.

Oratio

Deus, qui fidélium mentes uníus éfficis voluntátis: da pópulis tuis id amáre quod præcipis, id desideráre quod promíttis; ut inter mundánas varietátes ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gáudia. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra post Missam Dominicæ in Albis, 352.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1, 17-21

Caríssimi: Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus. Scitis, fratres mei dilectíssimi. Sit autem omnis homo velox ad audiéndum: tardus autem ad loquéndum, et tardus ad iram. Ira enim viri, justítiam Dei non operátur. Propter quod abjiciéntes omnem immundítiam, et abundántiam malítiæ, in mansuetúdine su-

scipite insitum verbum, quod potest salváre ánimas vestras.

Allelúja. ℣. Joann. 20, 13 Ardens est cor meum: desídero vidére Dóminum meum; quæro, et non invénio ubi posuérunt eum. Allelúja, allelúja. ℣. ibid., 16 5-6 Vado ad eum qui misit me: sed, quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 16, 5-14

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vado ad eum, qui misit me: et nemo ex vobis intérrogat me: Quo vadis? Sed quia hæc locútus sum vobis, tristítia implévit cor vestrum. Sed ego veritátem dico vobis: éxpedit vobis ut ego vadam: si enim non abíero, Paráclitus non véniet ad vos: si autem abíero, mittam eum ad vos. Et cum vénerit ille, árguet mundum de peccáto, et de justítia, et de judício. De peccáto quidem, quia non credidérunt in me: de justítia vero, quia ad Patrem vado, et jam non vidébitis me: de judício autem, quia princeps hujus mundi jam judicátus est. Adhuc multa hábeo vobis dícere: sed non potéstis portáre modo. Cum autem vénerit ille Spíritus veritátis, docébit vos omnem veritátem. Non enim loquétur a semetipso: sed quæcúmque áudiet, loquétur, et quæ ventúra sunt, annuntiábit vobis. Ille me clarificábit: quia de meo accípiet, et annuntiábit vobis.

Credo.

Offertorium Ps. 65, 1-2 et 16 Jubiláte Deo, univérsa terra, psalmum dícite nómini ejus: veníte, et audíte, et narrábo vobis, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ, allelúja.

Secreta

Deus, qui nos per hujus sacrifícii veneránda commércia, uníus summæ divinitátis partícipes effecísti: præsta, quǽsumus; ut, sicut tuam cognóscimus veritátem, sic eam dignis móribus assequámur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352.

Præfatio Paschalis, in qua dicitur: in hoc potíssimum gloriósius prædicáre.

Communio Joann. 16, 8 Cum vénerit Paráclitus Spíritus veritátis, ille árguet mundum de peccáto, et de justítia, et de judício, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Adésto nobis, Dómine Deus noster: ut per hæc, quæ fidéliter súmpsimus, et purgémur a vítiis, et a perículis ómnibus eruámur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352.

Dominica Quinta
post Pascha

Introitus Isai. 48, 20

Vocem jucunditátis annuntiáte, et audiátur, allelúja: annuntiáte usque ad extrémum terræ: liberávit Dóminus pópulum suum, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 65, 1-2 Jubiláte Deo, omnis

terra, psalmum dicite nómini ejus: date glóriam laudi ejus. ℣. Glória Patri. Vocem jucunditátis.

Oratio

Deus, a quo bona cuncta procédunt, largire supplícibus tuis: ut cogitémus, te inspiránte, quæ recta sunt; et, te gubernánte, éadem faciámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra post Missam Dominicæ in Albis, 352.

Léctio Epistolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1, 22-27

Caríssimi: Estóte factóres verbi, et non auditóres tantum: falléntes vosmetípsos. Quia si quis auditor est verbi, et non factor: hic comparábitur viro consideránti vultum nativitátis suæ in spéculo: considerávit enim se, et ábiit, et statim oblítus est, qualis fúerit. Qui autem perspéxerit in legem perféctam libertátis, et permánserit in ea, non auditor obliviósus factus, sed factor óperis: hic beátus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiósum esse, non refrænans linguam suam, sed sedúcens cor suum, hujus vana est relígio. Relígio munda, et immaculáta apud Deum et Patrem, hæc est: visitáre pupíllos, et víduas in tribulatióne eórum, et immaculátum se custodíre ab hoc sæculo.

Allelúja. ℣. Eccl. vox Surréxit Altíssimus de sepúlcro: qui pro nobis pepéndit in ligno. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 16, 24 Usque modo non petístis quidquam in nómine meo: pétite et accipiétis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 16, 23-30

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: si quid petiéritis Patrem in nómine meo, dabit vobis. Usque modo non petístis quidquam in nómine meo: Pétite, et accipiétis, ut gáudium vestrum sit plenum. Hæc in provérbiis locútus sum vobis. Venit hora, cum jam non in provérbiis loquar vobis, sed palam de Patre annuntiábo vobis. In illo die in nómine meo petétis: et non dico vobis quia ego rogábo Patrem de vobis: ipse enim Pater amat vos, quia vos me amástis, et credidístis, quia ego a Deo exívi. Exívi a Patre, et veni in mundum: íterum relínquo mundum, et vado ad Patrem. Dicunt ei discípuli ejus. Ecce nunc palam lóqueris, et provérbium nullum dicis. Nunc scimus, quia scis ómnia, et non opus est tibi, ut quis te intérroget: in hoc crédimus, quia a Deo exísti. Credo.

Offertorium Ps. 65, 8-9 et 20 Benedícite, gentes, Dóminum Deum nostrum, et obaudíte vocem laudis ejus: qui pósuit ánimam meam ad vitam, et non dedit commovéri pedes meos: benedíctus Dóminus, qui non amóvit deprecatiónem meam, et misericórdiam suam a me, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, fidélium preces cum oblatiónibus hostiárum: ut per hæc piæ devotiónis offícia, ad cœléstem glóriam transeámus. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352.

Præfatio Paschalis, in qua dicitur: in hoc potíssimum gloriósius prædicáre.

Communio Ps. 95, 2 Cantáte Dómino, allelúja: cantáte Dómino, et benedícite nomen ejus: bene nuntiáte de die in diem salutáre ejus, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Tribue nobis, Dómine, cæléstis mensæ virtúte satiátis: et desideráre quæ recta sunt, et desideráta percípere. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352.

In Litaniis majoribus et minoribus

Litaniæ majores dicuntur in Festo S. Marci Evangelistæ, vel, si hoc Festum in diem Paschæ inciderit, Feria III sequenti; Litaniæ minores dicuntur ante Ascensionem in Feriis II, III et IV Rogationum. In istis diebus fiant Processiones et fideles adeant Ecclesias et Oratoria, prout in Ecclesia Bracarensi fieri consuevit.

¶ In Litaniis tam majoribus quam minoribus, si facienda sit Processio, canitur ad Processionem Missa Exaudívit ut infra, sine Commemoratione Officii diei, juxta Rubricas, et absque Credo, etiam in Dominica; non omissa tamen in Choro Missa conventuali de Officio Solemni I vel II Ordinis, quod ea die celebretur, aut de occurrente Octava Paschæ. Si tamen in ecclesia habeatur unica Missa, ad Processionem dicitur quidem Missa de Rogationibus, sed in ea fit Commemoratio Officii ea die celebrati; nisi Officium fuerit Solemne I Ordinis, tunc enim dicitur Missa de die cum Commemoratione de Rogationibus.

¶ Feria autem II Rogationum, si Officium fuerit de Feria aut de die infra Octavam communem, etiam si non fiat Processio, dicitur pariter sequens Missa conventualis; si vero Officium fuerit de Officio Duplici vel de Festo Semiduplici, dicuntur duæ Missæ conventuales. Missæ autem privatæ ad libitum dici possunt de Officio diei, vel de Feria, juxta Rubricas.

¶ Feria III vero, si Officium fuerit de Feria, dicitur Missa illi Feriæ assignata sine Glória in excélsis; si autem Officium fuerit de Festo, etiam Simplici, Missa dicitur de eo, cum Commemoratione Rogationum; sed si fiat Processio, serventur Rubricæ.

¶ Idem servatur quoad Commemorationem de Rogationibus Feria IV in Vigilia Ascensionis; sed in ea non dicitur Missa de Rogationibus nisi ad Processionem, ut supra.

¶ In omnibus autem Litaniarum diebus semper fit Commemoratio Rogationum in omnibus Missis privatis quæ non sint Defunctorum; et etiam in Missis solemnibus vel cantatis, nisi celebretur Missa in cantu vel conventualis de Rogationibus.

Feria Secunda Rogationum

Introitus Ps. 17, 7

Exaudívit de templo sancto suo vocem meam, allelúja: et clamor meus in conspéctu ejus, introívit in aures ejus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2-3 Díligam te, Dómine, virtus mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri. Exaudívit.

Non dicitur Glória in excélsis, neque Credo.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus; contra advérsa ómnia, tua semper protectióne muniámur. Per Dóminum.

¶ Et dicuntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra post Missam Dominicæ in Albis, 352. Sed infra Octavam Paschæ dicitur tantum Oratio contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 344.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli Jac. 5, 16-20

Caríssimi: Confitémini altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem, ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua. Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit ut non plúeret super terram, et non pluit annos tres, et menses sex. Et rursum orávit: et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum. Fratres mei, si quis ex vobis erráverit a veritáte, et convérterit quis eum: scire debet, quóniam qui convérti fécerit peccatórem ab erróre viæ suæ, salvábit ánimam ejus a morte, et opériet multitúdinem peccatórum.

Allelúja. ℣. Ps. 117, 1 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11,5-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrum habébit amícum, et ibit ad illum média nocte, et dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes, quóniam amícus meus venit de via ad me, et non hábeo quod ponam ante illum: et ille deíntus respóndens, dicat: Noli mihi moléstus esse, jam óstium clausum est, et púeri mei mecum sunt in cubíli, non possum súrgere, et dare tibi. Et si ille perseveráverit pulsans: dico vobis, etsi non dabit illi surgens, eo quod amícus ejus sit, propter improbitátem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessários. Et ego dico vobis: Pétite, et dábitur vobis: quǽrite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit: et pulsánti aperiétur. Quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lápidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpéntem dabit illi? Aut si petíerit ovum: numquid pórriget illi scorpiónem? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spíritum bonum peténtibus se?

Offertorium Ps. 108, 30-31 Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum, qui ástitit a dextris páuperis: ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam, allelúja.

Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, et víncula nostræ pravitátis absólvant, et tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352 vel 345.
Præfatio Paschalis, juxta Rubricas.

Communio Luc. 11, 9-10 Pétite, et accipiétis: quǽrite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis: omnis

enim qui petit, áccipit: et qui quærit, invenit: et pulsánti aperiétur, allelúja.

Postcommunio

Vota nostra, quǽsumus, Dómine, pio favóre proséquere: ut, dum dona tua in tribulatióne percípimus, de consolatióne nostra in tuo amóre crescámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352 vel 345.

In hac et in sequenti Missa dicitur Benedicámus Dómino, ~~allelúja~~ Allelúja.

Feria Tertia Rogationum

Introitus Ps. 17, 7

Exaudívit de templo sancto suo vocem meam, allelúja: et clamor meus in conspéctu ejus introívit in aures ejus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid. 2-3 Díligam te, Dómine, fortitúdo mea: Dóminus, firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri. Exaudívit.

Non dicitur Glória in excélsis, neque Credo.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus, ut, qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus: contra advérsa ómnia, tua semper protectióne muniámur. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut supra, 352.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 2, 1-7

Caríssime: Obsecro primum ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes pro ómnibus homínibus, pro régibus, et pro ómnibus qui in sublimitáte sunt constitúti: ut quiétam et tranquíllam vitam agámus, in omni pietáte et castitáte. Hoc enim bonum est, et accéptum coram Salvatóre nostro Deo: qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, et unus mediátor Dei et hóminum, homo, Christus Jesus, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus nobis. Cujus testimónium tempóribus suis confirmátum est: in quo pósitus sum ego prædicátor et apóstolus: veritátem dico in Christo, non méntior, doctor géntium in fide, et veritáte.

Allelúja. ℣. Luc. 11, 5-6 Quis vestrum habébit amícum, et ibit ad illum média nocte, et dicet illi: amice, accómmoda mihi tres panes, quóniam amícus meus venit, et non hábeo quod ponam ante illum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 7, 7-14

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Pétite, et dábitur vobis: quǽrite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit, invenit: et pulsánti aperiétur. Aut quis est ex vobis homo, quem si fílius suus petíerit panem: numquid lápidem pórriget ei? Aut si piscem petíerit: numquid serpéntem pórriget ei? Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris: quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona peténtibus se? Omnia ergo quæcúmque vultis ut fáciant vobis

hómines: et vos fácite illis. Hæc est enim lex et Prophétæ. Intráte per angústam portam: quia lata porta, et spatiósa via est, quæ ducit ad perditiónem: et multi sunt qui intrant per eam. Quam angústa porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam: et pauci sunt, qui invéniunt eam!

Offertorium Ps. 108, 30-31 Confitébor Dómino nimis in ore meo: et in médio multórum laudábo eum: qui ástitit ad déxteram páuperis: ut salvam fáceret a persequéntibus ánimam meam, allelúja.

Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, et víncula nostræ pravitátis absólvant: et tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352.
Præfatio Paschalis, juxta Rubricas.

Communio Luc. 11, 9-10 Pétite, et accipiétis: quǽrite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis: omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit, invenit: et pulsánti aperiétur, allelúja.

Postcommunio

Vota nostra, quǽsumus, Dómine, pio favóre proséquere: ut, dum dona tua in tribulatióne percépimus; de consolatióne nostra in tuo amóre crescámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352.

Feria Quarta
In Vigilia Ascensionis

Hodie, ubi adsit obligatio Chori, si celebretur Officium Duplex, vel Solemne, non tamen I Ordinis, aut Festum Semiduplex, tres dicuntur Missæ conventuales, prima post Tertiam de Officio diei, altera post Sextam de Vigilia, ut infra, tertia post Nonam de Rogationibus ad Processionem, ut supra Feria II, juxta Rubricas. Si vero non fiat Processio, de Rogationibus fit Commemoratio in Missa Vigiliæ. Sin autem Officium factum fuerit de Solemni I Ordinis, non fit de Vigilia, sed tantum de Rogationibus. Si tandem Officium fuerit de Vigilia, de ea, juxta Rubricas, dicitur Missa conventualis; sed, si habeatur Processio, Missa Rogationum non omittitur.

Introitus Ps. 41, 2

Omnes gentes, pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis, allelúja. ℣. Ps. ibid. 4 Subjécit pópulos nobis: et gentes sub pédibus nostris. ℣. Glória Patri. Omnes gentes.

Et dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ mentis afféctus, quo solemnitátis ventúræ gloriósus Auctor ingréssus est, semper inténdat; et, quo fide pergit, conversatióne pervéniat. Per eúmdem Dóminum.

2ª de Rogationibus Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui in afflictióne nostra de tua pietáte confídimus: contra advérsa ómnia, tua semper protectióne muniámur. (Per Dóminum).

3ª de S. Maria Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti libe-

rári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

¶ In ecclesiis autem collegiatis, ubi dicitur alia quoque Missa de Rogationibus, 2ª Oratio erit de S. Maria, ut supra; 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 4, 32-35

In diébus illis: Multitúdinis credéntium erat cor unum et ánima una: nec quisquam, eórum quæ possidébat, áliquid suum esse dicébat, sed erant illis ómnia commúnia. Et virtúte magna reddébant Apóstoli testimónium resurrectiónis Jesu Christi Dómini nostri: et grátia magna erat in ómnibus illis. Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessóres agrórum aut domórum erant, vendéntes afferébant prétia eórum quæ vendébant: et ponébant ante pedes Apostolórum. Dividebátur autem singulis prout cuíque opus erat.

Allelúja. Eccl. vox Surréxit Christus, et illúxit nobis, quos redémit sánguine suo. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 17, 12 et 15 Pater, cum essem cum eis, ego servábam eos quos dedísti mihi: rogo ut serves eos in sǽcula. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 17, 1-11

In illo témpore: Sublevátis Jesus óculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarífica Fílium tuum, ut Fílius tuus claríficet te: sicut dedísti ei potestátem omnis carnis, ut omne, quod dedísti ei, det eis vitam ætérnam. Hæc est autem vita ætérna: ut cognóscant te, solum Deum verum, et quem misísti Jesum Christum. Ego te clarificávi super terram: opus consummávi, quod dedísti mihi, ut fáciam: et nunc clarífica me tu, Pater, apud temetípsum, claritáte, quam hábui, priúsquam mundus esset, apud te. Manifestávi nomen tuum homínibus, quos dedísti mihi de mundo. Tui erant, et mihi eos dedísti: et sermónem tuum servavérunt. Nunc cognovérunt quia ómnia quæ dedísti mihi, abs te sunt: quia verba, quæ dedísti mihi, dedi eis: et ipsi accepérunt, et cognovérunt vere quia a te exívi, et credidérunt quia tu me misísti. Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedísti mihi: quia tui sunt: et mea ómnia tua sunt, et tua mea sunt: et clarificátus sum in eis. Et jam non sum in mundo, et hi in mundo sunt, et ego ad te vénio.

Offertorium Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne: et Dóminus in voce tubæ, allelúja.

Secreta

Sacrifícium, Dómine, quod pro gloriósa Ascensióne Fílii tui nunc deférimus: præsta, quǽsumus; ut et nos per ipsum, his commérciis sacrosánctis, ad cæléstia consurgámus. Per eúmdem Dóminum.

2ª de Rogationibus Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, et víncula nostræ pravitátis absólvant, et tuæ nobis misericórdiæ dona concílient. (Per Dóminum).

3ª de S. Maria Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem, et pacem. Per Dóminum.

Vel 2ª de S. Maria, ut supra; 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Præfatio Paschalis.

Communio Joann. 17, 12-13 et 15

Pater, cum essem cum eis, ego servábam eos quos dedísti mihi, allelúja: nunc autem ad te vénio: non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Tribue, quǽsumus, Dómine, ut, per hæc sacraménta quæ súmpsimus, illuc tendat nostræ devotiónis afféctus, quo tecum est nostra substántia, Jesus Christus, Fílius tuus, Dóminus noster. Qui tecum.

2ª de Rogationibus
Postcommunio

Vota nostra, quǽsumus, Dómine, pio favóre proséquere: ut, dum dona tua in tribulatióne percípimus, de consolatióne nostra in tuo amóre crescámus. (Per Dóminum).

3ª de S. Maria Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Vel 2ª de S. Maria, ut supra, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.



IN ASCENSIONE DOMINI

Introitus Act. 1, 11

Viri Galilæi, quid admirámini aspiciéntes in cælum? allelúja: quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. ibid. 10 Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt: Viri Galilæi. ℣. Glória Patri. Viri Galilæi.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendísse crédimus; ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 1, 1-11

Primum quidem sermónem feci de ómnibus, o Theóphile, quæ cœpit Jesus fácere et docére, usque in diem, qua, præcípiens Apóstolis per Spíritum Sanctum, quos elégit, assúmptus est: quibus et præbuit seípsum vivum post passiónem suam in multis arguméntis, per dies quadragínta appárens eis, et loquens de regno Dei. Et convéscens, præcépit eis, ab Jerosólymis ne discéderent, sed exspectárent promissiónem Patris, quam audístis (inquit) per os meum: quia Joánnes quidem baptizávit aqua, vos autem baptizabímini Spíritu Sancto non post multos hos dies. Igitur qui convénerant, interrogábant eum, dicéntes: Dómine, si in témpore hoc restítues regnum Israël? Dixit autem eis: Non est vestrum nosse témpora vel moménta, quæ Pater pósuit in sua potestáte: sed accipiétis virtútem superveniéntis Spíritus Sancti in vos, et éritis mihi testes in Jerúsalem, et in omni Judǽa, et Samaría, et usque ad últimum terræ. Et cum hæc dixísset, vidéntibus illis, elevátus est, et nubes suscépit eum ab óculis eórum. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri astitérunt juxta illos in véstibus albis, qui et dixérunt: Viri Galilæi,

quid statis aspiciéntes in cælum? Hic Jesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum eúntem in cælum.

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 20, 17 Ascéndo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 16, 14-20

In illo témpore: Recumbéntibus úndecim discípulis, appáruit illis Jesus: et exprobrávit incredulitátem eórum, et durítiam cordis: quia iis, qui víderant eum resurrexísse, non credidérunt. Et dixit eis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Et Dóminus quidem Jesus, postquam locútus est eis, assúmptus est in cælum, et sedet a dextris Dei. Illi autem profécti, prædicavérunt ubíque, Dómino cooperánte, et sermónem confirmánte, sequéntibus signis.

¶ Dicto Evangelio exstinguitur Cereus paschalis, nec ulterius accenditur, nisi in Sabbato Pentecostes ad benedictionem Fontis.

Credo.

Offertorium Act. 1, 11 Viri Galilæi, quid admirámini aspiciéntes in cælum? hic Jesus, qui assúmptus est a vobis in cælum, sic véniet, quemádmodum vidístis eum ascendéntem in cælum. Allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ pro Fílii tui gloriósa Ascensióne deférimus: et concéde propítius; ut a præséntibus perículis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes propria per totam Octavam.

Communio Ps. 67, 33-34 Psállite Dómino, qui ascéndit super cælos cælórum ad Oriéntem, allelúja.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut, quæ visibílibus mystériis suménda percépimus, invisíbili consequámur efféctu. Per Dóminum.

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo, et in ea adduntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª de S. Maria, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Dominica
infra Octavam Ascensionis

Introitus Ps. 26, 7, 8 et 9

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te, allelúja: tibi dixit cor meum, quæsívi vultum tuum, vultum tuum, Dómine, requíram: ne avértas fáciem tuam a me, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus illuminátio

mea, et salus mea: quem timébo? ℣. Glória Patri. Exáudi.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus: fac nos tibi semper et devótam gérere voluntátem; et majestáti tuæ sincéro corde servíre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ascensionis.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnipotens Deus: ut, qui hodiérna die Unigénitum tuum Redemptórem nostrum ad cælos ascendísse crédimus; ipsi quoque mente in cæléstibus habitémus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

1 Petr. 4, 7-11

Caríssimi: Estóte prudéntes, et vigiláte in oratiónibus. Ante ómnia autem, mútuam in vobismetípsis caritátem contínuam habéntes: quia cáritas óperit multitúdinem peccatórum. Hospitáles ínvicem sine murmuratióne: unusquísque, sicut accépit grátiam, in altérutrum illam administrántes, sicut boni dispensatóres multifórmis grátiæ Dei. Si quis lóquitur, quasi sermónes Dei: si quis minístrat, tamquam ex virtúte, quam admínistrat Deus: ut in ómnibus honorificétur Deus per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Allelúja. ℣. Ps. 57, 18-19 Dóminus in Sina in sancto, ascéndens in altum, captívam duxit captivitátem. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 26 et 16, 8 Cum vénerit Paráclitus, Spíritus veritátis, ille árguet mundum de peccáto, et de justítia et de judício. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 26-27 et 16, 1-4

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me: et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos: sed venit hora, ut omnis, qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Et hæc fácient vobis, quia non novérunt Patrem, neque me. Sed hæc locútus sum vobis: ut, cum vénerit hora eórum, reminiscámini, quia ego dixi vobis. Credo.

Offertorium Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ, allelúja.

Secreta

Sacrifícia nos, Dómine, immaculáta puríficent: et méntibus nostris supérnæ grátiæ dent vigórem. Per Dóminum.

Pro Octava Ascensionis

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ pro Filii tui gloriósa Ascensióne deférimus: et concéde propítius; ut a præséntibus perículis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio et Communicántes de Ascensione.

Communio Joann. 17, 12-13 et 15 Pater, cum essem cum eis, ego ser-

vábam eos, quos dedisti mihi, allelúja: nunc autem ad te vénio: non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Repléti, Dómine, munéribus sacris: da, quǽsumus; ut in gratiárum semper actióne maneámus. Per Dóminum.

Pro Octava Ascensionis
Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut, quæ visibílibus mystériis suménda percépimus, invisíbili consequámur efféctu. Per Dóminum.

In Octava Ascensionis

Missa dicitur ut in die Festo, 366, præter sequens Evangelium.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 24, 49-53

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego mittam promíssum Patris mei in vos. Vos autem sedéte in civitáte, quoadúsque induámini virtúte ex alto. Edúxit autem eos foras in Bethániam: et elevátis mánibus suis, benedíxit eis. Et factum est, dum benedíceret illis, recéssit ab eis, et ferebátur in cælum. Et ipsi adorántes, regréssi sunt in Jerúsalem cum gáudio magno: et erant semper in templo laudántes et benedicéntes Deum.

Feria Sexta
post Octavam Ascensionis

Missa dicitur ut in Dominica infra Octavam Ascensionis, 367, cum Glória, 2ª et 3ª Oratione pro diversitate Temporum assignatis, ut supra, 352, et Præfatione de Ascensione, dicenda etiam in Missis Sanctorum, vel votivis, quæ Præfationem magis propriam non habeant, juxta Rubricas; sed omittitur Credo, non dicitur Communicántes de Ascensione, et dicitur Epistola et Evangelium, ut infra.

¶ Si Dominica praecedenti celebratum fuerit Officium Solemne I vel II ordinis, in hac Feria prohibentur Missæ votivæ privatæ et quotidianæ lectæ Defunctorum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos.

Hebr. 2, 9-18 et 3, 1

Fratres: Vidémus Jesum Christum, propter passiónem mortis, glória et honóre coronátum: ut grátia Dei pro ómnibus gustáret mortem. Decébat enim eum, propter quem ómnia, et per quem ómnia, qui multos fílios in glóriam addúxerat, auctórem salútis eórum per passiónem consummáre. Qui enim sanctíficat et qui sanctificántur, ex uno omnes. Propter quam causam non confúnditur fratres eos vocáre, dicens: Nuntiábo nomen tuum frátribus meis: in médio ecclésiæ laudábo te. Et íterum: Ego ero fidens in eum. Et íterum: Ecce ego, et púeri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo púeri communicavérunt carni et sánguini, et ipse simíliter participávit eísdem: ut per mortem destrúeret eum, qui habébat mortis impérium, id est, diábolum: et liberáret eos, qui timóre mortis per totam vitam obnóxii erant servitúti. Nusquam enim Angelos apprehéndit, sed semen Abrahæ apprehéndit. Unde débuit per ómnia frátribus

assimilári, ut miséricors fieret, et fidélis póntifex ad Deum, ut repropitiáret delícta pópuli. In eo enim, in quo passus est ipse et tentátus, potens est et eis qui tentántur auxiliári. Unde fratres sancti, vocatiónis cæléstis partícipes, consideráte apóstolum et pontíficem confessiónis nostræ, Jesum Christum Dóminum nostrum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 7-11

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego præcépta Patris mei servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Sabbato
in Vigilia Pentecostes

Dicta Nona in Choro, Sacerdos et Ministri, induti Paramentis violacei coloris, accedunt ad Altare, et facta reverentia, Sacerdos illud osculatur in medio et pergit ad cornu Epistolæ, ubi stat manibus junctis ante Missale. Deinde leguntur in Choro Prophetiæ sine titulo, candelis Altaris exstinctis usque ad principium Missæ, sicut in Sabbato sancto.

Prophetia Prima

Gen. 22, 1-19

In diébus illis: Tentávit Deus Abraham, et dixit ad eum: Abraham, Abraham. At ille respóndit: Adsum. Ait illi: Tolle fílium tuum unigénitum, quem díligis, Isaac, et vade in terram visiónis: atque ibi ófferes eum in holocáustum super unum móntium, quem monstrávero tibi. Igitur Abraham de nocte consúrgens, stravit ásinum suum: ducens secum duos júvenes, et Isaac fílium suum. Cumque concidísset ligna in holocáustum, ábiit ad locum, quem præcéperat ei Deus. Die autem tértio, elevátis óculis, vidit locum procul: dixítque ad púeros suos: Exspectáte hic cum ásino: ego, et puer illuc usque properántes, postquam adoravérimus, revertémur ad vos. Tulit quoque ligna holocáusti, et impósuit super Isaac fílium suum: ipse vero portábat in mánibus ignem, et gládium. Cumque duo pérgerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respóndit: Quid vis, fili? Ecce, inquit, ignis et ligna: ubi est víctima holocáusti? Dixit autem Abraham: Deus providébit sibi víctimam holocáusti, fili mi. Pergébant ergo páriter: et venérunt ad locum, quem osténderat ei Deus, in quo ædificávit altáre, et désuper ligna compósuit: cumque alligásset Isaac fílium suum, pósuit eum in altáre super struem lignórum. Extenditque manum, et arrípuit gládium, ut immoláret fílium suum. Et ecce Angelus Dómini de cælo clamávit, dicens: Abraham, Abraham.

Qui respóndit: Adsum. Dixítque ei: Non exténdas manum tuam super púerum, neque fácias illi quidquam: nunc cognóvi, quod times Deum, et non pepercísti unigénito fílio tuo propter me. Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem córnibus, quem assúmens óbtulit holocáustum pro fílio. Appellavítque nomen loci illius, Dóminus videt. Unde usque hódie dícitur: In monte Dóminus vidébit. Vocávit autem Angelus Dómini Abraham secúndo de cælo, dicens: Per memetípsum jurávi, dicit Dóminus: quia fecísti hanc rem, et non pepercísti fílio tuo unigénito propter me: benedícam tibi, et multiplicábo semen tuum sicut stellas cæli, et velut arénam, quæ est in líttore maris: possidébit semen tuum portas inimicórum suórum, et benedicéntur in sémine tuo omnes gentes terræ, quia obedísti voci meæ. Revérsus est Abraham ad púeros suos, abierúntque Bersabée simul, et habitávit ibi.

¶ Qua finita, non respondetur Deo grátias, quod servari etiam debet ad alias Prophetias; sed immediate Sacerdos, quin præmittat Dóminus vobíscum vel Flectámus génua, dicit:

Orémus.

Oratio

Deus, qui in Abrahæ fámuli tui ópere, humáno géneri obediéntiæ exémpla præbuísti: concéde nobis, et nostræ voluntátis pravitátem frángere, et tuórum præceptórum rectitúdinem in ómnibus adimplére. Per Dóminum.

Prophetia Secunda

Deut. 31, 22-30

In diébus illis: Scripsit Móyses cánticum, et dócuit fílios Israël. Præcepítque Dóminus Jósue fílio Nun, et ait: Confortáre, et esto robústus: tu enim introdúces fílios Israël in terram, quam pollícitus sum, et ego ero tecum. Postquam ergo scripsit Móyses verba legis hujus in volúmine, atque complévit: præcépit Levítis, qui portábant arcam fœderis Dómini, dicens: Tóllite librum istum, et pónite eum in látere arcæ fœderis Dómini Dei vestri: ut sit ibi contra te in testimónium. Ego enim scio contentiónem tuam, et cervícem tuam duríssimam. Adhuc vivénte me, et ingrediénte vobíscum, semper contentióse egístis contra Dóminum: quanto magis cum mórtuus fúero? Congregáte ad me omnes majóres natu per tribus vestras, atque doctóres, et loquar audiéntibus eis sermónes istos, et invocábo contra eos cælum, et terram. Novi enim quod post mortem meam iníque agétis, et declinábitis cito de via, quam præcépi vobis: et occúrrent vobis mala in extrémo témpore, quando fecéritis malum in conspéctu Dómini, ut irritétis eum per ópera mánuum vestrárum. Locútus est ergo Móyses, audiénte univérso cœtu Israël, verba cárminis hujus, et ad finem usque complévit.

Tractus Deut. 32, 1-4 Atténde cælum et loquar: et áudiat terra verba ex ore meo. ℣. Exspectétur sicut plúvia elóquium meum: et descéndant sicut ros verba mea. ℣. Sicut

imber super gramen, et sicut nix super fœnum: quia nomen Dómini invocábo. ℣. Date magnitúdinem Deo nostro: Deus, vera ópera ejus, et omnes viæ ejus judícia. ℣. Deus fidélis, in quo non est iníquitas: justus, et sanctus Dóminus.

Orémus. Oratio

Deus, qui nobis per prophetárum ora præcepísti temporália relínquere, atque ad ætérna festináre: da fámulis tuis; ut, quæ a te jussa cognóvimus, implére cælésti inspiratióne valeámus. Per Dóminum.

Prophetia Tertia

Isai. 4, 1-6

Apprehéndent septem mulíeres virum unum in die illa: dicéntes: Panem nostrum comedémus, et vestiméntis nostris operiémur: tantúmmodo invocétur nomen tuum super nos, aufer oppróbrium nostrum. In die illa erit germen Dómini in magnificéntia, et glória, et fructus terræ sublímis, et exsultátio his, qui salváti fúerint de Israël. Et erit: Omnis qui relíctus fúerit in Sion, et resíduus in Jerúsalem, sanctus vocábitur, omnis qui scriptus est in vita in Jerúsalem. Si ablúerit Dóminus sordes filiárum Sion, et sánguinem Jerúsalem láverit de médio ejus, in spíritu judícii, et spíritu ardóris. Et creábit Dóminus super omnem locum montis Sion, et ubi invocátus est, nubem per diem, et fumum, et splendórem ignis flammántis in nocte: super omnem enim glóriam protéctio. Et tabernáculum erit in umbráculum diéi ab æstu, et in securitátem, et absconsiónem a túrbine, et a plúvia.

Tractus Isai. 5, 1 et 2 Vínea facta est diléction in cornu, in loco úberi. ℣. Et macériam circúmdedit, et circumfódit: et plantávit víneam Sorec, et ædificávit turrim in médio ejus. ℣. Et tórcular fodit in ea: vínea enim Dómini Sábaoth, domus Israël est.

Orémus. Oratio

Deus, qui nos ad celebrándam festivitátem doni Spíritus Sancti, utriúsque testaménti páginis instruis: da nobis intellígere misericórdiam tuam; ut, ex perceptióne præséntium múnerum, firma sit exspectátio futurórum. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus. Per ómnia sǽcula sæculórum.

Prophetia Quarta

Baruch 3, 9-38

Audi, Israël, mandáta vitæ: áuribus pércipe, ut scias prudéntiam. Quid est, Israël, quod in terra inimicórum es? Inveterásti in terra aliéna, coinquinátus es cum mórtuis: deputátus es cum descendéntibus in inférnum. Dereliquísti fontem sapiéntiæ. Nam si in via Dei ambulásses, habitásses útique in pace sempitérna. Disce ubi sit prudéntia, ubi sit virtus, ubi sit intelléctus: ut scias simul ubi sit longitúrnitas vitæ, et victus, ubi sit lumen oculórum, et pax. Quis invénit locum ejus? et quis intrávit in thesáuros ejus? Ubi sunt príncipes géntium, et qui dominántur super béstias,

quæ sunt super terram? qui in ávibus cæli ludunt, qui argéntum thesaurízant, et aurum, in quo confídunt hómines, et non est finis acquisitiónis eórum? qui argéntum fábricant et sollíciti sunt, nec est invéntio óperum illórum? Extermináti sunt, et ad ínferos descendérunt, et álii loco eórum surrexérunt. Júvenes vidérunt lumen, et habitavérunt super terram: viam autem disciplínæ ignoravérunt, neque intellexérunt sémitas ejus, neque fílii eórum suscepérunt eam, a fácie ipsórum longe facta est: non est audíta in terra Chánaan, neque visa est in Theman. Fílii quoque Agar, qui exquírunt prudéntiam, quæ de terra est, negotiatóres Merrhæ, et Theman, et fabulatóres, et exquisitóres prudéntiæ, et intelligéntiæ: viam autem sapiéntiæ nesciérunt, neque commemoráti sunt sémitas ejus. O Israël, quam magna est domus Dei, et ingens locus possessiónis ejus! Magnus est, et non habet finem: excélsus, et imménsus. Ibi fuérunt gigántes nomináti illi, qui ab inítio fuérunt, statúra magna, sciéntes bellum. Non hos elégit Dóminus, neque viam disciplínæ invenérunt: proptérea periérunt. Et quóniam non habuérunt sapiéntiam, interiérunt propter suam insipiéntiam. Quis ascéndit in cælum, et accépit eam, et edúxit eam de núbibus? Quis transfretávit mare, et invénit illam? et áttulit illam super aurum eléctum? Non est qui possit scire vias ejus, neque qui exquírat sémitas ejus: sed qui scit univérsa, novit eam, et adinvénit eam prudéntia sua: qui præparávit terram in ætérno témpore, et replévit eam pecúdibus, et quadrupédibus: qui emíttit lumen, et vadit: et vocávit illud, et obédit illi in tremóre. Stellæ autem dedérunt lumen in custódiis suis, et lætátæ sunt: vocátæ sunt, et dixérunt: Adsumus: et luxérunt ei cum jucunditáte, qui fecit illas. Hic est Deus noster, et non æstimábitur álius advérsus eum. Hic adinvénit omnem viam disciplínæ, et trádidit illam Jacob púero suo, et Israël diléctο suo. Post hæc in terris visus est, et cum homínibus conversátus est.

Orémus — Oratio

Deus, incommutábilis virtus, et lumen ætérnum: réspice propítius ad totíus Ecclésiæ mirábile sacraméntum, et da fámulis tuis; ut hoc quod devóte ágimus, étiam rectitúdine vitæ teneámus. Per Dóminum.

¶ His expletis, Celebrans accipit Pluviale violaceum, et, dum descendit ad Fontem, præcedente Cereo et omnibus aliis ut in Sabbato sancto, cantatur sequens

Tractus Ps. 41, 2-4 Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℣. Sitívit ánima mea ad Deum vivum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei? ℣. Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus?

Deinde Sacerdos antequam intret ad benedictionem Fontis, dicit juxta Fontem:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui solemnitátem doni Sancti Spíritus cólimus, cæléstibus desidériis accénsi, fontem vitæ sitiámus. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

Deinde proceditur ad benedictionem Fontis, ut supra in Sabbato sancto, 226.

¶ Ubi vero non fuerint Fontes, finita quarta Prophetia cum sua Oratione, Celebrans deponit Casulam, et cum Ministris ante Altare procumbit: et, aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniæ a duobus Cantoribus in medio Chori, utroque Choro idem simul respondente. Cum autem perventum fuerit ad ℣. Peccatóres, Te rogámus, Sacerdos et Ministri surgunt, et accedentes ad sacristiam, induuntur Paramentis rubeis, et accenduntur luminaria circa Altare. In fine Litaniarum cantantur solemniter Kýrie, eléison pro Missa, et repetuntur, ut moris est. Interim Sacerdos cum Ministris procedit ad Altare, et facit Confessionem: deinde ascendens, illud osculatur, et incensat more solito. Finitis Kýrie, eléison, incipit solemniter Glória in excélsis Deo, et campanæ pulsantur.

Postea Sacerdos dicit:

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; et lux tuæ lucis corda eórum, qui per grátiam tuam renáti sunt, Sancti Spíritus illustratióne confírmet. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

¶ Et dicitur hæc tantum Oratio, etiam si qua ad Laudes facta fuerit Commemoratio.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 19, 1-8

In diébus illis: Factum est, cum Apóllo esset Corínthi, ut Paulus peragrátis superióribus pártibus veníret Ephesum, et inveníret quosdam discípulos: dixítque ad eos: Si Spíritum Sanctum accepístis credéntes? At illi dixérunt ad eum: Sed neque si Spíritus Sanctus est, audívimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizáti estis? Qui dixérunt: In Joánnis baptísmate. Dixit autem Paulus: Joánnes baptizávit baptísmo pœniténtiæ pópulum, dicens: In eum, qui ventúrus esset post ipsum, ut créderent, hoc est, in Jesum. His audítis, baptizáti sunt in nómine Dómini Jesu. Et cum imposuísset illis manus Paulus, venit Spíritus Sanctus super eos, et loquebántur linguis, et prophetábant. Erant autem omnes viri fere duódecim. Introgréssus autem synagógam, cum fidúcia loquebátur per tres menses, dísputans, et suádens de regno Dei.

Finita Epistola, Celebrans dicit:



Et totum Allelúja decantet ter, gradatim vocem extollendo; et Chorus eodem tono post quamlibet vicem repetit idem Allelúja: quo ter dicto et toties a Choro repetito, dicatur a duobus Cantoribus:

Ps. 196, 1 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus.

Non repetitur Allelúja, sed immediate sequitur

Tractus Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

Ad Evangelium non portantur luminaria, sed incensum tantum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 14, 15-21

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si diligitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætérnum, Spíritum veritátis, quem mundus non potest accípere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscétis eum: quia apud vos manébit, et in vobis erit. Non relínquam vos órphanos: véniam ad vos. Adhuc módicum: et mundus me jam non videt. Vos autem vidétis me, quia ego vivo, et vos vivétis. In illo die vos cognoscétis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandáta mea, et servat ea: ille est, qui díligit me. Qui autem díligit me, diligétur a Patre meo: et ego díligam eum, et manifestábo ei meípsum.

Non dicitur Credo.

Offertorium Ps. 103, 30-31 Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, et renovábis fáciem terræ: sit glória Dómini in sǽcula, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica: et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

¶ Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur propria de Pentecoste: quæ dicuntur usque ad Sabbatum sequens inclusive.

Communio Joann. 7, 37-39 Ultimo festivitátis die dicébat Jesus: Qui in me credit, flúmina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spíritu, quem acceptúri erant credéntes in eum, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio: et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.

Et dicitur Ite, Missa est, cum duplici Allelúja, usque ad Sabbatum post Pentecosten inclusive.

¶ In Missis privatis hujus Vigiliæ, omissis Prophetiis, Orationibus et Litaniis, Missa absolute incipitur ab Introitu sequenti:

Introitus Ezech. 36, 23, 24 et 25-26

Cum sanctificátus fúero in vobis, congregábo vos de univérsis terris: et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis

vestris: et dabo vobis spíritum novum, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 33, 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Cum sanctificátus fúero.

Deinde dicitur Kýrie, eléison. Glória in excélsis.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut claritátis tuæ super nos splendor effúlgeat; et lux tuæ lucis corda eórum, qui per grátiam tuam renáti sunt, Sancti Spíritus illustratióne confírmet. Per Dóminum . . . in unitáte ejúsdem.



DOMINICA PENTECOSTES

Introitus Sap. 1, 7

Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúja: et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. Spíritus Dómini. ℣. Glória Patri. Spíritus Dómini.

Oratio

Deus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere: et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 2, 2-11

Cum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes discípuli páriter in eódem loco: et factus est repénte de cælo sonus, tamquam adveniéntis spíritus veheméntis: et replévit totam domum ubi erant sedéntes. Et apparuérunt illis dispertítæ linguæ tamquam ignis, seditque supra síngulos eórum: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui váriis linguis, prout Spíritus Sanctus dabat éloqui illis. Erant autem in Jerúsalem habitántes Judæi, viri religiósi ex omni natióne, quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, convénit multitúdo, et mente confúsa est, quóniam audiébat unusquísque lingua sua illos loquéntes. Stupébant autem omnes, et mirabántur, dicéntes: Nonne ecce omnes isti, qui loquúntur, Galilæi sunt? Et quómodo nos audívimus unusquísque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Ælamítæ, et qui hábitant Mesopotámiam, Judǽam, et Cappadóciam, Pontum, et Asiam, Phrýgiam, et Pamphýliam, Ægýptum, et partes Líbyæ, quæ est circa Cyrénen, et ádvenæ Románi, Judæi quoque, et Prosélyti, Cretes,

et Arabes: audívimus eos loquéntes nostris linguis magnália Dei.

Allelúja. ℣. Ps. 103, 30 Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, et renovábis fáciem terræ. Allelúja, allelúja. (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precatio Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Sequentia

Veni, Sancte Spíritus, et emítte cǽlitus lucis tuæ rádium.

Veni, pater páuperum; veni, dator múnerum; veni, lumen córdium.

Consolátor óptime, dulcis hospes ánimæ, dulce refrigérium.

In labóre réquies, in æstu tempéries, in fletu solátium.

O lux beatíssima, reple cordis íntima tuórum fidélium.

Sine tuo númine, nihil est in hómine, nihil est innóxium.

Lava quod est sórdidum, riga quod est áridum, sana quod est sáucium.

Flecte quod est rígidum, fove quod est frígidum, rege quod est dévium.

Da tuis fidélibus, in te confidéntibus, sacrum septenárium.

Da virtútis méritum, da salútis éxitum, da perénne gáudium. Amen. Allelúja.

¶ Et dicitur quotidie usque ad sequens Sabbatum inclusive.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 14, 23-31

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus: qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermónem quem audístis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris. Hæc locútus sum vobis, apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, et súggeret vobis ómnia, quæcúmque díxero vobis. Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum, neque formídet. Audístis quia ego dixi vobis: Vado, et vénio ad vos. Si diligerétis me, gaudherétis útique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priúsquam fiat: ut cum factum fúerit, credátis. Jam non multa loquar vobíscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognóscat mundus, quia díligo Patrem, et sicut mandátum dedit mihi Pater, sic fácio.

Credo.

Offertorium Ps. 67, 29-30 Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo tuo, quod est in Jerúsalem, tibi ófferent reges múnera, allelúja.

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica: et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur propria.

Communio Act. 2, 2 et 4 Factus est repénte de cælo sonus, tamquam adveniéntis spíritus veheméntis, ubi

erant sedéntes, allelúja: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, loquéntes magnália Dei, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio: et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Feria Secunda
infra Octavam Pentecostes

Introitus Ps. 80, 17

Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúja: et de petra, melle saturávit eos, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob. Cibávit eos. ℣. Glória Patri. Cibávit eos.

Oratio

Deus, qui Apóstolis tuis Sanctum dedísti Spíritum: concéde plebi tuæ piæ petitiónis efféctum; ut, quibus dedísti fidem, largiáris et pacem. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 10, 42-48

In diébus illis: Apériens Petrus os suum, dixit: Viri fratres, nobis præcépit Dóminus prædicáre pópulo: et testificári, quia ipse est, qui constitútus est a Deo judex vivórum et mortuórum. Huic omnes prophétæ testimónium pérhibent, remissiónem peccatórum accípere per nomen ejus omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquénte Petro verba hæc, cécidit Spíritus Sanctus super omnes, qui audiébant verbum. Et obstupuérunt ex circumcisióne fidéles, qui vénerant cum Petro: quia et in natiónes grátia Spíritus Sancti effúsa est. Audiébant enim illos loquéntes linguis, et magnificántes Deum. Tunc respóndit Petrus: Numquid aquam quis prohibére potest, ut non baptizéntur hi, qui Spíritum Sanctum accepérunt sicut et nos? Et jussit eos baptizári in nómine Dómini Jesu Christi.

Allelúja. ℣. Act. 2, 4 Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei. Allelúja, allelúja. (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precatio Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Et dicitur Sequentia Veni, Sancte Spíritus, ut in Festo, 378.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 3, 16-21

In illo témpore: Dixit Jesus Nicodémo: Sic Deus diléxit mundum, ut Fílium suum unigénitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim misit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum, sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est: quia non credit in nómine unigéniti Fílii Dei. Hoc est autem judícium: quia lux vénit in mundum, et dilexérunt hómines magis ténebras, quam lucem: erant enim eórum mala ópera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguántur ópera ejus: qui autem facit veritátem, venit ad lu-

cem, ut manifesténtur ópera ejus, quia in Deo sunt facta.

Credo.

Offertorium Ps. 17, 14 et 16 Intónuit de cælo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: et apparuérunt fontes aquárum, allelúja.

Secreta

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica: et hóstiæ spiritális oblatióne suscépta, nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Pentecostes.

Communio Joann. 14, 26 Spíritus Sanctus docébit vos, allelúja: quæcúmque díxero vobis, allelúja, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Adésto, quǽsumus, Dómine, pópulo tuo: et quem mystériis cæléstibus imbuísti, ab hóstium furóre defénde. Per Dóminum.

Feria Tertia
infra Octavam Pentecostes

Introitus 4 Esdr. 2, 37

Accípite jucunditátem glóriæ vestræ, allelúja: grátias agéntes Deo, allelúja: qui vos ad cæléstia regna vocávit, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. Accípite. ℣. Glória Patri. Accípite.

Oratio

Adsit nobis, quǽsumus, Dómine, virtus Spíritus Sancti: quæ et corda nostra cleménter expúrget, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Léctio Actuum Apostolórum. Act. 8, 14-17

In diébus illis: Cum audíssent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quod recepísset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum et Joánnem. Qui cum veníssent, oravérunt pro ipsis, ut accíperent Spíritum Sanctum: nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos, et accipiébant Spíritum Sanctum.

Allelúja. ℣. Joann. 14, 26 Paráclitus Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, vos docébit omnem veritátem. Allelúja, allelúja. (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precátio. Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Et dicitur sequentia Veni, Sancte Spíritus, ut in Festo, 378.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 10, 1-10

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Amen, amen dico vobis: qui non intrat per óstium in ovíle óvium, sed ascéndit aliúnde, ille fur est, et latro. Qui autem intrat per óstium, pastor est óvium. Huic ostiárius áperit, et oves vocem ejus áudiunt, et próprias oves vocat nominátim, et edúcit eas. Et cum próprias oves emíserit, ante eas vadit: et oves illum sequúntur, quia sciunt vocem

ejus. Aliénum autem non sequúntur, sed fúgiunt ab eo; quia non novérunt vocem alienórum. Hoc provérbium dixit eis Jesus. Illi autem non cognovérunt quid loquerétur eis. Dixit ergo eis íterum Jesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum óstium óvium. Omnes quotquot venérunt, fures sunt, et latrónes, et non audiérunt eos oves. Ego sum óstium. Per me si quis introíerit, salvábitur: et ingrediétur, et egrediétur, et páscua invéniet. Fur non venit nisi ut furétur, et mactet, et perdat. Ego veni ut vitam hábeant, et abundántius hábeant.

Credo.

Offertorium Ps. 77, 23-25 Portas cæli apéruit Dóminus: et pluit illis manna, ut éderent: panem cæli dedit eis, panem Angelórum manducávit homo, allelúja.

Secreta

Puríficet nos, quǽsumus, Dómine, múneris præséntis oblátio: et dignos sacra participatióne effíciat. Per Dóminum.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Pentecostes.

Communio Joann. 15 26: 16, 14; 17, 1 et 5 Spíritus qui a Patre procédit, allelúja: ille me clarificábit, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine, Spíritus Sanctus divínis réparet sacraméntis; quia ipse est remíssio ómnium peccatórum. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Feria Quarta
Quatuor Temporum Pentecostes

Introitus Ps. 67, 8 et 10

Deus, dum egrederéris coram pópulo tuo, allelúja: iter fáciens eis, hábitans in illis, allelúja: terra mota est, cæli distillavérunt, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid. 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Deus, dum egrederéris.

Post Kýrie, eléison, non dicitur Dóminus vobíscum neque Flectámus génua, sed absolute:

Orémus Oratio

Mentes nostras, quǽsumus, Dómine, Paráclitus, qui a te procédit, illúminet: et indúcat in omnem, sicut tuus promísit Fílius, veritátem: Qui tecum... in unitáte ejúsdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 1, 1-7

Dilígite justítiam, qui judicátis terram. Sentíte de Dómino in bonitáte, et in simplicitáte cordis quǽrite illum: quóniam invenítur ab his, qui non tentant illum: appáret autem eis qui fidem habent in illum. Pervérsæ enim cogitatiónes séparant a Deo: probáta autem virtus córripit insipiéntes: quóniam in malévolam ánimam non introíbit sapiéntia, nec habitábit in córpore súbdito peccátis. Spíritus enim sanctus disciplínæ effúgiet fictum, et aúferet se a cogitatiónibus, quæ sunt sine intelléctu, et corripiétur a su-

perveniénte iniquitáte. Benígnus est enim spíritus sapiéntiæ, et non liberábit maledíctum a lábiis suis: quóniam renum illíus testis est Deus, et cordis illíus scrutátor est verus, et linguæ ejus audítor. Quóniam spíritus Dómini replévit orbem terrárum: et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis.

Allelúja. ℣. Spíritus, qui a Patre procédit, ille me clarificábit.

Finito Versu, Celebrans dicit Glória in excélsis et deinde Dóminus vobíscum.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut Spíritus Sanctus advéniens, templum nos glóriæ suæ dignánter inhabitándo perfíciat. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

¶ Ab hac die usque ad Sabbatum sequens inclusive dicitur, juxta Rubricas, Oratio pro diversitate Temporum assignata, nempe:

2° contra persecutores Ecclesiæ
Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

vel 2° pro Papa Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 2, 14-21

In diébus illis: Stans Petrus cum úndecim, levávit vocem suam, et locútus est eis: Viri Judǽi, et qui habitátis Jerúsalem univérsi, hoc vobis notum sit, et áuribus percípite verba mea. Non enim, sicut vos æstimátis, hi ébrii sunt, cum sit hora diéi tértia: sed hoc est, quod dictum est per prophétam Joël: Et erit in novíssimis diébus (dicit Dóminus) effúndam de Spíritu meo super omnem carnem, et prophetábunt fílii vestri, et fíliæ vestræ, et juvénes vestri visiónes vidébunt, et senióres vestri sómnia somniábunt. Et quidem super servos meos, et super ancíllas meas in diébus illis effúndam de Spíritu meo, et prophetábunt: et dabo prodígia in cælo sursum, et signa in terra deórsum, sánguinem, et ignem, et vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, et luna in sánguinem, ántequam véniat dies Dómini magnus et maniféstus. Et erit: omnis quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Allelúja. ℣. Act. 2, 4 Repléti sunt omnes Spíritu Sancto, et cœpérunt loqui magnália Dei. Allelúja, allelúja. (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precatio Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Et dicitur Sequentia Veni, Sancte Spíritus, ut in Festo, 378.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Nemo potest veníre ad me, nisi Pater, qui misit me, tráxerit eum: et ego resuscitábo eum in novíssimo die. Est scriptum in prophétis: Et erunt omnes docíbiles Dei. Omnis, qui audívit a Patre, et dídicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit Patrem. Amen, amen dico vobis: qui credit in me, habet vitam ætérnam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducavérunt manna in desérto, et mórtui sunt. Hic est panis de cælo descéndens: ut si quis ex ipso manducáverit, non moriátur. Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Credo.

Offertorium Ps. 8, 30-31 Emítte Spíritum tuum et creabúntur, et renovábis fáciem terræ: sit glória Dómini in sǽcula, allelúja.

Secreta

Accipe, quǽsumus, Dómine, munus oblátum: et dignánter operáre; ut, quod mystériis ágimus, piis efféctibus celebrémus. Per Dóminum.

2ª contra persecutores Ecclesiæ

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur, et mente. Per Dóminum.

vel 2ª pro Papa **Secreta**

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Præfatio, Communicántes et Hanc igitur, ut in die Pentecostes.

Communio Joann. 14, 27 Pacem do vobis, allelúja: pacem meam relínquo vobis, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Suméntes, Dómine, cæléstia sacraménta, quǽsumus cleméntiam tuam: ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum.

2ª contra persecutores Ecclesiæ

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

vel 2ª pro Papa **Postcommunio**

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper et múniat. Per Dóminum.

Feria Quinta
infra Octavam Pentecostes

Introitus Sap. 1, 7

Spíritus Dómini replévit orbem terrárum, allelúja: et hoc quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis, allelúja, allelúja,

allelúja. ℣. Ps. 67, 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Spíritus Dómini.

Oratio

Deus, qui hodiérna die corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Alia Oratio, ut supra, 382.

Léctio Actuum Apostolórum. Act. 8, 5-9

In diébus illis: Philíppus descéndens in civitátem Samaríæ, prædicábat illis Christum. Intendébant autem turbæ his quæ a Philíppo dicebántur, unanímiter audiéntes, et vidéntes signa quæ faciébat. Multi enim eórum, qui habébant spíritus immúndos, clamántes voce magna, exíbant. Multi autem paralýtici, et claudi curáti sunt. Factum est ergo gáudium magnum in illa civitáte.

Allelúja. ℣. Ps. 103, 30 Emítte Spíritum tuum, et creabúntur, et renovábis fáciem terræ. Allelúja, allelúja. (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precatio Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Et dicitur Sequentia Veni, Sancte Spíritus, ut in Festo, 378.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 9, 1-6

In illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos: exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes, et curántes ubíque. Credo.

Offertorium Ps. 67, 29-30 Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo tuo, quod est in Jerúsalem, tibi ófferent reges múnera, allelúja.

Secreta

Propítius, Dómine, quǽsumus, hæc dona sanctífica: et, hóstiæ spirituális oblatióne suscépta, nosmetípsos tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 383.
Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Pentecostes.

Communio Act. 2, 2 et 4 Factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis, ubi erant sedéntes, allelúja: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, loquéntes magnália Dei, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut a nostris méntibus carnáles affectus amóveat Spíritus Sanctus, et spirituália nobis dona poténter infúndat. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 383.

Feria Sexta
Quatuor Temporum Pentecostes

Introitus Ps. 70, 8 et 23

Repleátur os meum laude tua, allelúja: gaudébunt lábia mea, allelúja: ut possim cantáre, dum cantávero tibi, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1-2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me, et éripe me. ℣. Glória Patri. Repleátur.

Oratio

Da, quæsumus, Ecclésiæ tuæ, miséricors Deus: ut Spíritu Sancto congregáta, hostíli nullátenus incursióne turbétur. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Alia Oratio, ut supra, 382.

Léctio Actuum Apostolórum Act. 2, 22-28

In diébus illis: Apériens Petrus os suum, dixit: Viri Israëlítæ, audite verba hæc: Jesum Nazarénum, virum approbátum a Deo in vobis, virtútibus, et prodigiis, et signis, quæ fecit Deus per illum in médio vestri, sicut vos scitis: hunc, definíto consílio et præsciéntia Dei tráditum, per manus iniquórum affligéntes, interemístis. Quem Deus suscitávit, solútis dolóribus inférni, juxta quod impossíbile erat tenéri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providébam Dóminum coram me semper: quóniam a dextris est mihi, ne commóvear: propter hoc lætátum est cor meum, et exsultávit lingua mea, insuper et caro mea requiéscet in spe: quóniam non derelínques ánimam meam in inférno, nec dabis sanctum tuum vidére corruptiónem. Notas mihi fecísti vias vitæ: seplébis me jucunditáte cum fácie tua.

Allelúja. ℣. 1 Cor. 2, 10 Spíritus ómnia scrutátur, étiam profúnda Dei. Allelúja, allelúja (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precatio Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium; et tui amóris in eis ignem accénde.

Et dicitur Sequentia **Veni, Sancte Spíritus,** ut in Festo, 378.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 5, 17-26

In illo témpore: Factum est in una diérum, et Jesus sedébat docens. Et erant pharisǽi sedéntes, et legis doctóres, qui vénerant ex omni castéllo Galilǽæ, et Judǽæ, et Jerúsalem: et virtus Dómini erat ad sanándum eos. Et ecce viri portántes in lecto hóminem, qui erat paralýticus: et quærébant eum inférre, et pónere ante eum. Et non inveniéntes qua parte illum inférrent præ turba, ascendérunt supra tectum, et per tégulas summisérunt eum cum lecto in médio ante Jesum. Quorum fidem ut vidit, dixit: Homo, remittúntur tibi peccáta tua. Et cœpérunt cogitáre scribæ et pharisǽi, dicéntes: Quis est hic, qui lóquitur blasphémias? Quis potest dimíttere peccáta, nisi solus Deus? Ut cognóvit autem Jesus cogitatiónes eórum, respóndens dixit ad illos: Quid cogitátis in córdibus vestris? Quid est facílius dícere: Dimittúntur tibi peccáta, an dícere: Surge, et ámbula? Ut autem sciátis quia Fílius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta (ait paralýtico): Tibi dico, surge, tolle

lectum tuum, et vade in domum tuam. Et conféstim consúrgens coram illis, tulit lectum, in quo jacébat: et ábiit in domum suam, magníficans Deum. Et stupor apprehéndit omnes, et magnificábant Deum. Et repléti sunt timóre, dicéntes: Quia vídimus mirabília hódie. Credo.

Offertorium Ps. 145, 2 Lauda, ánima mea, Dóminum: laudábo Dóminum in vita mea: psallam Deo meo quámdiu ero, allelúja.

Secreta

Sacrifícia, Dómine, tuis obláta conspéctibus, ignis ille divínus absúmat, qui discipulórum Christi Fílii tui per Spíritum Sanctum corda succéndit. Per eúmdem Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Alia Secreta, ut supra, 383.

Præfatio, Communicántes et Hanc ígitur, ut in die Pentecostes.

Communio Joann. 3, 8 Spíritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, allelúja: et nescis unde véniat, aut quo vadat, allelúja, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii: humíliter deprecántes; ut, quæ in tui commemoratiónem nos fácere præcepísti, in nostræ profíciant infirmitátis auxílium: Qui vivis.

Alia Postcommunio, ut supra, 383.

Sabbato
Quatuor Temporum Pentecostes

Introitus Rom. 5, 5

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, allelúja: per inhabitántem Spíritum ejus in nobis, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 87, 2 Dómine Deus salútis meæ in die clamávi, et nocte coram te. ℣. Glória Patri. Cáritas.

Post Kýrie, eléison, quinque Orationes subsequentes dicuntur sine Dóminus vobíscum et sine Flectámus génua; sed dicitur absolute:

Orémus. Oratio

Méntibus nostris, quæsumus, Dómine, Spíritum Sanctum benígnus infúnde: cujus et sapiéntia cónditi sumus, et providéntia gubernámur. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio Joélis Prophétæ.
Joël. 2, 28-32

Hæc dicit Dóminus Deus: Effúndam Spíritum meum super omnem carnem: et prophetábunt fílii vestri, et fíliæ vestræ: senes vestri sómnia somniábunt, et júvenes vestri visiónes vidébunt. Sed et super servos meos, et ancíllas in diébus illis effúndam Spíritum meum. Et dabo prodígia in cælo, et in terra, sánguinem, et ignem, et vapórem fumi. Sol convertétur in ténebras, et luna in sánguinem: ántequam véniat dies Dómini magnus, et horríbilis. Et erit: omnis qui invocáverit nomen Dómini, salvus erit.

Allelúja. ℣. Ps. 103, 30 Emítte Spíritum tuum et creabúntur, et renovábis fáciem terræ.

Orémus. Oratio

Illo nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus Sanctus inflámmet: quem Dóminus noster Jesus Christus misit in terram, et vóluit veheménter accéndi: Qui tecum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio libri Levítici.
Levit. 23, 9-11, 15-17 et 21

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Lóquere fíliis Israël, et dices ad eos: Cum ingréssi fuéritis terram, quam ego dabo vobis, et messuéritis ségetem, ferétis manípulos spicárum, primítias messis vestræ ad sacerdótem: qui elevábit fascículum coram Dómino, ut acceptábile sit pro vobis, áltero die sábbati, et sanctificábit illum. Numerábitis ergo ab áltero die sábbati in quo obtulístis manípulum primitiárum, septem hebdómadas plenas, usque ad álteram diem expletiónis hebdómadæ séptimæ, id est, quinquagínta dies: et sic offerétis sacrifícium novum Dómino ex ómnibus habitáculis vestris, panes primitiárum duos de duábus décimis símilæ fermentátæ, quos coquétis in primítias Dómini. Et vocábitis hunc diem celebérrimum atque sanctíssimum: omne opus servíle non faciétis in eo. Legítimum sempitérnum erit in cunctis habitáculis, et generatiónibus vestris: dicit Dóminus omnípotens.

Allelúja. ℣. Sap. 1, 7 Spíritus Dómini replévit orbem terrárum; et hoc quod cóntinet ómnia sciéntiam habet vocis.

Orémus. **Oratio**

Deus, qui ad animárum medélam, jejúnii devotióne castigári córpora præcepísti: concéde nobis propítius; et mente, et córpore tibi semper esse devótos. Per Dóminum.

Léctio libri Deuteronómii.
Deut. 26, 1-11

In diébus illis: Dixit Móyses fíliis Israël: Audi, Israël, quæ ego præcípio tibi hódie. Cum intráveris terram, quam Dóminus Deus tuus tibi datúrus est possidéndam, et obtinúeris eam, atque habitáveris in ea: tolles de cunctis frúgibus tuis primítias, et pones in cartállo, pergésque ad locum, quem Dóminus Deus tuus elégerit, ut ibi invocétur nomen ejus; accedésque ad sacerdótem, qui fúerit in diébus illis, et dices ad eum: Profíteor hódie coram Dómino Deo tuo, qui exaudívit nos, et respéxit humilitátem nostram, et labórem, atque angústiam: et edúxit nos de Ægýpto in manu forti, et bráchio exténto, in ingénti pavóre, in signis atque porténtis: et introdúxit ad locum istum, et trádidit nobis terram lacte et melle manántem. Et idcírco nunc óffero primítias frugum terræ, quam Dóminus dedit mihi. Et dimíttes eas in conspéctu Dómini Dei tui, et adoráto Dómino Deo tuo. Et epuláberis in ómnibus bonis, quæ Dóminus Deus tuus déderit tibi.

Allelúja. ℣. Act. 2, 1 Cum compleréntur dies Pentecóstes, erant omnes páriter sedéntes.

Orémus. **Oratio**

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut salutáribus jejúniis erudíti, ab ómnibus étiam vítiis abstinéntes, propitiatiónem tuam facílius impetrémus. Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.

Levit. 26, 3-12

In diébus illis: Dixit Dóminus ad Móysen: Lóquere fíliis Israël, et dices ad eos: Si in præcéptis meis ambulavéritis, et mandáta mea custodiéritis, et fecéritis ea, dabo vobis plúvias tempóribus suis, et terra gignet germen suum, et pomis árbores replebúntur. Apprehéndet méssium tritúra vindémiam, et vindémia occupábit seméntem: et comedétis panem vestrum in saturitáte, et absque pavóre habitábitis in terra vestra. Dabo pacem in fínibus vestris: dormiétis, et non erit qui extérreat. Auferam malas béstias, et gládius non transíbit términos vestros. Persequémini inimícos vestros, et córruent coram vobis. Persequéntur quinque de vestris centum aliénos, et centum de vobis decem míllia: cadent inimíci vestri gládio in conspéctu vestro. Respíciam vos, et créscere fáciam: multiplicabímini, et firmábo pactum meum vobíscum. Comedétis vetustíssima véterum, et vétera novis superveniéntibus projiciétis. Ponam tabernáculum meum in médio vestri, et non abjíciet vos ánima mea. Ambulábo inter vos, et ero Deus vester, vosque éritis pópulus meus: dicit Dóminus omnípotens.

Allelúja. ℣. Act. 2, 4 Loquebántur váriis linguis Apóstoli magnália Dei.

Orémus. Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: sic nos ab épulis carnálibus abstinére; ut a vítiis irruéntibus páriter jejunémus. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ.

Dan. 3, 47-56

In diébus illis: Angelus Dómini descéndit cum Azaría, et sóciis ejus in fornácem: et excússit flammam ignis de fornáce, et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem effundebátur super fornácem cúbitis quadragínta novem: et erúpit, et incéndit quos réperit juxta fornácem de Chaldǽis minístros regis, qui eam incendébant. Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, et glorificábant, et benedicébant Deum in fornáce, dicéntes: Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum: et laudábilis, et superexaltátus in sǽcula. Et benedíctum nomen glóriæ tuæ sanctum: et laudábile, et superexaltátum in ómnibus sǽculis. Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ: et superlaudábilis, et supergloriósus in sǽcula. Benedíctus es in throno regni tui: et superlaudábilis, et superexaltátus in sǽcula. Benedíctus es, qui intuéris abýssos, et sedes super Chérubim: et laudábilis, et superexaltátus in sǽcula. Benedíctus es in firmaménto cæli: et laudábilis et gloriósus in sǽcula. Benedícant te cælum, terra, mare, et ómnia quæ in eis sunt, laudábilem, et gloriósum, et superexaltátum in sǽcula.

Allelúja. ℣. Joann. 3, 8 Spíritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis: et nescis unde véniat aut quo vadat.

Finito hoc Versu, dicitur Glória in excélsis, et postea ℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. **Oratio**

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Alia Oratio, ut supra, 382.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 5, 1-5

Fratres: Justificáti ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum: per quem et habémus accéssum per fidem in grátiam istam; in qua stamus, et gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus: sciéntes quod tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem, spes autem non confúndit: quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

Allelúja. ℣. Rom. 5, 5 Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris, per Spíritum Sanctum qui datus est nobis. Allelúja, allelúja. (Hic genuflectitur) ℣. Eccl. precatio Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Et dicitur Sequentia **Veni, Sancte Spíritus**, ut in Festo, 378; sed in fine non dicitur **Allelúja.**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 4, 38-44

In illo témpore: Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus: et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam, imperávit febri: et dimísit illam. Et contínuo surgens, ministrábat illis. Cum autem sol occidísset, omnes qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos. Exíbant autem dæmónia a multis clamántia, et dicéntia: Quia tu es Fílius Dei: et íncrepans non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum. Facta autem die, egréssus ibat in desértum locum, et turbæ requirébant eum, et venérunt usque ad ipsum: et detinébant illum ne discéderet ab eis. Quibus ille ait: Quia et áliis civitátibus opórtet me evangelizáre regnum Dei: quia ídeo missus sum. Et erat prǽdicans in synagógis Galilǽæ. Credo.

Offertorium Ps. 87, 2-3 Dómine, Deus salútis meæ, in die clamávi et nocte coram te: intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine, allelúja.

Secreta

Ut accépta tibi sint, Dómine, nostra jejúnia: præsta nobis, quǽsumus; hujus múnere sacraménti purificátum tibi pectus offérre. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra, 383.

Præfatio, **Communicántes** et **Hanc ígitur**, ut in die Pentecostes.


Communio Joann. 14, 18 Non vos relínquam órphanos: véniam ad vos íterum, allelúja, et gaudébit cor vestrum, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Prǽbeant nobis, Dómine, divínum tua sancta fervórem: quo eórum páriter et actu delectémur, et fructu. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra, 383.

¶ Post Missam exspirat Tempus Paschale.



IN FESTO SS. TRINITATIS

Introitus Tob. 12, 6

Benedicta sit sancta Trínitas, atque indivísa únitas: confitébimur ei, quia fecit nobíscum misericórdiam suam. ℣. Dan. 3. Eccl. laus Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu: laudémus et superexaltémus in sǽcula. Benedicta sit. ℣. Glória Patri. Benedicta sit.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre unitátem: quǽsumus; ut ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio de Dominica prima post Pentecosten.

Oratio

Deus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris: et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ; ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 4, 1-10

In diébus illis: Vidi óstium apértum in cælo: et vox prima, quam audívi, tamquam tubæ loquéntis mecum, dicens: Ascénde huc, et osténdam tibi quæ opórtet fíeri cito. Post hæc, statim fui in spíritu. Et ecce sedes pósita erat in cælo, et supra sedem sedens. Et qui sedébat símilis erat aspéctui lápidis jáspidis et sárdinis: et iris erat in circúitu sedis, símilis visióni smarágdinæ. Et in circúitu sedis, sedília vigínti quátuor: et supra thronos, vigínti quátuor senióres sedéntes, circumamícti stolis albis, et habébant in capítibus suis corónas áureas. Et de throno procedébant fúlgura, et tonítrua, et voces: et septem lámpades ardéntes ante thronum, quæ sunt septem spíritus Dei. Et in conspéctu sedis, tamquam mare vítreum símile crystállo: et in médio sedis, et in circúitu sedis quátuor animália plena óculis ante et retro. Et ánimal primum símile

leóni, et secúndum ánimal símile vítulo, et tértium ánimal habens fáciem quasi hóminis, et quartum ánimal, símile áquilæ volánti. Et quátuor animália, síngula eórum habébat alas senas: et in circúitu, et intus plena sunt óculis. Et réquiem non habébant die ac nocte, dicéntia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus omnípotens, qui erat, et qui est, et qui ventúrus est. Et cum darent illa animália glóriam, et honórem, et benedictiónem sedénti super thronum, vivénti in sǽcula sæculórum, procidébant vigínti quátuor senióres ante sedéntem in throno, et adorábant vivéntem in sǽcula sæculórum.

Graduale Dan. 3, 55 Benedíctus es, Dómine, qui intuéris abýssos: et sedes super Chérubim ℣. Benedícite Deum cæli: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 52 Benedíctus es, Dómine, Deus patrum nostrórum, et laudábilis in sǽcula.
vel

Symb. Athanasii v. 7 Qualis Pater, talis Fílius, talis Spíritus Sanctus. ℣. O adoránda Trínitas, o veneránda Unitas, o perfécta Déitas, o cláritas Lúminis.

Allelúja, ut supra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 3, 1-15

In illo témpore: Erat homo ex pharisǽis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magíster: nemo enim potest hæc signa fácere quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Dixit ad eum Nicodémus: Quómodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ íterum introíre, et renásci? Respóndit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris, quia dixi tibi: Opórtet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat: et vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spíritu. Respóndit Nicodémus, et dixit ei: Quómodo possunt hæc fíeri? Respóndit Jesus, et dixit ei: Tu es magíster in Israël, et hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur, et quod vídimus testámur, et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, et non créditis: quómodo, si dixero vobis cæléstia, credétis? Et nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis, qui credit in ipso, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

Credo.

Offertorium Tob. 12, 6 Benedíctus sit Deus Pater, unigenitúsque Dei Fílius, Sanctus quoque Spíritus: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Secreta

Sanctifica, quǽsumus, Dómine, Deus noster, per tui sancti nóminis invocatiónem, hujus oblatiónis hóstiam: et per eam nosmetipsos tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum.

Pro Dominica Secreta

Hóstias nostras, quǽsumus, Dómine, tibi dicátas placátus assúme: et ad perpétuum nobis tribue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Præfatio de Ss. Trinitate.

Communio Tob. 12, 6 Benedícimus Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio

Profíciat nobis ad salútem córporis et ánimæ, Dómine Deus noster, hujus sacraménti suscéptio: et sempitérnæ sanctæ Trinitátis, ejusdémque indivíduæ unitátis conféssio. Per Dóminum.

Pro Dominica Postcommunio

Tantis, Dómine, repléti munéribus: præsta, quǽsumus; ut et salutária dona capiámus, et a tua numquam laude cessémus. Per Dóminum.

¶ In fine Missæ legitur Evangelium hujus Dominicæ **Homo quidam erat dives**, 394.

¶ Ab hac die usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, in omnibus Missis ritus Semiduplicis vel Simplicis, tam de Tempore quam de Sanctis, et in Missis votivis quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, nisi facta fuerit Commemoratio Duplicis, vel cujuslibet Vigiliæ, vel Octavæ, vel Officii de Canticis Canticorum, aut Missa fuerit de beata Maria Virgine, vel de aliqua Vigilia, vel de Octava, vel de Omnibus Sanctis, post Commemorationes, forte occurrentes, dicuntur Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª ad poscenda suffragia Sanctorum, **A cunctis**, 3ª ad libitum eligenda. Et in eadem Oratione **A cunctis**, sicut et in ejus Postcommunione, ad litteram **N.** exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina, vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa, aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Oratione **A cunctis** expressum: ac nomina sanctorum Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba **atque beáto N.** Si vero Missa, vel Commemoratio fuerit de sancto Joseph, aut de sanctis Apostolis Petro et Paulo, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba quæ eos respiciunt.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum

Oratio

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis: et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N., et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. (Per eúmdem Dóminum).

3ª ad libitum eligenda.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum
Secreta

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris; grátiam tríbuens in præsénti, et glóriam in futúro. (Per Dóminum).

3ª ad libitum eligenda.

2ª ad poscenda suffragia Sanctorum
Postcommunio

Mundet et múniat nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti munus oblátum: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitrice María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis, tuis Petro et Paulo, atque beáto N., et ómnibus Sanctis; a cunctis nos reddat et perversitátibus expiátos, et adversitátibus expedítos. (Per eúmdem Dóminum).

3ª ad libitum eligenda.

¶ In Vigiliis autem, infra Octavas tam privilegiatas quam communes, et in diebus Octavis Simplicibus per idem Tempus occurrentibus, loco earumdem Orationum, dicitur, juxta Rubricas, 2ª Oratio de sancta Maria Concéde ex Missa de Communi, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, quæ habentur post Missam Ssmi Corporis Christi, 399. Si tamen Vigilia aut Octava fuerit de Beata Maria Virgine, vel de Omnibus Sanctis, sicut et in Missis ejusdem beatæ Mariæ Virginis, et in Missis in quibus de ea facta sit Commemoratio, necnon in Missa votiva de Omnibus Sanctis, loco Orationis Concéde, dicitur Oratio de Spiritu Sancto, [57]-[58].

Dominica Prima
post Pentecosten

Introitus Ps. 12, 6

Dómine, in tua misericórdia sperávi; exultávit cor meum in salutári tuo: cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi. ℣. Ps. ibid., 1 Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem? úsquequo avértis fáciem tuam a me? ℣. Glória Patri. Dómine, in tua misericórdia.

¶ Dicitur Glória in excélsis in omnibus Dominicis post Pentecosten, etiam in Dominica XXIII Sabbato anticipata, juxta Rubricas: non dicitur autem in diebus ferialibus, quando resumitur Missa Dominicæ præcedentis.

Oratio

Deus, in te sperántium fortitúdo, adésto propítius invocatiónibus nostris: et quia sine te nihil potest mortális infírmitas, præsta auxílium grátiæ tuæ; ut in exsequéndis mandátis tuis, et voluntáte tibi et actióne placeámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra post Missam Ssmæ Trinitatis, 392.

Léctio Epístolæ beáti Joannis Apóstoli. 1 Joann. 4, 8-21

Caríssimi: Deus cáritas est. In hoc appáruit cáritas Dei in nobis, quóniam Fílium suum unigénitum misit Deus in mundum, ut vivámus per eum. In hoc est cáritas: non quasi nos dilexérimus Deum, sed quóniam ipse prior diléxit nos, et misit Fílium suum propitiatiónem pro peccátis nostris. Caríssimi, si sic Deus diléxit nos: et nos debé-

mus altérutrum dilígere. Deum nemo vidit umquam. Si diligámus ínvicem, Deus in nobis manet, et cáritas ejus in nobis perfécta est. In hoc cognóscimus, quóniam in eo manémus, et ipse in nobis: quóniam de Spíritu suo dedit nobis. Et nos vídimus, et testificámur, quóniam Pater misit Fílium suum Salvatórem mundi. Quisquis conféssus fúerit, quóniam Jesus est Fílius Dei, Deus in eo manet, et ipse in Deo. Et nos cognóvimus, et credídimus caritáti, quam habet Deus in nobis. Deus cáritas est: et qui manet in caritáte, in Deo manet, et Deus in eo. In hoc perfécta est cáritas Dei nobíscum, ut fidúciam habeámus in die judícii: quia sicut ille est, et nos sumus in hoc mundo. Timor non est in caritáte: sed perfécta cáritas foras mittit timórem, quóniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non est perféctus in caritáte. Nos ergo diligámus Deum, quóniam Deus prior diléxit nos. Si quis díxerit, quóniam díligo Deum, et fratrem suum óderit, mendax est. Qui enim non díligit fratrem suum quem videt, Deum, quem non videt, quómodo potest dilígere? Et hoc mandátum habémus a Deo: ut qui díligit Deum, díligat et fratrem suum.

Graduale Ps. 40, 5 et 2 Ego dixi: Dómine, miserére mei: sana ánimam meam, quia peccávi tibi. ℣. Beátus qui intélligit super egénum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus.

Allelúja, allelúja. Ps. 7, 12 Dóminus judex justus, fortis, et pátiens, numquid iráscitur per síngulos dies? Allelúja.

¶ Sic dicitur Allelúja cum suo Versu post Graduale in omnibus Dominicis post Pentecosten, etiam si Missa Dominicæ in Feriis resumatur.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Lucæ, 16, 19-31

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam erat dives, qui induebátur púrpura et bysso: et epulabátur quotídie spléndide. Et erat quidam mendícus, nómine Lázarus, qui jacébat ad jánuam ejus, ulcéribus plenus, cúpiens saturári de micis quæ cadébant de mensa dívitis, et nemo illi dabat: sed et canes veniébant, et lingébant úlcera ejus. Factum est autem ut morerétur mendícus, et portarétur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mórtuus est autem et dives, et sepúltus est in inférno. Elevans autem óculos suos, cum esset in torméntis, vidit Abraham a longe, et Lázarum in sinu ejus: et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserére mei, et mitte Lázarum, ut intíngat extrémum dígiti sui in aquam, ut refrígeret linguam meam, quia crúcior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordáre, quia recepísti bona in vita tua, et Lázarus simíliter mala: nunc autem hic consolátur, tu vero cruciáris: et in his ómnibus, inter nos et vos chaos magnum firmátum est: ut hi qui volunt hinc transíre ad vos, non possint, neque inde huc transmeáre. Et ait: Rogo ergo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei, há-

beo enim quinque fratres, ut testétur illis, ne et ipsi véniant in hunc locum tormentórum. Et ait illi Abraham: Habent Móysen et Prophétas: áudiant illos. At ille dixit: Non, pater Abraham: sed si quis ex mórtuis ierit ad eos, pœniténtiam agent. Ait autem illi: Si Móysen et Prophétas non áudiunt, neque si quis ex mórtuis resurréxerit, credent.

Credo, quod dicitur in omnibus Dominicis post Pentecosten, etiam in Dominica XXIII Sabbato anticipata, juxta Rubricas; non dicitur autem in diebus ferialibus, quando resumitur Missa Dominicæ præcedentis.

Offertorium Ps. 5, 3-4 Inténde voci oratiónis meæ, Rex meus, et Deus meus: quóniam ad te orábo, Dómine.

Secreta

Hóstias nostras, quǽsumus, Dómine, tibi dicátas placátus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate, quæ dicitur in omnibus Dominicis post Pentecosten, etiam in Dominica XXIII Sabbato anticipata. Quoties vero infra hebdomadam resumitur Missa Dominicæ præcedentis, dicitur Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Ps. 9, 2-3 Narrábo ómnia mirabília tua: lætábor et exsultábo in te: psallam nómini tuo, Altíssime.

Postcommunio

Tantis, Dómine, repléti munéribus: præsta, quǽsumus; ut et salutária dona capiámus, et a tua numquam laude cessémus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.



IN FESTO

SSMI CORPORIS CHRISTI

Introitus Ps. 80, 17

Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúja: et de petra, melle saturávit eos, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob. Cibávit. ℣. Glória Patri. Cibávit.

Oratio

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quǽsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 11, 23-26

Fratres: Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seipsum homo: et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat, et bibit indígne, judícium sibi mandúcat, et bibit: non dijúdicans corpus Dómini.

Graduale Ps. 144, 15-16 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu

das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 6, 56-57 Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo.

¶ Et dicitur Allelúja, si infra Octavam Sequentia omittatur.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Joann. 6, 58 Misit me Pater vivens, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, vivet propter me. ℣. Num. 21, 5 Locútus est pópulus contra Dóminum: Anima nostra náuseat super cibo isto levíssimo.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Joann. 6, 50 Hic est panis vivus, qui de cælo descéndit. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 6, 56-57 Caro mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus; qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo. Allelúja.

Sequentia

Lauda, Sion, Salvatórem,
Lauda ducem et pastórem,
In hymnis et cánticis.

Quantum potes, tantum aude:
Quia major omni laude,
Nec laudáre súfficis.

Laudis thema speciális,
Panis vivus et vitális
Hódie propónitur.

Quem in sacræ mensa cœnæ,
Turbæ fratrum duodénæ
Datum non ambígitur.

Sit laus plena, sit sonóra,
Sit jucúnda, sit decóra
Mentis jubilátio.

Dies enim solémnis ágitur,
In qua mensæ prima recólitur
Hujus institútio.

In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novæ legis,
Phase vetus términat.

Vetustátem nóvitas,
Umbram fugat véritas,
Noctem lux elíminat.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciéndum hoc expréssit
In sui memóriam.

Docti sacris institútis,
Panem, vinum in salútis
Consecrámus hóstiam.

Dogma datur Christiánis,
Quod in carnem transit panis
Et vinum in sánguinem.

Quod non capis, quod non vides,
Animósa firmat fides,
Præter rerum órdinem.

Sub diversis speciébus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res exímiæ.

Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus
Sub utráque spécie.

Asuménte non concísus,
Non confráctus, non divísus:
Integer accípitur.

Sumit unus, sumunt mille:
Quantum isti, tantum ille:
Nec sumptus consúmitur.

Sumunt boni, sumunt mali:
Sorte tamen inæquáli,
Vitæ, vel intéritus.

Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptiónis,
Quam sit dispar éxitus.

Fracto demum sacraménto,
Ne vacílles, sed meménto,
Tantum esse sub fragménto,
Quantum toto tégitur.

Nulla rei fit scissúra:
Signi tantum fit fractúra:
Qua nec status, nec statúra
Signáti minúitur.

Ecce panis Angelórum,
Factus cibus viatórum:
Vere panis filiórum,
Non mitténdus cánibus.

In figúris præsignátur,
Cum Isaac immolátur:
Agnus paschæ deputátur:
Datur manna pátribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserére:
Tu nos pasce, nos tuére:
Tu nos bona fac vidére
In terra viventium.

Tu, qui cuncta scis et vales:
Qui nos pascis hic mortáles:
Tuos ibi commensáles,
Coherédes et sodáles
Fac sanctórum cívium.

Amen. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúdum Joánnem.

Joann. 6, 56-59

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cælo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.

Credo.

Offertorium Levit. 21, 6 Sacerdótes Dómini incénsum et panes ófferunt Deo: et ídeo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus, allelúja.

Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate, quæ dicitur per totam Octavam, juxta Rubricas.

Communio 1 Cor. 11, 26-27 Quotiescúmque manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mórtem Dómini annuntiábitis, donec véniat: ítaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini, allelúja.

Postcommunio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat: Qui vivis.

Ite Missa est cum dupl. Alleluja

¶ Infra Octavam et in die Octava dicitur Missa ut in Festo. Infra Octavam autem in Missis privatis lectis, Se-

quentia ad libitum Celebrantis omitti potest, juxta Rubricas.

¶ Infra Octavam adduntur, item juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe:

2ª de S. Maria — Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. (Per Dóminum).

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam, atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem, et pacem. (Per Dóminum).

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubique prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. (Per Dóminum).

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Secreta

Protége nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur et mente. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére; humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

---

vel 3ª pro Papa — Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper et múniat. Per Dóminum.

Dominica infra Oct. Ss. Corporis Christi
secunda post Pentecosten

Introitus — Ps. 17, 19-20

Factus est Dóminus protéctor meus, et edúxit me in latitúdinem: salvum me fecit, quóniam vóluit me. ℣. Ps. ibid., 2-3 Díligam te, Dómine, virtus mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. ℣. Glória Patri. Factus est.

Oratio

Sancti nóminis tui, Dómine, timórem páriter et amórem fac nos habére perpétuum: quia numquam tua gubernatióne destítuis, quos in soliditáte tuæ dilectiónis instítuis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ssmi Corporis Christi.

Oratio

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quǽsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli. 1 Joann. 3, 13-18

Caríssimi: Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus, quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláuserit víscera sua ab eo: quómodo cáritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque lingua, sed ópere, et veritáte.

Graduale Ps. 119, 1-2 Ad Dóminum cum tribulárer clamávi, et exaudívit me. ℣. Dómine, líbera ánimam meam a lábiis iníquis, et a lingua dolósa.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 17, 2-3 Díligam te, Dómine, virtus mea: Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14, 16-24

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis parábolam hanc: Homo quidam fecit cœnam magnam, et vocávit multos. Et misit servum suum hora cœnæ dícere invitátis ut venírent, quia jam paráta sunt ómnia. Et cœpérunt simul omnes excusáre. Primus dixit ei: Villam emi, et necésse hábeo exíre, et vidére illam: rogo te, habe me excusátum. Et alter dixit: Juga boum emi quinque, et eo probáre illa: rogo te, habe me excusátum. Et álius dixit: Uxórem duxi: et ídeo non possum veníre. Et revérsus servus nuntiávit hæc dómino suo. Tunc irátus paterfamílias, dixit servo suo: Exi cito in platéas et vicos civitátis: et páuperes, ac débiles, et cæcos, et claudos íntroduc huc. Et ait servus: Dómine, factum est ut imperásti, et adhuc locus est. Et ait dóminus servo: Exi in vias, et sepes: et compélle intráre, ut impleátur domus mea. Dico autem vobis, quod nemo virórum illórum, qui vocáti sunt, gustábit cœnam meam. Credo.

Offertorium Ps. 17, 3 Factus est Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus: sperábo in eum.

Secreta

Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicánda puríficet: et de die in diem ad cæléstis vitæ tránsferat actiónem. Per Dóminum.

Pro Octava Ssmi Corporis Christi
Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate, ratione Octavæ; sed, si Commemoratio Octavæ sit omittenda, dicitur Præfatio de Ssma Trinitate, juxta Rubricas.

Communio Ps. 12, 6 Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi: et psallam nómini Dómini altíssimi.

Postcommunio

Sumptis munéribus sacris, quǽsumus, Dómine: ut cum frequentatióne mystérii, crescat nostræ salútis efféctus. Per Dóminum.

Pro Octava Ssmi Corporis Christi
Postcommunio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat: Qui vivis.

Sabbato
post Octavam Corporis Christi
Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Introitus Ps. 44, 14-15

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus: adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Omnis glória.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 8, 6-7

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale Sap. 7, 25-26 Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. Cant. 6. 2 Ego diléсto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 46-47 Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúja.

In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Luc. 1, 46-48 Magníficat ánima mea Dóminum. ℣. Et exsul-

távit spíritus meus in Deo salutári meo. ℣. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Tempore autem Paschali usque ad Vigiliam Ascensionis omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Sap. 7, 25-26 Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 6, 2 Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 48-51

In illo témpore: Dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo.

Credo.

Offertorium Judith 15, 11 Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta

Majestáti tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quǽsumus: ut corda nostra ignis ille divínus accéndat; qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio Cant. 2, 3 Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio

Divínis refécti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus: ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Dominica Tertia post Pentecosten

Introitus Ps. 24, 16 et 18

Réspice in me, et miserére mei quia únicus et pauper sum ego: vide humilitátem meam, et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea, Deus meus. ℣. Ps. ibid., 1.2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. Réspice in me.

Oratio

Deprecatiónem nostram, quǽsumus, Dómine, benígnus exáudi: et quibus supplicándi præstas afféctum, tríbue defensiónis auxílium. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1 Petr. 5, 6-11

Caríssimi: Humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis: omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte, et vigiláte: quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide: sciéntes eámdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fieri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit, solidabítque. Ipsi glória, et impérium in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 54, 23, 17 et 19 Jacta cogitátum tuum in Dómino: et ipse te enútriet. ℣. Dum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi.

Allelúja, allelúja. Ps. 20, 2 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: et super salutáre tuum exsultábit veheménter. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 15, 1-10

In illo témpore: Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant pharisǽi et scribæ, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit, et mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagintanóvem in desérto, et vadit ad illam, quæ períerat, donec invéniat eam? Et cum invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens: et véniens domum, cónvocat amícos et vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat? Dico vobis, quod ita gáudium erit in cælo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quam super nonagintanóvem justis, qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens drachmas decem, si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quærit diligénter, donec invéniat? Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam? Ita dico vobis: gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Credo.

Offertorium Ps. 9, 11-12 et 13 Sperent in te omnes, qui novérunt nomen tuum: quóniam non derelínquis quæréntes te, Dómine: psállite Dómino, qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus oratiónes páuperum.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica: ut nobis Unigéniti tui corpus et sanguis fiant. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 16, 6 Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quarta
post Pentecosten

Introitus Ps. 26, 1 et 2

Dóminus illuminátio mea, et salus mea, quem timébo? Dóminus defénsor vitæ meæ, a quo trepidábo? qui tríbulant me inimíci mei, ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt. ℣. Ps. ibid., 3 Si consístant advérsum me castra: non timébit cor meum. ℣. Glória Patri. Dóminus illuminátio mea.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine: ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur; et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 18-23

Fratres: Exístimo, quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est, non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 78, 9 et 10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 70, 1-2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in tua justítia líbera me, et éripe me: inclína aurem tuam, accélera ut erípias me. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 5, 1-11

In illo témpore: Cum turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatóres autem descénderant, et lavábant rétia. Ascéndens autem in unam navim, quæ erat Simónis, rogávit eum a terra redúcere pusíllum. Et sedens docébat de navícula turbas. Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: Duc in altum, et laxáte rétia vestra in captúram. Et respóndens Simon, dixit illi: Præcéptor, per totam noctem laborántes, nihil cépimus: in verbo autem tuo laxábo rete. Et cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam: rumpebátur autem rete eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in

ália navi, ut venírent, et adjuvárent eos. Et venérunt, et implevérunt ambas navículas, ita ut pene mergeréntur. Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccátor sum, Dómine. Stupor enim circumdéderat eum, et omnes, qui cum illo erant, in captúra piscium, quam céperant: simíliter autem Jacóbum et Joánnem, fílios Zebedæi, qui erant sócii Simónis. Et ait ad Simónem Jesus: Noli timére: ex hoc jam hómines eris cápiens. Et subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus, secúti sunt eum.

Credo.

Offertorium Ps. 12, 4-5 Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte: ne quando dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Secreta

Réspice, quæsumus, Dómine, múnera supplicántis Ecclésiæ: et salúti credéntium perpétua sanctificatióne suménda concéde. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 17, 3 Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus: Deus meus, adjútor meus.

Postcommunio

Sancta tua, Dómine, nos sumpta vivíficent: et misericórdiæ sempitérnæ præparent expiátos. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quinta post Pentecosten

Introitus Ps. 26, 7 et 9

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: adjútor meus esto, ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus, illuminátio mea, et salus mea, quem timébo? ℣. Glória Patri. Exáudi, Dómine.

Oratio

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti: infúnde córdibus nostris tui amóris affféctum: ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli, 1 Petr. 3, 8-15

Caríssimi: Omnes unánimes in oratióne estóte, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, modésti, húmiles: non reddéntes malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto, sed e contrário benedicéntes: quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte possideátis. Qui enim vult vitam dilígere, et dies vidére bonos, coérceat linguam suam a malo, et lábia ejus ne loquántur dolum. Declínet a malo, et fáciat bonum: inquírat pacem, et sequátur eam. Quia óculi Dómini super justos, et aures ejus in preces eórum: vultus autem Dómini super faciéntes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis?

Sed et si quid patímini propter justítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis: et non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

Graduale Ps. 83, 10 et 9 Protéctor noster áspice, Deus, et réspice super servos tuos. ℣. Dómine Deus virtútum, exáudi preces servórum tuórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 46, 2 Omnes gentes, pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 20-24

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi abundáverit justítia vestra plus quam scribárum et pharisæórum, non intrábitis in regnum cælórum. Audístis, quia dictum est antíquis: Non occídes: qui autem occíderit, reus erit judício. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iráscitur fratri suo, reus erit judício. Qui autem díxerit fratri suo, raca: reus erit concílio. Qui autem díxerit, fátue: reus erit gehénnæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquid advérsum te: relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius reconciliári fratri tuo: et tunc véniens ófferes munus tuum. Credo.

Offertorium Ps. 15, 7 et 8 Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: providébam Deum in conspéctu meo semper: quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Secreta

Oblatiónibus, quǽsumus, Dómine, placáre suscéptis: et ad te nostras étiam rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 26, 4 Unam pétii a Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Postcommunio

Mystéria nos, quǽsumus, Dómine, sumpta puríficent: et suo múnere tueántur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Sexta post Pentecosten

Introitus Ps. 27, 8-9

Dóminus fortitúdo plebis suæ, et protéctor salutárium Christi sui est: salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ, et rege eos, usque in sǽculum. ℣. Ps. ibid., 1 Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me: ne quando táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum. ℣. Glória Patri. Dóminus fortitúdo.

Oratio

Deus virtútum, cujus est totum quod est óptimum: ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, et præsta in nobis religiónis augméntum; ut, quæ sunt bona, nútrias, ac pietátis stúdio, quæ sunt nutríta, custódias. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 6, 3-11

Fratres: Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Consepúlti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem: ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus: simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est: ut destruátur corpus peccáti et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo: crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo: sciéntes quod Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimáte, vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

Allelúja, allelúja, ℣. Ps. 64, 2 Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddétur votum in Jerúsalem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 8, 1-9

In illo témpore: Cum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis: Miséreor super turbam: quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent: et si dimísero eos jejúnos in domum suam, defícient in via: quidam enim ex eis de longe venérunt. Et respondérunt ei discípuli sui: Unde illos quis póterit hic saturáre pánibus in solitúdine? Et interrogávit eos: Quot panes habétis? Qui dixérunt: Septem. Et præcépit turbæ discúmbere super terram. Et accípiens septem panes, grátias agens fregit, et dabat discípulis suis, ut appónerent, et apposuérunt turbæ. Et habébant piscículos paucos: et ipsos benedíxit, et jussit appóni. Et manducavérunt, et saturáti sunt, et sustulérunt quod superáverat de fragméntis, septem sportas. Erant autem qui manducáverant, quasi quátuor míllia: et dimísit eos.

Credo.

Offertorium Ps. 16, 5 et 6-7 Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea: mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te, Dómine.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris: et has oblatiónes famulórum famularúmque tuárum benígnus assúme; ut, quod sínguli obtulérunt ad honórem nóminis tui, cunctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 26, 6 Circuíbo, et immolábo in tabernáculo ejus hó-

stiam jubilatiónis: cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio

Quos cæléstI, Dómine, dono satiásti: præsta, quǽsumus; ut a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Septima post Pentecosten

Introitus Ps. 46, 2

Omnes gentes, pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis. ℣. Ps. ibid., 4 Subjécit pópulos nobis: et gentes sub pédibus nostris. ℣. Glória Patri. Omnes gentes.

Oratio

Deus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur: te súpplices exorámus; ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 6, 19-23

Fratres: Humánum dico, propter infirmitátem carnis vestræ: sicut enim exhibuístis membra vestra servíre immundítiæ, et iniquitáti ad iniquitátem, ita nunc exhibéte membra vestra servíre justítiæ in sanctificatiónem. Cum enim servi essétis peccáti, líberi fuístis justítiæ. Quem ergo fructum habuístis tunc in illis, in quibus nunc erubéscitis? Nam finis illórum mors est. Nunc vero liberáti a peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem vero vitam ætérnam. Stipéndia enim peccáti, mors. Grátia autem Dei, vita ætérna, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 33, 12, et 6 Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 7, 15-21

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces: a frúctibus eórum cognoscétis eos. Numquid cólligunt de spinis uvas, aut de tríbulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus fácere: neque arbor mala bonos fructus fácere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur. Igitur ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cælórum: sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrábit in regnum cælórum.

Credo.

Offertorium Dan. 3, 40 Sicut in holocáustis aríetum et taurórum, et sicut in míllibus agnórum pínguium:

sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi: quia non est confúsio confidéntibus in te, Dómine.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benignus assúme: et, ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, præsta, quǽsumus; ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 30, 3 Inclína aurem tuam, accélera, ut erípias me.

Postcommunio

Repléti, Dómine, munéribus tuis: tríbue, quǽsumus; ut eórum et mundémur efféctu, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Octava post Pentecosten

Introitus Ps. 47, 10-11

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ: justítia plena est déxtera tua. ℣. Ps. ibid., 2 Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri. Suscépimus, Deus.

Oratio

Largíre nobis, quǽsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius, et agéndi: ut, qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 12-17

Fratres: Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi.

Graduale Ps. 30, 3 Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii, ut salvum me fácias. ℣. Ps. 70, 1 Deus, in te sperávi: Dómine, non confúndar in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 80, 2-3 Exsultáte Deo adjutóri nostro, jubiláte Deo Jacob: súmite psalmum jucúndum cum cíthara. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 16, 1-9

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum: et hic diffamátus est apud illum, quasi dissipásset bona ipsíus. Et vocávit illum, et ait illi: Quid hoc áudio de te? redde ratiónem villicatiónis tuæ: jam enim non póteris

villicáre. Ait autem víllicus intra se: Quid fáciam, quia dóminus meus aufert a me villicatiónem: fódere non váleo, mendicáre erubésco. Scio quid fáciam, ut, cum amótus fúero a villicatióne, recípiant me in domos suas. Convocátis ítaque síngulis debitóribus dómini sui, dicébat primo: Quantum debes dómino meo? At ille dixit: Centum cados ólei. Dixítque illi: Accipe cautiónem tuam: et sede cito, scribe quinquagínta. Deínde álii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros trítici. Ait illi: Accipe lítteras tuas, et scribe octogínta. Et laudávit dóminus víllicum iniquitátis, quia prudénter fecísset: quia fílii hujus sǽculi prudentióres fíliis lucis in generatióne sua sunt. Et ego vobis dico: fácite vobis amícos de mammóna iniquitátis: ut, cum defecéritis, recípiant vos in ætérna tabernácula. Credo.

Offertorium Ps. 17, 28 et 32 Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine, et óculos superbórum humiliábis: quóniam quis Deus præter te, Dómine?

Secreta

Deus, qui legálium differéntiam hostiárum, uníus sacrifícii perfectióne sanxísti: áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis, et pari benedictióne, sicut múnera Abel, sanctífica; ut quod sínguli obtulérunt ad majestátis tuæ honórem, cunctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 33, 9 Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beátus vir, qui sperat in eo.

Postcommunio

Tua nos, Dómine, medicinális operátio: et a nostris perversitátibus cleménter expédiat; et ad ea quæ sunt recta perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Nona post Pentecosten

Introitus Ps. 53, 6-7

Ecce Deus ádjuvat me, et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ: avérte mala inimícis meis, et in veritáte tua dispérde illos, protéctor meus, Dómine. ℣. Ps. ibid., 3 Deus, in nómine tuo salvum me fac: et in virtúte tua líbera me. ℣. Glória Patri. Ecce Deus.

Oratio

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium: et, ut peténtibus desideráta concédas; fac eos, quæ tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 10, 6-13

Fratres: Non simus concupiscéntes malórum, sicut et illi concupiérunt. Neque idolólatræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis: quemádmodum scriptum est: Sedit pópulus manducáre et bíbere, et surrexérunt lúdere. Neque fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, et cecidérunt una die viginti tria míllia. Neque tentémus Christum, sicut quidam

eórum tentavérunt, et a serpéntibus periérunt. Neque murmuravéritis, sicut quidam eórum murmuravérunt, et periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis: scripta sunt autem ad correptiónem nostram, in quos fines sæculórum devenérunt. Itaque qui se existimat stare, vídeat ne cadat. Tentátio vos non apprehéndat, nisi humána: fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potéstis, sed fáciet étiam cum tentatióne provéntum, ut possítis sustinére.

Graduale Ps. 8, 2 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cælos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 87, 2 Dómine, Deus salútis meæ: in die clamávi, et nocte coram te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 19, 41-47

In illo témpore: Cum appropinquáret Jesus Jerúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Quia vénient dies in te: et circúmdabunt te inimíci tui vallo, et circúmdabunt te: et coangustábunt te úndique: et ad terram prostérnent te, et fílios tuos, qui in te sunt, et non relínquent in te lápidem super lápidem: eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Et ingréssus in templum, cœpit ejícere vendéntes in illo, et eméntes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus oratiónis est. Vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et erat docens quotídie in templo.

Credo.

Offertorium Ps. 18, 9, 10, 11 et 12 Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda, et judícia ejus dulcióra super mel et favum: nam et servus tuus custódit ea.

Secreta

Súscipe múnera, quæsumus, Dómine, quæ tibi de tua largitáte deférimus: ut hæc sacrosáncta mystéria, grátiæ tuæ operánte virtúte, et præséntis nos vitæ conversatióne sanctíficent, et ad gáudia sempitérna perdúcant. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Matth. 6, 33 Primum quǽrite regnum Dei, et ómnia adjiciéntur vobis: dicit Dóminus.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium: ut cujus exséquimur actiónem, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima post Pentecosten

Introitus Ps. 54, 17, 18, 20 et 23

Cum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam, ab his, qui appropínquant mihi: et humiliávit eos qui est ante sæ-

cula, et manet in ætérnum: jacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, et exáudi me. ℣. Glória Patri. Cum clamárem.

Oratio

Deus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas: multíplica super nos misericórdiam tuam; ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 12, 2-11

Fratres: Scitis quóniam cum gentes essétis, ad simulácra muta prout ducebámini eúntes. Ideo notum vobis fácio, quod nemo in Spíritu Dei loquens, dicit anáthema Jesu. Et nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu Sancto. Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem Spíritus. Et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus. Et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii autem sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

Graduale Ps. 16, 8 et 2 Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me. ℣. De vultu tuo judícium meum pródeat: óculi tui vídeant æquitátem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 89, 1 Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 18, 9-14

In illo témpore: Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidébant tamquam justi, et aspernabántur céteros, parábolam istam: Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent: unus pharisǽus, et alter publicánus. Pharisǽus stans, hæc apud se orábat: Deus, grátias ago tibi, quia non sum sicut céteri hóminum: raptóres, injústi, adúlteri: velut étiam hic publicánus. Jejúno bis in sábbato: décimas do ómnium, quæ possídeo. Et publicánus, a longe stans, nolébat nec óculos ad cælum leváre: sed percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri. Dico vobis: descéndit hic justificátus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Credo.

Offertorium Ps. 24, 1-3 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur.

Secreta

Concéde nobis hæc, quǽsumus, Dómine, digne frequentáre mystéria: quia, quóties hujus hóstiæ commemorátio celebrátur, opus nostræ redemptiónis exercétur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 50, 21 Acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta, super altáre tuum, Dómine.

Postcommunio

Tui nobis, Dómine, commúnio sacraménti: et purificatiónem cónferat, et tríbuat unitátem. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Undecima post Pentecosten

Introitus Ps. 67, 1-7 et 36

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitáre facit unánimes in domo: ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ. ℣. Ps. ibid., 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Deus in loco.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ, et mérita súpplicum excédis et vota: effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 15, 1-10

Fratres: Notum vobis fácio Evangélium, quod prædicávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini: qua ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustra credidístis. Trádidi enim vobis in primis, quod et accépi: quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras: et quia sepúltus est, et quia resurréxit tértia die secúndum Scriptúras: et quia visus est Cephæ, et post hoc úndecim. Deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt. Deínde visus est Jacóbo, deínde Apóstolis ómnibus: novíssime autem ómnium tamquam abortívo, visus est et mihi. Ego enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit.

Graduale Ps. 27, 7 et 1 In Deo sperávit cor meum, et adjútus sum: et reflóruit caro mea, et ex voluntáte mea confitébor illi. ℣. Ad te, Dómine, clamávi: Deus meus, ne síleas, ne discédas a me.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 94, 1 Veníte, exsultémus Dómino: jubilémus Deo, salutári nostro. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 7, 31-37

In illo témpore: Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilǽæ, inter médios fines

Decapóleos. Et addúcunt ei surdum et mutum, et deprecabántur eum, ut impónat illi manum. Et apprehéndens eum de turba seórsum, misit dígitos suos in aurículas ejus: et éxspuens, tétigit linguam ejus: et suspíciens in cælum, ingémuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperíre. Et statim apértæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus, et loquebátur recte. Et præcépit illis, ne cui dícerent. Quanto autem eis præcipiébat, tanto magis plus prædicábant: et eo ámplius admirabántur, dicéntes: Bene ómnia fecit: et surdos fecit audíre, et mutos loqui.

Credo.

Offertorium Ps. 29, 2-3 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me: Dómine, clamávi ad te, et sanásti me.

Secreta

Tibi, Dómine, sacrifícia dicáta reddántur: quæ, sic ad honórem nóminis tui deferénda tribuísti; ut éadem remédia nostra fíeri præstáres. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Prov. 3, 9-10 Honóra Dóminum de tua substántia, et de primítiis frugum tuárum: et implebúntur hórrea tua saturitáte, et vino torculária redundábunt.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut quos divínis reparáre non désinis sacraméntis; tuis non destítuas benígnus auxíliis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Duodecima post Pentecosten

Introitus Ps. 69, 2-3

Deus, in adjutórium meum inténde: Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur et revereántur inimíci mei, qui quærunt ánimam meam. ℣. Ps. ibid., 4 Avertántur retrórsum, et erubéscant: qui cógitant mihi mala. ℣. Glória Patri. Deus in adjutórium.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur: tribue, quǽsumus, nobis: ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 3, 4-9

Fratres: Fidúciam talem habémus per Christum ad Deum: non quod sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est: qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti: non líttera, sed spíritu: líttera enim occídit, spíritus autem vivíficat. Quod si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória; ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysi, propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur: quómodo non magis ministrátio Spíritus erit in glória? Nam si ministrátio damnatiónis glória est: multo magis abúndat ministérium justítiæ in glória.

Graduale Ps. 33, 2-3 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti, et læténtur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 94, 3 Quóniam Deus magnus Dóminus; et rex magnus super omnem terram. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 10, 23-37

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Beáti óculi, qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt: et audíre quæ audítis, et non audiérunt. Et ecce quidam legisperítus surréxit, tentans illum, et dicens: Magíster, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodo legis? Ille respóndens, dixit: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex omni mente tua: et próximum tuum sicut teípsum. Dixítque illi: Recte respondísti: hoc fac, et vives. Ille autem volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Suscípiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto. Accídit autem, ut sacérdos quidam descénderet eádem via: et viso illo præterívit. Simíliter et levíta, cum esset secus locum, et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit secus eum: et videns eum, misericórdia motus est. Et apprópians, alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum et vinum: et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, et dedit stabulário, et ait: Curam illíus habe: et quodcúmque supererogáveris, ego cum redíero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuisse illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac simíliter.

Credo.

Offertorium Exodi 32, 11, 13 et 14 Precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui, et dixit: Quare, Dómine, irásceris in pópulo tuo? Parce iræ ánimæ tuæ: meménto Abraham, Isaac, et Jacob, quibus jurásti dare terram fluéntem lac et mel. Et placátus factus est Dóminus de malignitáte, quam dixit fácere pópulo suo.

Secreta

Réspice, quǽsumus, Dómine, nostram propítius servitútem: ut quod offérimus sit tibi munus accéptum; sitque nostræ fragilitátis subsídium. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 103, 13 et 14-15 De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra: ut edúcas panem de terra, et vinum lætíficet cor hóminis: ut exhiláret fáciem in óleo, et panis cor hóminis confírmet.

Postcommunio

Sentiámus, Dómine, quǽsumus, tui perceptióne sacraménti subsídium mentis et córporis: ut in utróque salváti; cæléstis remédii plenitúdine gloriémur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Domina Decima tertia post Pentecosten

Introitus Ps. 73, 20, 19 et 23

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum, et ánimas páuperum tuórum ne derelínquas in finem: exsúrge, Dómine, et júdica causam tuam, et ne obliviscáris voces quæréntium te. ℣. Ps. ibid., 1 Ut quid, Deus, repulísti in finem: irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Glória Patri. Réspice.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, da nobis fídei, spei et caritátis augméntum: et, ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 3, 16-22

Fratres: Abrahæ dictæ sunt promissiónes, et sémini ejus. Non dicit: Et semínibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico: testaméntum confirmátum a Deo, quæ post quadringéntos et trigínta annos facta est lex, non írritum facit ad evacuándam promissiónem. Nam si ex lege heréditas, jam non ex promissióne. Abrahæ autem per repromissiónem donávit Deus. Quid ígitur lex? Propter transgressiónes pósita est donec veníret semen, cui promíserat, ordináta per Angelos in manu mediatóris. Mediátor autem uníus non est: Deus autem unus est. Lex ergo advérsus promíssa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificáre, vere ex lege esset justítia. Sed conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Jesu Christi darétur credéntibus.

Graduale Ps. 73, 20, 19 et 22 Réspice, Dómine, in testaméntum tuum: et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. ℣. Exsúrge, Dómine, et júdica causam tuam: memor esto oppróbrii servórum tuórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 97, 1-2 Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit: notum fecit Dóminus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 17, 11-19

In illo témpore: Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilǽam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe; et levavérunt vocem dicéntes: Jesu præcéptor, miserére nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, osténdite vos sacerdótibus. Et factum est, dum irent, mundáti sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus est, regréssus est, cum

magna voce magnificans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias agens: et hic erat Samaritánus. Respóndens autem Jesus dixit: Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit.

Credo.

Offertorium Ps. 30, 15-16 In te sperávi, Dómine: dixi: Tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea.

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, propítius inténde, quas sacris altáribus exhibémus: ut, nobis indulgéntiam largiéndo, tuo nómini dent honórem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Sap. 16, 20 Panem de cælo dedísti nobis, Dómine, habéntem omne delectaméntum, et omnem sapórem suavitátis.

Postcommunio

Vivíficet nos, quǽsumus, Dómine, hujus participátio sacraménti, et páriter nobis expiatiónem tríbuat, et munímen. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima quarta post Pentecosten

Introitus Ps. 83, 10-11

Protéctor noster, áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui: quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia. ℣. Ps. ibid., 2-3 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri. Protéctor noster.

Oratio

Custódi, Dómine, quǽsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua: et quia sine te lábitur humána mortálitas; tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 5, 16-24

Fratres: Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem: hæc enim sibi ínvicem adversántur, ut non quæcúmque vultis, illa faciátis. Quod si spíritu dúcimini, non estis sub lege. Manifésta sunt autem ópera carnis, quæ sunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes, et his simília: quæ prædíco vobis, sicut prædíxi: quóniam, qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur. Fructus autem Spíritus est: cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Advérsus hujúsmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis.

Graduale Ps. 117, 8-9 Bonum est confídere in Dómino, quam confi-

dere in hómine. ℣. Bonum est speráre in Dómino, quam speráre in princípibus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 104, 1 Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 6, 24-33

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget: aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca: et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cæli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea: et Pater vester cæléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómodo crescunt: non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, módicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quǽrite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus: et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Credo.

Offertorium Ps. 33, 8-9 Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, et erípiet eos: gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus.

Secreta

Propitiáre, Dómine, pópulo tuo, propitiáre munéribus: ut hac oblatióne placátus; et indulgéntiam nobis tríbuas, et postuláta concédas. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Joann. 6, 52 Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis: ad redemptiónis ætérnæ, quǽsumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima quinta post Pentecosten

Introitus Ps. 85, 1 et 2-3

Inclína, Dómine, aurem tuam ad me, et exáudi me: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te: miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die. ℣. Ps. ibid., 4 Lætífica ánimam servi tui: quia ad te, Dómine, ánimam meam levávi. ℣. Glória Patri. Inclína, Dómine.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat: et quia sine te non potest salva consístere; tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 5, 25-26 et 6, 1-10

Fratres: Si spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is, qui catechizátur verbo, ei, qui se catechízat, in ómnibus bonis. Nolíte erráre: Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus: témpore enim suo metémus, non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad domésticos fídei.

Graduale Ps. 91, 2-3 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 56, 8 Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: cantábo et psallam tibi in glória mea. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 7, 11-16

In illo témpore: Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naim: et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ: et hæc vídua erat: et turba civitátis multa cum illa. Quam cum vidísset Dóminus, misericórdia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accéssit, et tétigit lóculum. (Hi autem, qui portábant, stetérunt). Et ait: Adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accépit autem omnes timor: et magnificábant Deum, dicéntes: Quia prophéta magnus surréxit in nobis: et quia Deus visitávit plebem suam.

Credo.

Offertorium Ps. 39, 2, 3 et 4 Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me: et exaudívit deprecatiónem meam: et immísit in os meum cánticum novum, hymnum Deo nostro.

Secreta

Concéde nobis, Dómine, quǽsumus: ut hæc hóstia salutáris, et nostrórum fiat purgátio delictó-

rum, et tuæ propitiátio pietátis. Per Dóminum.

Aliæ Secreta ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Joann. 6, 57 Qui mandúcat carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo: dicit Dóminus.

Postcommunio

Purificent semper et múniant tua sacraménta nos, Deus: et ad perpétuæ ducant salvatiónis efféctum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima sexta post Pentecosten

Introitus Ps. 85, 3 et 5

Miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: quia tu, Dómine, suávis ac mitis es, et copiósus in misericórdia ómnibus invocántibus te. ℣. Ps. ibid., 1 Inclína, Dómine, aurem tuam mihi, et exáudi me: quóniam inops, et pauper sum ego. ℣. Glória Patri. Miserére mihi.

Oratio

Tua nos, quǽsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur: ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 3, 13-21

Fratres: Obsecro vos, ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ est glória vestra. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 101, 16-17 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in majestáte sua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 110, 9 Redemptiónem misit Dóminus in pópulo suo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14, 1-11

In illo témpore: Cum intráret Jesus in domum cujúsdam príncipis pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et respóndens Jesus dixit ad legisperítos et pharisǽos, dicens: Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse vero apprehén-

sum sanávit eum, ac dimísit. Et respóndens ad illos, dixit: Cujus vestrum ásinus, aut bos in púteum cadet, et non contínuo éxtrahet illum die sábbati? Et non póterant ad hæc respondére illi. Dicébat autem et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco, ne forte honorátior te sit invitátus ab illo, et véniens is, qui te, et illum vocávit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco: ut, cum vénerit qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus: quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Credo.

Offertorium Ps. 39, 14 et 15 Dómine, in auxílium meum réspice: confundántur et revereántur, qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Secreta

Tua nos, Dómine, sacraménta custódiant: et contra diabólicos tueántur semper incúrsus. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 70, 16-17 et 18 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus: Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio

Mentes nostras et córpora possídeat, quæsumus, Dómine, doni cæléstis operátio: ut non noster sensus in nobis; sed júgiter ejus prævéniat efféctus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Domenica Decima septima post Pentecosten

Introitus Ps. 118, 137 et 124

Justus es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Justus es.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia: et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 4, 1-6

Fratres: Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus, et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis. Qui

est benedíctus in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 32, 12 et 6 Beáta gens, cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus, quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. ℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt: et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 113, 11 Qui timent Dóminum, sperent in eo: adjútor et protéctor eórum est. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 22, 34-46

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisǽi: et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota ánima tua, et in tota mente tua. Hoc est máximum et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: Díliges próximum tuum, sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérsa lex pendet, et prophétæ. Congregátis autem pharisǽis, interrogávit eos Jesus, dicens: Quid vobis vidétur de Christo? cujus fílius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quómodo ergo David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens: Dixit Dóminus Dómino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Si ergo David vocat eum Dóminum, quómodo fílius ejus est? Et nemo póterat ei respondére verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ámplius interrogáre.

Credo.

Offertorium Dan. 9, 17, 18 et 19 Orávi Deum meum ego Dániel, dicens: Exáudi, Dómine, preces servi tui: illúmina fáciem tuam super sanctuárium tuum: et propítius inténde pópulum istum, super quem invocátum est nomen tuum, Deus.

Secreta

Munda nos, quǽsumus, Dómine, sacrifícii præséntis efféctu: et pérfice miserátus in nobis, ut ejus mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 75, 12-13 Vovéte, et rédite Dómino Deo vestro omnes, qui in circúitu ejus affértis múnera: terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum: terríbili apud omnes reges terræ.

Postcommunio

Purífica, Dómine, quǽsumus, mentes nostras benígnus, et rénova cæléstibus sacraméntis: ut consequénter et córporum præsens páriter, et futúrum animárum capiámus auxílium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Feria Quarta

Quatuor Temporum Septembris

Introitus Ps. 80, 2, 3, 4 et 5

Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob: súmite psalmum jucúndum cum cíthara: cánite in inítio mensis tuba, quia præcéptum in Israël est, et judícium Deo Jacob. ℣. Ps. ibid., 6 Testimónium in Joseph pósuit illud

cum exíret de terra Ægýpti: linguam, quam non nóverat, audívit. ℣. Glória Patri. Exsultáte Deo.

Post Kýrie, eléison, omisso Dóminus vobíscum et Flectámus génua, immediate dicitur:

Orémus. Oratio

Misericórdiæ tuæ remédiis, quǽsumus, Dómine, fragílitas nostra subsístat: ut, quæ sua conditióne attéritur, tua cleméntia reparétur. Per Dóminum.

Léctio Amos Prophétæ.
Amos 9, 13-15

Hæc dicit Dóminus Deus: ecce dies véniunt: et comprehéndet arátor messórem, et calcátor uvæ mitténtem semen, et stillábunt montes dulcédinem, et omnes colles culti erunt. Et convértam captivitátem pópuli mei Israël, et ædificábunt civitátes desértas, et inhabitábunt: et plantábunt víneas, et bibent vinum eárum: et fácient hortos, et cómedent fructus eórum. Et plantábo eos super humum suam: et non evéllam eos ultra de terra sua, quam dedi eis: dicit Dóminus Deus tuus.

Graduale Ps. 112, 5-7 Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat: et humília réspicit in cælo, et in terra? ℣. Súscitans a terra ínopem, et de stércore érigens páuperem.

Hic dicitur: Dóminus vobíscum.

Orémus. Oratio

Præsta, quǽsumus, Dómine, famíliæ tuæ supplicánti: ut, dum a cibis corporálibus se ábstinet, a vítiis quoque mente jejúnet. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio libri Esdræ.
Neh. vel 2 Esdr. 8, 1-10

In diébus illis: Congregátus est omnis pópulus quasi vir unus ad platéam, quæ est ante portam aquárum: et dixérunt Esdræ scribæ, ut afférret librum legis Móysi, quam præcéperat Dóminus Israéli. Attulit ergo Esdras sacérdos legem coram multitúdine virórum et mulíerum, cunctísque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apérte in platéa, quæ erat ante portam aquárum, de mane usque ad médiam diem, in conspéctu virórum, et mulíerum, et sapiéntium: et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum. Stetit autem Esdras scriba super gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum. Et apéruit librum coram omni pópulo: super univérsum quippe pópulum eminébat: et cum aperuísset eum, stetit omnis pópulus. Et benedíxit Esdras Dómino Deo magno: et respóndit omnis pópulus: Amen, Amen: élevans manus suas: et incurváti sunt, et adoravérunt Deum proni in terram. Porro levítæ siléntium faciébant in pópulo ad audiéndam legem: pópulus autem stabat in gradu suo. Et legérunt in libro legis Dei distíncte, et apérte ad intelligéndum: et intellexérunt cum legerétur. Dixit autem Nehemías, et Esdras sacérdos et scriba, et levítæ interpretántes univérso pópulo: Dies sanctificátus est

Dómino Deo nostro, nolíte lugére, et nolíte flere. Et dixit eis: Ite, comédite pinguia, et bíbite mulsum, et míttite partes his, qui non præparavérunt sibi: quia sanctus dies Dómini est, et nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra.

Graduale Ps. 78, 9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequándo dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 9, 16-28

In illo témpore: Respóndens unus de turba, dixit ad Jesum: Magíster, áttuli fílium meum ad te, habéntem spíritum mutum: qui ubicúmque eum apprehénderit, allídit illum, et spumat, et stridet déntibus, et aréscit: et dixi discípulis tuis, ut ejícerent illum, et non potuérunt. Qui respóndens eis, dixit: O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero? quámdiu vos pátiar? Afférte illum ad me. Et attulérunt eum. Et cum vidísset eum, statim spíritus conturbávit illum: et elísus in terram, volutabátur spumans. Et interrogávit patrem ejus: Quantum témporis est, ex quo ei hoc áccidit? At ille ait: Ab infántia: et frequénter eum in ignem, et in aquas misit, ut eum pérderet. Sed si quid potes, ádjuva nos, misértus nostri. Jesus autem ait illi: Si potes crédere, ómnia possibília sunt credénti. Et contínuo exclámans pater púeri, cum lácrimis aiébat: Credo, Dómine: ádjuva incredulitátem meam. Et cum vidéret Jesus concurréntem turbam, comminátus est spirítui immúndo, dicens illi: Surde et mute spíritus, ego præcípio tibi, exi ab eo: et ámplius ne introëas in eum. Et exclámans, et multum discérpens eum, éxiit ab eo, et factus est sicut mórtuus, ita ut multi dícerent: Quia mórtuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevávit eum, et surréxit. Et cum introísset in domum, discípuli ejus secréto interrogábant eum: Quare nos non potúimus ejícere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne et jejúnio.

Offertorium Ps. 118, 47 et 48 Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora, mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra. 393.

Communio 2 Esdr. 8, 10 Comédite pinguia, et bíbite mulsum, et míttite partes his, qui non præparavérunt sibi: sanctus enim dies Dómini est, nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra.

Postcommunio

Suméntes, Dómine, dona cæléstia, supplíciter deprecámur: ut, quæ sédula servitúte donánte te gérimus, dignis sénsibus tuo múnere capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra. 393.

Feria Sexta
Quatuor Temporum Septembris

Introitus Ps. 104, 3-4

Lætétur cor quæréntium Dóminum: quǽrite Dóminum, et confirmámini: quǽrite fáciem ejus semper. ℣. Ps. ibid., 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Glória Patri. Lætétur.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Oséæ Prophétæ.
Oseæ 14, 2-10

Hæc dicit Dóminus Deus: Convértere Israël ad Dóminum Deum tuum: quóniam corruísti in iniquitáte tua. Tóllite vobíscum verba, et convertímini ad Dóminum et dícite ei: Omnem aufer iniquitátem, áccipe bonum: et reddémus vítulos labiórum nostrórum. Assur non salvábit nos, super equum non ascendémus, nec dicémus ultra: Dii nostri ópera mánuum nostrárum: quia ejus, qui in te est, miseréberis pupílli. Sanábo contritiónes eórum, díligam eos spontánee: quia avérsus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israël germinábit sicut lílium, et erúmpet radix ejus ut Líbani. Ibunt rami ejus, et erit quasi olíva glória ejus: et odor ejus ut Líbani. Converténtur sedéntes in umbra ejus: vivent trítico, et germinábunt quasi vínea: memoriále ejus sicut vinum Líbani. Ephraïm quid mihi ultra idóla? ego exáudiam, et dírigam eum ego ut abíetem viréntem: ex me fructus tuus invéntus est. Quis sápiens, et intélliget ista? intélligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Dómini, et justi ambulábunt in eis.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 7, 36-50

In illo témpore: Rogábat Jesum quidam de pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisǽi, discúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit, quod accubuísset in domo pharisǽi, áttulit alabástrum unguénti: et stans retro secus pedes ejus, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat. Videns autem pharisǽus, qui vocáverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset prophéta, sciret útique, quæ et qualis est múlier, quæ tangit eum: quia peccátrix est. Et respóndens Jesus, dixit ad illum: Simon, hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait: Magíster, dic. Duo debitóres erant cuídam fœneratóri: unus debébat denários quingéntos, et álius quinquagínta. Non habénti-

bus illis unde rédderent, donávit utrísque. Quis ergo eum plus díligit? Respóndens Simon, dixit: Æstimo quia is, cui plus donávit. At ille dixit ei: Recte judicásti. Et convérsus ad mulíerem, dixit Simóni: Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam, aquam pédibus meis non dedísti: hæc autem lácrimis rigávit pedes meos, et capíllis suis tersit. Osculum mihi non dedísti: hæc autem, ex quo intrávit, non cessávit osculári pedes meos. Oleo caput meum non unxísti: hæc autem unguénto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multum. Cui autem minus dimíttitur, minus díligit. Dixit autem ad illam: remittúntur tibi peccáta. Et cœpérunt, qui simul accumbébant, dícere intra se: Quis est hic, qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Offertorium Ps. 102, 2 et 5 Bénedic ánima mea Dómino, et noli oblivísci omnes retributiónes ejus: et renovábitur, sicut áquilæ, juvéntus tua.

Secreta

Accépta tibi sint, Dómine, quǽsumus, nostri dona jejúnii: quæ et expiándo nos tua grátia dignos effíciant, et ad sempitérna promíssa perdúcant. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Communio Ps. 118, 22 et 24 Aufer a me oppróbrium et contémptum, quia mandáta tua exquisívi, Dómine: nam et testimónia tua meditátio mea est.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Sabbato
Quatuor Temporum Septembris

Introitus Ps. 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum, et procidámus ante Dóminum, plorémus ante eum, qui fecit nos: quia ipse est Dóminus Deus noster. ℣. Ps. ibid., 1 Veníte, exsultémus Dómino: jubilémus Deo salutári nostro. ℣. Glória Patri. Veníte, adorémus Deum.

Post Kýrie, eléison, omisso Dóminus vobíscum et Flectámus génua, absolute dicitur:

Orémus. Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem corpóribus medéris et méntibus: majestátem tuam súpplices exorámus; ut pia jejunántium deprecatióne placátus, et præséntia nobis subsídia tríbuas, et futúra. Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.
Levit. 23, 26-32

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Décimo die mensis hujus séptimi, dies expiatiónum erit celebérrimus, et vocábitur sanctus: affligetísque ánimas vestras in eo, et offerétis holocáustum Dómino. Omne opus servíle non faciétis in témpore diéi hujus:

quia dies propitiatiónis est, ut propitiétur vobis Dóminus Deus vester. Omnis ánima, quæ afflicta non fúerit die hoc, períbit de pópulis suis: et quæ óperis quidquam fécerit, delébo eam de pópulo suo. Nihil ergo óperis faciétis in eo: legítimum sempitérnum erit vobis in cunctis generatiónibus, et habitatiónibus vestris. Sábbatum requietiónis est, et affligétis ánimas vestras die nono mensis: a véspera usque ad vésperam celebrábitis sábbata vestra: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 78, 9 et 10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Orémus. Oratio

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut jejunándo, tua grátia satiémur; et abstinéndo, cunctis efficiámur hóstibus fortióres. Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.
Levit. 23, 39-43

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: A quintodécimo die mensis séptimi, quando congregavéritis omnes fructus terræ vestræ, celebrábitis férias Dómini septem diébus: die primo et die octávo erit sábbatum, id est réquies. Sumetísque vobis die primo fructus árboris pulchérrimæ, spatulásque palmárum, et ramos ligni densárum fróndium, et sálices de torrénte, et lætabímini coram Dómino Deo vestro. Celebrabitísque solemnitátem ejus septem diébus per annum: legítimum sempitérnum erit in generatiónibus vestris. Mense séptimo festa celebrábitis, et habitábitis in umbráculis septem diébus. Omnis, qui de génere est Israël, manébit in tabernáculis; ut discant pósteri vestri, quod in tabernáculis habitáre fécerim fílios Israël, cum edúcerem eos de terra Ægýpti. Ego Dóminus Deus vester.

Graduale Ps. 83, 10 et 9 Protéctor noster áspice, Deus, et réspice super servos tuos. ℣. Dómine Deus virtútum, exáudi preces servórum tuórum.

Orémus. Oratio

Tuére, quǽsumus, Dómine, famíliam tuam: ut salútis ætérnæ remédia, quæ te inspiránte requírimus, te largiénte consequámur. Per Dóminum.

Léctio Michææ Prophétæ.
Mich. 7, 14, 16 et 18-20

Dómine Deus noster, pasce pópulum tuum in virga tua, gregem hereditátis tuæ, habitántes solos in saltu, juxta dies antíquos. Vidébunt gentes, et confundéntur super omni fortitúdine sua. Quis Deus símilis tui, qui aufers iniquitátem, et transis peccátum reliquiárum hereditátis tuæ? Non immíttet ultra furórem suum, quóniam volens misericórdiam est. Revertétur, et miserébitur nostri: depónet iniquitátes nostras, et projíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. Dabis veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurásti pátribus nostris a diébus antíquis: Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

Orémus. Oratio

Præsta, quǽsumus, Dómine, sic nos ab épulis abstinére carnálibus: ut a vítiis irruéntibus páriter jejunémus. Per Dóminum.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.
Zach. 8, 14-19

In diébus illis: Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Sicut cogitávi, ut afflígerem vos, cum ad iracúndiam provocássent patres vestri me, dicit Dóminus, et non sum misértus: sic convérsus cogitávi in diébus istis, ut benefáciam dómui Juda et Jerúsalem: nolíte timére. Hæc sunt ergo verba, quæ faciétis: Loquímini veritátem, unusquísque cum próximo suo: veritátem, et judícium pacis judicáte in portis vestris. Et unusquísque malum contra amícum suum ne cogitétis in córdibus vestris: et juraméntum mendax ne diligátis: ómnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dóminus. Et factum est verbum Dómini exercítuum ad me, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Jejúnium quarti, et jejúnium quinti, et jejúnium séptimi, et jejúnium décimi erit dómui Juda in gáudium, et lætítiam, et in solemnitátes præcláras: veritátem tantum, et pacem dilígite: dicit Dóminus exercítuum.

Graduale Ps. 140, 2 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Orémus. Oratio

Ut nobis, Dómine, tríbuis solémne tibi deférre jejúnium: sic nobis, quǽsumus, indulgéntiæ præsta subsídium. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 3, 47-51

In diébus illis: Angelus Dómini descéndit cum Azaría, et sóciis ejus in fornácem: et excússit flammam ignis de fornáce, et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem effundebátur super fornácem cúbitis quadragínta novem: et erúpit, et incéndit quos répérit juxta fornácem de Chaldǽis minístros regis, qui eam incendébant. Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, et glorificábant, et benedicébant Deum in fornáce, dicéntes:

Hic non respondetur Deo grátias.

Hymnus Dan. ibid., 52-56

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.
Et benedíctum nomen glóriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudábile, et gloriósum in sǽcula.
Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.
Benedíctus es super thronum sancto regni tui. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.
Benedíctus es super sceptrum divi-

nitátis tuæ. Et laudábilis et gloriósus in sǽcula.

Benedíctus es qui sedes super Chérubim, íntuens abýssos. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Benedíctus es qui ámbulas super pennas ventórum, et super undas maris. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Benedícant te omnes Angeli, et Sancti tui. Et laudent te, et glorificent in sǽcula.

Benedícant te cæli, terra, mare, et ómnia quæ in eis sunt. Et laudent te, et gloríficent in sǽcula.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Et laudábili, et glorióso in sǽcula.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sǽcula sæculórum. Amen. Et laudábili, et glorióso in sǽcula.

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Hic dicitur a Sacerdote in medio Altaris, verso ad populum: ℣. Dóminus vobíscum, sine Flectámus génua. Deinde:

Orémus. **Oratio**

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 9, 2-12

Fratres: Tabernáculum factum est primum, in quo erant candelábra, et mensa, et propósitio panum, quæ dícitur Sancta. Post velaméntum autem secúndum, tabernáculum, quod dícitur Sancta sanctórum: áureum habens thuríbulum, et arcam testaménti circumtéctam ex omni parte auro, in qua urna áurea habens manna, et virga Aaron, quæ frondúerat, et tábulæ testaménti, supérque eam erant Chérubim glóriæ obumbrántia propitiatórium: de quibus non est modo dicéndum per síngula. His vero ita compósitis; in prióri quidem tabernáculo semper introíbant sacerdótes, sacrificiórum offícia consummántes: in secúndo autem semel in anno solus póntifex, non sine sánguine, quem offert pro sua et pópuli ignorántia: hoc significánte Spíritu Sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo habénte statum. Quæ parábola est témporis instántis: juxta quam múnera, et hóstiæ offerúntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perféctum fácere serviéntem, solúmmodo in cibis, et in pótibus, et váriis baptismátibus, et justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis. Christus autem assistens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Tractus Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia

ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 13, 6-17

In illo témpore: Dicébat Jesus turbis hanc similitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invénit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres sunt ex quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac, et non invénio: succíde ergo illam: ut quid étiam terram óccupat? At ille respóndens, dicit illi: Dómine, dimítte illam et hoc anno, usque dum fódiam circa illam, et mittam stércora: et si quidem fécerit fructum: sin autem, in futúrum succídes eam. Erat autem docens in synagóga eórum sábbatis. Et ecce múlier, quæ habébat spíritum infirmitátis annis decem et octo: et erat inclináta, nec omníno póterat sursum respícere. Quam cum vidéret Jesus, vocávit eam ad se, et ait illi: Múlier, dimíssa es ab infirmitáte tua. Et impósuit illi manus, et conféstim erécta est, et glorificábat Deum. Respóndens autem archisynagógus, indignans quia sábbato curásset Jesus, dicébat turbæ: Sex dies sunt, in quibus opórtet operári: in his ergo veníte, et curámini, et non in die sábbati. Respóndens autem ad illum Dóminus, dixit: Hypócritæ, unusquísque vestrum sábbato non solvit bovem suum, aut ásinum a præsépio, et ducit adaquáre? Hanc autem fíliam Abrahæ, quam alligávit sátanas, ecce decem et octo annis, non opórtuit solvi a vínculo isto die sábbati? Et cum hæc díceret, erubescébant omnes adversárii ejus: et omnis pópulus gaudébat in univérsis, quæ glorióse fiébant ab eo.

Offertorium Ps. 87, 2-3 Dómine Deus salútis meæ, in die clamávi, et nocte coram te: intret orátio mea in conspécto tuo, Dómine.

Secreta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut óculis tuæ majestátis munus oblátum, et grátiam nobis devotiónis obtíneat, et efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Communio Levit. 23, 41 et 43 Mense séptimo festa celebrábitis, cum in tabernáculis habitáre fécerim fílios Israël, cum edúcerem eos de terra Ægýpti, ego Dóminus Deus vester.

Postcommunio

Perficiant in nobis, Dómine, quǽsumus, tua sacraménta quod cóntinent: ut, quæ nunc spécie gérimus, rerum veritáte capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima octava post Pentecosten

Introitus Eccli. 36, 18

Da pacem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur: exáudi preces servi tui, et plebis tuæ Israël. ℣. Ps. 121, 1 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Glória Patri. Da pacem.

Oratio

Dirigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio: quia tibi sine te plácere non póssumus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 1, 4-8

Fratres: Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quod in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntia: sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntus Dómini nostri Jesu Christi.

Graduale Ps. 121, 1 et 7 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 113, 1 In éxitu Israël de Ægýpto, domus Jacob de pópulo bárbaro. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 9, 1-8

In illo témpore: Ascéndens Jesus in navículam, transfretávit, et venit in civitátem suam. Et ecce offerébant ei paralýticum jacéntem in lecto. Et videns Jesus fidem illórum, dixit paralýtico: Confide, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et ecce quidam de scribis dixérunt intra se: Hic blasphémat. Et cum vidísset Jesus cogitatiónes eórum, dixit: Ut quid cogitátis mala in córdibus vestris? Quid est facílius dícere: Dimittúntur tibi peccáta tua; an dícere: Surge, et ámbula? Ut autem sciátis, quia Fílius hóminis habet potestátem in terra dimittěndi peccáta, tunc ait paralýtico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surréxit, et ábiit in domum suam. Vidéntes autem turbæ timuérunt, et glorificavérunt Deum, qui dedit potestátem talem homínibus.

Credo.

Offertorium Exodi 24, 4 et 5 Sanctificávit Móyses altáre Dómino, ófferens super illud holocáusta, et ímmolans víctimas: fecit sacrifícium vespertínum in odórem suavitátis Dómino Deo, in conspéctu filiórum Israël.

Secreta

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter deprecámur: ut hæc sancta quæ gérimus; et a prætéritis nos delíctis éxuant et futúris. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 95, 8-9 Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Postcommunio

Sanctificatiónibus tuis, omnípotens Deus: et vítia nostra curéntur, et remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima nona post Pentecosten

Introitus

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Salus pópuli.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde: ut mente et córpore páriter expedíti; quæ tua sunt, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 4, 23-28

Fratres: Renovámini spíritu mentis vestræ, et indúite novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia, et sanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mendácium, loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo: quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini, et nolíte peccáre: sol non óccidat super iracúndiam vestram. Nolíte locum dare diábolo: qui furabátur, jam non furétur; magis autem labóret, operándo mánibus suis, quod bonum est, ut hábeat unde tríbuat necessitátem patiénti.

Graduale Ps. 140, 2 Dirigátur orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Allelúja allelúja. ℣. Ps. 116, 1 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 22, 1-14

In illo témpore: Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et pharisǽis in parábolis, dicens: Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, et nolébant veníre. Iterum misit álios servos, dicens: Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, tauri mei et altília occísa sunt, et ómnia paráta: veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt: et abiérunt, álius in villam suam: álius vero ad negotiatiónem suam: réliqui vero tenuérunt servos ejus, et contuméliis afféctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est: et missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, et civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis: Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes, quos invenérunt, malos et bonos: et implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex, ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit.

Tunc dixit rex ministris: Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Credo.

Offertorium Ps. 137, 7 Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua.

Secreta

Deus, qui nos, per hujus sacrifícii veneránda commércia unius summæque divinitátis partícipes éfficis: præsta, quǽsumus; ut, sicut tuam cognóscimus veritátem, sic eam dignis móribus assequámur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 118, 4-5 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ, ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Postcommunio

Grátias tibi reférimus, Dómine, sacro múnere vegetáti: tuam misericórdiam deprecántes; ut dignos nos ejus participatióne perfícias. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima post Pentecosten

Introitus Dan. 3, 31, 29 et 35 Omnia, quæ fecísti nobis, Dómine, in vero judício fecísti, quia peccávimus tibi, et mandátis tuis non obedívimus: sed da glóriam nómini tuo, et fac nobíscum secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ. ℣. Ps. 105, 6 Peccávimus cum pátribus nostris: injúste égimus, iniquitátem fécimus. ℣. Glória Patri. Omnia.

Oratio

Largíre, quǽsumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus et pacem: ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, et secúra tibi mente desérviant. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 5, 15-21

Fratres: Vidéte quómodo caute ambulétis: non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes, rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt. Proptérea nolíte fíeri imprudéntes, sed intelligéntes, quæ sit volúntas Dei. Et nolíte inebriári vino, in quo est luxúria: sed implémini Spíritu Sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, cantántes, et psalléntes in córdibus vestris Dómino: grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. Subjécti ínvicem in timóre Christi.

Graduale Ps. 144, 15-16 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 116, 2 Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 4, 46-53

In illo témpore: Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Hic cum audísset, quia Jesus adveníret a Judǽa in Galilǽam, ábiit ad eum, et rogábat eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus: incipiébat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis. Dicit ad eum régulus: Dómine, descénde priúsquam moriátur fílius meus. Dicit ei Jesus: Vade, fílius tuus vivit. Crédidit homo sermóni, quem dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem eo descendénte, servi occurrérunt ei, et nuntiavérunt dicéntes, quia fílius ejus víveret. Interrogábat ergo horam ab eis, in qua mélius habúerit. Et dixérunt ei: Quia heri hora séptima relíquit eum febris. Cognóvit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Fílius tuus vivit: et crédidit ipse, et domus ejus tota.

Credo.

Offertorium Ps. 136, 1 Super flúmina Babylónis illic sédimus, et flévimus: dum recordarémur tui, Sion.

Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, quæ óculis tuæ majestátis offérimus, salutária nobis esse concéde. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 118, 49-50 Meménto verbi tui servo tuo, Dómine, in quo mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Postcommunio

Tua nos, Dómine, medicinális operátio, et a nostris perversitátibus cleménter expúrget, et tuis fáciat semper inhærére mandátis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima prima post Pentecosten

Introitus Esth. 13, 9 et 10-11

In voluntáte tua, Dómine, univérsa sunt pósita, et non est qui possit resístere voluntáti tuæ: tu enim fecísti ómnia, cælum et terram, et univérsa quæ cæli ámbitu continéntur: Dóminus universórum tu es. ℣. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. In voluntáte tua.

Oratio

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut a cunctis adversitátibus, te protegénte, sit líbera; et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 6, 10-17

Fratres: Confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem: sed advérsus príncipes, et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequi-

tiæ, in cæléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti loricam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere: et gáleam salútis assúmite: et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

Graduale Ps. 89, 1-2 Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie. ℣. Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis: a sǽculo, et usque in sǽculum tu es Deus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 124,1-2 Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 18, 23-35

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Assimilátum est regnum cælórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et cum cœpísset ratiónem pónere, oblátus est ei unus, qui debébat ei decem míllia talénta. Cum autem non habéret unde rédderet, jussit eum dóminus ejus venúmdari, et uxórem ejus, et fílios, et ómnia, quæ habébat, et reddi. Prócidens autem servus ille, orábat eum, dicens: Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Misértus autem dóminus servi illíus, dimísit eum, et débitum dimísit ei. Egréssus autem servus ille, invénit unum de consérvis suis, qui debébat ei centum denários: et tenens suffocábat eum, dicens: Redde quod debes. Et prócidens consérvus ejus, rogábat eum, dicens: Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Ille autem nóluit: sed ábiit, et misit eum in cárcerem donec rédderet débitum. Vidéntes autem consérvi ejus quæ fiébant, contristáti sunt valde: et venérunt, et narravérunt dómino suo ómnia, quae facta fúerant. Tunc vocávit illum dóminus suus: et ait illi: Serve nequam, omne débitum dimísi tibi, quóniam rogásti me: nonne ergo opórtuit et te miseréri consérvi tui, sicut et ego tui misértus sum? Et irátus dóminus ejus, trádidit eum tortóribus, quoadúsque rédderet univérsum débitum. Sic et Pater meus cæléstis fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris.

Credo.

Offertorium Job. 1 Vir erat in terra Hus, nómine Job: simplex et rectus, ac timens Deum: quem Satan pétiit, ut tentáret: et data est ei potéstas a Dómino in facultátes, et in carnem ejus: perdidítque omnem substántiam ipsíus, et fílios: carnem quoque ejus gravi úlcere vulnerávit.

Secreta

Cæléstem nobis prǽbeant hæc mystéria, quǽsumus, Dómine, medicínam et vítia nostri cordis expúrgent. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 118, 81, 84 et 86 In salutári tuo ánima mea, et in verbum tuum sperávi: quando fácies de persequéntibus me judícium? iníqui persecúti sunt me, ádjuva me, Dómine Deus meus.

Postcommunio

Ut sacris, Dómine, reddámur digni munéribus: fac nos, quǽsumus, tuis semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima secunda post Pentecosten

Introitus Ps. 129, 3-4

Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit? quia apud te propitiátio est, Deus Israël. ℣. Ps. Ibid., 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. ℣. Glória Patri. Si iniquitátes.

Oratio

Deus, refúgium nostrum, et virtus: adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis, et præsta; ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 1, 6-11

Fratres: Confídimus in Dómino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis: eo quod hábeam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne, et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, et in omni sensu: ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam et laudem Dei.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum! ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 22, 15-21

In illo témpore: Abeúntes pharisǽi consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et mittunt ei discípulos suos cum Herodiánis, dicéntes: Magíster, scimus quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, et non est tibi cura de áliquo: non enim réspicis persónam hóminum: dic ergo nobis quid tibi vidétur, licet censum dare Cǽsari, an non? Cógnita autem Jesus nequítia eórum, ait: Quid me tentátis, hypócritæ? Osténdite mihi numísma census. At illi obtulérunt ei denárium. Et ait illis Jesus: Cujus est imágo hæc, et superscríptio? Dicunt ei: Cǽsaris. Tunc ait illis: Réddite ergo quæ sunt Cǽsaris, Cǽsari; et quæ sunt Dei, Deo.

Credo.

Offertorium Esth. 14, 12-14 Recordáre mei, Dómine, omni potentátui dóminans: et da sermónem rectum in os meum, ut pláceant verba mea in conspéctu príncipum: et verte cor eórum in ódium repugnántium nobis: et eórum qui consséntiunt eis: nos autem líbera in manu tua, Deus noster in ætérnum.

Secreta

Súscipe, Dómine, propítius hóstias: quibus, et te placári voluísti, et nobis salútem poténti pietáte restítui. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 16, 6 Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Postcommunio

Immortalitátis alimóniam consecúti, quǽsumus, Dómine: ut, quod ore percépimus, pura mente sectémur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima tertia post Pentecosten

¶ Si hæc Dominica a superveniente Dominica ultima post Pentecosten impediatur, anticipatur Sabbato cum omnibus privilegiis occurrenti Dominicæ propriis, et in ea dicitur Glória in excélsis, Credo, Præfatio de Trinitate et Ite, missa est.

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Absólve, quǽsumus, Dómine, tuórum delícta populórum: ut a peccatórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Philipp. 3, 17-21; 4, 1-3

Fratres: Imitatóres mei estóte, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus: quorum Deus venter est: et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cælis est: unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subjícere sibi ómnia. Itaque, fratres mei caríssimi, et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea: sic state in Dómino, caríssimi. Evódiam rogo, et Sýntychen déprecor idípsum sápere in Dómino. Etiam rogo et te, germáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Cleménte, et céteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ.

Graduale Ps. 43, 8-6 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 146, 3 Qui sanat contrítos corde: et álligat contritiónes eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 9, 18-26

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, et adorábat eum, dicens: Dómine, fília mea modo defúncta est: sed veni, impóne manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus sequebátur eum, et discípuli ejus. Et ecce múlier, quæ sánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, accéssit retro, et tétigit fímbriam vestiménti ejus. Dicébat enim intra se: Si tetígero tantum vestiméntum ejus, salva ero. At Jesus convérsus, et videns eam, dixit: Confíde, fília, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est múlier ex illa hora. Et cum venísset Jesus in domum príncipis, et vidísset tibícines, et turbam tumultuántem, dicébat: Recédite: non est enim mórtua puélla, sed dormit. Et deridébant eum. Et cum ejécta esset turba, intrávit, et ténuit manum ejus. Et surréxit puélla. Et éxiit fama hæc in univérsam terram illam.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Da, miséricors Deus: ut hæc salutáris oblátio, et a própriis nos reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii: humíliter deprecántes: ut, quæ in tui commemoratióne nos fácere præcepísti, in nostræ profíciant infirmitátis auxílium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

¶ Si Dominicæ post Pentecosten fuerint plures quam XXIV, tunc post XXIII resumuntur Missæ Dominicarum, quæ superfuerunt post Epiphaniam, ut infra habentur, juxta ordinem qui in Rubricis invenitur. Et ultimo loco semper ponitur Missa Dominicæ XXIV, ut infra, 443.

Dominica Tertia
quæ superfuit post Epiphaniam

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice: atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 1, 9-14

Fratres: Non cessámus pro vobis orántes, et postulántes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intelléctu spiritáli: ut ambulétis digne Deo per ómnia placéntes: in omni ópere bono fructificántes, et crescéntes in sciéntia Dei: in omni virtúte confortáti secúndum poténtiam claritátis ejus in omni patiéntia, et longanimitáte cum gáudio, grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine: qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 8, 1-13

In illo témpore: Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo. Mundáre. Et conféstim mundáta est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, némini díxeris: sed vade, osténde te sacerdóti, et offer munus, quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Cum autem introísset Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens centúrio, ait: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: Vade, et vadit: et álii: Veni, et venit: et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus mirátus est, et sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum: Fílii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Jesus centúrioni: Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Pro nostræ servitútis augménto sacrifícium, Dómine, tibi laudis offérimus: ut, quod imméritis contulísti, propítius exsequáris. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Suméntes, Dómine, dona cæléstia: quæsumus, ut non nobis provenire ad judícium patiáris quod tuis fidélibus ad remédium providísti. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quarta
quæ superfuit post Epiphaniam

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13, 8-10

Fratres: Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam: Non adulterábis: Non occídes: Non furáberis: Non falsum testimónium dices: Non concupísces: et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. Diléctio próximi malúm non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja. allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 8, 23-27

In illo témpore: Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipse vero dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus, et suscitavérunt eum, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus. Et dicit eis Jesus: Quid tímidi estis, módicæ fídei? Tunc surgens, imperávit ventis et mari, et facta est tranquíllitas magna. Porro hómines miráti sunt, dicéntes: Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei?

Credo.

Secreta

Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicánda puríficet: et de die in diem ad cæléstis vitæ tránsferat actiónem. Per Dóminum.

Pro Octava Ssmi Corporis Christi
Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate, ratione Octavæ; sed, si Commemoratio Octavæ sit omittenda, dicitur Præfatio de Ssma Trinitate, juxta Rubricas.

Communio Ps. 12, 6 Cantábo Dómino, qui bona tríbuit mihi: et psallam nómini Dómini altíssimi.

Postcommunio

Sumptis munéribus sacris, quǽsumus, Dómine: ut cum frequentatióne mystérii, crescat nostræ salútis efféctus. Per Dóminum.

Pro Octava Ssmi Corporis Christi
Postcommunio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat: Qui vivis.

Sabbato
post Octavam Corporis Christi
Purissimi Cordis B. Mariæ V.

Introitus Ps. 44, 14-15

Omnis glória ejus fíliæ regis ab intus, in fímbriis áureis, circumamícta varietátibus: adducéntur regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Omnis glória.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui in Corde beátæ Maríæ Vírginis dignum Spíritus Sancti habitáculum præparásti: concéde propítius; ut ejúsdem puríssimi Cordis festivitátem devóta mente recoléntes, secúndum cor tuum vívere valeámus. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 8, 6-7

Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale Sap. 7, 25-26 Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. ℣. Cant. 6. 2 Ego diléctc meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 46-47 Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Allelúja.

In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Luc. 1, 46-48 Magníficat ánima mea Dóminum. ℣. Et exsul-

távit spiritus meus in Deo salutári meo. ℣. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

Tempore autem Paschali usque ad Vigiliam Ascensionis omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Sap. 7, 25-26 Nihil inquinátum in eam incúrrit: candor est lucis ætérnæ, et spéculum sine mácula Dei majestátis, et imágo bonitátis illíus. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 6, 2 Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 48-51

In illo témpore: Dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo.

Credo.

Offertorium Judith 15, 11 Quia fecísti viríliter, et confortátum est cor tuum, ídeo et manus Dómini confortávit te, et eris benedícta in ætérnum.

Secreta

Majestáti tuæ, Dómine, Agnum immaculátum offeréntes, quǽsumus: ut corda nostra ignis ille divínus accéndat; qui Cor beátæ Maríæ Vírginis ineffabíliter inflammávit. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio Cant. 2, 3 Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi, et fructus ejus dulcis gútturi meo.

Postcommunio

Divínis reficti munéribus te, Dómine, supplíciter exorámus: ut beátæ Maríæ Vírginis intercessióne, cujus puríssimi Cordis solémnia venerándo égimus, a præséntibus perículis liberáti, ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Dominica Tertia post Pentecosten

Introitus Ps. 24, 16 et 18

Réspice in me, et miserére mei quia únicus et pauper sum ego: vide humilitátem meam, et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea, Deus meus. ℣. Ps. ibid., 1.2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. Réspice in me.

Oratio

Deprecatiónem nostram, quǽsumus, Dómine, benígnus exáudi: et quibus supplicándi præstas afféctum, tríbue defensiónis auxílium. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli. 1 Petr. 5, 6-11

Caríssimi: Humiliámini sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis: omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte, et vigiláte: quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens círcuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide: sciéntes eámdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fíeri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit, solidabítque. Ipsi glória, et impérium in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 54, 23, 17 et 19 Jacta cogitátum tuum in Dómino: et ipse te enútriet. ℣. Dum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam ab his, qui appropínquant mihi.

Allelúja, allelúja. Ps. 20, 2 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: et super salutáre tuum exsultábit veheménter. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 15, 1-10

In illo témpore: Erant appropinquántes ad Jesum publicáni et peccatóres, ut audírent illum. Et murmurábant pharisǽi et scribæ, dicéntes: Quia hic peccatóres récipit, et mandúcat cum illis. Et ait ad illos parábolam istam, dicens: Quis ex vobis homo, qui habet centum oves: et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagintanóvem in desérto, et vadit ad illam, quæ períerat, donec invéniat eam? Et cum invénerit eam, impónit in húmeros suos gaudens: et véniens domum, cónvocat amícos et vicínos, dicens illis: Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat? Dico vobis, quod ita gáudium erit in cælo super uno peccatóre pœniténtiam agénte, quam super nonagintanóvem justis, qui non índigent pœniténtia. Aut quæ múlier habens drachmas decem, si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam, et evérrit domum, et quærit diligénter, donec invéniat? Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicínas, dicens: Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam? Ita dico vobis: gáudium erit coram Angelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agénte.

Credo.

Offertorium Ps. 9, 11-12 et 13 Sperent in te omnes, qui novérunt nomen tuum: quóniam non derelínquis quæréntes te, Dómine: psállite Dómino, qui hábitat in Sion: quóniam non est oblítus oratiónes páuperum.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica: ut nobis Unigéniti tui corpus et sanguis fiant. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 16, 6 Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quarta post Pentecosten

Introitus Ps. 26, 1 et 2

Dóminus illuminátio mea, et salus mea, quem timébo? Dóminus defénsor vitæ meæ, a quo trepidábo? qui tríbulant me inimíci mei, ipsi infirmáti sunt, et cecidérunt. ℣. Ps. ibid., 3 Si consístant advérsum me castra: non timébit cor meum. ℣. Glória Patri. Dóminus illuminátio mea.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine: ut et mundi cursus pacífice nobis tuo órdine dirigátur; et Ecclésia tua tranquílla devotióne lætétur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 18-23

Fratres: Exístimo, quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est, non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes, et ipsi intra nos gémimus, adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 78, 9 et 10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 70, 1-2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in tua justítia líbera me, et éripe me: inclína aurem tuam, accélera ut erípias me. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 5, 1-11

In illo témpore: Cum turbæ irrúerent in Jesum, ut audírent verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genésareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatóres autem descénderant, et lavábant rétia. Ascéndens autem in unam navim, quæ erat Simónis, rogávit eum a terra redúcere pusíllum. Et sedens docébat de navícula turbas. Ut cessávit autem loqui, dixit ad Simónem: Duc in altum, et laxáte rétia vestra in captúram. Et respóndens Simon, dixit illi: Præcéptor, per totam noctem laborántes, nihil cépimus: in verbo autem tuo laxábo rete. Et cum hoc fecíssent, conclusérunt píscium multitúdinem copiósam: rumpebátur autem rete eórum. Et annuérunt sóciis, qui erant in

ália navi, ut venírent, et adjuvárent eos. Et venérunt, et implevérunt ambas navículas, ita ut pene mergeréntur. Quod cum vidéret Simon Petrus, prócidit ad génua Jesu, dicens: Exi a me, quia homo peccátor sum, Dómine. Stupor enim circumdéderat eum, et omnes, qui cum illo erant, in captúra piscium, quam céperant: simíliter autem Jacóbum et Joánnem, fílios Zebedǽi, qui erant sócii Simónis. Et ait ad Simónem Jesus: Noli timére: ex hoc jam hómines eris cápiens. Et subdúctis ad terram návibus, relíctis ómnibus, secúti sunt eum.

Credo.

Offertorium Ps. 12, 4-5 Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte: ne quando dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum.

Secreta

Réspice, quǽsumus, Dómine, múnera supplicántis Ecclésiæ: et salúti credéntium perpétua sanctificatióne suménda concéde. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 17, 3 Dóminus firmaméntum meum, et refúgium meum, et liberátor meus: Deus meus, adjútor meus.

Postcommunio

Sancta tua, Dómine, nos sumpta vivíficent: et misericórdiæ sempitérnæ prǽparent expiátos. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quinta
post Pentecosten

Introitus Ps. 26, 7 et 9

Exáudi, Dómine, vocem meam, qua clamávi ad te: adjútor meus esto, ne derelínquas me, neque despícias me, Deus salutáris meus. ℣. Ps. ibid., 1 Dóminus, illuminátio mea, et salus mea, quem timébo? ℣. Glória Patri. Exáudi, Dómine.

Oratio

Deus, qui diligéntibus te bona invisibília præparásti: infúnde córdibus nostris tui amóris afféctum: ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, promissiónes tuas, quæ omne desidérium súperant, consequámur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli,
1 Petr. 3, 8-15

Caríssimi: Omnes unánimes in oratióne estóte, compatiéntes, fraternitátis amatóres, misericórdes, modésti, húmiles: non reddéntes malum pro malo, nec maledíctum pro maledícto, sed e contrário benedicéntes: quia in hoc vocáti estis, ut benedictiónem hereditáte possideátis. Qui enim vult vitam dilígere, et dies vidére bonos, coérceat linguam suam a malo, et lábia ejus ne loquántur dolum. Declínet a malo, et fáciat bonum: inquírat pacem, et sequátur eam. Quia óculi Dómini super justos, et aures ejus in preces eórum: vultus autem Dómini super faciéntes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis?

Sed et si quid patímini propter justítiam, beáti. Timórem autem eórum ne timuéritis: et non conturbémini. Dóminum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

Graduale Ps. 83, 10 et 9 Protéctor noster áspice, Deus, et réspice super servos tuos. ℣. Dómine Deus virtútum, exáudi preces servórum tuórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 46, 2 Omnes gentes, pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 20-24

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi abundáverit justítia vestra plus quam scribárum et pharisæórum, non intrábitis in regnum cælórum. Audístis, quia dictum est antíquis: Non occídes: qui autem occíderit, reus erit judício. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui iráscitur fratri suo, reus erit judício. Qui autem díxerit fratri suo, raca: reus erit concílio. Qui autem díxerit, fátue: reus erit gehénnæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altáre, et ibi recordátus fúeris, quia frater tuus habet áliquid advérsum te: relínque ibi munus tuum ante altáre, et vade prius reconciliári fratri tuo: et tunc véniens ófferes munus tuum. Credo.

Offertorium Ps. 15, 7 et 8 Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: providébam Deum in conspéctu meo semper: quóniam a dextris est mihi, ne commóvear.

Secreta

Oblatiónibus, quǽsumus, Dómine, placáre suscéptis: et ad te nostras étiam rebélles compélle propítius voluntátes. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 26, 4 Unam pétii a Dómino, hanc requíram: ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ.

Postcommunio

Mystéria nos, quǽsumus, Dómine, sumpta puríficent: et suo múnere tueántur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Sexta post Pentecosten

Introitus Ps. 27, 8-9

Dóminus fortitúdo plebis suæ, et protéctor salutárium Christi sui est: salvum fac pópulum tuum, Dómine, et bénedic hereditáti tuæ, et rege eos, usque in sǽculum. ℣. Ps. ibid., 1 Ad te, Dómine, clamábo, Deus meus, ne síleas a me: ne quando táceas a me, et assimilábor descendéntibus in lacum. ℣. Glória Patri. Dóminus fortitúdo.

Oratio

Deus virtútum, cujus est totum quod est óptimum: ínsere pectóribus nostris amórem tui nóminis, et præsta in nobis religiónis augméntum; ut, quæ sunt bona, nútrias, ac pietátis stúdio, quæ sunt nutríta, custódias. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 6, 3-11

Fratres: Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsíus baptizáti sumus. Consepúlti enim sumus cum illo per baptísmum in mortem: ut quómodo Christus surréxit a mórtuis per glóriam Patris, ita et nos in novitáte vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus: simul et resurrectiónis érimus. Hoc sciéntes, quia vetus homo noster simul crucifíxus est: ut destruátur corpus peccáti et ultra non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est a peccáto. Si autem mórtui sumus cum Christo: crédimus quia simul étiam vivémus cum Christo: sciéntes quod Christus resúrgens ex mórtuis, jam non móritur, mors illi ultra non dominábitur. Quod enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo. Ita et vos existimáte, vos mórtuos quidem esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

Allelúja, allelúja, ℣. Ps. 64, 2 Te decet hymnus, Deus, in Sion: et tibi reddétur votum in Jerúsalem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 8, 1-9

In illo témpore: Cum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis: Miséreor super turbam: quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent: et si dimísero eos jejúnos in domum suam, defícient in via: quidam enim ex eis de longe venérunt. Et respondérunt ei discípuli sui: Unde illos quis póterit hic saturáre pánibus in solitúdine? Et interrogávit eos: Quot panes habétis? Qui dixérunt: Septem. Et præcépit turbæ discúmbere super terram. Et accípiens septem panes, grátias agens fregit, et dabat discípulis suis, ut appónerent, et apposuérunt turbæ. Et habébant piscículos paucos: et ipsos benedíxit, et jussit appóni. Et manducavérunt, et saturáti sunt, et sustulérunt quod superáverat de fragméntis, septem sportas. Erant autem qui manducáverant, quasi quátuor míllia: et dimísit eos.

Credo.

Offertorium Ps. 16, 5 et 6-7 Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea: mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te, Dómine.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris: et has oblatiónes famulórum famularúmque tuárum benígnus assúme; ut, quod sínguli obtulérunt ad honórem nóminis tui, cunctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 26, 6 Circuíbo, et immolábo in tabernáculo ejus hó-

stiam jubilatiónis: cantábo, et psalmum dicam Dómino.

Postcommunio

Quos cæléstis, Dómine, dono satiásti: præsta, quǽsumus; ut a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Septima post Pentecosten

Introitus Ps. 46, 2

Omnes gentes, pláudite mánibus: jubiláte Deo in voce exsultatiónis. ℣. Ps. ibid., 4 Subjécit pópulos nobis: et gentes sub pédibus nostris. ℣. Glória Patri. Omnes gentes.

Oratio

Deus, cujus providéntia in sui dispositióne non fállitur: te súpplices exorámus; ut nóxia cuncta submóveas, et ómnia nobis profutúra concédas. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 6, 19-23

Fratres: Humánum dico, propter infirmitátem carnis vestræ: sicut enim exhibuístis membra vestra servíre immundítiæ, et iniquitáti ad iniquitátem, ita nunc exhibéte membra vestra servíre justítiæ in sanctificatiónem. Cum enim servi essétis peccáti, líberi fuístis justítiæ. Quem ergo fructum habuístis tunc in illis, in quibus nunc erubéscitis? Nam finis illórum mors est. Nunc vero liberáti a peccáto, servi autem facti Deo, habétis fructum vestrum in sanctificatiónem, finem vero vitam ætérnam. Stipéndia enim peccáti, mors. Grátia autem Dei, vita ætérna, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 33, 12, et 6 Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 7, 15-21

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a falsis prophétis, qui véniunt ad vos in vestiméntis óvium, intrínsecus autem sunt lupi rapáces: a frúctibus eórum cognoscétis eos. Numquid cólligunt de spinis uvas, aut de tríbulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus fácere: neque arbor mala bonos fructus fácere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidétur, et in ignem mittétur. Igitur ex frúctibus eórum cognoscétis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Dómine, Dómine, intrábit in regnum cælórum: sed qui facit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrábit in regnum cælórum.

Credo.

Offertorium Dan. 3, 40 Sicut in holocáustis aríetum et taurórum, et sicut in míllibus agnórum pínguium:

sic fiat sacrificium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi: quia non est confúsio confidéntibus in te, Dómine.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes pópuli tui benignus assúme: et, ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, præsta, quǽsumus; ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 30, 3 Inclína aurem tuam, accélera, ut erípias me.

Postcommunio

Repléti, Dómine, munéribus tuis: tríbue, quǽsumus; ut eórum et mundémur efféctu, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Octava post Pentecosten

Introitus Ps. 47, 10-11

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ: justítia plena est déxtera tua. ℣. Ps. ibid., 2 Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri. Suscépimus, Deus.

Oratio

Largíre nobis, quǽsumus, Dómine, semper spíritum cogitándi quæ recta sunt, propítius, et agéndi: ut, qui sine te esse non póssumus, secúndum te vívere valeámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 12-17

Fratres: Debitóres sumus non carni, ut secúndum carnem vivámus. Si enim secúndum carnem vixéritis, moriémini: si autem spíritu facta carnis mortificavéritis, vivétis. Quicúmque enim spíritu Dei agúntur, ii sunt fílii Dei. Non enim accepístis spíritum servitútis íterum in timóre, sed accepístis spíritum adoptiónis filiórum, in quo clamámus: Abba (Pater). Ipse enim Spíritus testimónium reddit spirítui nostro, quod sumus fílii Dei. Si autem fílii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi.

Graduale Ps. 30, 3 Esto mihi in Deum protectórem, et in locum refúgii, ut salvum me fácias. ℣. Ps. 70, 1 Deus, in te sperávi: Dómine, non confúndar in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 80, 2-3 Exsultáte Deo adjutóri nostro, jubiláte Deo Jacob: súmite psalmum jucúndum cum cíthara. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 16, 1-9

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam erat dives, qui habébat víllicum: et hic diffamátus est apud illum, quasi dissipásset bona ipsíus. Et vocávit illum, et ait illi: Quid hoc áudio de te? redde ratiónem villicatiónis tuæ: jam enim non póteris

villicáre. Ait autem víllicus intra se: Quid fáciam, quia dóminus meus aufert a me villicatiónem: fódere non váleo, mendicáre erubésco. Scio quid fáciam, ut, cum amótus fúero a villicatióne, recípiant me in domos suas. Convocátis ítaque síngulis debitóribus dómini sui, dicébat primo: Quantum debes dómino meo? At ille dixit: Centum cados ólei. Dixítque illi: Accipe cautiónem tuam: et sede cito, scribe quinquagínta. Deínde álii dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: Centum coros trítici. Ait illi: Accipe lítteras tuas, et scribe octogínta. Et laudávit dóminus víllicum iniquitátis, quia prudénter fecísset: quia fílii hujus sǽculi prudentióres fíliis lucis in generatióne sua sunt. Et ego vobis dico: fácite vobis amícos de mammóna iniquitátis: ut, cum defecéritis, recípiant vos in ætérna tabernácula. Credo.

Offertorium Ps. 17, 28 et 32 Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine, et óculos superbórum humiliábis: quóniam quis Deus præter te, Dómine?

Secreta

Deus, qui legálium differéntiam hostiárum, uníus sacrifícii perfectióne sanxísti: áccipe sacrifícium a devótis tibi fámulis, et pari benedictióne, sicut múnera Abel, sanctífica; ut quod sínguli obtulérunt ad majestátis tuæ honórem, cunctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 33, 9 Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: beátus vir, qui sperat in eo.

Postcommunio

Tua nos, Dómine, medicinális operátio: et a nostris perversitátibus cleménter expédiat; et ad ea quæ sunt recta perdúcat. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Nona post Pentecosten

Introitus Ps. 53, 6-7

Ecce Deus ádjuvat me, et Dóminus suscéptor est ánimæ meæ: avérte mala inimícis meis, et in veritáte tua dispérde illos, protéctor meus, Dómine. ℣. Ps. ibid., 3 Deus, in nómine tuo salvum me fac: et in virtúte tua líbera me. ℣. Glória Patri. Ecce Deus.

Oratio

Páteant aures misericórdiæ tuæ, Dómine, précibus supplicántium: et, ut peténtibus desideráta concédas; fac eos, quæ tibi sunt plácita, postuláre. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 10, 6-13

Fratres: Non simus concupiscéntes malórum, sicut et illi concupiérunt. Neque idolólatræ efficiámini, sicut quidam ex ipsis: quemádmodum scriptum est: Sedit pópulus manducáre et bíbere, et surrexérunt lúdere. Neque fornicémur, sicut quidam ex ipsis fornicáti sunt, et cecidérunt una die vigínti tria míllia. Neque tentémus Christum, sicut quidam

eórum tentavérunt, et a serpéntibus periérunt. Neque murmuravéritis, sicut quidam eórum murmuravérunt, et periérunt ab exterminatóre. Hæc autem ómnia in figúra contingébant illis: scripta sunt autem ad correptiónem nostram, in quos fines sæculórum devenérunt. Itaque qui se existimat stare, vídeat ne cadat. Tentátio vos non apprehéndat, nisi humána: fidélis autem Deus est, qui non patiétur vos tentári supra id quod potéstis, sed fáciet étiam cum tentatióne provéntum, ut possítis sustinére.

Graduale Ps. 8, 2 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Quóniam eleváta est magnificéntia tua super cælos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 87, 2 Dómine, Deus salútis meæ: in die clamávi, et nocte coram te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 19, 41-47

In illo témpore: Cum appropinquáret Jesus Jerúsalem, videns civitátem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovísses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abscóndita sunt ab óculis tuis. Quia vénient dies in te: et circúmdabunt te inimíci tui vallo, et circúmdabunt te: et coangustábunt te úndique: et ad terram prostérnent te, et fílios tuos, qui in te sunt, et non relínquent in te lápidem super lápidem: eo quod non cognóveris tempus visitatiónis tuæ. Et ingréssus in templum, cæpit ejícere vendéntes in illo, et eméntes, dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus oratiónis est. Vos autem fecístis illam spelúncam latrónum. Et erat docens quotídie in templo.

Credo.

Offertorium Ps. 18, 9, 10, 11 et 12 Justítiæ Dómini rectæ, lætificántes corda, et judícia ejus dulcióra super mel et favum: nam et servus tuus custódit ea.

Secreta

Súscipe múnera, quæsumus, Dómine, quæ tibi de tua largitáte deférimus: ut hæc sacrosáncta mystéria, grátiæ tuæ operánte virtúte, et præséntis nos vitæ conversatióne sanctíficent, et ad gáudia sempitérna perdúcant. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Matth. 6, 33 Primum quærite regnum Dei, et ómnia adjiciéntur vobis: dicit Dóminus.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium: ut cujus exséquimur actiónem, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima post Pentecosten

Introitus Ps. 54, 17, 18, 20 et 23

Cum clamárem ad Dóminum, exaudívit vocem meam, ab his, qui appropínquant mihi: et humiliávit eos qui est ante sæ-

cula, et manet in ætérnum: jacta cogitátum tuum in Dómino, et ipse te enútriet. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam, et ne despéxeris deprecatiónem meam: inténde mihi, et exáudi me. ℣. Glória Patri. Cum clamárem.

Oratio

Deus, qui omnipoténtiam tuam parcéndo máxime et miserándo maniféstas: multíplica super nos misericórdiam tuam; ut ad tua promíssa curréntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 12, 2-11

Fratres: Scitis quóniam cum gentes essétis, ad simulácra muta prout ducebámini eúntes. Ideo notum vobis fácio, quod nemo in Spíritu Dei loquens, dicit anáthema Jesu. Et nemo potest dícere, Dóminus Jesus, nisi in Spíritu Sancto. Divisiónes vero gratiárum sunt, idem autem Spíritus. Et divisiónes ministratiónum sunt, idem autem Dóminus. Et divisiónes operatiónum sunt, idem vero Deus, qui operátur ómnia in ómnibus. Unicuíque autem datur manifestátio Spíritus ad utilitátem. Alii quidem per Spíritum datur sermo sapiéntiæ: álii autem sermo sciéntiæ secúndum eúmdem Spíritum: álteri fides in eódem Spíritu: álii grátia sanitátum in uno Spíritu: álii operátio virtútum, álii prophetía, álii discrétio spirítuum, álii génera linguárum, álii interpretátio sermónum. Hæc autem ómnia operátur unus atque idem Spíritus, dívidens síngulis prout vult.

Graduale Ps. 16, 8 et 2 Custódi me, Dómine, ut pupíllam óculi: sub umbra alárum tuárum prótege me. ℣. De vultu tuo judícium meum pródeat: óculi tui vídeant æquitátem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 89, 1 Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 18, 9-14

In illo témpore: Dixit Jesus ad quosdam, qui in se confidébant tamquam justi, et aspernabántur céteros, parábolam istam: Duo hómines ascendérunt in templum ut orárent: unus pharisæus, et alter publicánus. Pharisæus stans, hæc apud se orábat: Deus, grátias ago tibi, quia non sum sicut céteri hóminum: raptóres, injústi, adúlteri: velut étiam hic publicánus. Jejúno bis in sábbato: décimas do ómnium, quæ possídeo. Et publicánus, a longe stans, nolébat nec óculos ad cælum leváre: sed percutiébat pectus suum, dicens: Deus, propítius esto mihi peccatóri. Dico vobis: descéndit hic justificátus in domum suam ab illo: quia omnis qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Credo.

Offertorium Ps. 24, 1-3 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei: étenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur.

Secreta

Concéde nobis hæc, quǽsumus, Dómine, digne frequentáre mystéria: quia, quóties hujus hóstiæ commemorátio celebrátur, opus nostræ redemptiónis exercétur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 50, 21 Acceptábis sacrifícium justítiæ, oblatiónes, et holocáusta, super altáre tuum, Dómine.

Postcommunio

Tui nobis, Dómine, commúnio sacraménti: et purificatiónem cónferat, et tríbuat unitátem. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Undecima
post Pentecosten

Introitus Ps. 67, 1-7 et 36

Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitáre facit unánimes in domo: ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ. ℣. Ps. ibid., 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Deus in loco.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui abundántia pietátis tuæ, et mérita súpplicum excédis et vota: effúnde super nos misericórdiam tuam; ut dimíttas quæ consciéntia métuit, et adjícias quod orátio non præsúmit. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 15, 1-10

Fratres: Notum vobis fácio Evangélium, quod prædicávi vobis, quod et accepístis, in quo et statis, per quod et salvámini: qua ratióne prædicáverim vobis, si tenétis, nisi frustra credidístis. Trádidi enim vobis in primis, quod et accépi: quóniam Christus mórtuus est pro peccátis nostris secúndum Scriptúras: et quia sepúltus est, et quia resurréxit tértia die secúndum Scriptúras: et quia visus est Cephæ, et post hoc úndecim. Deínde visus est plus quam quingéntis frátribus simul, ex quibus multi manent usque adhuc, quidam autem dormiérunt. Deínde visus est Jacóbo, deínde Apóstolis ómnibus: novíssime autem ómnium tamquam abortívo, visus est et mihi. Ego enim sum mínimus Apostolórum, qui non sum dignus vocári Apóstolus, quóniam persecútus sum Ecclésiam Dei. Grátia autem Dei sum id quod sum, et grátia ejus in me vácua non fuit.

Graduale Ps. 27, 7 et 1 In Deo sperávit cor meum, et adjútus sum: et reflóruit caro mea, et ex voluntáte mea confitébor illi. ℣. Ad te, Dómine, clamávi: Deus meus, ne síleas, ne discédas a me.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 94, 1 Veníte, exsultémus Dómino: jubilémus Deo, salutári nostro. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 7, 31-37

In illo témpore: Exiens Jesus de fínibus Tyri, venit per Sidónem ad mare Galilǽæ, inter médios fines

Decapóleos. Et addúcunt ei surdum et mutum, et deprecabántur eum, ut impónat illi manum. Et apprehéndens eum de turba seórsum, misit digitos suos in aurículas ejus: et éxspuens, tétigit linguam ejus: et suspíciens in cælum, ingémuit, et ait illi: Ephphetha, quod est adaperire. Et statim apértæ sunt aures ejus, et solútum est vínculum linguæ ejus, et loquebátur recte. Et præcépit illis, ne cui dícerent. Quanto autem eis præcipiébat, tanto magis plus prædicábant: et eo ámplius admirabántur, dicéntes: Bene ómnia fecit: et surdos fecit audíre, et mutos loqui.

Credo.

Offertorium Ps. 29, 2-3 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me: Dómine, clamávi ad te, et sanásti me.

Secreta

Tibi, Dómine, sacrifícia dicáta reddántur: quæ, sic ad honórem nóminis tui deferénda tribuísti; ut éadem remédia nostra fíeri præstáres. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Prov. 3, 9-10 Honóra Dóminum de tua substántia, et de primítiis frugum tuárum: et implebúntur hórrea tua saturitáte, et vino torculária redundábunt.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut quos divínis reparáre non désinis sacraméntis; tuis non destítuas benígnus auxíliis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Duodecima post Pentecosten

Introitus Ps. 69, 2-3

Deus, in adjutórium meum inténde: Dómine, ad adjuvándum me festína: confundántur et revereántur inimíci mei, qui quærunt ánimam meam. ℣. Ps. ibid., 4 Avertántur retrórsum, et erubéscant: qui cógitant mihi mala. ℣. Glória Patri. Deus in adjutórium.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, de cujus múnere venit, ut tibi a fidélibus tuis digne et laudabíliter serviátur: tríbue, quǽsumus, nobis: ut ad promissiónes tuas sine offensióne currámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 3, 4-9

Fratres: Fidúciam talem habémus per Christum ad Deum: non quod sufficiéntes simus cogitáre áliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficiéntia nostra ex Deo est: qui et idóneos nos fecit minístros novi testaménti: non líttera, sed spíritu: líttera enim occídit, spíritus autem vivíficat. Quod si ministrátio mortis, lítteris deformáta in lapídibus, fuit in glória; ita ut non possent inténdere fílii Israël in fáciem Móysi, propter glóriam vultus ejus, quæ evacuátur: quómodo non magis ministrátio Spíritus erit in glória? Nam si ministrátio damnatiónis glória est: multo magis abúndat ministérium justítiæ in glória.

Graduale Ps. 33, 2-3 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. In Dómino laudábitur ánima mea: áudiant mansuéti, et læténtur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 94, 3 Quóniam Deus magnus Dóminus; et rex magnus super omnem terram. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 10, 23-37

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Beáti óculi, qui vident quæ vos vidétis. Dico enim vobis, quod multi prophétæ et reges voluérunt vidére quæ vos vidétis, et non vidérunt: et audíre quæ audítis, et non audiérunt. Et ecce quidam legisperítus surréxit, tentans illum, et dicens: Magíster, quid faciéndo vitam ætérnam possidébo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quómodo legis? Ille respóndens, dixit: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota ánima tua, et ex ómnibus víribus tuis, et ex omni mente tua: et próximum tuum sicut teípsum. Dixítque illi: Recte respondísti: hoc fac, et vives. Ille autem volens justificáre seípsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus próximus? Suscípiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendébat ab Jerúsalem in Jéricho, et íncidit in latrónes, qui étiam despoliavérunt eum: et plagis impósitis abiérunt, semivívo relícto. Accídit autem, ut sacérdos quidam descénderet eádem via: et viso illo præterívit. Simíliter et levíta, cum esset secus locum, et vidéret eum, pertránsiit. Samaritánus autem quidam iter fáciens, venit secus eum: et videns eum, misericórdia motus est. Et apprópians, alligávit vúlnera ejus, infúndens óleum et vinum: et impónens illum in juméntum suum, duxit in stábulum, et curam ejus egit. Et áltera die prótulit duos denários, et dedit stabulário, et ait: Curam illíus habe: et quodcúmque supererogáveris, ego cum redíero, reddam tibi. Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse illi, qui íncidit in latrónes? At ille dixit: Qui fecit misericórdiam in illum. Et ait illi Jesus: Vade, et tu fac simíliter.

Credo.

Offertorium Exodi 32, 11, 13 et 14 Precátus est Móyses in conspéctu Dómini Dei sui, et dixit: Quare, Dómine, irásceris in pópulo tuo? Parce iræ ánimæ tuæ: meménto Abraham, Isaac, et Jacob, quibus jurásti dare terram fluéntem lac et mel. Et placátus factus est Dóminus de malignitáte, quam dixit fácere pópulo suo.

Secreta

Réspice, quǽsumus, Dómine, nostram propítius servitútem: ut quod offérimus sit tibi munus accéptum; sitque nostræ fragilitátis subsídium. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 103, 13 et 14-15 De fructu óperum tuórum, Dómine, satiábitur terra: ut edúcas panem de terra, et vinum lætíficet cor hóminis: ut exhiláret fáciem in óleo, et panis cor hóminis confírmet.

Postcommunio

Sentiámus, Dómine, quǽsumus, tui perceptióne sacraménti subsídium mentis et córporis: ut in utróque salváti; cæléstis remédii plenitúdine gloriémur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Domina Decima tertia post Pentecosten

Introitus Ps. 73, 20, 19 et 23

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum, et ánimas páuperum tuórum ne derelínquas in finem: exsúrge, Dómine, et júdica causam tuam, et ne obliviscáris voces quæréntium te. ℣. Ps. ibid., 1 Ut quid, Deus, repulísti in finem: irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Glória Patri. Réspice.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, da nobis fídei, spei et caritátis augméntum: et, ut mereámur ássequi quod promíttis, fac nos amáre quod præcipis. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 3, 16-22

Fratres: Abrahæ dictæ sunt promissiónes, et sémini ejus. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis; sed quasi in uno: Et sémini tuo, qui est Christus. Hoc autem dico: testaméntum confirmátum a Deo, quæ post quadringéntos et trigínta annos facta est lex, non írritum facit ad evacuándam promissiónem. Nam si ex lege heréditas, jam non ex promissióne. Abrahæ autem per repromissiónem donávit Deus. Quid ígitur lex? Propter transgressiónes pósita est donec veníret semen, cui promíserat, ordináta per Angelos in manu mediatóris. Mediátor autem unius non est: Deus autem unus est. Lex ergo advérsus promíssa Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset vivificáre, vere ex lege esset justítia. Sed conclúsit Scriptúra ómnia sub peccáto, ut promíssio ex fide Jesu Christi darétur credéntibus.

Graduale Ps. 73, 20, 19 et 22 Réspice, Dómine, in testaméntum tuum: et ánimas páuperum tuórum ne obliviscáris in finem. ℣. Exsúrge, Dómine, et júdica causam tuam: memor esto oppróbrii servórum tuórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 97, 1-2 Cantáte Dómino cánticum novum, quia mirabília fecit: notum fecit Dóminus salutáre suum: ante conspéctum géntium revelávit justítiam suam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 17, 11-19

In illo témpore: Dum iret Jesus in Jerúsalem, transíbat per médiam Samaríam et Galilǽam. Et cum ingrederétur quoddam castéllum, occurrérunt ei decem viri leprósi, qui stetérunt a longe; et levavérunt vocem dicéntes: Jesu præcéptor, miserére nostri. Quos ut vidit, dixit: Ite, osténdite vos sacerdótibus. Et factum est, dum irent, mundáti sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quia mundátus est, regréssus est, cum

magna voce magníficans Deum, et cécidit in fáciem ante pedes ejus, grátias agens: et hic erat Samaritánus. Respóndens autem Jesus dixit: Nonne decem mundáti sunt? et novem ubi sunt? Non est invéntus qui redíret, et daret glóriam Deo, nisi hic alienígena. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te salvum fecit.

Credo.

Offertorium Ps. 30. 15-16 In te sperávi, Dómine: dixi: Tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea.

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, propítius inténde, quas sacris altáribus exhibémus: ut, nobis indulgéntiam largiéndo, tuo nómini dent honórem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Sap. 16. 20 Panem de cælo dedísti nobis, Dómine, habéntem omne delectaméntum, et omnem sapórem suavitátis.

Postcommunio

Vivíficet nos, quǽsumus, Dómine, hujus participátio sacraménti, et páriter nobis expiatiónem tríbuat, et munímen. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima quarta post Pentecosten

Introitus Ps. 83. 10-11

Protéctor noster, áspice, Deus, et réspice in fáciem Christi tui: quia mélior est dies una in átriis tuis super míllia. ℣. Ps. ibid., 2-3 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri. Protéctor noster.

Oratio

Custódi, Dómine, quǽsumus, Ecclésiam tuam propitiatióne perpétua: et quia sine te lábitur humána mortálitas; tuis semper auxíliis et abstrahátur a nóxiis, et ad salutária dirigátur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 5. 16-24

Fratres: Spíritu ambuláte, et desidéria carnis non perficiétis. Caro enim concupíscit advérsus spíritum, spíritus autem advérsus carnem: hæc enim sibi ínvicem adversántur, ut non quæcúmque vultis, illa faciátis. Quod si spíritu ducímini, non estis sub lege. Manifésta sunt autem ópera carnis, quæ sunt fornicátio, immundítia, impudicítia, luxúria, idolórum sérvitus, venefícia, inimicítiæ, contentiónes, æmulatiónes, iræ, rixæ, dissensiónes, sectæ, invídiæ, homicídia, ebrietátes, comessatiónes, et his simília: quæ prædíco vobis, sicut prædíxi: quóniam, qui tália agunt, regnum Dei non consequéntur. Fructus autem Spíritus est: cáritas, gáudium, pax, patiéntia, benígnitas, bónitas, longanímitas, mansuetúdo, fides, modéstia, continéntia, cástitas. Advérsus hujúsmodi non est lex. Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixérunt cum vítiis et concupiscéntiis.

Graduale Ps. 117. 8-9 Bonum est confídere in Dómino, quam confí-

dere in hómine. ℣. Bonum est speráre in Dómino, quam speráre in princípibus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 104, 1 Confitémini Dómino et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 6, 24-33

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget: aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca: et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cæli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea: et Pater vester cæléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómodo crescunt: non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, módicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quærite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus: et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Credo.

Offertorium Ps. 33, 8-9 Immíttet Angelus Dómini in circúitu timéntium eum, et erípiet eos: gustáte, et vidéte, quóniam suávis est Dóminus.

Secreta

Propitiáre, Dómine, pópulo tuo, propitiáre munéribus: ut hac oblatióne placátus; et indulgéntiam nobis tríbuas, et postuláta concédas. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Joann. 6, 52 Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis: ad redemptiónis ætérnæ, quæsumus, proficiámus augméntum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima quinta post Pentecosten

Introitus Ps. 85, 1 et 2-3

Inclína, Dómine, aurem tuam ad me, et exáudi me: salvum fac servum tuum, Deus meus, sperántem in te: miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die. ℣. Ps. ibid., 4 Lætífica ánimam servi tui: quia ad te, Dómine, ánimam meam levávi. ℣. Glória Patri. Inclína, Dómine.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, miserátio continuáta mundet et múniat: et quia sine te non potest salva consístere; tuo semper múnere gubernétur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 5, 25-26 et 6, 1-10

Fratres: Si spíritu vívimus, spíritu et ambulémus. Non efficiámur inánis glóriæ cúpidi, ínvicem provocántes, ínvicem invidéntes. Fratres, et si præoccupátus fúerit homo in áliquo delícto, vos, qui spirituáles estis, hujúsmodi instrúite in spíritu lenitátis, consíderans teípsum, ne et tu tentéris. Alter altérius ónera portáte, et sic adimplébitis legem Christi. Nam si quis exístimat se áliquid esse, cum nihil sit, ipse se sedúcit. Opus autem suum probet unusquísque, et sic in semetípso tantum glóriam habébit, et non in áltero. Unusquísque enim onus suum portábit. Commúnicet autem is, qui catechizátur verbo, ei, qui se catechízat, in ómnibus bonis. Nolíte erráre: Deus non irridétur. Quæ enim semináverit homo, hæc et metet. Quóniam qui séminat in carne sua, de carne et metet corruptiónem: qui autem séminat in spíritu, de spíritu metet vitam ætérnam. Bonum autem faciéntes, non deficiámus: témpore enim suo metémus, non deficiéntes. Ergo dum tempus habémus, operémur bonum ad omnes, máxime autem ad doméstícos fídei.

Graduale Ps. 91, 2-3 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 56, 8 Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: cantábo et psallam tibi in glória mea. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 7, 11-16

In illo témpore: Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naim: et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur fílius únicus matris suæ: et hæc vídua erat: et turba civitátis multa cum illa. Quam cum vidísset Dóminus, misericórdia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accéssit, et tétigit lóculum. (Hi autem, qui portábant, stetérunt). Et ait: Adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accépit autem omnes timor: et magnificábant Deum, dicéntes: Quia prophéta magnus surréxit in nobis: et quia Deus visitávit plebem suam.

Credo.

Offertorium Ps. 39, 2, 3 et 4 Exspéctans exspectávi Dóminum, et respéxit me: et exaudívit deprecatiónem meam: et immísit in os meum cánticum novum, hymnum Deo nostro.

Secreta

Concéde nobis, Dómine, quǽsumus: ut hæc hóstia salutáris, et nostrórum fiat purgátio delictó-

rum, et tuæ propitiátio pietátis. Per Dóminum.

Aliæ Secreta ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Joann. 6, 57 Qui mandúcat carnem meam, et bibit sánguinem meum, in me manet, et ego in eo: dicit Dóminus.

Postcommunio

Purificent semper et múniant tua sacraménta nos, Deus: et ad perpétuæ ducant salvatiónis efféctum. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima sexta post Pentecosten

Introitus Ps. 85, 3 et 5

Miserére mihi, Dómine, quóniam ad te clamávi tota die: quia tu, Dómine, suávis ac mitis es, et copiósus in misericórdia ómnibus invocántibus te. ℣. Ps. ibid., 1 Inclína, Dómine, aurem tuam mihi, et exáudi me: quóniam inops, et pauper sum ego. ℣. Glória Patri. Miserére mihi.

Oratio

Tua nos, quǽsumus, Dómine, grátia semper et prævéniat et sequátur: ac bonis opéribus júgiter præstet esse inténtos. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 3, 13-21

Fratres: Obsecro vos, ne deficiátis in tribulatiónibus meis pro vobis: quæ est glória vestra. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem, Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei. Ei autem, qui potens est ómnia fácere superabundánter quam pétimus, aut intellígimus, secúndum virtútem, quæ operátur in nobis: ipsi glória in Ecclésia, et in Christo Jesu, in omnes generatiónes sæculi sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 101, 16-17 Timébunt gentes nomen tuum, Dómine, et omnes reges terræ glóriam tuam. ℣. Quóniam ædificávit Dóminus Sion, et vidébitur in majestáte sua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 110, 9 Redemptiónem misit Dóminus in pópulo suo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14, 1-11

In illo témpore: Cum intráret Jesus in domum cujúsdam príncipis pharisæórum sábbato manducáre panem, et ipsi observábant eum. Et ecce homo quidam hydrópicus erat ante illum. Et respóndens Jesus dixit ad legisperítos et pharisǽos dicens: Si licet sábbato curáre? At illi tacuérunt. Ipse vero apprehén-

sum sanávit eum, ac dimísit. Et respóndens ad illos, dixit: Cujus vestrum ásinus, aut bos in púteum cadet, et non contínuo éxtrahet illum die sábbati? Et non póterant ad hæc respondére illi. Dicébat autem et ad invitátos parábolam, inténdens quómodo primos accúbitus elígerent, dicens ad illos: Cum invitátus fúeris ad núptias, non discúmbas in primo loco, ne forte honorátior te sit invitátus ab illo, et véniens is, qui te, et illum vocávit, dicat tibi: Da huic locum: et tunc incípias cum rubóre novíssimum locum tenére. Sed cum vocátus fúeris, vade, recúmbe in novíssimo loco: ut, cum vénerit qui te invitávit, dicat tibi: Amíce, ascénde supérius. Tunc erit tibi glória coram simul discumbéntibus: quia omnis, qui se exáltat, humiliábitur: et qui se humíliat, exaltábitur.

Credo.

Offertorium Ps. 39, 14 et 15 Dómine, in auxílium meum réspice: confundántur et revereántur, qui quærunt ánimam meam, ut áuferant eam.

Secreta

Tua nos, Dómine, sacraménta custódiant: et contra diabólicos tueántur semper incúrsus. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 70, 16-17 et 18 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus: Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio

Mentes nostras et córpora possídeat, quæsumus, Dómine, doni cæléstis operátio: ut non noster sensus in nobis; sed júgiter ejus prævéniat effectus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Domenica Decima septima post Pentecosten

Introitus Ps. 118, 137 et 124

Justus es, Dómine, et rectum judícium tuum: fac cum servo tuo secúndum misericórdiam tuam. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Justus es.

Oratio

Da, quæsumus, Dómine, pópulo tuo diabólica vitáre contágia: et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 4, 1-6

Fratres: Obsecro vos ego vinctus in Dómino, ut digne ambulétis vocatióne, qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus, et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis. Qui

est benedíctus in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 32, 12 et 6 Beáta gens, cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus, quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. ℣. Verbo Dómini cæli firmáti sunt: et spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 113, 11 Qui timent Dóminum, sperent in eo: adjútor et protéctor eórum est. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 22, 34-46

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisǽi: et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota ánima tua, et in tota mente tua. Hoc est máximum et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: Díliges próximum tuum, sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérsa lex pendet, et prophétæ. Congregátis autem pharisǽis, interrogávit eos Jesus, dicens: Quid vobis vidétur de Christo? cujus fílius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quómodo ergo David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens: Dixit Dóminus Dómino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Si ergo David vocat eum Dóminum, quómodo fílius ejus est? Et nemo póterat ei respondére verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ámplius interrogáre.

Credo.

Offertorium Dan. 9, 17, 18 et 19 Orávi Deum meum ego Dániel, dicens: Exáudi, Dómine, preces servi tui: illúmina fáciem tuam super sanctuárium tuum: et propítius inténde pópulum istum, super quem invocátum est nomen tuum, Deus.

Secreta

Munda nos, quǽsumus, Dómine, sacrifícii præséntis efféctu: et pérfice miserátus in nobis, ut ejus mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 75, 12-13 Vovéte, et réddite Dómino Deo vestro omnes, qui in circúitu ejus affértis múnera: terríbili, et ei qui aufert spíritum príncipum: terríbili apud omnes reges terræ.

Postcommunio

Purífica, Dómine, quǽsumus, mentes nostras benígnus, et rénova cæléstibus sacraméntis: ut consequénter et córporum præsens páriter, et futúrum animárum capiámus auxílium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Feria Quarta
Quatuor Temporum Septembris

Introitus Ps. 80, 2, 3, 4 et 5

Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob: súmite psalmum jucúndum cum cíthara: cánite in inítio mensis tuba, quia præcéptum in Israël est, et judícium Deo Jacob. ℣. Ps. ibid. 6 Testimónium in Joseph pósuit illud

cum exíret de terra Ægýpti: linguam, quam non nóverat, audívit. ℣. Glória Patri. Exsultáte Deo.

Post Kýrie, eléison, omisso Dóminus vobíscum et Flectámus génua, immediate dicitur:

Orémus. **Oratio**

Misericórdiæ tuæ remédiis, quǽsumus, Dómine, fragílitas nostra subsístat: ut, quæ sua conditióne attéritur, tua cleméntia reparétur. Per Dóminum.

Léctio Amos Prophétæ.
Amos 9, 13-15

Hæc dicit Dóminus Deus: ecce dies véniunt: et comprehéndet arátor messórem, et calcátor uvæ mitténtem semen, et stillábunt montes dulcédinem, et omnes colles culti erunt. Et convértam captivitátem pópuli mei Israël, et ædificábunt civitátes desértas, et inhabitábunt: et plantábunt víneas, et bibent vinum eárum: et fácient hortos, et cómedent fructus eórum. Et plantábo eos super humum suam: et non evéllam eos ultra de terra sua, quam dedi eis: dicit Dóminus Deus tuus.

Graduale Ps. 112, 5-7 Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat: et humília réspicit in cælo, et in terra? ℣. Súscitans a terra inopem, et de stércore érigens páuperem.

Hic dicitur: Dóminus vobíscum.

Orémus. **Oratio**

Præsta, quǽsumus, Dómine, famíliæ tuæ supplicánti: ut, dum a cibis corporálibus se ábstinet, a vítiis quoque mente jejúnet. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio libri Esdræ.
Neh. vel 2 Esdr. 8, 1-10

In diébus illis: Congregátus est omnis pópulus quasi vir unus ad platéam, quæ est ante portam aquárum: et dixérunt Esdræ scribæ, ut afférret librum legis Móysi, quam præcéperat Dóminus Israéli. Attulit ergo Esdras sacérdos legem coram multitúdine virórum et mulíerum, cunctísque qui póterant intellígere, in die prima mensis séptimi. Et legit in eo apérte in platéa, quæ erat ante portam aquárum, de mane usque ad médiam diem, in conspéctu virórum, et mulíerum, et sapiéntium: et aures omnis pópuli erant eréctæ ad librum. Stetit autem Esdras scriba super gradum lígneum, quem fécerat ad loquéndum. Et apéruit librum coram omni pópulo: super univérsum quippe pópulum eminébat: et cum aperuísset eum, stetit omnis pópulus. Et benedíxit Esdras Dómino Deo magno: et respóndit omnis pópulus: Amen, Amen: élevans manus suas: et incurváti sunt, et adoravérunt Deum proni in terram. Porro levítæ siléntium faciébant in pópulo ad audiéndam legem: pópulus autem stabat in gradu suo. Et legérunt in libro legis Dei distíncte, et apérte ad intelligéndum: et intellexérunt cum legerétur. Dixit autem Nehemías, et Esdras sacérdos et scriba, et levítæ interpretántes univérso pópulo: Dies sanctificátus est

Dómino Deo nostro, nolíte lugére, et nolíte flere. Et dixit eis: Ite, comédite pinguia, et bíbite mulsum, et míttite partes his, qui non præparavérunt sibi: quia sanctus dies Dómini est, et nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra.

Graduale Ps. 78, 9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequándo dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 9, 16-28

In illo témpore: Respóndens unus de turba, dixit ad Jesum: Magíster, áttuli fílium meum ad te, habéntem spíritum mutum: qui ubicúmque eum apprehénderit, allídit illum, et spumat, et stridet déntibus, et aréscit: et dixi discípulis tuis, ut ejícerent illum, et non potuérunt. Qui respóndens eis, dixit: O generátio incrédula, quámdiu apud vos ero? quámdiu vos pátiar? Afférte illum ad me. Et attulérunt eum. Et cum vidísset eum, statim spíritus conturbávit illum: et elísus in terram, volutabátur spumans. Et interrogávit patrem ejus: Quantum témporis est, ex quo ei hoc áccidit? At ille ait: Ab infántia: et frequénter eum in ignem, et in aquas misit, ut eum pérderet. Sed si quid potes, ádjuva nos, misértus nostri. Jesus autem ait illi: Si potes crédere, ómnia possibília sunt credénti. Et contínuo exclámans pater púeri, cum lácrimis aiébat: Credo, Dómine: ádjuva incredulitátem meam. Et cum vidéret Jesus concurréntem turbam, comminátus est spirítui immúndo, dicens illi: Surde et mute spíritus, ego præcípio tibi, exi ab eo: et ámplius ne introëas in eum. Et exclámans, et multum discérpens eum, éxiit ab eo, et factus est sicut mórtuus, ita ut multi dícerent: Quia mórtuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevávit eum, et surréxit. Et cum introísset in domum, discípuli ejus secréto interrogábant eum: Quare nos non potúimus ejícere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exíre, nisi in oratióne et jejúnio.

Offertorium Ps. 118, 47 et 48 Meditábor in mandátis tuis, quæ diléxi valde: et levábo manus meas ad mandáta tua, quæ diléxi.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora, mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra. 393.

Communio 2 Esdr. 8, 10 Comédite pinguia, et bíbite mulsum, et míttite partes his, qui non præparavérunt sibi: sanctus enim dies Dómini est, nolíte contristári: gáudium étenim Dómini est fortitúdo nostra.

Postcommunio

Suméntes, Dómine, dona cæléstia, supplíciter deprecámur: ut, quæ sédula servitúte donánte te gérimus, dignis sénsibus tuo múnere capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra. 393.

Feria Sexta
Quatuor Temporum Septembris

Introitus Ps. 104, 3-4

Lætétur cor quæréntium Dóminum: quǽrite Dóminum, et confirmámini: quǽrite fáciem ejus semper. ℣. Ps. ibid., 1 Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus: annuntiáte inter gentes ópera ejus. ℣. Glória Patri. Lætétur.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut observatiónes sacras ánnua devotióne recoléntes, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Oséæ Prophétæ.
Oseæ 14, 2-10

Hæc dicit Dóminus Deus: Convértere Israël ad Dóminum Deum tuum: quóniam corruísti in iniquitáte tua. Tóllite vobíscum verba, et convertímini ad Dóminum et dícite ei: Omnem aufer iniquitátem, áccipe bonum: et reddémus vítulos labiórum nostrórum. Assur non salvábit nos, super equum non ascendémus, nec dicémus ultra: Dii nostri ópera mánuum nostrárum: quia ejus, qui in te est, miseréberis pupílli. Sanábo contritiónes eórum, díligam eos spontánee: quia avérsus est furor meus ab eis. Ero quasi ros, Israël germinábit sicut lílium, et erúmpet radix ejus ut Líbani. Ibunt rami ejus, et erit quasi olíva glória ejus: et odor ejus ut Líbani. Converténtur sedéntes in umbra ejus: vivent trítico, et germinábunt quasi vínea: memoriále ejus sicut vinum Líbani. Ephraïm quid mihi ultra idóla? ego exáudiam, et dírigam eum ego ut abíetem viréntem: ex me fructus tuus invéntus est. Quis sápiens, et intélliget ista? intélligens, et sciet hæc? Quia rectæ viæ Dómini, et justi ambulábunt in eis.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 7, 36-50

In illo témpore: Rogábat Jesum quidam de pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisǽi, discúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit, quod accubuísset in domo pharisǽi, áttulit alabástrum unguénti: et stans retro secus pedes ejus, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat. Videns autem pharisǽus, qui vocáverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset prophéta, sciret útique, quæ et qualis est múlier, quæ tangit eum: quia peccátrix est. Et respóndens Jesus, dixit ad illum: Simon, hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait: Magíster, dic. Duo debitóres erant cuídam fœneratóri: unus debébat denários quingéntos, et álius quinquagínta. Non habénti-

bus illis unde rédderent, donávit utrísque. Quis ergo eum plus díligit? Respóndens Simon, dixit: Æstimo quia is, cui plus donávit. At ille dixit ei: Recte judicásti. Et convérsus ad mulíerem, dixit Simóni: Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam, aquam pédibus meis non dedísti: hæc autem lácrimis rigávit pedes meos, et capíllis suis tersit. Osculum mihi non dedísti: hæc autem, ex quo intrávit, non cessávit osculári pedes meos. Oleo caput meum non unxísti: hæc autem unguénto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multum. Cui autem minus dimíttitur, minus díligit. Dixit autem ad illam: remittúntur tibi peccáta. Et cœpérunt, qui simul accumbébant, dícere intra se: Quis est hic, qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Offertorium Ps. 102, 2 et 5 Bénedic ánima mea Dómino, et noli oblivísci omnes retributiónes ejus: et renovábitur, sicut áquilæ, juvéntus tua.

Secreta

Accépta tibi sint, Dómine, quǽsumus, nostri dona jejúnii: quæ et expiándo nos tua grátia dignos effíciant, et ad sempitérna promíssa perdúcant. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Communio Ps. 118, 22 et 24 Aufer a me oppróbrium et contémptum, quia mandáta tua exquisívi, Dómine: nam et testimónia tua meditátio mea est.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Sabbato
Quatuor Temporum Septembris

Introitus Ps. 94, 6-7

Veníte, adorémus Deum, et procidámus ante Dóminum, plorémus ante eum, qui fecit nos: quia ipse est Dóminus Deus noster. ℣. Ps. ibid., 1 Veníte, exsultémus Dómino: jubilémus Deo salutári nostro. ℣. Glória Patri. Veníte, adorémus Deum.

Post Kýrie, eléison, omisso Dóminus vobíscum et Flectámus génua, absolute dicitur:

Orémus. **Oratio**

Omnípotens sempitérne Deus, qui per continéntiam salutárem corpóribus medéris et méntibus: majestátem tuam súpplices exorámus; ut pia jejunántium deprecatióne placátus, et præséntia nobis subsídia tríbuas, et futúra. Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.
Levit. 23, 26-32

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: Décimo die mensis hujus séptimi, dies expiatiónum erit celebérrimus, et vocábitur sanctus: affligetísque ánimas vestras in eo, et offerétis holocáustum Dómino. Omne opus servíle non faciétis in témpore diéi hujus

quia dies propitiatiónis est, ut propitiétur vobis Dóminus Deus vester. Omnis ánima, quæ afflicta non fúerit die hoc, peribit de pópulis suis: et quæ óperis quidquam fécerit, delébo eam de pópulo suo. Nihil ergo óperis faciétis in eo: legitimum sempitérnum erit vobis in cunctis generatiónibus, et habitatiónibus vestris. Sábbatum requietiónis est, et affligétis ánimas vestras die nono mensis: a véspera usque ad vésperam celebrábitis sábbata vestra: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 78, 9 et 10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Orémus. Oratio

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut jejunándo, tua grátia satiémur; et abstinéndo, cunctis efficiámur hóstibus fortióres. Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.
Levit. 23, 39-43

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Móysen, dicens: A quintodécimo die mensis séptimi, quando congregavéritis omnes fructus terræ vestræ, celebrábitis férias Dómini septem diébus: die primo et die octávo erit sábbatum, id est réquies. Sumetísque vobis die primo fructus árboris pulchérrimæ, spatulásque palmárum, et ramos ligni densárum fróndium, et sálices de torrénte, et lætabímini coram Dómino Deo vestro. Celebrabitísque solemnitátem ejus septem diébus per annum: legítimum sempitérnum erit in generatiónibus vestris. Mense séptimo festa celebrábitis, et habitábitis in umbráculis septem diébus. Omnis, qui de génere est Israël, manébit in tabernáculis; ut discant pósteri vestri, quod in tabernáculis habitáre fécerim filios Israël, cum edúcerem eos de terra Ægýpti. Ego Dóminus Deus vester.

Graduale Ps. 83, 10 et 9 Protéctor noster áspice, Deus, et réspice super servos tuos. ℣. Dómine Deus virtútum, exáudi preces servórum tuórum.

Orémus. Oratio

Tuére, quǽsumus, Dómine, famíliam tuam: ut salútis ætérnæ remédia, quæ te inspiránte requírimus, te largiénte consequámur. Per Dóminum.

Léctio Michǽæ Prophétæ.
Mich. 7, 14, 16 et 18-20

Dómine Deus noster, pasce pópulum tuum in virga tua, gregem hereditátis tuæ, habitántes solos in saltu, juxta dies antíquos. Vidébunt gentes, et confundéntur super omni fortitúdine sua. Quis Deus símilis tui, qui aufers iniquitátem, et transis peccátum reliquiárum hereditátis tuæ? Non immíttet ultra furórem suum, quóniam volens misericórdiam est. Revertétur, et miserébitur nostri: depónet iniquitátes nostras, et projíciet in profúndum maris ómnia peccáta nostra. Dabis veritátem Jacob, misericórdiam Abraham: quæ jurásti pátribus nostris a diébus antíquis: Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie.

Orémus. Oratio

Præsta, quǽsumus, Dómine, sic nos ab épulis abstinére carnálibus: ut a vítiis irruéntibus páriter jejunémus. Per Dóminum.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.
Zach. 8, 14-19

In diébus illis: Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Sicut cogitávi, ut affligerem vos, cum ad iracúndiam provocássent patres vestri me, dicit Dóminus, et non sum misértus: sic convérsus cogitávi in diébus istis, ut benefáciam dómui Juda et Jerúsalem: nolíte timére. Hæc sunt ergo verba, quæ faciétis: Loquímini veritátem, unusquisque cum próximo suo: veritátem, et judícium pacis judicáte in portis vestris. Et unusquísque malum contra amícum suum ne cogitétis in córdibus vestris: et juraméntum mendax ne diligátis: ómnia enim hæc sunt, quæ odi, dicit Dóminus. Et factum est verbum Dómini exercítuum ad me, dicens: Hæc dicit Dóminus exercítuum: Jejúnium quarti, et jejúnium quinti, et jejúnium séptimi, et jejúnium décimi erit dómui Juda in gáudium, et lætítiam, et in solemnitátes præcláras: veritátem tantum, et pacem dilígite: dicit Dóminus exercítuum.

Graduale Ps. 140, 2 Dirigátur orátio mea sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Orémus. Oratio

Ut nobis, Dómine, tríbuis solémne tibi deférre jejúnium: sic nobis, quǽsumus, indulgéntiæ præsta subsídium. Per Dóminum.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 3, 47-51

In diébus illis: Angelus Dómini descéndit cum Azaría, et sóciis ejus in fornácem: et excússit flammam ignis de fornáce, et fecit médium fornácis quasi ventum roris flantem. Flamma autem effundebátur super fornácem cúbitis quadraginta novem: et erúpit, et incéndit quos réperit juxta fornácem de Chaldǽis minístros regis, qui eam incendébant. Et non tétigit eos omníno ignis, neque contristávit, nec quidquam moléstiæ íntulit. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudábant, et glorificábant, et benedicébant Deum in fornáce, dicéntes:

Hic non respondetur Deo grátias.

Hymnus Dan. ibid., 52-56

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.
Et benedíctum nomen glóriæ tuæ, quod est sanctum. Et laudábile, et gloriósum in sǽcula.
Benedíctus es in templo sancto glóriæ tuæ. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.
Benedíctus es super thronum sanctum regni tui. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.
Benedíctus es super sceptrum divi-

nitátis tuæ. Et laudábilis et gloriósus in sǽcula.

Benedíctus es qui sedes super Chérubim, íntuens abýssos. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Benedíctus es qui ámbulas super pennas ventórum, et super undas maris. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Benedícant te omnes Angeli, et Sancti tui. Et laudent te, et gloríficent in sǽcula.

Benedícant te cæli, terra, mare, et ómnia quæ in eis sunt. Et laudent te, et gloríficent in sǽcula.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto. Et laudábili, et glorióso in sǽcula.

Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sǽcula sæculórum. Amen. Et laudábili, et glorióso in sǽcula.

Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum. Et laudábilis, et gloriósus in sǽcula.

Hic dicitur a Sacerdote in medio Altaris, verso ad populum: ℣. Dóminus vobíscum, sine Flectámus génua. Deinde:

Orémus. **Oratio**

Deus, qui tribus púeris mitigásti flammas ígnium: concéde propítius; ut nos fámulos tuos non exúrat flamma vitiórum. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 9, 2-12

Fratres: Tabernáculum factum est primum, in quo erant candelábra, et mensa, et propósitio panum, quæ dícitur Sancta. Post velaméntum autem secúndum, tabernáculum, quod dícitur Sancta sanctórum: áureum habens thuríbulum, et arcam testaménti circumtéctam ex omni parte auro, in qua urna áurea habens manna, et virga Aaron, quæ frondúerat, et tábulæ testaménti, supérque eam erant Chérubim glóriæ obumbrántia propitiatórium: de quibus non est modo dicéndum per síngula. His vero ita compósitis; in prióri quidem tabernáculo semper introíbant sacerdótes, sacrificiórum offícia consummántes: in secúndo autem semel in anno solus póntifex, non sine sánguine, quem offert pro sua et pópuli ignorántia: hoc significánte Spíritu Sancto, nondum propalátam esse sanctórum viam, adhuc prióre tabernáculo habénte statum. Quæ parábola est témporis instántis: juxta quam múnera, et hóstiæ offerúntur, quæ non possunt juxta consciéntiam perféctum fácere serviéntem, solúmmodo in cibis, et in pótibus, et váriis baptismátibus, et justítiis carnis usque ad tempus correctiónis impósitis. Christus autem assistens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta.

Tractus Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia

ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 13, 6-17

In illo témpore: Dicébat Jesus turbis hanc similitúdinem: Arborem fici habébat quidam plantátam in vínea sua, et venit quærens fructum in illa, et non invénit. Dixit autem ad cultórem víneæ: Ecce anni tres sunt ex quo vénio quærens fructum in ficúlnea hac, et non invénio: succíde ergo illam: ut quid étiam terram óccupat? At ille respóndens, dicit illi: Dómine, dimítte illam et hoc anno, usque dum fódiam circa illam, et mittam stércora: et si quidem fécerit fructum: sin autem, in futúrum succídes eam. Erat autem docens in synagóga eórum sábbatis. Et ecce múlier, quæ habébat spíritum infirmitátis annis decem et octo: et erat inclináta, nec omníno póterat sursum respícere. Quam cum vidéret Jesus, vocávit eam ad se, et ait illi: Múlier, dimíssa es ab infirmitáte tua. Et impósuit illi manus, et conféstim erécta est, et glorificábat Deum. Respóndens autem archisynagógus, indígnans quia sábbato curásset Jesus, dicébat turbæ: Sex dies sunt, in quibus opórtet operári: in his ergo veníte, et curámini, et non in die sábbati. Respóndens autem ad illum Dóminus, dixit: Hypócritæ, unusquísque vestrum sábbato non solvit bovem suum, aut ásinum a præsépio, et ducit adaquáre? Hanc autem fíliam Abrahæ, quam alligávit sátanas, ecce decem et octo annis, non opórtuit solvi a vínculo isto die sábbati? Et cum hæc díceret, erubescébant omnes adversárii ejus: et omnis pópulus gaudébat in univérsis, quæ gloriósе fiébant ab eo.

Offertorium Ps. 87, 2-3 Dómine Deus salútis meæ, in die clamávi, et nocte coram te: intret orátio mea in conspéctu tuo, Dómine.

Secreta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut óculis tuæ majestátis munus oblátum, et grátiam nobis devotiónis obtíneat, et efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.

Communio Levit. 23, 41 et 43 Mense séptimo festa celebrábitis, cum in tabernáculis habitáre fécerim fílios Israël, cum edúcerem eos de terra Ægýpti, ego Dóminus Deus vester.

Postcommunio

Perfíciant in nobis, Dómine, quǽsumus, tua sacraménta quod cóntinent: ut, quæ nunc spécie gérimus, rerum veritáte capiámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima octava post Pentecosten

Introitus Eccli. 36, 18

Da pacem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur: exáudi preces servi tui, et plebis tuæ Israël. ℣. Ps. 121, 1 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Glória Patri. Da pacem.

Oratio

Dirigat corda nostra, quæsumus, Dómine, tuæ miseratiónis operátio: quia tibi sine te plácere non póssumus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 1, 4-8

Fratres: Grátias ago Deo meo semper pro vobis in grátia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu: quod in ómnibus dívites facti estis in illo, in omni verbo, et in omni sciéntia: sicut testimónium Christi confirmátum est in vobis: ita ut nihil vobis desit in ulla grátia, exspectántibus revelatiónem Dómini nostri Jesu Christi, qui et confirmábit vos usque in finem sine crímine, in die advéntus Dómini nostri Jesu Christi.

Graduale Ps. 121, 1 et 7 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 113, 1 In éxitu Israël de Ægýpto, domus Jacob de pópulo bárbaro. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 9, 1-8

In illo témpore: Ascéndens Jesus in navículam, transfretávit, et venit in civitátem suam. Et ecce offerébant ei paralýticum jacéntem in lecto. Et videns Jesus fidem illórum, dixit paralýtico: Confide, fili, remittúntur tibi peccáta tua. Et ecce quidam de scribis dixérunt intra se: Hic blasphémat. Et cum vidísset Jesus cogitatiónes eórum, dixit: Ut quid cogitátis mala in córdibus vestris? Quid est facílius dícere: Dimittúntur tibi peccáta tua; an dícere: Surge, et ámbula? Ut autem sciátis, quia Fílius hóminis habet potestátem in terra dimitténdi peccáta, tunc ait paralýtico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surréxit, et ábiit in domum suam. Vidéntes autem turbæ timuérunt, et glorificavérunt Deum, qui dedit potestátem talem homínibus.

Credo.

Offertorium Exodi 24, 4 et 5 Sanctificávit Móyses altáre Dómino, ófferens super illud holocáusta, et ímmolans víctimas: fecit sacrifícium vespertínum in odórem suavitátis Dómino Deo, in conspéctu filiórum Israël.

Secreta

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter deprecámur: ut hæc sancta quæ gérimus; et a prætéritis nos delíctis éxuant et futúris. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 95, 8-9 Tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in aula sancta ejus.

Postcommunio

Sanctificatiónibus tuis, omnípotens Deus: et vítia nostra curéntur, et remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Decima nona post Pentecosten

Introitus

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Salus pópuli.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, univérsa nobis adversántia propitiátus exclúde: ut mente et córpore páriter expedíti; quæ tua sunt, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 4, 23-28

Fratres: Renovámini spíritu mentis vestræ, et indúite novum hóminem, qui secúndum Deum creátus est in justítia, et sanctitáte veritátis. Propter quod deponéntes mendácium, loquímini veritátem unusquísque cum próximo suo: quóniam sumus ínvicem membra. Irascímini, et nolíte peccáre: sol non óccidat super iracúndiam vestram. Nolíte locum dare diábolo: qui furabátur, jam non furétur; magis autem labóret, operándo mánibus suis, quod bonum est, ut hábeat unde tríbuat necessitátem patiénti.

Graduale Ps. 140, 2 Dirigátur orátio mea, sicut incénsum in conspéctu tuo, Dómine. ℣. Elevátio mánuum meárum sacrifícium vespertínum.

Allelúja allelúja. ℣. Ps. 116, 1 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 22, 1-14

In illo témpore: Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et pharisǽis in parábolis, dicens: Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, et nolébant veníre. Iterum misit álios servos, dicens: Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, tauri mei et altília occísa sunt, et ómnia paráta: veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt: et abiérunt, álius in villam suam: álius vero ad negotiatiónem suam: réliqui vero tenuérunt servos ejus, et contuméliis affèctos occidérunt. Rex autem cum audísset, irátus est: et missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, et civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis: Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes, quos invenérunt, malos et bonos: et implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex, ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit.

Tunc dixit rex ministris: Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Credo.

Offertorium Ps. 137, 7 Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua.

Secreta

Deus, qui nos, per hujus sacrifícii veneránda commércia uníus summǽque divinitátis partícipes éfficis: præsta, quǽsumus; ut, sicut tuam cognóscimus veritátem, sic eam dignis móribus assequámur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 118, 4-5 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ, ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Postcommunio

Grátias tibi reférimus, Dómine, sacro múnere vegetáti; tuam misericórdiam deprecántes; ut dignos nos ejus participatióne perfícias. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima post Pentecosten

Introitus Dan. 3, 31, 29 et 35 Omnia, quæ fecísti nobis, Dómine, in vero judício fecísti, quia peccávimus tibi, et mandátis tuis non obedívimus: sed da glóriam nómini tuo, et fac nobíscum secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ. ℣. Ps. 105, 6 Peccávimus cum pátribus nostris: injúste égimus, iniquitátem fécimus. ℣. Glória Patri. Omnia.

Oratio

Largíre, quǽsumus, Dómine, fidélibus tuis indulgéntiam placátus et pacem: ut páriter ab ómnibus mundéntur offénsis, et secúra tibi mente desérviant. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 5, 15-21

Fratres: Vidéte quómodo caute ambulétis: non quasi insipiéntes, sed ut sapiéntes, rediméntes tempus, quóniam dies mali sunt. Proptérea nolíte fíeri imprudéntes, sed intelligéntes, quæ sit volúntas Dei. Et nolíte inebriári vino, in quo est luxúria: sed impléмini Spíritu Sancto, loquéntes vobismetípsis in psalmis, et hymnis, et cánticis spirituálibus, cantántes, et psalléntes in córdibus vestris Dómino: grátias agéntes semper pro ómnibus, in nómine Dómini nostri Jesu Christi, Deo et Patri. Subjécti ínvicem in timóre Christi.

Graduale Ps. 144, 15-16 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 116, 2 Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 4, 46-53

In illo témpore: Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Hic cum audísset, quia Jesus adveníret a Judǽa in Galilǽam, ábiit ad eum, et rogábat eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus: incipiébat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis. Dicit ad eum régulus: Dómine, descénde priúsquam moriátur fílius meus. Dicit ei Jesus: Vade, fílius tuus vivit. Crédidit homo sermóni, quem dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem eo descendénte, servi occurrérunt ei, et nuntiavérunt dicéntes, quia fílius ejus víveret. Interrogábat ergo horam ab eis, in qua mélius habúerit. Et dixérunt ei: Quia heri hora séptima relíquit eum febris. Cognóvit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Fílius tuus vivit: et crédidit ipse, et domus ejus tota.

Credo.

Offertorium Ps. 136, 1 Super flúmina Babylónis illic sédimus, et flévimus: dum recordarémur tui, Sion.

Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, quæ óculis tuæ majestátis offérimus, salutária nobis esse concéde. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 118, 49-50 Meménto verbi tui servo tuo, Dómine, in quo mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Postcommunio

Tua nos, Dómine, medicinális operátio, et a nostris perversitátibus cleménter expúrget, et tuis fáciat semper inhærére mandátis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima prima post Pentecosten

Introitus Esth. 13, 9 et 10-11

In voluntáte tua, Dómine, univérsa sunt pósita, et non est qui possit resístere voluntáti tuæ: tu enim fecísti ómnia, cælum et terram, et univérsa quæ cæli ámbitu continéntur: Dóminus universórum tu es. ℣. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. In voluntáte tua.

Oratio

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut a cunctis adversitátibus, te protegénte, sit líbera; et in bonis áctibus tuo nómini sit devóta. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 6, 10-17

Fratres: Confortámini in Dómino, et in poténtia virtútis ejus. Indúite vos armatúram Dei, ut possítis stare advérsus insídias diáboli. Quóniam non est nobis colluctátio advérsus carnem et sánguinem: sed advérsus príncipes, et potestátes, advérsus mundi rectóres tenebrárum harum, contra spirituália nequi-

tiæ, in cæléstibus. Proptérea accípite armatúram Dei, ut possítis resístere in die malo, et in ómnibus perfécti stare. State ergo succíncti lumbos vestros in veritáte, et indúti lorícam justítiæ, et calceáti pedes in præparatióne Evangélii pacis: in ómnibus suméntes scutum fídei, in quo possítis ómnia tela nequíssimi ígnea exstínguere: et gáleam salútis assúmite: et gládium spíritus, quod est verbum Dei.

Graduale Ps. 89, 1-2 Dómine, refúgium factus es nobis, a generatióne et progénie. ℣. Priúsquam montes fíerent, aut formarétur terra et orbis: a sǽculo, et usque in sǽculum tu es Deus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 124,1-2 Qui confídunt in Dómino, sicut mons Sion: non commovébitur in ætérnum, qui hábitat in Jerúsalem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 18, 23-35

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Assimilátum est regnum cælórum hómini regi, qui vóluit ratiónem pónere cum servis suis. Et cum cœpísset ratiónem pónere, oblátus est ei unus, qui debébat ei decem míllia talénta. Cum autem non habéret unde rédderet, jussit eum dóminus ejus venúmdari, et uxórem ejus, et fílios, et ómnia, quæ habébat, et reddi. Prócidens autem servus ille, orábat eum, dicens: Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Misértus autem dóminus servi illíus, dimísit eum, et débitum dimísit ei. Egréssus autem servus ille, invénit unum de consérvis suis, qui debébat ei centum denários: et tenens suffocábat eum, dicens: Redde quod debes. Et prócidens consérvus ejus, rogábat eum, dicens: Patiéntiam habe in me, et ómnia reddam tibi. Ille autem nóluit: sed ábiit, et misit eum in cárcerem donec rédderet débitum. Vidéntes autem consérvi ejus quæ fiébant, contristáti sunt valde: et venérunt, et narravérunt dómino suo ómnia, quae facta fúerant. Tunc vocávit illum dóminus suus: et ait illi: Serve nequam, omne débitum dimísi tibi, quóniam rogásti me: nonne ergo opórtuit et te miseréri consérvi tui, sicut et ego tui misértus sum? Et irátus dóminus ejus, trádidit eum tortóribus, quoadúsque rédderet univérsum débitum. Sic et Pater meus cæléstis fáciet vobis, si non remiséritis unusquísque fratri suo de córdibus vestris.

Credo.

Offertorium Job. 1 Vir erat in terra Hus, nómine Job: simplex et rectus, ac timens Deum: quem Satan pétiit, ut tentáret: et data est ei potéstas a Dómino in facultátes, et in carnem ejus: perdidítque omnem substántiam ipsíus, et fílios: carnem quoque ejus gravi úlcere vulnerávit.

Secreta

Cæléstem nobis præbeant hæc mystéria, quǽsumus, Dómine, medicínam et vítia nostri cordis expúrgent. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 118, 81, 84 et 86 In salutári tuo ánima mea, et in verbum tuum sperávi: quando fácies de persequéntibus me judícium? iníqui persecúti sunt me, ádjuva me, Dómine Deus meus.

Postcommunio

Ut sacris, Dómine, reddámur digni munéribus: fac nos, quǽsumus, tuis semper obedíre mandátis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima secunda post Pentecosten

Introitus Ps. 129, 3-4

Si iniquitátes observáveris, Dómine, Dómine, quis sustinébit? quia apud te propitiátio est, Deus Israël. ℣. Ps. Ibid., 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. ℣. Glória Patri. Si iniquitátes.

Oratio

Deus, refúgium nostrum, et virtus: adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis, et præsta; ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 1, 6-11

Fratres: Confídimus in Dómino Jesu, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perfíciet usque in diem Christi Jesu. Sicut est mihi justum hoc sentíre pro ómnibus vobis: eo quod hábeam vos in corde, et in vínculis meis, et in defensióne, et confirmatióne Evangélii, sócios gáudii mei omnes vos esse. Testis enim mihi est Deus, quómodo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, et in omni sensu: ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offénsa in diem Christi, repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam et laudem Dei.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum! ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 22, 15-21

In illo témpore: Abeúntes pharisǽi consílium iniérunt ut cáperent Jesum in sermóne. Et mittunt ei discípulos suos cum Herodiánis, dicéntes: Magíster, scimus quia verax es, et viam Dei in veritáte doces, et non est tibi cura de áliquo: non enim réspicis persónam hóminum: dic ergo nobis quid tibi vidétur, licet censum dare Cǽsari, an non? Cógnita autem Jesus nequítia eórum, ait: Quid me tentátis, hypócritæ? Osténdite mihi numísma census. At illi obtulérunt ei denárium. Et ait illis Jesus: Cujus est imágo hæc, et superscríptio? Dicunt ei: Cǽsaris. Tunc ait illis: Réddite ergo quæ sunt Cǽsaris, Cǽsari; et quæ sunt Dei, Deo.

Credo.

Offertorium Esth. 14, 12-14 Recordáre mei, Dómine, omni potentátui dóminans: et da sermónem rectum in os meum, ut pláceant verba mea in conspéctu príncipum: et verte cor eórum in ódium repugnántium nobis: et eórum qui consséntiunt eis: nos autem líbera in manu tua, Deus noster in ætérnum.

Secreta

Súscipe, Dómine, propítius hóstias: quibus, et te placári voluísti, et nobis salútem poténti pietáte restítui. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Ps. 16, 6 Ego clamávi, quóniam exaudísti me, Deus: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea.

Postcommunio

Immortalitátis alimóniam consecúti, quæsumus, Dómine: ut, quod ore percépimus, pura mente sectémur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima tertia post Pentecosten

¶ Si hæc Dominica a superveniente Dominica ultima post Pentecosten impediatur, anticipatur Sabbato cum omnibus privilegiis occurrenti Dominicæ propriis, et in ea dicitur Glória in excélsis, Credo, Præfatio de Trinitate et Ite, missa est.

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2. Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Absólve, quæsumus, Dómine, tuórum delícta populórum: ut a peccatórum néxibus, quæ pro nostra fragilitáte contráximus, tua benignitáte liberémur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Philipp. 3, 17-21; 4, 1-3

Fratres: Imitatóres mei estóte, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus: quorum Deus venter est: et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cælis est: unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subjícere sibi ómnia. Itaque, fratres mei caríssimi, et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea: sic state in Dómino, caríssimi. Evódiam rogo, et Sýntychen déprecor idípsum sápere in Dómino. Etiam rogo et te, germáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Cleménte, et céteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ.

Graduale Ps. 43, 8-6 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 146, 3 Qui sanat contrítos corde: et álligat contritiónes eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 9, 18-26

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, ecce princeps unus accéssit, et adorábat eum, dicens: Dómine, fília mea modo defúncta est: sed veni, impóne manum tuam super eam, et vivet. Et surgens Jesus sequebátur eum, et discípuli ejus. Et ecce múlier, quæ sánguinis fluxum patiebátur duódecim annis, accéssit retro, et tétigit fímbriam vestiménti ejus. Dicébat enim intra se: Si tetígero tantum vestiméntum ejus, salva ero. At Jesus convérsus, et videns eam, dixit: Confíde, fília, fides tua te salvam fecit. Et salva facta est múlier ex illa hora. Et cum venísset Jesus in domum príncipis, et vidísset tibícines, et turbam tumultuántem, dicébat: Recédite: non est enim mórtua puélla, sed dormit. Et deridébant eum. Et cum ejécta esset turba, intrávit, et ténuit manum ejus. Et surréxit puélla. Et éxiit fama hæc in univérsam terram illam.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Da, miséricors Deus: ut hæc salutáris oblátio, et a própriis nos reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii: humíliter deprecántes: ut, quæ in tui commemoratióne nos fácere præcepísti, in nostræ profíciant infirmitátis auxílium. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

¶ Si Dominicæ post Pentecosten fuerint plures quam XXIV, tunc post XXIII resumuntur Missæ Dominicarum, quæ superfuerunt post Epiphaniam, ut infra habentur, juxta ordinem qui in Rubricis invenitur. Et ultimo loco semper ponitur Missa Dominicæ XXIV, ut infra, 443.

Dominica Tertia
quæ superfuit post Epiphaniam

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, infirmitátem nostram propítius réspice: atque ad protegéndum nos déxteram tuæ majestátis exténde. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 1, 9-14

Fratres: Non cessámus pro vobis orántes, et postulántes ut impleámini agnitióne voluntátis Dei, in omni sapiéntia et intelléctu spiritáli: ut ambulétis digne Deo per ómnia placéntes: in omni ópere bono fructificántes, et crescéntes in sciéntia Dei: in omni virtúte confortáti secúndum poténtiam claritátis ejus in omni patiéntia, et longanimitáte cum gáudio, grátias agéntes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine: qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum Fílii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 8, 1-13

In illo témpore: Cum descendísset Jesus de monte, secútæ sunt eum turbæ multæ: et ecce leprósus véniens adorábat eum, dicens: Dómine, si vis, potes me mundáre. Et exténdens Jesus manum, tétigit eum, dicens: Volo. Mundáre. Et conféstim mundáta est lepra ejus. Et ait illi Jesus: Vide, némini díxeris: sed vade, osténde te sacerdóti, et offer munus, quod præcépit Móyses, in testimónium illis. Cum autem introísset Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens centúrio, ait: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: Vade, et vadit: et álii: Veni, et venit: et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus mirátus est, et sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum: Fílii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Jesus centurióni: Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Pro nostræ servitútis augménto sacrifícium, Dómine, tibi laudis offérimus: ut, quod imméritis contulísti, propítius exsequáris. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Suméntes, Dómine, dona cæléstia: quæsumus, ut non nobis provenire ad judícium patiáris quod tuis fidélibus ad remédium providísti. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quarta quæ superfuit post Epiphaniam

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nos in tantis perículis constitútos, pro humána scis fragilitáte non posse subsístere: da nobis salútem mentis et córporis; ut ea, quæ pro peccátis nostris pátimur, te adjuvánte vincámus. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 13, 8-10

Fratres: Némini quidquam debeátis, nisi ut ínvicem diligátis: qui enim díligit próximum, legem implévit. Nam: Non adulterábis: Non occídes: Non furáberis: Non falsum testimónium dices: Non concupísces: et si quod est áliud mandátum, in hoc verbo instaurátur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. Diléctio próximi malum non operátur. Plenitúdo ergo legis est diléctio.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sæcula.

Allelúja. allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 8, 23-27

In illo témpore: Ascendénte Jesu in navículam, secúti sunt eum discípuli ejus: et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navícula operirétur flúctibus, ipse vero dormiébat. Et accessérunt ad eum discípuli ejus, et suscitavérunt eum, dicéntes: Dómine, salva nos, perímus. Et dicit eis Jesus: Quid tímidi estis, módicæ fídei? Tunc surgens, imperávit ventis et mari, et facta est tranquíllitas magna. Porro hómines miráti sunt, dicéntes: Qualis est hic, quia venti et mare obédiunt ei?

Credo.

Offertorium Ps. 130, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut hujus sacrifícii munus oblátum, fragilitátem nostram ab omni malo purget semper, et múniat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Múnera tua nos, Deus, a delectatiónibus terrénis expédiant: et cæléstibus semper instáurent aliméntis. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Quinta
quæ superfuit post Epiphaniam

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, contínua pietáte custódi: ut quæ in sola spe grátiæ cæléstis innítitur, tua semper protectióne muniátur. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 3, 12-17

Fratres: Indúite vos sicut elécti Dei, sancti, et dilécti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis, si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore: et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia, docéntes, et commonéntes vosmetípsos psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo, et Patri per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater:

quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis offérimus: ut et delícta nostra miserátus absólvas, et nutántia corda tu dírigas. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut illíus salutáris capiámus efféctum, cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Sexta
quæ superfuit post Epiphaniam

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis loc[is]. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut semper rationabília meditántes, quæ tibi sunt plácita, et dictis exsequámur, et factis. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 392.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 1, 2-10

Fratres: Grátias ágimus Deo semper pro ómnibus vobis, memóriam vestri faciéntes in oratiónibus nostris sine intermissióne, mémores óperis fídei vestræ, et labóris, et caritátis, et sustinéntiæ spei Dómini nostri Jesu Christi, ante Deum et Patrem nostrum: sciéntes fratres dilécti a Deo, electiónem vestram: quia Evangélium nostrum non fuit ad vos in sermóne tantum, sed et in virtúte, et in Spíritu Sancto, et in plenitúdine multa, sicut scitis quales fuérimus in vobis propter vos. Et vos imitatóres nostri facti estis, et Dómini, excipiéntes verbum in tribulatióne multa, cum gáudio Spíritus Sancti: ita ut facti sitis forma ómnibus credéntibus in Macedónia et in Acháia. A vobis enim diffamátus est sermo Dómini, non solum in Macedónia, et in Acháia, sed et in omni loco fides vestra, quæ est ad Deum, profécta est, ita ut non sit nobis necésse quidquam loqui.

ipsi enim de nobis annúntiant qualem intróitum habuérimus ad vos: et quómodo convérsi estis ad Deum a simulácris, servíre Deo vivo, et vero, et exspectáre Fílium ejus de cælis (quem suscitávit ex mórtuis) Jesum, qui erípuit nos ab ira ventúra.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 13, 31-35

In illo témpore: Dixit Jesus turbis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum grano sinápis, quod accípiens homo seminávit in agro suo: quod mínimum quidem est ómnibus semínibus: cum autem créverit, majus est ómnibus oléribus, et fit arbor, ita ut vólucres cæli véniant, et hábitent in ramis ejus. Aliam parábolam locútus est eis: Símile est regnum cælórum ferménto, quod accéptum múlier abscóndit in farínæ satis tribus, donec fermentátum est totum. Hæc ómnia locútus est Jesus in parábolis ad turbas: et sine parábolis non loquebátur eis: ut implerétur quod dictum erat per Prophétam dicéntem: Apériam in parábolis os meum, eructábo abscóndita a constitutióne mundi.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Hæc nos oblátio, Deus, mundet, quǽsumus, et rénovet, gubérnet, et prótegat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis: quǽsumus; ut semper éadem, per quæ veráciter vívimus, appetámus. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.

Dominica Vigesima quarta et ultima post Pentecosten

Introitus Jerem. 29, 11, 12 et 14

Dicit Dóminus: Ego cógito cogitatiónes pacis, et non afflictiónis: invocábitis me, et ego exáudiam vos: et redúcam captivitátem vestram de cunctis locis. ℣. Ps. 84, 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Excita, quǽsumus, Dómine, tuórum fidélium voluntátes: ut divíni óperis fructum propénsius exsequéntes; pietátis tuæ remédia majóra percípiant. Per Dóminum.

Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, ut supra, 302.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 23. 5-8

Ecce dies véniunt, dicit Dóminus: et suscitábo David germen justum: et regnábit rex, et sápiens erit: et fáciet judícium et justítiam in terra. In diébus illis salvábitur Juda, et Israël habitábit confidénter. Et hoc est nomen quod vocábunt eum: Dóminus justus noster. Propter hoc ecce dies véniunt, dicit. Dóminus, et non dicent ultra: Vivit Dóminus, qui edúxit fílios Israël de terra Aegýpti: sed: Vivit Dóminus, qui duxit et addúxit semen domus Israël de terra aquilónis, et de cunctis terris, ad quas ejéceram eos illuc: et habitábunt in terra sua. Dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 146, 3 Qui sanat contrítos corde, et álligat contritiónes eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 24, 15-35

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vidéritis abominatiónem desolatiónis, quæ dicta est a Daniéle prophéta, stantem in loco sancto: qui legit, intélligat: tunc qui in Judǽa sunt, fúgiant ad montes: et qui in tecto, non descéndat tóllere áliquid de domo sua: et qui in agro, non revertátur tóllere túnicam suam. Vae autem prægnántibus, et nutriéntibus in illis diébus. Oráte autem ut non fiat fuga vestra in híeme, vel sábbato. Erit enim tunc tribulátio magna, qualis non fuit ab inítio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviáti fuíssent dies illi, non fíeret salva omnis caro: sed propter eléctos breviabúntur dies illi. Tunc si quis vobis díxerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolíte crédere. Surgent enim pseudochrísti, et pseudoprophétæ: et dabunt signa magna, et prodígia, ita ut in errórem inducántur (si fíeri potest) étiam elécti. Ecce prædíxi vobis. Si ergo díxerint vobis: Ecce in desérto est, nolíte exíre: ecce in penetrálibus, nolíte crédere. Sicut enim fulgur exit ab Oriénte, et paret usque ad Occidéntem: ita erit in advéntu Fílii hóminis. Ubicúmque fúerit corpus, illic congregabúntur et áquilæ. Statim autem post tribulatiónem diérum illórum sol obscurábitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtútes cælórum commovebúntur: et tunc parébit signum Fílii hóminis in cælo: et tunc plangent omnes tribus terræ: et vidébunt Fílium hóminis veniéntem in núbibus cæli cum virtúte multa et majestáte. Et mittet Angelos suos cum tuba, et voce magna: et congregábunt eléctos ejus a quátuor ventis, a summis cælórum usque ad términos eórum. Ab árbore autem fici díscite parábolam: cum jam ramus ejus tener fúerit, et fólia nata, scitis quia prope est æstas: ita et vos cum vidéritis hæc ómnia, scitóte quia prope est in jánuis. Amen dico vobis, quia non præteríbit ge-

nerátio hæc, donec ómnia hæc fiant. Cælum et terra transíbunt, verba autem mea non præteríbunt.

Credo.

Offertorium Ps. 129, 1-2 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi oratiónem meam: de profúndis clamávi ad te, Dómine.

Secreta

Propítius esto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et pópuli tui oblatiónibus, precibúsque suscéptis, ómnium nostrum ad te corda convérte; ut a terrénis cupiditátibus liberáti, ad cæléstia desidéria transeámus. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 393.
Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Marc. 11, 24 Amen dico vobis, quidquid orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et fiet vobis.

Postcommunio

Concéde nobis, quæsumus, Dómine: ut per hæc sacraménta quæ súmpsimus, quidquid in nostra mente vitiósum est, ipsórum medicatiónis dono curétur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 393.





PROPRIUM DE SANCTIS

Missæ, quæ de singulis Festis in hoc Proprio habentur, exceptis tamen Missis de peculiaribus Mysteriis Domini aut de Festis beatæ Mariæ Virginis pro quibus specialis non habeatur indicatio, necnon Missis de S. Joseph ac de Ss. Petro et Paulo App., dicuntur etiam ut votivæ; sed in eis, nisi aliter suis locis habeatur, post Epistolam sumitur Graduale cum Versu sequenti aut cum suo Tractu, vel, Tempore Paschali, **Allelúja** cum suis Versibus, quæ desint, de respectivo Communi. Pro Martyribus autem, Tempore Paschali, dicitur Missa **Protexísti** vel **Sancti tui,** prout casus ferat, et in ea dicuntur Orationes, Epistola et Evangelium propria, si habeantur. In singulis tamen Orationibus omittuntur verba **hodiérna die, ánnua** et similia, ubicumque habentur, et immutantur voces **natális, natalítium, festívitas** in **commemorátio, memória.** Itemque, loco Introitus **Gaudeámus,** dicitur Introitus de respectivo Communi, et extra Tempus Paschale omittuntur **Allelúja,** quæ ad Introitum, Offertorium et Communionem ob Tempus Paschale addita reperiantur.

FESTA NOVEMBRIS

Die 28 Novembris

¶ Ante Adventum in omnibus Missis de Officio Semiduplici aut Simplici et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dicuntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª ad poscenda suffragia Sanctorum **A cunctis,** [119], et 3ª ad libitum eligenda.

In Adventu autem, nisi aliter notetur, fit Commemoratio Feriæ, et dicitur, juxta Rubricas, 3ª Oratio de sancta Maria **Deus, qui de beátæ,** 1.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, anticipatur Vigilia S. Andreæ Apostoli; ideoque dicitur post Tertiam extra Chorum, Missa de Canticis Canticorum sine Commemoratione Feriæ et Vigiliæ, et sine ejusdem Evangelio in fine, et post Nonam dicitur in Choro Missa de ipsa Vigilia, ut die sequenti notatur. Missæ autem privatæ dici possunt, aut de Canticis Canticorum cum Commemoratione Vigiliæ, de qua legitur Evangelium in

fine, aut de Vigilia cum Commemoratione Officii de Canticis Canticorum. Quæ normæ servari debent die sequenti, si Vigilia non anticipatur.

Die 29 Novembris
Bb. Dionysii et Redempti Mm.

Missa Sapiéntiam, de Communi Martyrum I loco, [13], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui mirábili dispositióne beátos Dionýsium et Redémptum per maris perícula ad palmam martýrii perduxísti: eórum intercessióne concéde; ut, inter mundánas varietátes et sæculária desidéria, fidéles usque ad mortem in confessióne tui nóminis maneámus. Per Dóminum.

In Adventu fit, in Missis non conventualibus, Commemoratio Feriæ, Vigiliæ S. Andreæ et S. Saturnini Mart., ut in Missis sequentibus: extra Adventum vero, Commemoratio Vigiliæ et S. Saturnini.

Secreta

Propitius esto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et intercessióne beatórum Mártyrum Dionýsii et Redémpti, ómnium nostrórum ad te corda convérte; ut a mundánis cupiditátibus expedíti, te solum pura mente sectémur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ pro Temporis diversitate, ut supra.

Postcommunio

Cæléstibus reſécti sacraméntis et gáudiis, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, qui de beatórum Dionýsii et Redémpti triúmpho lætámur, eórum patrocínio ætérnæ vitæ gáudia consequámur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones pro Temporis diversitate, ut supra.

Eadem die 29 Novembris
In Vigilia S. Andreæ Ap.

Introitus — Matth. 4, 18 et 19

Dóminus secus mare Galilææ vidit duos fratres, Petrum et Andréam, et vocávit eos: Venite post me: fáciam vos fieri piscatóres hóminum. ℣. Ps. 18, 2 Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri. Dóminus secus mare.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Quæsumus, omnipotens Deus: ut beátus Andréas Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut, a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

¶ In Adventu, in Missis Conventualibus, 2ª Oratio Feriæ, 3ª de sancta Maria Deus, qui de beátæ, 1: extra Adventum 2ª Oratio de sancta Maria Concéde, 399, et 3ª ad libitum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 25-27; 45, 2-4 et 6-9

Benedíctio Dómini super caput justi. Ideo dedit illi Dóminus hereditátem, et divisit illi partem in tribubus duódecim: et invénit grátiam in conspéctu omnis carnis. Et magnificávit eum in timóre inimicórum et in verbis suis monstra

placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ, et excélsum fecit illum. Státuit ei testaméntum ætérnum, et circumcínxit eum zona justítiæ: et índuit eum Dóminus corónam glóriæ.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos: et super arénam multiplicabúntur.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 1, 35-51

In illo témpore: Stabat Joánnes, et ex discípulis ejus duo. Et respíciens Jesum ambulántem, dicit: Ecce Agnus Dei. Et audiérunt eum duo discípuli loquéntem, et secúti sunt Jesum. Convérsus autem Jesus, et videns eos sequéntes se, dicit eis: Quid quǽritis? Qui dixérunt ei: Rabbi, (quod dícitur interpretátum Magíster) ubi hábitas? Dicit eis: Veníte, et vidéte. Venérunt, et vidérunt ubi manéret, et apud eum mansérunt die illo: hora autem erat quasi décima. Erat autem Andréas frater Simónis Petri unus ex duóbus, qui audíerant a Joánne, et secúti fúerant eum. Invénit hic primum fratrem suum Simónem, et dicit ei: Invénimus Messíam (quod est interpretátum Christus). Et addúxit eum ad Jesum. Intúitus autem eum Jesus, dixit: tu es Simon fílius Jona: tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus. In crástinum vóluit exíre in Galilǽam, et invénit Philíppum. Et dicit ei Jesus: Séquere me. Erat autem Philíppus a Bethsáida, civitáte Andréæ et Petri. Invénit Philíppus Nathánaël, et dicit ei: Quem scripsit Móyses in lege, et prophétæ, invénimus Jesum fílium Joseph a Názareth. Et dixit ei Nathánaël: A Názareth potest áliquid boni esse? Dicit ei Philíppus: Veni, et vide. Vidit Jesus Nathánaël veniéntem ad se, et dicit de eo: Ecce vere Israëlíta, in quo dolus non est. Dicit ei Nathánaël: Unde me nosti? Respóndit Jesus, et dixit ei: Priúsquam te Philíppus vocáret, cum esses sub ficu, vidi te. Respóndit ei Nathánaël, et ait: Rabbi, tu es Fílius Dei, tu es Rex Israël. Respóndit Jesus, et dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, credis: majus his vidébis. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, vidébitis cælum apértum, et Angelos Dei ascendéntes, et descendéntes supra Fílium hóminis.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Sacrándum tibi, Dómine, munus offérimus: quo beáti Andréæ Apóstoli solémnia recoléntes, purificatiónem quoque nostris méntibus implorámus. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ pro Temporis diversitate, ut supra.

Communio Joann. 1, 21 et 42 Dicit Andréas Simóni fratri suo: Invéni-

mus Messíam, qui dícitur Christus: et addúxit eum ad Jesum.

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis supplíciter exorámus: ut, intercedénte beáto Andréa Apóstolo tuo, quæ pro illíus veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones pro Temporis diversitate, ut supra.

Eadem die 29 Novembris

Pro S. Saturnino Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris V loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui nos beáti Saturníni Mártyris tui concédis natalítio pérfrui: ejus nos tríbue méritis adjuvári. Per Dóminum.

Secreta

Múnera, Dómine, tibi dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Saturníno Mártyre tuo, per hæc éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine, tui percéptio sacraménti: et intercessióne Sanctórum tuórum tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Die 30 Novembris

S. Andreæ Apostoli

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Mihi autem. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus Andréas Apóstolus éxstitit prædicátor et rector; ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

Et, in Adventu, fit Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10, 10-18

Fratres: Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judǽi, et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non credidérunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Diléxit Andréam Dóminus in ódorem suavitátis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 4, 18-22

In illo témpore: Ambulans Jesus juxta mare Galilǽæ, vidit duos fratres, Simónem, qui vocátur Petrus, et Andréam fratrem ejus, mitténtes rete in mare (erant enim piscatóres), et ait illis: Veníte post me, et fáciam vos fíeri piscatóres hóminum. At illi contínuo, relíctis rétibus, secúti sunt eum. Et procédens inde, vidit álios duos fratres, Jacóbum Zebedǽi, et Joánnem fratrem ejus, in navi cum Zebedǽo patre eórum, reficiéntes rétia sua: et vocávit eos. Illi autem statim, relíctis rétibus et patre, secúti sunt eum.

Credo.

Offertorium Ps. 138, 17 Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta

Sacrifícium nostrum tibi, Dómine, quǽsumus, beáti Andréæ Apóstoli precátio sancta concíliet: ut, in cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Et, in Adventu, fit Commemoratio Feriæ.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 4, 19-20 Veníte post me: fáciam vos fíeri piscatóres hóminum: at illi contínuo, relíctis rétibus, secúti sunt Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divína mystéria, beáti Andréæ festivitáte lætántes: quæ, sicut tuis Sanctis ad glóriam, ita nobis, quǽsumus, ad véniam prodésse perfícias. Per Dóminum.

Et, in Adventu, fit Commemoratio Feriæ.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam omnia dicuntur ut supra, sed post Graduale, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali Introitus et Offertorium sumuntur ex Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], reliqua dicuntur ut supra; sed post Epistolam omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Diléxit Andréam Dóminus in odórem suavitátis. Allelúja, allelúja. ℣. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

FESTA DECEMBRIS

Die 1 Decembris

¶ Si hodie Officium fuerit de Feria VI infra Hebdomadam ultimam post Pentecosten, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impedita.

in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 2 Decembris

S. Bibianæ Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Communi Virginum 1 loco, [37], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, ómnium largítor bonórum, qui in fámula tua Bibiána cum virginitátis flore martýrii palmam conjunxísti: mentes nostras ejus intercessióne tibi caritáte conjúnge; ut, amótis perículis, prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Bibiánæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divini múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Bibiána Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 3 Decembris

S. Francisci Xaverii Conf.

Introitus Ps. 118, 46-47

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. ℣. Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: laudáte eum, omnes pópuli: quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, et véritas Dómini manet in ætérnum. ℣. Glória Patri. Loquébar.

Oratio

Deus, qui Indiárum gentes beáti Francísci prædicatióne et miráculis Ecclésiæ tuæ aggregáre voluísti: concéde propítius; ut, cujus gloriósa mérita venerámur, virtútum quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 10, 10-18

Fratres: Corde enim créditur ad justítiam: ore autem conféssio fit ad salútem. Dicit enim Scriptúra: Omnis, qui credit in illum, non confundétur. Non enim est distínctio Judǽi, et Græci: nam idem Dóminus ómnium, dives in omnes, qui ínvocant illum. Omnis enim, quicúmque invocáverit nomen Dómini, salvus erit. Quómodo ergo invocábunt, in quem non crediderunt? Aut quómodo credent ei, quem non audiérunt? Quómodo autem áudient sine prædicánte? Quómodo vero prædicábunt, nisi mittántur? sicut scriptum est: Quam speciósi pedes evangelizántium pacem, evangelizántium bona! Sed non omnes obédiunt Evangélio. Isaías enim dicit: Dómine, quis crédidit audítui nostro? Ergo fides ex audítu, audítus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audiérunt? Et quidem in omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 16, 15-18

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos, qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et, si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium Ps. 28, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Francísco Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ

Die 4 Decembris

S. Petri Chrysologi Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio Ecclésiæ.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Chrysólogum Doctórem egrégium, divínitus præmonstrátum, ad regéndam et instruéndam Ecclésiam tuam éligi voluísti: præsta, quǽsumus: ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Deinde Commemoratio S. Barbaræ Virg. et Mart.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ

natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Eccli, 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.
Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Sancti Petri Chrysólogi, Pontíficis tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Pro S. Barbara — Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Bárbaræ Vírginis et Mártyris tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20 et 21
Dómine, quinque taténta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Petrus Chrysólogus, Póntifex tuus et Doctor egrégius, quæsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Pro S. Barbara Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Bárbara Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Eadem die 4 Decembris

Pro S. Barbara Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Communi Virginum 1 loco, [37].

Die 5 Decembris

S. Geraldi Ep. et Conf.

Introitus Eccl. vox

Inclytus Dei Conféssor, lucérna ardens ante Deum, hódie coronátus cælos ingréditur: cum quo cæléstes cohórtes ovant, ubi sine fine regnat cum Christo gemma et vita prælatórum. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. Inclytus Dei Conféssor. ℣. Glória Patri. Inclytus Dei Conféssor.

Extra Civitatem non duplicatur Introitus.

Oratio

Pretiósa nos, quæsumus, Dómine, beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita tueántur: ac ipsíus précibus Ecclésia dirigátur; quo Patróno ac Præsule gloriátur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Deinde, extra Civitatem, fit Commemoratio S. Sabbæ, ut in sequenti Missa.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis; conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum; et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccl. vox Honorábilem festivitátem diéi hodiérnæ corde et ánimo devóte venerémur, qua beátus Geráldus, Christi Conféssor, ex hoc sæculo lætus migrávit ad cælos. ℣. Beátus ítaque Geráldus, peracto vitæ suæ témpore, cælórum agmínibus comitátur.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. laus Hic est servus Dei Geráldus, qui óbitu suo cum diábolo dímicans, eum devícit. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit et pulsavérit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Credo per Octavam, tantum in Civitate.

Offertorium Eccl. vox Gaude, Cívitas Bracarénsis, cum tanto Patróno, quem Deus in te sepelíri permísit: per quem imménsa mirácula a Deo obtinuísti.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, sacrátæ plebis oblátio: et beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, supplicatióne fiat salutáris; pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Deinde, extra Civitatem, Commemoratio S. Sabbæ, ut infra.

Communio Eccl. laus O quam glóriósus est Dei Conféssor, cum quo in cælis gaudent ágmina Sanctórum!

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem; précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Deinde, extra Civitatem, Commemoratio S. Sabbæ, ut infra.

Eadem die 5 Decembris
Pro S. Sabba Abbate

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Sabbæ Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Sabbas, quǽsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Sabbas pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 6 Decembris
S. Nicolai Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, qui beátum Nicoláum Pontíficem innúmeris decorásti miráculis: tríbue, quǽsumus; ut ejus méritis et précibus a gehénnæ incéndiis liberémur. Per Dóminum.

¶ Et fit Commemoratio Octavæ, tantum in Civitate.

Oratio

Pretiósa nos, quǽsumus, Dómine, beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita tueántur: ac ipsíus précibus Ecclésia dirigátur; quo Patróno ac Prǽsule gloriátur.

Deinde fit Commemoratio Feriæ, prætrquam in Missa conventuali, si hodie fuerit Sabbatum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 13, 7-17

Fratres: Mementóte præpositórum vestrórum, qui vobis locúti sunt verbum Dei: quorum intuéntes éxitum conversatiónis, imitámini fidem. Jesus Christus heri, et hódie: ipse et in sǽcula. Doctrinis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in Sancta per pontíficem, horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus igitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem, sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem, et communiónis nolíte oblivísci: tálibus enim hóstiis promerétur Deus. Obedíte præpósitis vestris, et subjacéte eis. Ipsi enim pervígilant, quasi ratiónem pro animábus vestris reditúri.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et ope-

rátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Similiter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Credo, tantum in civitate.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Sanctífica, quǽsumus, Dómine Deus, hæc múnera, quæ in solemnitáte sancti Antístitis tui Nicolái offérimus: ut per ea, vita nostra inter advérsa et próspera ubíque dirigátur. Per Dóminum.

¶ Pro Commemoratione Octavæ:

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, sacrátæ plebis oblátio: et beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, supplicatióne fiat salutáris; pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Ps. 88, 36-38 Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Sacrifícia, quæ súmpsimus, Dómine, pro solemnitáte sancti Pontíficis tui Nicolái, sempitérna nos protectióne consérvent. Per Dóminum.

¶ Pro Commemoratione Octavæ:

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut beáti Geráldi, Conféssóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem; précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, fit de Vigilia anticipata Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virg., ut die sequenti notatur, et servantur omnia quæ infra, 459, juxta Rubricas præscribuntur.

Die 7 Decembris

S. Ambrosii Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Ambrósium ministrum tribuísti: præsta, quǽsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

¶ Pro Commemoratione Octavæ, tantum in Civitate:

Oratio

Pretiósa nos, quǽsumus, Dómine, beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita tueántur: ac ipsíus précibus Ecclésia dirigátur; quo Patróno ac Prǽsule gloriátur. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ et Vigiliæ, ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ab fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus

vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum. Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Omnípotens sempitérne Deus, múnera tuæ majestáti obláta, per intercessiónem beáti Ambrósii Confessóris tui atque Pontíficis, ad perpétuam nobis fac proveníre salútem. Per Dóminum.

¶ Pro Commemoratione Octavæ:

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, sacrátæ plebis oblátio: et beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, supplicatióne fiat salutáris; pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ et Vigiliæ.

Communio Ps. 88, 36-38 Semel jurávi in sancto meo: semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum, et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Sacraménta salútis nostræ suscipiéntes, concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Ambrósii Confessóris tui atque Pontíficis, nos ubíque orátio ádjuvet; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

¶ Pro Commemoratione Octavæ:

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem; précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ et Vigiliæ: ac legitur Evangelium ejusdem Vigiliæ in fine.

¶ Ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Feriæ et Vigiliæ, et sine ejusdem Evangelio in fine, in Choro post Nonam dicitur Missa de ipsa Vigilia, ut infra: quæ item sumi potest pro Missis privatis, sed cum 2ª Oratione Festi, 3ª Feriæ. In Civitate vero, fit Commemoratio Octavæ, tum in Missa de Festo extra Chorum celebrata, tum in Missis privatis Vigiliæ post Commemorationem Festi: reliqua fiunt, ut supra.

Eadem die 7 Decembris

In Vigilia

Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virg.

Introitus Ps. 65, 16

Veníte, audíte, et narrábo, omnes qui timétis Deum, quanta fecit Dóminus ánimæ meæ. ℣. Ps. ibid., 1-2 Jubiláte Deo, omnis terra: psalmum dícite nómini ejus, date glóriam laudi ejus. ℣. Glória Patri. Veníte.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui Unigéniti tui Matrem ab origináli culpa in sua Conceptióne mirabíliter præservásti: da,

quǽsumus; ut sua nos intercessióne munítos, corde mundos fácias suæ interésse festivitáti. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ; et pro 3ª Oratione, juxta diversitatem Temporum assignata, dicitur Oratio de Spiritu Sancto, ut infra, 464.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24, 23-31

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleámini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale Prov. 9, 1 Sapiéntia ædificávit sibi domum, excídit colúmnas septem. ℣. Ps. 86, 1-2 Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 1, 1-16

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadad. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abiam. Abias autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Oziam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Offertorium Cant. 6, 2 Ego diléctο meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Secreta

Múnera nostra, Dómine, apud tuam cleméntiam immaculátæ Dei Genitricis comméndet orátio: quam ab omni origináli labe præservásti; ut dignum Fílii tui habitáculum éffici mererétur: Qui tecum.

2ª Secreta de Feria, 3ª de Spiritu Sancto.


Præfatio communis, juxta Rubricas.

Communio Cant. 6, 9 Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Postcommunio

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut, qui immaculátæ Conceptiónis Genitrícis unigéniti Fílii tui festivitátem prævenímus: intercessiónis ejus auxílio a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

2ª Postcommunio de Feria, 3ª de Spiritu Sancto.



Die 8 Decembris

IN CONCEPTIONE IMMACULATA B. MARIÆ VIRG.

Introitus Isai. 61, 10

Gaudens gaudébo in Dómino, et exsultábit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis: et induménto justítiæ circúmdedit me, quasi sponsam ornátam monílibus suis. ℣. Ps. 29, 2 Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me: nec delectásti inimícos meos super me. Gaudens gaudébo. ℣. Glória Patri. Gaudens gaudébo.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quæsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te perveníre concédas. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 8, 22-35

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quídquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos, áderam: quando certa lege et gyro vallábat abýssos: quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens: et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore: ludens in orbe terrárum:

et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale Judith 13, 23 Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Ibid. 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 4, 7 Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 86, 1-2 Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Ibid., 3 Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei. ℣. Ibid., 5 Homo natus est in ea, et ipse fundávit eam Altíssimus.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Judith 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 4, 7 Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 26-28

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, allelúja.

Secreta

Salutárem hóstiam, quam in solemnitáte immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

¶ Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Conceptióne immaculáta: quæ dicitur per totam Octavam in omnibus Missis, quæ non sint de Tempore, neque aliam Præfationem exigant, juxta Rubricas.

Communio Gloriósa dicta sunt de te, María: quia fecit tibi magna qui potens est.

Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster: illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo, sed pro 3ª Oratione, juxta diversitatem Temporum assignata, di-

citur Oratio de Spiritu Sancto ut infra:

Oratio

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica: et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Postcommunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio: et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Die 10 Decembris

Pro S. Melchiade Papa et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco. [4] præter Orationem sequentem:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Melchíadis, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Melchiadis Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 11 Decembris

S. Damasi I Papæ et Conf.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Exáudi, Dómine, preces nostras: et, interveniénte beáto Dámaso, Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Conceptionis immaculatæ.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quǽsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. (Per eúmdem Dóminum.)

¶ Pro Commemoratione Octavæ S. Geraldi, tantum in Civitate:

Oratio

Pretiósa nos, quǽsumus, Dómine, beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, mérita tueántur: ac

ipsius précibus Ecclésia dirigátur; quo Patróno ac Prǽsule gloriátur. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 7, 23-27

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, innocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 24, 42-47

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Da nobis, quǽsumus, Dómine, semper hæc tibi vota persólvere, quibus sancti Confessóris tui atque Pontíficis Dámasi depositiónem recólimus: et præsta; ut ejus semper laude tuam glóriam prædicémus. Per Dóminum.

Pro Octava Conceptionis immaculatæ

Secreta

Salutárem hóstiam, quam in solemnitáte immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur: ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. (Per Dóminum).

¶ Pro Octava S. Geraldi

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, sacrátæ plebis oblátio: et beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, supplicatióne fiat salutáris; pro cujus solemnitáte deféртur. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Præfatio de Octava Et te in Conceptióne immaculáta.

Communio Matth. 25, 20 et 21

Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Sumpto, Dómine, cæléstis remédii sacraménto: ad perpétuam nobis pervenire grátiam; beátus Dámasus Póntifex obtíneat. Per Dóminum.

Pro Octava Conceptionis immaculatæ

Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster: illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. (Per Dóminum).

¶ Pro Octava S. Geraldi

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut beáti Geráldi, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem; précibus indulgéntiam consequámur. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Die 12 Decembris

In die Octava S. Geraldi Ep. et Conf.

(In Civitate Bracarensi tantum).

Missa ut in Festo, 454, sed non duplicatur Introitus, dicitur Præfatio de Immaculata et fit Commemoratio Octavæ Conceptionis et Feriæ.

Die 13 Decembris

S. Luciæ Virg. et Mart.

Introitus Ps. 44, 8

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Dilexísti.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Lúciæ Vírginis et Mártyris tuæ, festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affectu. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Conceptionis immaculatæ.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: quǽsumus; ut, qui ex morte ejúsdem Fílii tui prævísa, eam ab omni labe præservásti, nos quoque mundos ejus intercessióne ad te pervenire concédas. (Per eúmdem Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale Ps. 14, 8 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúja.

¶ In Missis votivis, post Septuagesimam, Tractus, et Tempore Paschali Allelúja cum suis Versibus, ex Missa Dilexísti, de Communi Virginum III loco, [41].

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 44, 15 et 16 Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro Octava Conceptionis immaculatæ

Secreta

Salutárem hóstiam, quam in solemnitáte immaculátæ Conceptiónis beátæ Vírginis Maríæ tibi, Dómine, offérimus, súscipe et præsta: ut, sicut illam tua grátia præveniénte ab omni labe immúnem profitémur; ita ejus intercessióne a culpis ómnibus liberémur. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Præfatio de Octava Et te in Conceptióne immaculáta.

Communio Ps. 118, 161-162 Príncipes persecúti sunt me gratis, et a verbis tuis formidávit cor meum: lætábor ego super elóquia tua, quasi qui invénit spólia multa.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro Octava
Conceptionis immaculatæ
Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine Deus noster: illíus in nobis culpæ vúlnera réparent; a qua immaculátam beátæ Maríæ Conceptiónem singuláriter præservásti. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Feriæ.

Die 14 Decembris

¶ Si hodie occurrat Feria IV Quatuor Temporum, unica dicitur Missa conventualis, quæ erit de Feria cum Commemoratione Octavæ, et, pro 3ª Oratione, juxta diversitatem Temporum assignata, sumitur Oratio de Spiritu Sancto, 464, ac dicitur Præfatio communis. Missæ vero privatæ dici etiam possunt de Octava, cum 2ª Oratione Feriæ, 3ª pariter de Spiritu Sancto, 464; et non legitur Evangelium Feriæ in fine.

¶ Si in aliquo ex sequentibus Festis occurrat Feria Quatuor Temporum, in Missa conventuali de Festo omittitur Commemoratio Feriæ, de qua dicitur alia Missa conventualis, ut in Proprio de Tempore. Missæ vero privatæ, nisi aliter notetur, ad libitum dici possunt de Festo cum Commemoratione et ultimo Evangelio Feriæ, aut de Feria cum Commemoratione Festi, et ejusdem Præfatione, si propria habeatur. In hujusmodi autem Missis de Feria Adventus, numquam dicitur Præfatio de B. Maria Virg.

Die 15 Decembris
In Octava Conceptionis immaculatæ B. Mariæ Virg.

Missa ut in Festo; et, occurrente Feria IV Quatuor Temporum, ejus Evangelium non legitur in fine, sed, loco Evangelii de Feria, dicitur Evangelium S. Joannis In princípio erat Verbum. In Missa tamen conventuali de Festo non fit Commemoratio Feriæ, neque legitur ejus Evangelium in fine.

Die 16 Decembris
S. Eusebii Ep. et Mart.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 11 loco, [5]. Et fit Commemoratio Feriæ, præterquam in Missa conventuali, si occurrat Feria Quatuor Temporum.

Die 18 Decembris
In Exspectatione Partus B. Mariæ Virg.

Introitus Isai. 45, 8

Roráte cæli désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. Ps. 18, 2 Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri. Roráte cæli désuper.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere volu-

sti: præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, præterquam in Missa Conventuali extra Chorum, si occurrat Feria Quatuor Temporum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 7, 10-15

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte, ergo domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia moléstí estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Graduale Ps. 23, 7 et 3-4 Tóllite portas, príncipes, vestras: et elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus et mundo corde.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 31 Ecce virgo concípiet, et páriet fílium Jesum Christum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Credo.

Offertorium Luc. 1, 28 et 42 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine, veræ fídei sacraménta confírma: ut, qui concéptum de Vírgine Deum verum et hóminem confitémur, per ejus salutíferæ resur-

rectiónis poténtiam, ad ætérnam mereámur pervenire lætítiam. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra. Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Exspectatióne.

Communio Isai. 7, 14 Ecce virgo concípiet, et páriet filium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Filii tui incarnatiónem cognóvimus; per passiónem ejus et crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

¶ Si hæc Missa dicatur Feria IV Quatuor Temporum Adventus, in fine legitur Evangelium S. Joannis In principio.

Die 19 Decembris

In Translatione S. Geraldi Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Communi Confessorum I loco, [25], excepta Oratione, ut infra.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam Bracarénsem pretiosíssimo beáti Geráldi córpore ditásti: concéde propítius; ut, cujus relíquias filiáli devotióne cólimus, virtútum exémpla fidéliter imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum Quatuor Temporum, in Civitate, dicitur post Tertiam Missa de Translatione, ut supra, et, si Officium de Canticis Canticorum juxta Rubricas transferri nequit, fit Commemoratio de beata Maria; et post Nonam dicitur Missa de Feria cum Commemoratione Vigiliæ, et de ea legitur Evangelium in fine. Missæ autem privatæ dici possunt, aut de Festo, aut de Feria cum aliis Commemorationibus et ultimum Evangelium Vigiliæ, aut de Vigilia cum aliis Commemorationibus et ultimum Evangelium de Sabbato.

Extra Civitatem vero, si fiat Officium de Canticis Canticorum, in Missa de beata Maria post Tertiam fit Commemoratio Translationis; et post Nonam legitur Missa de Feria, ut supra. Missæ autem privatæ dici possunt aut de Canticis Canticorum, aut de Feria, aut de Vigilia, cum Commemorationibus, et ultimum Evangelium, ut supra.

Die 20 Decembris

In Vigilia S. Thomæ Ap.

¶ Missa Ego autem, de Communi in Vigiliis Apostolorum 1 loco, [1], cum Commemoratione Feriæ Adventus et 3ª Oratione de sancta Maria Deus, qui de beátæ, 1. Si vero occurrat Feria Quatuor Temporum, de Vigilia fit Commemoratio in Missa de Feria, et Missæ privatæ dici possunt etiam de Vigilia, ut die præcedenti notatur.

Die 21 Decembris

S. Thomæ Apostoli

¶ Si hodie occurrat Feria Quatuor Temporum, in Choro post Tertiam dicitur Missa conventualis de Festo, et extra Chorum post Nonam legitur Missa de feria, de qua tamen prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me; tu cognovísti

sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Mihi autem. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, beáti Apóstoli tui Thomæ solemnitátibus gloriári: ut ejus semper et patrocíniis sublevémur; et fidem cóngrua devotióne sectémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, prætorquam in Missa conventuali, si occurrat Feria Quatuor Temporum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 2, 19-22

Fratres: Jam non estis hóspites, et ádvenæ: sed estis cives sanctórum, et doméstici Dei: superædificáti super fundaméntum Apostolórum, et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu: in quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino, in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 20, 24-29

In illo témpore: Thomas, unus ex duódecim, qui dícitur Dídymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Dixérunt ergo ei álii discípuli: Vídimus Dóminum. Ille autem dixit eis: Nisi vídero in mánibus ejus fixúram clavórum, et mittam dígitum meum in locum clavórum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. Et post dies octo, íterum erant discípuli ejus intus, et Thomas cum eis. Venit Jesus jánuis clausis, et stetit in médio, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer dígitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incrédulus, sed fidélis. Respóndit Thomas, et dixit ei: Dóminus meus, et Deus meus. Dixit ei Jesus: Quia vidísti me, Thoma, credidísti: beáti qui non vidérunt, et credidérunt.

Credo.

Offertorium Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Débitum tibi, Dómine, nostræ réddimus servitútis, supplíciter exorántes: ut, suffrágiis beáti Thomæ Apóstoli, in nobis tua múnera tueáris, cujus honoránda confessióne laudis tibi hóstias immolámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra. Præfatio de Apostolis.

Communio Joann. 20, 27 Mitte manum tuam, et cognósce loca clavórum: et noli esse incrédulus, sed fidélis.

Postcommunio

Consérva, Dómine, pópulum tuum: et, quem Sanctórum tuórum præsídiis non désinis adjuváre; perpétuis tríbue gaudére remédiis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine in Missis non conventualibus, si occurrat Feria Quatuor Temporum.

¶ In Missis votivis post Septuagesimam omnia dicuntur ut supra, sed post Graduale, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali Introitus et Offertorium sumuntur ex Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21]; reliqua dicuntur ut supra, sed post Epistolam omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. Allelúja. ℣. Ps. 86, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja.

Dominica infra Octavam Epiphaniæ

Sanctæ Familiæ Jesu, Mariæ, Joseph.

Introitus Prov. 23, 24 et 25

Exsúltat gáudio pater Justi, gáudeat Pater tuus et Mater tua, et exsúltet quæ génuit te. Ps. 83, 2-3 Quam diléctа tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri. Exsúltat gáudio.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui Mariæ et Joseph súbditus, domésticam vitam ineffabílibus virtútibus consecrásti: fac nos, utriúsque auxílio, Famíliæ sanctæ tuæ exémplis ínstrui; et consórtium cónsequi sempitérnum: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Dominicæ infra Octavam Epiphaniæ et deinde Commemoratio Octavæ ejusdem Epiphaniæ, ut supra, 45.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses. Col. 3, 12-17

Fratres: Indúite vos sicut elécti Dei, sancti, et diléсti, víscera misericórdiæ, benignitátem, humilitátem, modéstiam, patiéntiam: supportántes ínvicem, et donántes vobismetípsis si quis advérsus áliquem habet querélam: sicut et Dóminus donávit vobis, ita et vos. Super ómnia autem hæc, caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis: et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in uno córpore; et grati estóte. Verbum Christi hábitet in vobis abundánter, in omni sapiéntia, docéntes, et commonéntes vosmetípsos, psalmis, hymnis, et cánticis spirituálibus, in grátia cantántes in córdibus vestris Deo. Omne, quodcúmque fácitis in verbo, aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum.

Graduale Ps. 26, 4 Unam pétii a Dómino, hanc requíram, ut inhábitem in domo Dómini ómnibus diébus vitæ meæ. ℣. Ps. 83, 5 Beáti, qui

hábitant in domo tua, Dómine: in sǽcula sæculórum laudábunt te.

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 45, 15 Vere tu es Rex abscónditus, Deus Israël Salvátor. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Hebr. 10, 5 Hóstiam et oblatiónem noluísti, corpus autem aptásti mihi. ℣. Ps. 39, 7-8 Holocáustum et pro peccáto non postulásti: tunc dixi: Ecce vénio. ℣. Hebr. 10, 7 In cápite libri scriptum est de me: Ut fáciam, Deus, voluntátem tuam.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Prov. 8, 34 Beátus homo qui audit me, et quì vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Allelúja, allelúja. ℣. Col. 3, 3 Vita nostra est abscóndita cum Christo in Deo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 42-52

Cum factus esset Jesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Jerosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus cum redírent, remánsit puer Jesus in Jerúsalem, et non cognovérunt paréntes ejus. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos, et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Jerúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post tríduum invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia, et respónsis ejus. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit Mater ejus ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus, et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum quod locútus est ad eos. Et descéndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et Mater ejus conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Jesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum, et hómines.

Credo.

Offertorium Luc. 2, 22 Tulérunt Jesum párentes ejus in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino.

Secreta

Placatiónis hóstiam offérimus tibi, Dómine, supplíciter deprecántes: ut, per intercessiónem Deiparæ Vírginis cum beáto Joseph, famílias nostras in pace et grátia tua fírmiter constítuas. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Dominicæ et Octavæ, ut supra, 46.

Præfatio de Epiphania.

Infra Octavam tantum, etiam Communicántes de eadem Epiphania.

Communio Luc. 2, 51 Descéndit Jesus cum eis, et venít Názareth, et erat súbditus illis.

Postcommunio

Quos cæléstibus réficis sacraméntis, fac, Dómine Jesu, sanctæ Famíliæ tuæ exémpla júgiter imitári:

ut, in hora mortis nostræ, occurrénte gloriósa Vírgine Matre tua cum beáto Joseph; per te in ætérna tabernácula récipi mereámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Dominicæ et Octavæ, ut supra, 46.

¶ In fine legitur Evangelium S. Joannis.

¶ Missa Dominicæ infra Octavam impedita, si Festum Sanctæ Familiæ a die 7 ad 11 occurrerit, reponitur in proximiorem sequentem Feriam in qua Officium agatur de Octava.

FESTA JANUARII

Die 11 Januarii

Pro S. Hygino Papa et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], præter Orationem sequentem:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Hygíni, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Hygíni Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

¶ In omnibus Missis de Officio Semiduplici aut Simplici et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, usque ad diem 2 Februarii inclusive, dicuntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate temporum assignatæ, nempe 2ª de sancta Maria Deus, qui salútis, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 32-33.

Die 14 Januarii

S. Hilarii Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], cum Oratione Deus, qui pópulo tuo, ut ibi. Et fit Commemoratio S. Felicis Presb. et Mart., ut in Missa sequenti, ac dicitur Credo.

Eadem die 14 Januarii

Pro S. Felice Presb. et Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris V loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut ad meliórem vitam Sanctórum tuórum exémpla nos próvocent; quátenus, quorum solémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Felícis Mártyris tui dicátas méritis benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, beáti Felícis Mártyris tui, cujus solémnia celebrámus, oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 15 Januarii
S. Pauli primi Eremitæ, Conf.

Introitus Ps. 91, 13-14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Pauli Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Mauri Abbatis.

Oratio

Excita, quǽsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Maurus Abbas servívit: ut eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit et ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3, 7-12

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi, Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis: non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Venite ad me, omnes qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Pro S. Mauro **Secreta**

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Maurus Abbas, quǽsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Pro S. Mauro **Postcommunio**

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Maurus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Eadem die 15 Januarii

Pro S. Mauro Abbate

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35].

Die 16 Januarii

Ss. Quinque Martyrum Marochiensium

Introitus. Ps. 33, 20-22

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. ℣. Ps. ibid. 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Multæ tribulatiónes.

Oratio

Deus, qui sanctórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri, Accúrsii, Adjúti atque Othónis glorióso certámine Ordinis Minórum initia consecrásti: concéde nobis fámulis tuis; ut, quorum lætámur triúmphis, eórum virtútes imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Marcelli, ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 4, 9-14

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque

adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 78, 16 Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est. ℣. Ps. ibid. 2 Posuérunt morticína servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5.6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina tua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos tuos.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 72, 2 Posuérunt morticína servórum tuórum, Dómine, escas volatíbus cæli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 10, 16-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos: et ad præsides, et ad reges ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora, quid loquámini. Non enim vos estis, qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et insúrgent fílii in paréntes, et morte eos affícient: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium Sap. 3, 1-3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace, allelúja.

Secreta

Pro pretiósa, Dómine, tuórum morte Sanctórum sacrifícium istud offérimus: quo opem tuam nostris tempóribus clementer impéndas, et grátiam nobis veræ devotiónis exhíbeas. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio sancti Marcelli, ut in Missa sequenti.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his qui vos persequúntur.

Postcommunio

Cæléstia, Dómine, dona quæ súmpsimus, vitam nobis tríbuant sempitérnam: quam cum sanctórum Mártyrum tuórum Berárdi, Petri,

Accúrsii, Adjúti, et Othónis gloriósis méritis implorámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio sancti Marcelli, ut in Missa sequenti.

Eadem die 16 Januarii

S. Marcelli I Papæ et Mart.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Preces pópuli tui, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Marcélli, Mártyris tui atque Pontíficis, méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 1, 3-7

Fratres: Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur toleràntiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Marcélli, Mártyris tui atque Pontífi-

cis, suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20 et 21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris, ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 17 Januarii

S. Antonii Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35], præter Evangelium Sint lumbi, de Communi Confessoris non Pontificis, [33].

Die 18 Januarii

In Cathedra S. Petri Ap. Romæ

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 88, 21 Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde; ut, intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Pauli Ap., ante omnes alias Commemorationes.

Oratio

Deus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis, quǽsumus; ut, cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio S. Priscæ Virg. et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ Beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 1, 1-7

Petrus Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ et Bithýniæ secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam, et aspersiónem sánguinis Jesu Christi: grátia vobis, et pax multiplicétur. Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem, et incontaminátam, et immarcescíbilem, conservátam in cælis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem, in revelatióne Jesu Christi Dómini nostri.

Graduale Ps. 106, 32 et 31 Exáltent eum in ecclésia plebis: et in

cáthedra seniórum laudent eum. ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Matth. 16, 18-19 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Et portæ inferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis. ℣. Et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 106, 15 Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus et mirabília ejus fíliis hóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ inferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Credo.

Offertorium Matth. 16, 18-19 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam: et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cælórum.

Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces et hóstias beáti Petri Apóstoli comméndet orátio: ut, quod pro illíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Pro S. Paulo Secreta

Apóstoli tui Pauli précibus, Dómine, plebis tuæ dona sanctífica: ut, quæ tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínio supplicántis. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio S. Priscæ.
Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Lætíficet nos, Dómine, munus oblátum: ut, sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus:

sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

Pro S. Paulo **Postcommunio**

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quǽsumus; ut nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio S. Priscæ.

Eadem die 18 Januarii

Pro S. Prisca Virg. et Mart.

Missa Loquébar de Communi Virginum 1 loco, [37], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátæ Priscæ, Vírginis et Mártyris tuæ, natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Secreta

Hæc hóstia, quǽsumus, Dómine, quam Sanctórum tuórum natalítia recenséntes offérimus, et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, cujus solémnia celebrámus, ejus oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 19 Januarii

B. Gundisalvi Conf.

Introitus Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid. 2 Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus.

Oratio

Deus, qui beáti Gundisálvi, Confessóris tui, mentem sancti Nóminis tui amóre mirabíliter inflammásti: concéde, quǽsumus; ut, illíus vestígiis inhæréntes, semper te cogitémus, et quæ tibi grata sunt inflammáto stúdio faciámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Marii et Sociorum Mm; deinde Commemoratio S. Canuti Regis Mart., ut in Missis sequentibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3, 7-12

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen existimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi, Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis: non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim; sequor autem, si quo modo comprehéndam in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dul-

cédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita, Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me, omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Marii et Soc. Mm. et deinde S. Canuti Mart., ut in Missis sequentibus.

Communio Matth. 18, 28-29 Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Marii et Soc. Mm. et deinde S. Canuti Mart., ut in Missis sequentibus.

Eadem die 19 Januarii

Ss. Marii, Marthæ, Audifacis et Abachum Mm.

Introitus Ps. 67, 4

Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. ℣. Ps. ibid., 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Justi epuléntur.

Oratio

Exáudi, Dómine, pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére: et

ætérnæ reperíre subsídium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 10, 32-38

Fratres: Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum: et in áltero quidem oppróbriis, et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem et manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale Sap. 3, 1, 2 et 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 36 Mirábilis Deus noster in sanctis suis. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 24, 3-13

In illo témpore: Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum advéntus tui, et consummatiónis sæculi? Et respóndens Jesus, dixit eis: Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus: et multos sedúcent. Auditúri enim estis prælia, et opiniónes præliórum. Vidéte, ne turbémini. Opórtet enim hæc fíeri, sed nondum est finis. Consúrget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestiléntiæ, et fames, et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia, inítia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem, et occídent vos: et éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent, et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétæ surgent, et sedúcent multos. Et quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium Ps. 123, 7 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus.

Secreta

Preces, Dómine, tuórum réspice oblatiónésque fidélium: ut et tibi gratæ sint pro tuórum festivitáte Sanctórum, et nobis cónferant

tuæ propitiatiónis auxilium. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio

Sanctórum tuórum, Dómine, intercessióne placátus: præsta, quǽsumus; ut, quæ temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

Eadem die 19 Januarii
Pro S. Canuto Rege, Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui, ad illustrándam Ecclésiam tuam, beátum Canútum regem martýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, sicut ipse Domínicæ passiónis imitátor fuit, ita nos per ejus vestígia gradiéntes, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Canúto Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 20 Januarii
S. Sebastiani Mart.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Sebastiáni Mártyris: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat; beáti Sebastiáni, Mártyris tui, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Fabiani Papæ et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 8-10 et 3, 10-12

Caríssime: Memor esto Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere

in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale Ps. 36, 24 et 26 Justus, cum ceciderit, non collidétur: quia Dóminus suppónit manum suam. ℣. Tota die miserétur, et cómmodat: et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 8, 12 Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris, sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 14, 26-33

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum, ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perficere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

Offertorium Ps. 20, 4-5 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Fabiani, ut in Missa sequenti.

Communio Joann. 12, 26 Qui mihi ministrat, me sequátur: et, ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum; intercedénte beáto Sebastiáno, Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Fabiani, ut in Missa sequenti.

Eadem die 20 Januarii

S. Fabiani Papæ et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris Pontificis 1 loco, [4].

Die 21 Januarii
S. Agnetis Virg. et Mart.

Introitus Ps. 118, 95-96

Me expectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Me expectavérunt.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut, qui beátæ Agnétis, Vírginis et Mártyris tuæ, solémnia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 51, 1-8 et 12

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa: laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Ibid., 5 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 25, 4 et 6 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum: pro cujus amóre sánguinem tuum fudísti. ℣ Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Ibid., 5 Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus,

non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium Ps. 44, 15 et 16 Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta

Hóstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius súscipe: et intercedénte beáta Agnéte, Vírgine et Mártyre tua, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 4 et 6 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstì, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 22 Januarii
S. Vincentii Mart.

Introitus Sap. 10, 12-14

Certámen forte dedit illi Dóminus, ut vinceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia: descenditque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit eum. ℣. Ps. 58, 10 Fortitúdinem meam ad te custódiam: quia Deus suscéptor meus es. ℣. Glória Patri. Certámen forte.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii Mártyris intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anastasii Martyris, ut in Missa sequenti.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli.
Apoc. 1, 10-11 et 2, 1-3, 17 et 26-28

In diébus illis: Audívi vocem magnam, tanquam tubæ, dicéntis: Scribe: Hæc dicit qui tenet septem stellas in déxtera sua: Scio ópera tua, et labórem, et patiéntiam tuam, et quia non potes sustinére malos: et tentásti eos qui se dicunt apóstolos esse, et non sunt, et invenísti eos mendáces: et patiéntiam habes et sustinuísti propter nomen meum,

et non defecísti. Qui habet aurem, áudiat quid Spíritus dicat ecclésiis: Vincénti dabo manna abscónditum, et dabo illi cálculum cándidum: et in cálculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit. Qui vícerit et custodiérit usque in finem ópera mea, dabo illi potestátem super gentes, et reget eas in virga férrea, et tamquam vas fíguli confringéntur, sicut et ego accépi a Patre meo in throno ejus.

Graduale 2 Tim. 4, 7-8 Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi: in réliquo repósita est mihi coróna justítiæ. ℣. Philipp. 1, 20 Magnificábitur Christus in córpore meo, sive per vitam, sive per mortem.

Allelúja, allelúja ℣. 1 Cor. 15, 54 Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 58, 17-18 Cantábo fortitúdinem tuam, Dómine, et exaltábo mane misericórdiam tuam. ℣. Quia factus es suscéptor meus, et refúgium meum in die tribulatiónis meæ. ℣. Adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es.

In Missis votivis Tempore Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini, descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. 1 Cor. 15, 54 Cum mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joan. 12, 24-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus qui est in cælis.

Offertorium Apoc., 3, 5 Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et confitébor nomen ejus coram Patre meo et coram Angelis ejus.

Secreta

Hodiérnum tibi, Dómine, sacrifícium lætántes offérimus: quo beáti Vincéntii cæléstem victóriam recenséntes, et tua magnália prædicámus, et nos acquisísse gaudeámus suffrágia gloriósa. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anastasii, ut in Missa sequenti.

Communio Marc. 8, 35 Qui perdíderit ánimam suam propter me et Evangélium, salvam fáciet eam.

Postcommunio

Cæléstibus, Dómine, corróbora nos sacraméntis: ut eádem virtúte vitiórum blandiménta vincá-

mus, quia beátus Martyr Vincéntius tormentórum immanitátem pro fide tui Nóminis superávit. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Anastasii, ut in Missa sequenti.

Eadem die 22 Januarii

S. Anastasii Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris non Pontificis IV loco, [7], Evangelium autem Si quis venit, ex Missa Glória et honóre, [6], Orationes, ut infra.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Anastásii, Mártyris tui, natalítia cólimus; intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Mártyre tuo Anastásio, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 23 Januarii

In Desponsatione B. Mariæ Virg.

Introitus Sedulius

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera regem: qui cælum, terrámque regit in sǽcula sæculórum. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Salve, sancta Parens.

Oratio

Supplicatiónem servórum tuórum, Deus miserátor, exáudi: ut, qui in Desponsatióne Genitrícis et Vírginis Maríæ congregámur, ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joseph.

Oratio

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi, quǽsumus, Dómine, méritis adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur: Qui vivis.

Deinde fit Commemoratio S. Raymundi de Peñafort Conf. et postea S. Emerentianæ Virg. et Mart., ut in Missis sequentibus.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Prov. 8, 22-35

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos, áderam: quando certa lege et gyro vallábat abýssos: quando ǽthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines

suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens: et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore: ludens in orbe terrárum: et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María; quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Gaude, María Virgo, cunctas hæreses sola interemísti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum Virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum Virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

In Missis votivis Tempore Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 1, 18-21

Cum esset desponsáta mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium: et vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum.

Credo.

Offertorium Beáta es, Virgo María, quæ ómnium portásti Creatórem: genuísti qui te fecit, et in ætérnum pérmanes virgo.

Secreta

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas: ut, qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit; in Desponsatiónis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster: Qui tecum.

Pro S. Joseph Secreta

Débitum tibi, Dómine, nostræ réddimus servitútis, supplíciter exorántes: ut, suffrágiis beáti Joseph

Sponsi Genitrícis Fílii tui Jesu Christi Dómini nostri, in nobis tua múnera tueáris, ob cujus venerándam commemoratiónem laudis tibi hóstias immolámus. Per eúmdem Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Raymundi de Peñafort et postea S. Emerentianæ, ut in Missis sequentibus.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Desponsatióne.

Communio Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta, quǽsumus; ut et temporális vitæ nobis remédia prǽbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Pro S. Joseph Postcommunio

Adésto nobis, quǽsumus, miséricors Deus: et, intercedénte pro nobis beáto Joseph Confessóre, tua circa nos propitiátus dona custódi. Per Dóminum.

Deinde fit Commemoratio S. Raymundi de Peñafort et postea S. Emerentianæ, ut in Missis sequentibus.

Eadem die 23 Januarii

S. Raymundi de Peñafort Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, (32), præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui beátum Raymúndum pœniténtiæ sacraménti insígnem minístrum elegísti, et per maris undas mirabíliter traduxísti: concéde; ut ejus intercessióne dignos pœniténtiæ fructus fácere, et ad ætérnæ salútis portum pervenire valeámus. Per Dóminum.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Eadem die 23 Januarii

Pro S. Emerentiana Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum II loco, [39], praeter Evangelium Si licet hómini dimíttere, ut ibi, [40], et Orationes, ut infra.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Emerentiána Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Emerentiánæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Emeren-

tiána, Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 24 Januarii

S. Timothei Ep. et Mart.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 88, 21 Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Timóthei, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 6, 11-16

Caríssime: Sectáre justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam, in qua vocátus es, et conféssus bonam confessiónem coram multis téstibus. Præcípio tibi coram Deo, qui vivíficat ómnia, et Christo Jesu, qui testimónium réddidit sub Póntio Piláto, bonam confessiónem: ut serves mandátum sine mácula, irreprehensíbile usque in advéntum Dómini nostri Jesu Christi, quem suis tempóribus osténdet beátus, et solus potens, Rex regum, et Dóminus dominántium: qui solus habet immortalitátem, et lucem inhábitat inaccessíbilem: quem nullus hóminum vidit, sed nec vidére potest: cui honor, et impérium sempitérnum. Amen.

Graduale Eccli. 44, 16 et 20 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 14, 26-33

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus commíttere bellum ad-

versus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum viginti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

Offertorium Ps. 20, 1-2 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta, et beáti Timóthei, Mártyris tui, suffragántibus méritis: ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20-21 Dómine, quinque taléńta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 25 Januarii
In Conversione S. Pauli Ap.

Introitus 2 Tim. 1, 12

Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem, justus judex. ℣. Ibid. 4, 8 De réliquo repósita est mihi coróna justítiæ: quam reddet mihi Dóminus in illum diem justus judex. ℣. Glória Patri. Scio cui crédidi.

Oratio

Deus, qui univérsum mundum beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis, quǽsumus: ut, qui ejus hódie Conversiónem cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petri Ap. ante omnes alias Commemorationes.

Oratio

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde; ut, intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: Qui vivis.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 9, 1-22

In diébus illis: Saulus adhuc spirans minárum, et cædis in discípulos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdótum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas: ut si quos invenísset hujus viæ viros, ac mulíeres, vinctos perdúceret in Jerúsalem. Et cum iter fáceret, cóntigit, ut appropinquáret Damásco: et súbito circumfúlsit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audívit vocem dicéntem sibi: Saule, Saule, quid me perséqueris? Qui dixit: Quis es, Dómine? Et ille: Ego sum Jesus, quem tu perséqueris: durum est tibi contra stímulum calcitráre. Et tremens, ac stupens, dixit: Dómine, quid me vis

fácere? Et Dóminus ad eum: Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi quid te opórteat fácere. Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti, audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Saulus de terra, apertísque óculis nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit, neque bibit. Erat autem quidem discípulus Damásci, nómine Ananías: et dixit ad illum in visu Dóminus: Ananía. At ille ait: Ecce ego, Dómine. Et Dóminus ad eum: Surge, et vade in vicum, qui vocátur Rectus: et quære in domo Judæ Saulum nómine, Tarsénsem: ecce enim orat. (Et vidit virum, Ananíam nómine, introeúntem, et imponéntem sibi manus, ut visum recípiat). Respóndit autem Ananías: Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala fécerit sanctis tuis in Jerúsalem: et hic habet potestátem a princípibus sacerdótum alligándi omnes, qui ínvocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dóminus: Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus, et régibus, et fíliis Israël. Ego enim osténdam illi, quanta opórteat eum pro nómine meo pati. Et ábiit Ananías, et introívit in domum: et impónens ei manus, dixit: Saule frater, Dóminus misit me Jesus, qui appáruit tibi in via, qua veniébas, ut vídeas, et impleáris Spíritu Sancto. Et conféstim cecidérunt ab óculis ejus tamquam squamæ, et visum recépit: et surgens baptizátus est. Et cum accepísset cibum, confortátus est. Fuit autem cum discípulis, qui erant Damásci, per dies áliquot. Et contínuo in synagógis prædicábat Jesum, quóniam hic est Fílius Dei. Stupébant autem omnes, qui audiébant, et dicébant: Nonne hic est, qui expugnábat in Jerúsalem eos, qui invocábant nomen istud: et huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad príncipes sacerdótum? Saulus autem multo magis convalescébat, et confundébat Judæos, qui habitábant Damásci, affírmans quóniam hic est Christus.

Graduale Gal. 2, 8 et 9 Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter gentes: et cognovérunt grátiam Dei, quæ data est mihi. ℣. Grátia Dei in me vácua non fuit: sed grátia ejus semper in me manet.

Allelúja, allelúja. ℣. 2 Tim. 4, 2 Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur*

Tractus Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole: vere digne es glorificándus. ℣. Prædicátor veritátis, et doctor géntium in fide et veritáte. ℣. Per te omnes gentes cognovérunt grátiam Dei. ℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo

erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Filius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut sorótes, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Credo.

Offertorium Act. 9, 20 Ingréssus Paulus in synagógam prædicábat Jesum, affírmans quia hic est Christus.

Secreta

Apóstoli tui Pauli précibus, Dómine, plebis tuæ dona sanctífica: ut, quæ tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínio supplicántis. Per Dóminum.

Pro S. Petro Secreta

Ecclésiæ tuæ, quæsumus, Dómine, preces et hóstias beáti Petri Apóstoli comméndet orátio: ut, quod pro illíus glória celebrámus, nobis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Act. 9, 21 Mirabántur omnes qui audiébant, dicéntes: Nonne hic est, qui ad hoc venit, ut expugnáret nomen istud? Et in eo glorificábant Jesum.

Postcommunio

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quæsumus; ut nobis ejus non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Pro S. Petro Postcommunio

Lætíficet nos, Dómine, munus oblátum: ut, sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus; sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. Per Dóminum.

Die 26 Januarii

S. Polycarpi Ep. et Mart.

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde, laudáte Deum. ℣. Ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Da, quæsumus, omnípotens Deus, ut, qui beáti Polycárpi, Mártyris tui atque Pontíficis, solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli. 1 Joann. 3, 10-16

Caríssimi: Omnis qui non est justus, non est ex Deo, et qui non díligit fratrem suum: quóniam hæc est annuntiátio, quam audístis ab inítio, ut diligátis altérutrum. Non sicut Cain, qui ex malígno erat, et occídit fratrem suum. Et propter quid occídit eum? Quóniam ópera ejus malígna erant: fratris autem ejus justa. Nolíte mirári, fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte:

omnis qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis, quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: et nos debémus pro frátribus ánimas pónere.

Graduale Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1, 3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur; et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Hæc hóstia, quǽsumus, Dómine, emúndet nostra delícta: et, ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri: quǽsumus, Dómine Deus noster; ut cujus exséquimur cultum, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 27 Januarii

S. Joannis Chrysostomi Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio Ecclésiæ.

Oratio

Deus, cujus miseratióne delinquéntes invitántur ad véniam, justi transferúntur ad palmam: concéde propítius, intercessióne beáti Joánnis Chrysóstomi, Confessóris tui atque Pontíficis et Doctóris, a spirituáli hoste plebem prótegas obsecrántem: ut in cujus solemnitáte congáudet, ejus sit fida prece defénsa. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur Allelúja cum suis Versibus, ex Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [33].

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non prætéribit a lege, donec

ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta, ut beáti Joánnis Chrysóstomi, Confessóris tui atque Pontíficis et Doctóris; cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 28 Januarii

S. Agnetis Virg. et Mart. secundo

Introitus Ps. 44, 13, 15 et 16

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Vultum tuum.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Agnétis, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte lætíficas: da, quæsumus; ut, quam venerámur officio, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale Ps. 44, 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 15 et 16 Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 44, 11 et 12 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Ibid., 13 et 10 Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo. ℣. Ibid., 15 et 16 Adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi. ℣. Afferéntur in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum regis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta

Super has, quǽsumus, Dómine, hóstias benedíctio copiósa descéndat: quæ et sanctificatiónem nobis cleménter operétur, et de Mártyrum nos solemnitáte lætíficet. Per Dóminum.

Communio Matth. 13, 45-46 Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta autem una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta, quǽsumus; ut et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Die 29 Januarii

S. Francisci Salesii Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], præter Orationes sequentes, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui ad animárum salútem beátum Franciscum, Confessórem tuum atque Pontíficem, ómnibus ómnia factum esse voluísti: concéde propítius; ut caritátis tuæ dulcédine perfúsi, ejus dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Francísci, Pontíficis tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Franciscus, Póntifex tuus et Doctor egrégius, quǽsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Die 30 Januarii
S. Martinæ Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum I loco, [39], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Martínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Die 31 Januarii
S. Petri Nolasci Conf.

Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis II loco, [34], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui in tuæ caritátis exémplum, ad fidélium redemptiónem sanctum Petrum Ecclésiam tuam nova prole fœcundáre divínitus docuísti: ipsíus nobis intercessióne concéde; a peccáti servitúte solútis, in cælésti pátria perpétua libertáte gaudére: Qui vivis.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Reféctí cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

FESTA FEBRUARII

¶ Ante Quadragesimam, prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quae non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 1 Februarii
S. Ignatii Ep. et Mart.

Introitus
Gal. 6, 14

Mihi autem absit gloriári nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Deus, qui nos beáti Ignátii, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 35-39

Fratres: Quis nos separábit a caritáte Christi: tribulátio, an angústia, an fames, an núditas, an perículum, an persecútio, an gládius? (Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur tota die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis). Sed in his ómnibus superámus propter eum, qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita,

neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra ália póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Gal. 2, 19-20 Christo confíxus sum cruci: vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Gal. 2, 19-20 Christo confíxus sum cruci: vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundúm Joánnem.

Joann. 12, 24-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frúmenti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Múnera, Dómine, tibi dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Ignátio, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Fruméntum Christi sum: déntibus bestiárum molar, ut panis mundus invéniar.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Ignátio, Mártyre tuo atque Pontífice; cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

DIE 31 JANUARII

SANCTI JOANNIS BOSCO

CONFESSORIS

Introitus 3 Reg. 4, 29

Dedit illi Deus sapiéntiam et prudéntiam multam nimis, et latitúdinem cordis quasi arénam quæ est in littore maris. Ps. 112, 1 Laudáte púeri Dóminum, laudáte nomen Dómini. ℣ Glória Patri. Dedit illi.

Oratio

Deus, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum adolescéntium patrem et magistrum excitásti, ac per eum, auxiliatrice Virgine María, novas in Ecclésia tua famílias floréscere voluísti: concéde, quæsumus; ut eódem caritátis igne succénsi, ánimas quærere, tibique soli servíre valeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Philipp. 4, 4-9

Fratres, gaudéte in Dómino semper: íterum dico, gaudéte. Modéstia vestra nota sit ómnibus homínibus: Dóminus prope est. Nihil sollíciti sitis; sed in omni oratióne et obsecratióne, cum gratiárum actióne, petitiónes vestræ innotéscant apud Deum. Et pax Dei quæ exsúperat omnem sensum, custódiat corda vestra et intelligéntias vestras, in Christo Jesu. De cétero, fratres, quæcúmque sunt vera, quæcúmque pudíca, quæcúmque justa, quæcúmque sancta, quæcúmque amabília, quæcúmque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplínæ, hæc cogitáte. Quae et didicístis, et accepístis et audístis, et vidístis in me, haec ágite: et Deus pacis erit vobíscum.

Graduale Ps. 36, 3-6 Spera in Dómino et fac bonitátem et inhábita ín terram et pascéris in divítiis ejus. ℣. Delectáre in Dómino, et dabit tibi petitiónes cordis tui; revéla Dómino viam tuam et spera in eum, et ipse fáciet.

Allelúja, allelúja. Ps. 73, 21 Pauper et inops laudábunt nomen tuum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur.

Tractus Ps. 60, 3-5 Factus es spes mea, Dómine: turris fortitúdinis a fácie inimíci. ℣. Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula: prótegar in velaménto alárum tuárum. ℣ Quóniam tu, Deus, exaudísti oratiónem meam: dedísti hereditátem timéntibus nomen tuum.

In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 73, 21 Pauper et inops laudábunt nomen tuum. Allelúja. ℣. Ps. 35, 9 Inebriabúntur ab ubertáte domus tuae: et torrénte voluptátis tuae potábis eos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundum Matthaeum.

Matth. 18, 1-5

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum dicéntes: Quis putas major est in regno caelórum? Et ádvocans Jesus párvulum státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum caelórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno caelórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

Offertorium Ps. 33, 12 Venite, filii, audíte me: timórem Dómini docébo vos.

Secreta

Súscipe, Dómine, oblatiónem quam tibi offérimus... dam salutáris Hóstiae et praesta: ut te in ómnibus et super ómnia diligéntes, in glóriae tuae laudem vivere mereámur. Per Dóminum.

Communio Rom. 4, 18 Contra spem in spem crédidit, ut fíeret pater multárum géntium, secúndum quod dictum est ei.

Postcommunio

Córporis et sánguinis tui, Dómine, mystério satiátis, concéde, quaesumus: ut, intercedénte sancto Joánne Confessóre, in gratiárum semper actióne maneámus. Qui vivis.

V. Concordat cum adprobatis.
Taurini, 6 Maji 1936.
Sac. Augustinus Grogno, Rev. Archiep.

IMPRIMATUR
Bracaræ, die 5 Augusti 1936.
✠ Antonius, Archiep.

Bracaræ, Tipis Universale



Die 2 Februarii


IN PURIFICATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS


In Festo Purificationis, expleta in Choro Tertia, Celebrans, Pluviali violaceo indutus, vel sine Casula, Diaconus et Subdiaconus Planetis plicatis, vel Albis dumtaxat absque Manipulis, Diaconus vero etiam cum Stola, facta debita reverentia Cruci, capite cooperto exeunt e Sacrario, Celebrans medius inter sacros Ministros, Pluvialis fimbrias eidem sublevantes, vel, si Celebrans Pluviali non sit indutus, unus post alium incedentes et capite item cooperto. Praecedit Cruciferarius cum Cruce inter duos Ceroferarios cum cereis exstinctis, deinde Thuriferarius cum Thuribulo et alter Clericus cum aqua benedicta, et tandem Cærimoniarius ante sacros Ministros. Cum ad Altare majus pervenerint, omnes detecto capite Altari debitam exhibent reverentiam, et Celebrans conscendit cum sacris Ministris ad Altare illudque in medio osculatur: tum ad cornu Epistolæ se recipit, ubi manibus junctis stat, ad librum conversus. In cornu Epistolæ parata erit mensa cum Candelis benedicendis, et ignis novus excussus ex silice jam accensus, quem Celebrans benedicit, post cantatam a Choro Antiphonam **O beáta Infántia**. Peracta benedictione ignis, accenduntur solummodo cerei Crucem comitantes, et deinde prosequitur benedictio Candelarum ut inferius notatur.

¶ Si Festum Purificationis in Dominicam inciderit, benedictio Candelarum fiet, dicto prius **Aspérges me, Dómine,** ut moris est diebus Dominicis, Antiphona autem **O beáta Infántia** tunc omittitur.

¶ Si hoc Festum transferri contingat, hodie fit tantum benedictio et distributio Candelarum atque Processio. Missa autem dicitur de Officio currenti; et in ea Candelæ accensæ in manibus non tenentur.

Cum Celebrans pervenerit ad cornu Epistolæ, Chorus cantat Antiphonam:





Post Septuagesimam, non cantatur Allelúja in fine Antiphonæ; sed immediate dicitur:

℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti.

℟. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Deinde Celebrans, versus ad Altare, dicit manibus junctis in tono Orationis Missæ ferialis:

Orémus. Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, plebem tuam, et quæ extrínsecus ánnua tríbuis devotióne venerári,

intérius ássequi grátiæ tuæ luce concéde. Per Dóminum.

Postea benedicit ignem, dicens:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam.

℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene✠dícere et sancti✠ficáre dignéris ignem istum, quem nos indígni suscípimus per invocatiónem unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi: quem hódie, in templo præsentátum, justum Simeónem diu expectántem in ulnis suscepísse nóvimus: et salutáre tuum ante fáciem ómnium populórum esse, lumen scílicet géntibus et glóriam plebis tuæ Israël, prophético spíritu docuísse. Tu, quǽsumus, Dómine, bene✠dícere dignéris lumen istud: et ómnibus, illud manu gestántibus, verum lumen tuæ majestátis concéde, ut, te agnoscéntes, te diligéntes, te quæréntes, per viam virtútum ad te váleant perveníre. Per eúmdem Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus. Oratio

Omnípotens clementíssime Pater, lumen indefíciens, exáudi nos, et tuæ benedictiónis largitáte hoc lumen sancti✠fica: ut Fílii tui amóre illud gestántium (expúlsis peccatórum ténebris) Sancti Spíritus igne corda illustréntur, et in amóre accendántur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum.

℟. Amen.

Deinde Celebrans benedicit Candelas, dicens:

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum in ulnis sancti Simeónis, in templo sancto tuo suspiciéndum, præsentásti: tuam deprecámur súpplices cleméntiam, ut hos céreos, quos nos fámuli tui in tui Nóminis magnificéntiam suscipiéntes, gestáre cúpimus luce accénsos, bene✠dícere, et sancti✠ficáre, atque lúmine supérnæ benedictiónis accéndere dignéris: quátenus eos tibi Dómino Deo nostro offeréndo, digni et sancto igne tuæ dulcíssimæ caritátis accénsi, in templo sancto glóriæ tuæ repræsentári mereámur. Per eúmdem Christum.


℟. Amen.


Orémus. Oratio


Dómine Deus omnípotens, Creátor cæli et terræ, Rex regum et Dóminus dominántium, exáudi nos fámulos tuos, orántes et clamántes ad te. Precámur te, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne


Deus, qui ómnia ex níhilo creásti, qui jussu tuo per ópera apum hunc liquórem ad perfectiónem cérei venire fecisti: et qui hodiérna die petitiónem justi Simeónis implésti, te humíliter deprecámur, ut has Candélas ad usus hóminum et salútem animárum et córporum, sive in terra, sive in aquis: per invocatiónem tui sancti Nóminis, et intercessiónem sanctæ Maríæ Vírginis, Genitrícis Fílii tui (cujus hódie festa devóti cólimus) et per preces ómnium Sanctórum tuórum: bene ✠ dícere et sanctifi ✠ cáre dignéris: ut hæc plebs tua, illas honorífice in mánibus portans, cantándo teque laudándo, a te pio Dómino exaudiátur de cælo sancto tuo, et de sede majestátis tuæ, propitiúsque sis ómnibus clamántibus ad te: quos redemísti pretióso sánguine Fílii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus.

Deinde in tono Præfationis prosequitur:





po-tens æ-térne De- us: Fons et o-rí-go to-tí- us lúmi- nis,
qui mundum il-lumi-násti lúmi-ne tu- æ cla-ri-tá-tis, mit-téndo
no-bis U-ni-gé-ni- tum tu- um per ú-te-rum inte-me-rá-tæ Vir-
gi-nis Ma-rí- æ. Et quem longe ante pro-mi- sí-sti Prophe-tá-
rum o-rá-cu- lis ventú-rum: tempó- ri-bus no-víssi-mis ipsum mi-
sí-sti lu-cem pó-pu- lis, se-dénti-bus in té-nebris, et in
re-gi- ó-ne umbræ mor-tis ambu-lán-ti-bus: et in ipso clá-
ri- tas et lux ex-órta est. Te quoque pre-cámur, ut has Can-
dé- las, Nómi- ni tu- o præ-pa-rá-tas, tu- a be-ne-di-cti- ó-ne



digné- ris be-ne ✠ dí- ce- re: qui nos transtu- lí-sti a po- te-
stá- te te-ne-brá-rum in lumen et regnum di- lé-cti Fí- li- i
tu- i, per quem ex-órtum est in té-ne-bris lumen re-ctis corde
et gáu-di- um sa- lú- tis æ-térnæ. Et qui justum Sime- ó-nem
fi-dé- li implé-sti exspecta- ti- ó-ne, ut non pri- us vi-dé-ret
mor-tem, quam Chri-stum Dómi- ni vi-dé-ret carne indú-tum,
to- ti- us mundi lumen et sa- lu- tá-re: ipse nos lúmi-ne
tu- æ cla- ri- tá- tis sic réple- as, ut omnes in-fi- de- li- tá- tis
té-nebras a no-bis expél-las. Et, sic-ut servum tu- um hó-di- e




Finita Præfatione, Celebrans ponit incensum in thuribulo: deinde ter aspergit Candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam **Aspérges me**, sine cantu, et sine Psalmo: et ter adolet incenso. Tum dignior ex Clero accedit ad Altare, et ab eo Celebrans accipit Candelam, non genuflectens nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante Altare, versus ad populum, distribuit Candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat; deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo laicis: omnibus genuflectentibus, Candelam et manum Celebrantis osculantibus, exceptis Prælatis, si adsint. Et cum inceperit distribuere Candelas, Cantores incipiunt Antiphonam **Veníte et accéndite**, quam repetunt ter elevando vocem gradatim, et Chorus eam prosequitur qualibet vice, et interim Cerei accenduntur.



Qua finita, Cantores incipiunt Antiphonam Lumen ad revelatiónem, et Chorus illam perficit: et rursus Cantores incipiunt Canticum Nunc dimíttis, et Chorus perficit Versum, et sic repetitur Antiphona per singulos Versus usque ad finem Cantici, ut infra notatur.





Si-cut e-rat in prin-cí-pi- o, et nunc, et semper, * et in




sæ-cu- la sæ-cu-ló-rum. Amen. Lumen.

Deinde Sacerdos dicit:

Orémus. Oratio

Dómine Deus, Pater omnípotens, Lumen indefíciens, qui es Cónditor ómnium lúminum: béne✠dic hoc lumen tuum a fidélibus in honórem tui Nóminis portándum: quátenus a te sancti✠ficátum sit atque bene✠díctum: ut lúmine claritátis tuæ accendámur et illuminémur, propítius concédere dignéris: et, véluti eódem igne quondam illuminásti Móysen fámulum tuum, ita illúmina corda et sensus nostros, ut ad visiónem claritátis ætérnæ perveníre valeámus. Per Christum.

Deinde Celebrans ponit incensum in Thuribulo: postea Diaconus vertens se ad populum, dicit:



Pro-ce-dámus in pa-ce.


Et Chorus respondet:



In nómi-ne Chri-sti. Amen.

Et fit Processio intra vel extra Ecclesiam, prout mos vel circumstantiæ loci permiserint: præcedit Thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Cruciferarius paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis: sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans inter Diaconum et Subdiaconum, omnes cum Candelis accensis in manibus: et, post Celebrantem, Clero devote consocientur fideles, etiam cum Candelis accensis, si placuerit. Interim cantantur Antiphonae sequentes:


Antiphona



Adór-na * thá-lamum tu- um, Si- on, et sús- ci-pe



Alia Antiphona Luc. 2, 26-27 et 28-29






Alia Antiphona Eccl. Orans





In ingrediendo Ecclesiam, cantatur

Antiphona





¶ Finita Processione, Celebrans et Ministri, depositis violaceis, accipiunt Paramenta alba pro Missa. Et Candelæ tenentur in manibus accensæ dum legitur Evangelium, et iterum ab incepto Canone usque ad expletam Communionem.

¶ Hodie prohibetur quælibet Missa votiva, etiam solemnis, de Christo Domino.

Ad Missam

Introitus Ps. 47, 10-11

Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ: justítia plena est déxtera tua. ℣. Ps. ibid., 2 Magnus Dóminus, et laudábilis nimis: in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Suscépimus, Deus. ℣. Glória Patri. Suscépimus, Deus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices exorámus: ut, sicut unigénitus Fílius tuus hodiérna die cum nostræ carnis substántia in templo est præsentátus; ita nos fácias purificátis tibi méntibus præsentári. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Malachíæ Prophétæ.
Malach. 3, 1-4

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego mitto Angelum meum, et præparábit viam ante fáciem meam. Et statim véniet ad templum suum Dominátor, quem vos quǽritis, et Angelus testaménti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dóminus exercituum: et quis póterit cogitáre diem advéntus ejus, et quis stabit ad vidéndum eum? Ipse enim quasi ignis conflans, et quasi herba fullónum: et sedébit conflans, et emúndans argéntum, et purgábit filios Levi et colábit eos quasi aurum, et quasi argéntum: et erunt Dómino offeréntes sacrifícia in justítia. Et placébit Dómino sacrifícium Juda, et Jerúsalem, sicut dies sǽculi, et sicut anni antíqui: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 47, 10-11 et 9 Suscépimus, Deus, misericórdiam tuam in médio templi tui: secúndum nomen tuum, Deus, ita et laus tua in fines terræ. ℣. Sicut audívimus, ita et vídimus in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Post partum, Virgo, invioláta permansisti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Luc. 2, 29-32 Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace. ℣. Quia vidérunt óculi mei salutáre tuum. ℣. Quod parásti ante fáciem ómnium populórum. ℣. Lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ Israël.

✠ Sequéntia Sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 22-32

In illo témpore: Postquam impléti sunt dies purgatiónis Maríæ, secúndum legem Móysi, tulérunt Jesum in Jerúsalem, ut sísterent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini: Quia omne masculínum adapériens vulvam sanctum Dómino vocábitur. Et ut darent hóstiam, secúndum quod dictum est in lege Dómini, par túrturum, aut duos pullos columbárum. Et ecce homo erat in Jerúsalem, cui nomen Símeon, et homo iste justus et timorátus, exspéctans consolatiónem Israël, et Spíritus Sanctus erat in eo. Et respónsum accéperat a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. Et venit in spíritu in templum. Et cum indúcerent Puérum Jesum paréntes ejus, ut fácerent secúndum consuetúdinem legis pro eo: et ipse accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace: Quia vidérunt óculi mei salútare tuum: Quod parásti ante fáciem ómnium populórum: Lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ Israël.

Credo.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi.

Secreta

Exáudi, Dómine, preces nostras: et, ut digna sint múnera, quæ óculis tuæ majestátis offérimus, subsídium nobis, tuæ pietátis impénde. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate.

Communio Luc. 2, 26 Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini.

Postcommunio

Pérfice in nobis, quǽsumus, Dómine, grátiam tuam: qui justi Simeónis exspectatiónem implésti; ut, sicut ille mortem non vidit priúsquam Christum Dómini vidére mererétur, ita et nos vitam obtineámus ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

¶ In omnibus Missis de Officio Semiduplici aut Simplici, et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, a die 3 Februarii usque ad Feriam III post Dominicam Quinquagesimæ inclusive, dicuntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª ad poscenda suffragia Sanctorum A cunctis, 51, et 3ª ad libitum eligenda.

Die 3 Februarii

S. Blasii Ep. et Mart.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 1 loco, [5], præter Orationes sequentes.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui sanctum Blásium, Præsulem Martyrémque tuum, in agóne certáminis tuo amóre roborásti: adsis Ecclésiæ tuæ précibus; et da, ut cujus triúmphum recólimus in terris, ejus précibus adjuvémur in cælis. Per Dóminum.

Secreta

Sacrifíciis, quæsumus, Dómine, placáre oblátis: et, supplicánte pro nobis Præsule Martyréque tuo Blásio, per hæc ab ómnibus nequitiárum nostrárum liberémur insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Córporis et Sánguinis tui, Dómine Jesu Christe, venerábile Sacraméntum: dilécti Blásii, Mártyris tui atque Pontíficis, opitulántibus méritis; nos ad cæléstis mensæ perdúcat convívium: Qui vivis.

Die 4 Februarii

S. Andreæ Corsini Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi Confessoris Pontificis III loco, [28], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum: da pópulo tuo beáti Andréæ, Confessóris tui atque Pontíficis, ita sequi vestígia, ut assequátur et prǽmia. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Andréa, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Per Quadragesimam, a Feria V post Cineres usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, occurrente quolibet Festo Duplici vel Semiduplici, in Missis non conventualibus de Festo fit Commemoratio Feriæ, et legitur ejus Evangelium in fine. Ubi autem adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Feriæ, in Choro post Nonam dicitur Missa conventualis de Feria, sine Commemoratione Festi. Missæ vero privatæ dici possunt vel de Festo, cum Commemoratione et ultimo Evangelio Feriæ, vel de Feria cum Commemoratione Festi, juxta Rubricas. Si tamen Festum fuerit Solemne I aut II ordinis, in Choro dicitur Missa conventualis de Festo, et extra Chorum legitur Missa de Feria, de qua tamen prohibentur Missæ privatæ: quæ Rubrica servatur etiam cum illis Festis, de quibus, juxta Ritum Bracarensem, in Hebdomada Passionis celebrari debet Officium.

¶ Item per Quadragesimam, a Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum infra Hebdomadam IV inclusive, in omnibus Missis de Festo Semiduplici, et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, in cantu celebrandis, post Commemorationem Feriæ dicitur, juxta Rubricas, Oratio pro diversitate Temporum assignata, nempe ad poscenda suffragia Sanctorum A cunctis, 64. In Missis tamen conventualibus vel cantatis, si Commemoratio Feriæ sit omittenda, post Orationem A cun-

Die 4 Februarii

S. JOANNIS DE BRITO

Martyris

Introitus — Ps. 39, 10

ANNUNTIAVI justítiam tuam in ecclésia magna; ecce lábia mea non prohibébo. Ps. ibid. 2. Exspéctans exspectávi Dóminum et inténdit mihi. Annuntiávi. ℣. Glória Patri.

Oratio

DEUS qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem Mártyrem tuum invicta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde, ut cujus martyrium recólimus, ejus étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Andreæ Corsini Ep. et Con.

Oratio

DEUS, qui in Ecclésia tua nova semper instáuras exémpla virtútum; da pópulo tuo beáti Andréæ, Confessóris tui atque Pontíficis, ita sequi vestígia, ut assequátur et práemia. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. 2 Cor. 11, 19-28.

FRATRES: Libénter enim suffértis insipiéntes: cum sitis ipsi sapiéntes. Sustinétis enim si quis vos in servitútem rédigit, si quis dévorat, si quis áccipit, si quis extóllitur, si quis in fáciem vos cædit. Secúndum ignobilitátem dico, quasi nos infírmi fuérimus in hac parte. In quo quis audet (in insipiéntia dico) áudeo et ego. Hebrǽi sunt, et ego; Israëlítæ sunt, et ego; semen Ábrahæ sunt, et ego; minístri Christi sunt, (ut minus sápiens dico) plus ego; in labóribus plúrimis, in carcéribus abundántius, in plagis supra modum, in mórtibus frequénter. A Judǽis quínquies quadragénas, una minus, accépi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidátus sum, ter naufrágium feci, nocte et die in profúndo maris fui, in itinéribus sæpe, perículis flúminum, perículis latrónum, perículis ex génere, perículis ex géntibus, perículis in civitáte, perículis in solitúdine, perículis in mari, perículis in falsis frátribus; in labóre et ærúmna, in vigíliis multis, in fame et siti, in jejúniis multis, in frígore et nuditáte. Præter illa, quæ extrínsecus sunt, instántia mea quotidiána, sollicitúdo ómnium ecclesiárum.

Graduale Ps. 111, 1-2 Beátus vir, qui timet Dóminum; in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 6, 7-13

IN illo témpore: Vocávit Jesus duódecim: et cœpit eos míttere binos, et dabat illis potestátem spirítuum immundórum. Et præcépit eis ne quid tólleren in via, nisi virgam tantum; non peram, non panem, neque in zona æs, sed calceátos sandáliis, et ne indueréntur duábus túnicis. Et dicébat eis: Quocúmque introiéritis in domum: illic manéte donec exeátis inde:

et quicúmque non recéperint vos, nec audíerint vos, exeúntes inde, excútite púlverem de pédibus vestris in testimónium illis. Et exeúntes praedicábant ut poeniténtiam ágerent: et daemónia multa ejiciébant, et ungébant óleo multos aegros et sanábant. Et audívit rex Heródes (maniféstum enim factum est nomen ejus), et dicébat quia Joánnes Baptísta resurréxit a mórtuis, et proptérea virtútes operántur in illo. Alii autem dicébant quia Elías est; álii vero dicébant quia prophéta est, quasi unus ex prophétis. Quo audito, Heródes ait: Quem ego decollávi Joánnem, hic a mórtuis resurréxit. Ipse enim Heródes misit ac ténuit Joánnem et vinxit eum in cárcere propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam.

Offertorium Philipp. 2, 17 Et si immolor supra sacrifícium et obséquium fidei vestrae, gáudeo, et congrátulor ómnibus vobis.

Secreta

SÚSCIPE, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis, concéde; ut passióni et morti unigéniti Filii tui configuráti, resurrectiónis quoque et glóriae consórtes éffici mereámur: Qui tecum vivit.

Pro S. Andrea — Secreta

SANCTI tui, quaesumus, Dómine, nos ubíque laetíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio Jo. 3, 30 Illum opórtet créscere, me autem minui.

Postcommunio

REDEMPTIÓNIS humánae pígnore sacro per haec mystéria refécti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, intercedénte beáto Joánne Mártyre tuo, véniam consequámur et pacem. Per Dóminum.

Pro S. Andrea — Postcommunio

PRÆSTA quaesumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Andréa, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Concordat cum originali approbato

Bracarae, 5 Novembris 1953

† Antónius, Archiep. Prim.

ctis, dicitur 3ª Oratio pro diversitate Temporum assignata, nempe pro vivis et defunctis Omnipotens, 64.

Die 5 Febrarii

S. Agathæ Virg. et Mart.

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino diem festum celebrántes sub honóre beátæ Agathæ, Vírginis et Mártyris: de cujus passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ Agathæ, Vírginis et Mártyris tuæ, natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 1, 26-31

Fratres: Vidéte vocatiónem vestram, quia non multi sapiéntes secúndum carnem, non multi poténtes, non multi nóbiles: sed quæ stulta sunt mundi elégit Deus, ut confúndat sapiéntes: et infírma mundi elégit Deus, ut confúndat fórtia: et ignobília mundi, et contemptibília elégit Deus, et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrúeret: ut non gloriétur omnis caro in conspéctu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia, et sanctificátio, et redémptio: ut quemádmodum scriptum est: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur.

Graduale Ps. 45, 6 Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur. ℣. Ibid., 5 Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. ℣. Beáta Agatha, ingréssa cárcerem, benedicébat Dóminum Jesum Christum. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matt. 19, 3-12

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisæi, tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia, qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdii, et dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durí-

tiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum. Qui potest cápere, cápiat.

Offertorium Ps. 44, 15 Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Agathæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Qui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamillam meam meo péctori restitúere, ipsum ínvoco Deum vivum.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Agatha, Vírgine et Mártyre tua, sempitérna protectióne confírment. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 6 Februarii
S. Titi Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dignitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, qui beátum Titum, Confessórem tuum atque Pontíficem, apostólicis virtútibus decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut juste et pie vivéntes in hoc sǽculo, ad cæléstem pátriam pervenire mereámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Deinde Commemoratio S. Dorotheæ Virg. et Mart.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quǽsumus, Dómine, beáta Doróthea Virgo et Martyr implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui consérvávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testamén-

tum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus: et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid. 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Pro S. Dorothea Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Dorótheæ Vírginis et Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Tito, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Pro S. Dorothea
Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Doróthea, Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Eadem die 6 Februarii

Pro S. Dorothea Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Communi Virginum II loco, [37].

Die 7 Februarii

S. Romualdi Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35].

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 8 Februarii

S. Joannis de Matha Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis I loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui per sanctum Joánnem órdinem sanctíssimæ Trinitátis, ad rediméndum de potestáte Saracenórum captívos, cǽlitus institúere dignátus es: præsta, quǽsumus: ut, ejus suffragántibus méritis, a captivitáte córporis et ánimæ, te adjuvánte, liberémur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstì, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 9 Februarii

S. Cyrilli Ep. Alexandrini Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], cum Orationibus ut infra, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui beátum Cyríllum, Confessórem tuum atque Pontíficem, divínæ maternitátis beatíssimæ Vírginis Maríæ assertórem invíctum effecísti: concéde, ipso intercedénte; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, matérna ejúsdem protectióne salvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus. Deinde Commemoratio S. Apolloniæ Virg. et Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Múnera nostra, omnípotens Deus, benígnus réspice: et, intercedénte beáto Cyríllo, præsta; ut unigénitum tuum Jesum Christum, Dóminum nostrum, in tua tecum glória coætérnum, in córdibus nostris digne suscípere mereámur: Qui tecum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ et S. Apolloniæ, ut supra.

Postcommunio

Divínis, Dómine, refécti mystériis, te súpplices deprecámur: ut, exémplis et méritis beáti Cyrílli Pontíficis adjúti, sanctíssimæ Genitrici Unigéniti tui digne famulári valeámus: Qui tecum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ et S. Apolloniæ ut supra: et de Feria legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Eadem die 9 Februarii

S. Apolloniæ Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Communi Virginum I loco, [37], praeter Orationes sequentes.

Oratio

Deus, qui beátam Apollóniam, gloriósam Vírginem et Mártyrem tuam: quæ excussiónem déntium pro tui nóminis fide passa est, in cæléstibus coronásti; tríbue, quǽsumus, ejus solémnia pie coléntibus, perpétua pace gaudére, et a dolóre déntium atque ab ómnibus perículis, tam córporis quam ánimæ, liberári. Per Dóminum.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis, quǽsumus, interveniénte beáta Apollónia, Vírgine et Mártyre, nos propitiatióne tua dignos semper effíciat. Per Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta, quǽsumus; ut et temporális nobis vitæ remédia præbeant et ætérnæ. Per Dóminum.

Die 10 Februarii

S. Scholasticæ Virg.

Missa Dilexísti, de Communi Virginum III loco, [41], præter Orationes sequentes:

Oratio

Famíliam tuam, quǽsumus, Dómine, beátæ Scholásticæ Vírginis tuæ méritis propítius réspice: ut sicut ipsíus précibus, ad obtinéndum quod concupívit, imbrem cǽlitus descéndere fecísti; ita ejus supplicatiónibus ariditátem nostri cordis supérnæ dignéris grátiæ tuæ rore perfúndere. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, ob honórem Vírginis tuæ Scholásticæ munus oblátum: et, quod nostris méritis ássequi non valémus, ejus suffragántibus méritis largíre supplícibus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Quos cæléstì, Dómine, satiásti refectióne: beátæ, quǽsumus, Scholásticæ Vírginis tuæ méritis: a cunctis érue propitiátus advérsis. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 11 Februarii

In Apparitione B. Mariæ Virg. Immaculatæ

Introitus Apoc. 21, 2

Vidi civitátem sanctam, Jerúsalem novam, descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Vidi civitátem sanctam.

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: súpplices a te quǽsumus; ut ejúsdem Vírginis Apparitiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 11, 19; 12, 1 et 10

Apértum est templum Dei in cælo: et visa est arca testaménti ejus in templo ejus, et facta sunt fúlgura, et voces, et terræmótus, et grando magna. Et signum magnum appáruit in cælo: Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim. Et audívi vocem magnam in cælo dicéntem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus.

Graduale Cant. 2, 12 Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit, vox túrturis audíta est in terra nostra. ℣. Ibid., 10 et 14 Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ.

Allelúja, allelúja. ℣. Osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Judith 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. ℣. Cant. 4, 7 Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. ℣. Felix es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima, quæ serpéntis caput virgíneo pede contrivísti.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 26-31

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne

ejus, et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Credo.

Offertorium Luc. 1, 28 Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus.

Secreta

Hóstia laudis, quam tibi, Dómine, per mérita gloriósæ et immaculátæ Vírginis offérimus, sit tibi in odórem suavitátis, et nobis optátam cónferat córporis et ánimæ sanitátem. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Conceptióne immaculáta.

Communio Ps. 64, 10 Visitásti terram et inebriásti eam, multiplicásti locupletáre eam.

Postcommunio

Quos cæléstì, Dómine, aliménto satiásti, súblevet déxtera Genitrícis tuæ immaculátæ: ut ad ætérnam pátriam, ipsa adjuvánte, pervenire mereámur: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 12 Februarii

Ss. septem Fundatorum Ord. Servorum B. M. V. Cc.

Introitus Sap. 10, 20-21

Justi decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter: quóniam sapiéntia apéruit os mutum, et linguas infántium fecit disértas. ℣. Ps. 8, 2 Dómine Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri. Justi decantavérunt.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui ad recoléndam memóriam dolórum sanctíssimæ Genitrícis tuæ, per septem beátos Patres nova Servórum ejus família Ecclésiam tuam fœcundásti: concéde propítius; ita nos eórum consociári flétibus, ut perfruámur et gáudiis: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 1-15

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sǽculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prǽditi, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. Et sunt quorum non est memória: periérunt

quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et filii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, hereditas sancta nepótes eórum: et in testaméntis stetit semen eórum: et filii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale Isai. 65, 23 Elécti mei non laborábunt frustra, neque germinábunt in conturbatióne: quia semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis. ℣. Eccli. 44, 14 Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 15 Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in exsultatióne metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 44, 15 Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet ecclésia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Isai. 56, 7 Addúcam eos in montem sanctum meum, et lætificábo eos in domo oratiónis meæ: holocáusta eórum, et victimæ eórum placébunt mihi super altáre meum.

Secreta

Accipe, quǽsumus, Dómine, hóstias quas tibi offérimus: et præsta; ut, intercedéntibus Sanctis tuis, líbera tibi mente serviámus, et perdoléntis Vírginis Genitrícis Fílii tui amóre inflammémur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat.

Postcommunio

Cæléstibus refécti mystériis te, Dómine, deprecámur: ut quorum festa percólimus imitántes exémpla; juxta Crucem Jesu cum María Matre ejus fidéliter adstémus, et ejúsdem redemptiónis fructum percípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 13 Februarii

Sacrorum Quinque Vulnerum D. N. J. C.

Missa Humiliávit, quæ habetur inter votivas circa finem Missalis, [79], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui unigéniti Fílii tui passióne, et per quinque Vúlnera ejus, sánguinis effusióne, humánam natúram peccáto pérditam reparásti: tríbue nobis, quǽsumus; ut, qui ab eo suscépta Vúlnera venerámur in terris, ejúsdem pretiosíssimi Sánguinis fructum cónsequi mereámur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non Conventualibus.

Et dicitur Credo.

Secreta

Majestáti tuæ, quǽsumus, Dómine, accépta sint dona: in quibus ipsa Unigéniti tui Vúlnera tibi offérimus, nostræ prétia libertátis. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Præfatio de Cruce.

Postcommunio

Refécti vitálibus alimóniis, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, qui Vúlnera Dómini nostri Jesu Christi hódie devóte cólimus; hæc in nostris córdibus impréssa, móribus et vita teneámus. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriae, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 14 Februarii

Ss. Theophili, Saturnini et Revocatæ Mm.

Missa Sapiéntiam de Communi plurimorum Martyrum 1 loco. [13].

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Theóphili, Saturníni et Revocátæ natalítia cólere: da nobis, quǽsumus; in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non Conventualibus.

Deinde Commemoratio S. Valentini Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte reddántur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Deinde Commemoratio S. Valentini Mart., ut in Missa sequenti.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Theóphilo, Satur-

nino et Revocáta; ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Deinde Commemoratio S. Valentini Mart., ut in Missa sequenti.

Eadem die 14 Februarii

S. Valentini Presb. et Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnipotens Deus: ut, qui beáti Valentíni Mártyris tui natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Valentíni Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium: ut, cujus exséquimur actiónem, intercedénte beáto Valentíno Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 15 Februarii

In Translatione S. Antonii Lusitani

Missa In médio, ut in die 13 Junii, præter Orationem ut infra; sed non dicitur Credo.

Oratio

Sancti Confessóris tui Antónii tribue nos, Dómine, intercessióne adjuvári: ut, cujus Translatiónem ánnua celebritáte recólimus; ejus apud te précibus et méritis, post hujus vitæ exsílium, ad consórtium transférri mereámur Beatórum. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non Conventualibus.

Deinde fit Commemoratio Ss. Faustini et Jovitæ Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Præsens oblátio fiat, Dómine, pópulo tuo salutáris: pro quo dignátus es Patri tuo te, vivéntem Hóstiam, immoláre: Qui cum eódem Deo Patre, et Spíritu Sancto, vivis et regnas, Deus: per ómnia sǽcula sæculórum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Deinde fit Commemoratio Ss. Faustini et Jovitæ, ut in Missa sequenti.

Postcommunio

Divínis, Dómine, munéribus satiáti: quǽsumus; ut, beáti Antónii Confessóris tui méritis et intercessióne, salutáris sacrifícii sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Deinde fit Commemoratio Ss. Faustini et Jovitæ, ut in Missa sequenti.

Eadem die 15 Februarii

Ss. Faustini et Jovitæ Mm.

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum II loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Faustíni et Jovítæ solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 16 Februarii

B. Joannis de Brito Mart.

Missa Justus de Communi unius Martyris VI loco, [10], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui ad fidem cathólicam apud Indos propagándam beátum Joánnem, Mártyrem tuum, invícta constántia roborásti: ipsíus méritis et intercessióne concéde; ut, qui triúmphi ejus memóriam recólimus, étiam fídei exémpla imitémur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non Conventualibus.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Mártyris tui Joánnis suffragántibus méritis, concéde; ut, passióni et morti unigéniti Fílii tui configuráti, resurrectiónis quoque et glóriæ consórtes esse mereámur. Qui tecum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Redemptiónis humánæ pignore sacro per hæc mystéria refécti, te, Dómine, súpplices exorámus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáto Joánne Mártyre tuo intercedénte, véniam consequámur et pacem. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 17 Februarii

Fugæ D. N. J. C. in Ægyptum

Introitus Matth. 2, 13

Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. ℣. Ps. 54, 8 Ecce elongávi fúgiens: et mansi in solitúdine. ℣. Glória Patri. Angelus Dómini.

Oratio

Protéctor in te sperántium, Deus, qui Unigénitum tuum Redemptórem nostrum, ex Heródis gládio, fuga in Ægýptum erípere voluísti: concéde nobis fámulis tuis, beatíssima semper Vírgine ejus matre María intercedénte; ut ab ómnibus mentis et córporis perículis liberáti, ad cæléstem pátriam perveníre mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 19, 20-22

In diébus illis: Clamábunt ad Dóminum a fácie tribulántis, et mittet eis salvatórem et propugnatórem, qui líberet eos. Et cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis, et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent. Et percútiet Dóminus Ægýptum plaga, et sanábit eam: et reverténtur ad Dóminum, et placábitur eis, et sanábit eos Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 90, 11-12 Angelis suis Deus mandávit de te: ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 2, 13 Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Matth. 2, 13 Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. ℣. Et esto ibi usque dum dicam tibi. ℣. Futúrum est enim ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 2, 13 Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. Allelúja, allelúja. ℣. Et esto ibi usque dum dicam tibi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 2, 13-15

In illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum, et esto ibi usque dum dicam tibi. Futúrum est enim ut Heródes quærat Púerum ad perdéndum eum. Qui consúrgens accépit Púerum, et Matrem ejus nocte, et secéssit in Ægýptum: et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi Fílium meum. Credo.

Offertorium Isai. 19, 21 Cognoscétur Dóminus ab Ægýpto, et cognóscent Ægýptii Dóminum in die illa, et colent eum in hóstiis et in munéribus, et vota vovébunt Dómino, et solvent.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus, supplíciter deprecántes: ut, qui cum beatíssima matre Vírgine María in Ægýptum exsul deférri voluísti; éxsules nos, eádem beáta Vírgine intercedénte, ad cæléstem pátriam benígnus perdúcas: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Præfatio de Nativitate.

Communio Matth. 2, 15 Et erat ibi usque ad óbitum Heródis: ut adimplerétur quod dictum est a Dómino

per prophétam dicéntem: Ex Ægýpto vocávi Filium meum.

Postcommunio

Largire sénsibus nostris, omnípotens Deus: ut per temporálem Filii tui fugam, quam mystéria veneránda testántur, vitam te nobis dedisse perpétuam confidámus. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 18 Februarii

S. Theotonii Conf.

Introitus Ps. 131, 7 et 121, 2

Introíbimus in tabernáculum ejus: adorábimus in loco ubi stetérunt pedes ejus. Stantes erant pedes nostri in átriis tuis, Jerúsalem. ℣. Ps. 121, 1 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum dómini íbimus. Introíbimus. ℣. Glória Patri. Introíbimus.

Oratio

Deus, qui, beáti Theotónii salutáribus mónitis et exémplis, canónicam disciplínam reparásti: concéde propítius; ut, ejus exémplo et intercessióne, arctiórem christiánæ perfectiónis viam ingréssi, facílius vitam ætérnam consequámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus. Deinde Commemoratio S. Simeonis Ep. et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 45, 1-6

Diléctus Deo et homínibus: cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem, et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale Ps. 118, 46 et 19, 10 Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum: et non confundébar. ℣. Dómine, salvum fac regem: et exáudi nos in die, qua invocavérimus te.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 115, 18-19 Vota mea Dómino reddam in átriis domus Dómini, in médio tui, Jerúsalem. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 115, 14-15 Vota mea Dómino reddam coram omni pópulo ejus: pretiósa enim in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. ℣. Ps. 8, 4 Quóniam vidébo cælos tuos: lunam et stellas, quæ tu fundásti. ℣. Ps. 86, 3 Gloriósa dicta sunt de te, cívitas Dei.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 132, 1 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. Allelúja, allelúja. ℣. Ibid. 3 Quóniam illic mandávit Dóminus benedictiónem, et vitam usque in sæculum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 19, 17-26

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Galat. 6, 14 Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi.

Secreta

Sanctæ Crucis, Dómine, mystéria recoléntes, concéde: ut Sacrifícium incruéntum débita veneratióne offerámus; et, interveniénte sancto Theotónio, Confessóre tuo, salutáris fructus consequámur effectum. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Deinde Commemoratio S. Simeonis, ut in Missa sequenti.

Communio Rom. 12, 1-2 Obsecro vos, fratres, per misericórdiam Dei, ut exhibeátis córpora vestra hóstiam vivéntem, sanctam, Deo placéntem, rationábile obséquium vestrum: et nolíte conformári huic sǽculo, sed reformámini.

Postcommunio

Per Sancta, Dómine, quæ súmpsimus, sanctus Theotónius intercédat: ne huic sǽculo conformémur: sed reformáti, ad perfectiónem semper aspirémus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra, et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Deinde Commemoratio S. Simeonis, ut in Missa sequenti.

Die 18 Februarii

S. Simeonis Ep. et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], præter Orationes sequentes:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Simeónis, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Simeónis Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 22 Februarii

In Cathedra S. Petri Antiochiæ

¶ Omnia dicuntur sicut in Festo Cathedræ Romanæ, 479, omissa Comme

moratione S. Priscæ: in Quadragesima, fit Commemoratio et legitur ultimum Evangelium de Feria in Missis non conventualibus: atque in Sabbato, nisi annus fuerit bissextilis, additur Commemoratio Vigiliæ anticipatæ S. Matthiæ, ut die sequenti notatur. Hæc autem Commemoratio Vigiliæ in Sabbato, ut supra, fit etiam extra Quadragesimam, addito tamen ultimo Evangelio de Vigilia. Et hoc in casu, post Tertiam extra Chorum legitur Missa de Festo sine Commemoratione Vigiliæ, et in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia sine Commemoratione Festi, additis in Missa Vigiliæ, 2ª Oratione de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 399. Missæ vero privatæ in Quadragesima ad libitum dici possunt, vel de Festo, vel de Feria, vel de Vigilia; extra Quadragesimam, vel de Festo, vel de Vigilia, juxta Rubricas.

Die 23 Februarii
S. Petri Damiani Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], præter Orationes sequentes, et dicitur Credo.

Oratio

Concéde nos, quǽsumus, omnípotens Deus: beáti Petri, Confessóris tui atque Pontíficis, mónita et exémpla sectári; ut per terréstrium rerum contémptum ætérna gáudia consequámur. Per Dóminum.

¶ Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus: et, nisi annus fuerit bissextilis, vel etiam in anno bissextili si hodie fuerit Sabbatum, additur Commemoratio Vigiliæ, ut in Missa sequenti. Hæc autem Commemoratio Vigiliæ in utroque casu fit etiam extra Quadragesimam, addito ultimo Evangelio de ipsa Vigilia. Et, in utroque pariter casu, extra Quadragesimam, Missa conventualis de Festo legitur extra Chorum post Tertiam sine Commemoratione Vigiliæ, et in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia sine Commemoratione Festi. Missæ vero privatæ in Quadragesima ad libitum dici possunt, vel de Festo, vel de Feria, vel de Vigilia; extra Quadragesimam, vel de Festo, vel de Vigilia, juxta Rubricas.

Secreta

Sancti Petri, Pontíficis tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, si venerit in Quadragesima, et Vigiliæ, ut supra.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Petrus, Póntifex tuus et Doctor egrégius, quǽsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, si venerit in Quadragesima, et Vigiliæ, ut supra; ac legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Eadem die 23 vel die 24 Februarii
In Vigilia S. Matthiæ Ap.

Missa Ego autem, de Communi in Vigiliis Apostolorum, [1].

¶ Si hæc Vigilia occurrat in Quadragesima, de Vigilia non dicitur Missa conventualis, sed fit tantum Commemoratio in omnibus Missis, præter conventualem de Festo occurrenti, si habeatur, et in Missa de Feria in fine legitur Evangelium ejusdem Vigiliæ. Missæ autem privatæ, præterquam in

Feria IV Cinerum, dici possunt tum de Feria Quadragesimæ, tum de Vigilia, juxta Rubricas.

Die 24 vel 25 Februarii
S. Matthiæ Apostoli

¶ Hodie, in Quadragesima, in Choro post Tertiam dicitur Missa conventualis de Festo, et extra Chorum post Nonam legitur Missa de Feria; de qua tamen prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Mihi autem. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Deus, qui beátum Matthíam Apostolórum tuórum collégio sociásti: tríbue, quæsumus; ut, ejus interventióne, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act 1, 15-26

In diébus illis exsúrgens Petrus in médio fratrum, dixit (erat autem turba hóminum simul, fere centum vigínti): Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram, quam prædíxit Spíritus Sanctus per os David de Juda, qui fuit dux eórum, qui comprehendérunt Jesum: qui connumerátus erat in nobis, et sortítus est sortem ministérii hujus. Et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, et suspénsus crépuit médius: et diffúsa sunt ómnia víscera ejus. Et notum factum est ómnibus habitántibus Jerúsalem, ita ut appellarétur ager ille, lingua eórum, Hacéldama, hoc est, ager sánguinis. Scriptum est enim in libro Psalmórum: Fiat commorátio eórum desérta, et non sit qui inhábitet in ea: et episcopátum ejus accípiat alter. Opórtet ergo ex his viris, qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit et exívit inter nos Dóminus Jesus, incípiens a baptísmate Joánnis usque in diem, qua assúmptus est a nobis, testem resurrectiónis ejus nobíscum fíeri unum ex istis. Et statuérunt duos, Joseph qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Justus, et Matthíam. Et orántes dixérunt: Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, óstende, quem elégeris ex his duóbus unum, accípere locum ministérii hujus, et apostolátus, de quo prævaricátus est Judas, ut abíret in locum suum. Et dedérunt sortes eis, et cécidit sors super Matthíam, et annumerátus est cum úndecim Apóstolis.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Die 27 Februarii

S. GABRIELIS A VIRGINE PERDOLENTE

Confessoris

Introitus Eccli. 11, 13

Oculus Dei respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus: et miráti sunt in illo multi, et honoravérunt Deum. Ps. 72, 1 Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri. Oculus Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Gabriélem dulcíssimæ Matris tuæ dolóres assídue recólere docuísti, ac per illam sanctitátis et miraculórum glória sublimásti: da nobis, ejus intercessióne et exémplo; ita Genitrícis tuæ consociári flétibus, ut matérna ejúsdem protectióne salvémur: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriae in Missis non conventualibus.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli. I Joann. 2, 14-17

Caríssimi: Scribo vobis, júvenes, quóniam fortes estis, et verbum Dei manet in vobis, et vicístis malignum. Nolíte dilígere mundum neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis díligit mundum, non est cáritas Patris in eo: quóniam omne, quod est in mundo, concupiscéntia carnis est, et concupiscéntia oculórum, et supérbia vitæ: quæ non est ex Patre, sed ex mundo est. Et mundus transit et concupiscéntia ejus. Qui autem facit voluntátem Dei, manet in ætérnum.

Graduale Ps. 30, 20 Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te! ℣. Perfecísti eis, qui sperant in te, in conspéctu filiórum hóminum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 8, 6-7 Minuísti eum, Dómine, paulo minus ab Angelis: glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 83, 6-7, 11 et 13 Beatus vir, cujus est auxílium abs te: ascensiónes in corde suo dispósuit, in valle lacrimárum, in loco, quem pósuit. ℣. Elégi abjéctus esse in domo Dei mei: magis quam habitáre in tabernáculis peccatórum. ℣. Non privábit bonis eos, qui ámbulant in innocéntia: Dómine virtútum, beátus homo, qui sperat in te.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 8, 6-7 Minuísti eum, Dómine, paulo minus ab Angelis: glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Alleluja.

℣. Eccli. 11, 24 Benedictio Dei in mercédem justi festinat, et in hora velóci procéssus illíus fructíficat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 10, 13-21

In illo témpore: Offerébant Jesu párvulos, ut tángeret illos. Discípuli autem comminabántur offeréntibus. Quos cum vidéret Jesus, indígne tulit et ait illis: Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos: tálium enim est regnum Dei. Amen, dico vobis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et compléxans eos et impónens manus super illos, benedicébat eos. Et cum egréssus esset in viam, procúrrens quidam genu flexo ante eum, rogábat eum: Magister bone, quid fáciam, ut vitam ætérnam percípiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. Præcépta nosti: Ne adúlteres, Ne occídas, Ne furéris, Ne falsum testimónium díxeris, Ne fraudem féceris. Honóra patrem tuum et matrem. At ille respóndens, ait illi: Magíster, hæc ómnia observávi a juventúte mea. Jesus autem intúitus eum, diléxit eum et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo: et veni, séquere me.

Offertorium Ps. 115, 16-17 O Dómine, quia ego servus tuus, et fílius ancíllæ tuæ: dirupísti víncula mea, tibi sacrificábo hóstiam laudis.

Secreta

Salutárem hóstiam in memóriam sancti Gabriélis tibi, Dómine, offeréntes, fac nos sacrifícium mortis tuae rite recólere, ac, méritis perdoléntis Vírginis, ejúsdem sacrifícii fructum copióse percípere: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriae, ut supra.

Communio Apoc. 3, 20 Ecce, sto ad óstium et pulso: si quis audíerit vocem meam, et aperúerit mihi jánuam, intrábo ad illum, et cœnábo cum illo, et ipse mecum.

Postcommunio

Quas tibi, Dómine, in festivitáte sancti Gabriélis Confessóris tui, pro collátis donis grátias ágimus: súscipe propítius, per manus gloriósae semper Vírginis Maríae, ex qua carnem illam assumpsísti, cujus in hoc salutári convívio merúimus gustáre dulcédinem: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriae, ut supra: et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

IMPRIMATUR

Bracaræ, 5 Septembris 1933.

† **Antonius,** Arch. Prim.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Credo.

Offertorium Ps. 44, 17-28 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni progénie et generatióne.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, sancti Matthíæ Apóstoli tui prosequátur orátio: per quam nos expiári fácias, et defêndi. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut per hæc Sancta, quæ súmpsimus, interveniénte beáto Matthía Apóstolo tuo, véniam consequámur, et pacem. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, omisso Tractu, post Graduale, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. Allelúja.

¶ Tempore autem Paschali Introitus, Allelúja cum suis Versibus post Epistolam, Offertorium et Communio sumuntur ex Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], reliqua dicuntur ut supra.

Die 27 vel 28 Februarii
S. Torquati Ep. et Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris V loco, [9], præter Orationem sequentem:

Oratio

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Torquáti, Mártyris tui atque Pontíficis, méritis adjuvémur; cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte deféｒtur. Per Dóminum.

Et in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum,

intercedénte beáto Torquáto, Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

FESTA MARTII

¶ Ante Quadragesimam, prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 1 Martii

Bb. Michaëlis de Carvalho et Soc. Martyrum

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, [13], præter Orationem sequentem:

Oratio

Beatórum Mártyrum tuórum, Michaélis, et Sociórum ejus: nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio; et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte reddántur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriae, ut supra.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Michaéle, et Sóciis ejus; ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 4 Martii

S. Casimiri Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui inter regáles delícias et mundi illécebras, sanctum Casimírum virtúte constántiæ roborásti: quǽsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cæléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Deinde Commemoratio S. Lucii I Papæ et Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ et S. Lucii, ut supra.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ ac S. Lucii, ut supra; et de Feria legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Eadem die 4 Martii

Pro S. Lucio I Papa et Mart.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 11 loco, [5], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti Lúcii, Mártyris tui atque Pontíficis, méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Lúcii, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Lúcio, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 6 Martii

Ss. Perpetuæ et Felicitatis Martyrum

Missa Me exspectavérunt, de Communi non Virginum 1 loco, [45], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum Perpétuæ et Felicitátis palmas incessábili devotióne venerári: ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Inténde, quǽsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Mártyrum tuárum Perpétuæ et Felicitátis festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Mýsticis, Dómine, repléti sumus votis et gáudiis: præsta, quǽsumus; ut intercessiónibus sanctárum Mártyrum tuárum Perpétuæ et Felicitátis, quæ temporáliter ágimus, spirituáliter consequámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 7 Martii

S. Thomæ de Aquino Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15. 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Thomæ Confessóris tui mira eruditióne clarificas, et sancta operatióne fœcúndas: da nobis, quǽsumus; et quæ dócuit, intelléctu conspícere, et quæ egit, imitatióne complére. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 7, 7-14

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus: nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus, aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Sancti Thomæ, Confessóris tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Hæc nos, Dómine, commúnio sancta lætíficet: qua beáti Thomæ suffrágiis virtútes roboréntur intérius, et actus extérius piæ conversatiónis excréscant. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 8 Martii

S. Joannis de Deo Conf.

Introitus Ps. 30, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui beátum Joánnem, tuo amóre succénsum, inter flammas innóxium incédere fecísti, et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti: præsta, ipsíus suffragántibus méritis; ut igne caritátis tuæ vítia nostra curéntur, et remédia nobis ætérna provéniant. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus; et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 22, 34-46

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisǽi: et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, ten-

tans eum: Magister, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota ánima tua, et in tota mente tua. Hoc est máximum, et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: Díliges próximum tuum, sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérsa lex pendet, et prophétæ. Congregátis autem pharisǽis, interrogávit eos Jesus, dicens: Quid vobis vidétur de Christo? cujus fílius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quómodo ergo David in spíritu vocat eum Dóminum, dicens: Dixit Dóminus Dómino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimícos tuos scabéllum pedum tuórum? Si ergo David vocat eum Dóminum, quómodo fílius ejus est? Et nemo póterat ei respondére verbum: neque ausus fuit quisquam ex illa die eum ámplius interrogáre.

Offertorium Ps. 88-25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 9 Martii

S. Franciscæ Romanæ Vid.

Missa Cognóvi, de Communi non Virginum 11 loco, [47], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátam Franciscam fámulam tuam, inter cétera grátiæ tuæ dona, familiári Angeli consuetúdine decorásti: concéde, quǽsumus; ut, intercessiónis ejus auxílio, Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 10 Martii
S. Quadraginta Martyrum

Introitus Ps. 33, 18

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus in ore meo. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnipotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum! ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6, 17-23

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Preces, Dómine, tuórum réspice, oblationésque fidélium: ut, et tibi gratæ sint pro tuórum festivitáte Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Matth. 12, 50 Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, et soror, et mater est, dicit Dóminus.

Postcommunio

Sanctórum tuórum, Dómine, intercessióne placátus: præsta, quǽsumus; ut quæ temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra: et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 12 Martii

S. Gregorii I Papæ, Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde, laudáte Deum. ℣. Ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, qui ánimæ fámuli tui Gregórii ætérnæ beatitúdinis prǽmia contulísti: concéde propítius; ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 47, 9-13 et 24, 1-4

Dedit Dóminus confessiónem Sancto suo et Excélso in verbo glóriæ. De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimícos poténtiam. Et stare fecit cantóres contra altáre: et in sono eórum dulces fecit modos. Et dedit in celebratiónibus decus, et ornávit témpora usque ad consummatiónem vitæ, ut laudárent nomen sanctum Dómini, et amplificárent mane Dei sanctitátem. Christus purgávit peccáta ipsíus, et exaltávit in ætérnum cornu ejus: et dedit illi testaméntum regni, et sedem glóriæ in Israël. Sapiéntia laudábit ánimam suam, et in Deo honorificábitur, et in médio pópuli sui glorificábitur. Et in ecclésiis Altíssimi apériet os suum, et in conspéctu virtútis illíus gloriábitur. Et in médio pópuli sui exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur. Et in multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur.

Graduale Ps. 109, 4 et 1 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis

ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine: ut intercessióne beáti Gregórii hæc nobis prosit oblátio, quam immolándo totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Deus, qui beátum Gregórium Pontíficem Sanctórum tuórum méritis coæquásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 13 Martii

Bb. Sanciæ et Mafaldæ Vv. Principum Lusitaniæ.

Introitus Ps. 44, 9 et 16

Delectavérunt te, Deus, fíliæ regum in honóre tuo: afferéntur vírgines in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regis Dómini. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Delectavérunt.

Oratio

Deus, qui beátas Vírgines Sánciam et Mafáldam, mundáno principátu et sæculi pompa despé-

ctis, a terrénis ad cæléstes Agni núptias evocásti: da nobis fámulis tuis; ut, terréna despiciéntes, cæléstium bonórum fácias esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios. 1. Cor, 7, 25-34

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti: et si núpserit virgo, non peccávit. Tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur, prætérit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 148, 12-13 Vírgines laudent nomen Dómini: quia exaltátum est nomen ejus solíus. ℣. Ps. 23, 6 Hæc est generátio quæréntium Dóminum, quæréntium fáciem Dei Jacob.

Tractus Ps. 44, 7 Sedes tua, Deus, in sǽculum sǽculi: virga directiónis virga regni tui. ℣. Ps. ibid., 13 et 10 Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo. ℣. Ps. ibid., 16 Afferéntur in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ accipiéntes lámpades suas exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro, quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte

non sufficiat nobis et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novissime vero véniunt et réliquæ virgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte itaque, quia nescitis diem neque horam.

Offertorium Prudéntes vírgines, aptáte vestras lámpades: Ecce Sponsus venit, exíte óbviam Christo Dómino.

Secreta

Immaculátam hóstiam tibi, Dómine, offérimus deprecántes: ut, beatárum vírginum Sánciæ et Mafáldæ interveniénte suffrágio, semper in nobis dilécti Fílii tui passiónis memória persevéret, et fructus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Sap. 4, 1 O quam pulchra est casta generátio cum claritáte! immortális est enim memória illíus, quóniam et apud Deum nota est, et apud hómines.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, humilitátis et caritátis tríbuat hæc mensa cæléstis: qua reféctæ beátæ vírgines Sáncia et Mafálda; sæculi vanitátibus exútis, ad ætérna regna feliciter pervenérunt. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 17 Martii

S. Patricii Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi Confessoris Pontificis 111 loco, [28], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui ad prædicándam géntibus glóriam tuam beátum Patrícium, Confessórem atque Pontíficem, míttere dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut, quæ nobis agénda præcipis, te miseránte adimplére possímus. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Patrício, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 18 Martii

S. Cyrilli Ep. Hierosolymitani, Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum.

℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio Ecclésiæ.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, omnípotens Deus, beáto Cyríllo Pontífice intercedénte: te solum verum Deum, et quem misísti Jesum Christum ita cognóscere; ut inter oves, quæ vocem ejus áudiunt, perpétuo connumerári mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 39, 6-14

Justus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sǽculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 10, 23-28

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt; quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Réspice, Dómine, immaculátam hóstiam, quam tibi offérimus: et præsta: ut, méritis beáti Pontíficis et Confessóris tui Cyrílli, eam mundo corde suscípere studeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Sacraménta córporis et sánguinis tui, quæ súmpsimus, Dómine Jesu Christe: beáti Cyrílli Pontíficis précibus, mentes et corda nostra sanctíficent: ut divínæ consórtes natúræ éffici mereámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, justa Rubricas.



Die 19 Martii

S. JOSEPH SPONSI B. MARIÆ V. CONFESSORIS

¶ Hodie in Choro post Tertiam dicitur Missa conventualis de Festo, et, in Quadragesima, extra Chorum post Nonam legitur Missa de Feria; de qua tamen prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Matth. 2, 13

Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Surge, et áccipe Púerum et Matrem ejus, et fuge in Ægýptum. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. Angelus Dómini. ℣. Glória Patri. Angelus Dómini.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Joseph Dei Genitrícis conjúgio dedicásti: concéde propítius; ut, sicut unigéniti Fílii tui nutrítius éxtitit próvidus, ita apud te in nostra intercessióne sit ipse sollícitus. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli. 44, 25-27 et 45, 2-9

Benedíctio Dómini super caput justi: ídeo dedit illi hereditátem, et divísit ei partem in tríbubus duódecim: et invénit grátiam in conspéctu omnis carnis. Magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et dedit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Dedit illi cor ad præcépta, et legem vitæ et disciplínæ: et excélsum fecit illum. Státuit ei testaméntum ætérnum, et

circumcínxit eum zona justítiæ: et induit eum Dóminus coróna glóriæ.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum sæculi.

Tractus Matth. 2, 19-23 Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens. ℣. Surge et áccipe Púerum et Matrem ejus, et vade in terram Israël. ℣. Qui consúrgens accépit Púerum et Matrem ejus, et venit in terram Israël: et, admónitus in somnis, secéssit in partes Galilææ, et habitávit in civitáte quæ vocátur Názareth.

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja, ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 1, 18-21

Cum esset desponsáta Mater Jesu María Joseph, ántequam convenírent, invénta est in útero habens de Spíritu Sancto. Joseph autem vir ejus, cum esset justus, et nollet eam tradúcere, vóluit occúlte dimíttere eam. Hæc autem eo cogitánte, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis ei, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam, cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium: et vocábis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Credo.

Offertorium Luc. 2, 16 et 20 Pastóres venérunt festinántes: et invenérunt Maríam et Joseph et Infántem pósitum in præsépio: et revérsi sunt glorificántes et laudántes Deum. (T. P. Allelúja).

Secreta

Súscipe et sanctífica, miséricors Deus, hoc tibi munus oblátum: et concéde; ut medélam in nobis júgiter operétur précibus beáti Joseph, qui Fílio tuo et suæ Matri tam gratánter et sédule ministrávit: Qui tecum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Præfatio de S. Joseph.

Communio Matth. 1, 20 Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Salutáre convívium córporis et sánguinis tui, quod súmpsimus, Dómine: nobis profíciat ad salútem, intercedénte beáto Joseph, Genitrícis tuæ Sponso; qui sacratíssimæ tuæ infántiæ devótis et familiáribus obséquiis affectíssime complácuit: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

¶ Pro votiva de S. Joseph dicitur Missa Adjútor, quæ habetur inter Missas votivas circa finem Missalis. [95].

Die 20 Martii
S. Martini Dumiensis Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ibid. 6 Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Martínum minístrum concessísti: præsta, quǽsumus; ut, quem patrónum ac doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem semper habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 7, 7-13

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ. Et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi eam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam bonórum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo: et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Elégit te Dóminus sibi in sacerdótem magnum in pópulo suo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómni-

bus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum. Credo.

Offertorium Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Secreta

Omnípotens sempitérne Deus, múnera majestáti tuæ obláta: per intercessiónem beáti Martíni, Confessóris tui atque Pontíficis, ad perpétuam fac nobis profícere salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Matth. 25, 20-21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Sacraménta salútis nostræ suscipiéntes, concéde, quæsumus, miséricors Deus: ut beáti Martíni, Confessóris tui atque Pontíficis, nos ubíque orátio ádjuvet; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus Majestáti. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 21 Martii
S. Benedicti Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35].

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 24 Martii
In Festo
Institutionis Ssmi Sacramenti

¶ Si hoc Festum occurrat in Festo altioris ritus, in Dominica privata, in Feria privilegiata primi vel secundi Ordinis et in Octava item privilegiata primi Ordinis, reponatur, tamquam in sede propria, in prima occurrenti Feria V, quæ non sit impedita Festo altioris ritus, vel Feria aut Octava, ut supra.

Post Tertiam dicitur in Choro Missa Conventualis de Festo, et, in Quadragesima, extra Chorum post Nonam legitur Missa de Feria; de qua tamen prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Ps. 80, 17

Cibávit eos ex ádipe fruménti, allelúja: et de petra, melle saturávit eos. (T. P. Allelúja, allelúja, allelúja). ℣. Ps. ibid., 2 Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob. Cibávit. ℣. Glória Patri. Cibávit.

Oratio

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quǽsumus; ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus, juxta Rubricas.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 11, 23-29

Fratres: Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo sánguine. Hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo: et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat, et bibit indígne, judícium sibi mandúcat, et bibit: non dijúdicans corpus Dómini.

Graduale Ps. 144, 15-16 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Tractus Malach. 1, 11 Ab ortu solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur, et offértur nómini meo oblátio munda: quia magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Prov. 9, 5 Veníte, comédite panem meum, et bíbite vinum quod míscui vobis.

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Luc. 24, 25 Cognovérunt discípuli Dóminum Jesum in fractióne panis. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 6, 56-57 Caro mea, vere est cibus: et sanguis meus, vere est potus; qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo. Allelúja.

Sequentia

Lauda, Sion, Salvatórem,
Lauda ducem et pastórem,
In hymnis et cánticis.

Quantum potes, tantum aude:
Quia major omni laude,
Nec laudáre súfficis.

Laudis thema speciális,
Panis vivus et vitális
Hódie propónitur.

Quem in sacræ mensa cœnæ,
Turbæ fratrum duodénæ
Datum non ambígitur.

Sit laus plena, sit sonóra,
Sit jucúnda, sit decóra
Mentis jubilátio.

Dies enim solémnis ágitur,
In qua mensæ prima recólitur
Hujus institútio.

In hac mensa novi Regis,
Novum Pascha novæ legis,
Phase vetus términat.

Vetustátem nóvitas,
Umbram fugat véritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciéndum hoc expréssit
In sui memóriam.

Docti sacris institútis,
Panem, vinum in salútis
Consecrámus hóstiam.

Dogma datur Christiánis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in sánguinem.

Quod non capis, quod non vides,
Animósa firmat fides,
Præter rerum órdinem.

Sub divérsis speciébus,
Signis tantum, et non rebus,
Latent res exímiæ.

Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus
Sub utráque spécie.

A suménte non concisus,
Non confráctus, non divísus:
Integer accípitur.

Sumit unus, sumunt mille:
Quantum isti, tantum ille:
Nec sumptus consúmitur.

Sumunt boni, sumunt mali:
Sorte tamen inæquáli,
Vitæ, vel intéritus.

Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptiónis,
Quam sit dispar éxitus.

Fracto demum sacraménto,
Ne vacílles, sed meménto,
Tantum esse sub fragménto,
Quantum toto tégitur.

Nulla rei fit scissúra:
Signi tantum fit fractúra:
Qua nec status, nec statúra
Signáti minúitur.

Ecce panis Angelórum,
Factus cibus viatórum:
Vere panis filiórum,
Non mitténdus cánibus.

In figúris præsignátur,
Cum Isáac immolátur:
Agnus paschæ deputátur:
Datur manna pátribus.

Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserére:
Tu nos pasce, nos tuére:
Tu nos bona fac vidére
In terra vivéntium.

Tu, qui cuncta scis et vales:
Qui nos pascis hic mortáles:
Tuos ibi commensáles,
Coherédes et sodáles
Fac sanctórum cívium.

Amen. (T. P. Allelúja).

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 56-59

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cælo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.

Credo.

Offertorium Levit. 21, 6 Sacerdótes Dómini incénsum et panes ófferunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus. (T. P. Allelúja).

Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéribus mýstice designántur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.


Præfatio de Nativitate.

Communio 1 Cor. 11, 26-27 Quotiescúmque manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat: itaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat: Qui vivis.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.



Die 25 Martii

IN ANNUNTIATIONE B. MARIÆ V.

¶ Hodie in Choro post Tertiam dicitur Missa conventualis de Festo, et, in Quadragesima, extra Chorum post Nonam legitur Missa de Feria; de qua tamen prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Isai. 45, 8

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Isai. ibid. Et justítia oriátur simul: ego Dóminus creávi eum. Roráte, cæli. ℣. Glória Patri. Roráte, cæli.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti: præsta supplícibus tuis; ut, qui vere eam Genitrícem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus, juxta Rubricas.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 7, 10-15

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audíte ergo, domus David: Numquid parum vobis est, moléstos esse homínibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet, et páriet fílium, et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Graduale Ps. 23, 7 et 3-4 Tóllite portas, príncipes, vestras, et elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ. ℣. Quis ascéndet in montem Dómini? aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus et mundo corde.

Tractus Luc. 1, 28, 31 et 35 Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. ℣. Benedícta tu in muliéribus et benedíctus fructus ventris tui. ℣. Ecce concípies et páries fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel. ℣. Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem; et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 7, 14 Ecce virgo concípiet et páriet fílium Jesum Christum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Credo.

Offertorium Luc. 1, 28 et 42 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. (T. P. Allelúja).

Secreta

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine, veræ fídei sacraménta confírma: ut, qui concéptum de Vírgine Deum verum et hóminem confitémur; per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Præfatio de Nativitate.

Communio Isai. 7, 14 Ecce virgo concípiet, et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Fílii

tui incarnatiónem cognóvimus; per passiónem ejus et crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 26 Martii

S. Gabrielis Archangeli

Introitus Ps. 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. ℣. Ps. ibid., 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri. Benedícite Dóminum.

Oratio

Deus, qui inter céteros Angelos, ad annuntiándum incarnatiónis tuæ mystérium, Gabriélem Archángelum elegísti: concéde propítius; ut, qui festum ejus celebrámus in terris, ipsíus patrocínium sentiámus in cælis: Qui vivis.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Feriæ, juxta Rubricas.

Léctio Daniélis Prophétæ.
Dan. 9, 21-26

In diébus illis: Ecce vir Gábriel, quem víderam in visióne a princípio, cito volans tétigit me in témpore sacrifícii vespertíni. Et dócuit me, et locútus est mihi, dixítque: Dániel, nunc egréssus sum ut docérem te, et intellígeres. Ab exórdio precum tuárum egréssus est sermo: ego autem veni ut indicárem tibi, quia vir desideriórum es: tu ergo animadvérte sermónem, et intéllige visiónem. Septuagínta hebdómades abbreviátæ sunt super pópulum tuum, et super urbem sanctam tuam ut consummétur prævaricátio, et finem accípiat peccátum, et deleátur iníquitas, et adducátur justítia sempitérna, et impleátur vísio, et prophetía, et ungátur Sanctus sanctórum. Scito ergo, et animadvérte: Ab éxitu sermónis, ut íterum ædificétur Jerúsalem, usque ad Christum ducem, hebdómades septem, et hebdómades sexagínta duæ erunt: et rursum ædificábitur platéa, et muri in angústia témporum. Et post hebdómades sexagínta duas occidétur Christus: et non erit ejus pópulus, qui eum negatúrus est. Et civitátem, et sanctuárium dissipábit pópulus cum duce ventúro: et finis ejus vástitas, et post finem belli statúta desolátio.

Graduale Ps. 102, 20 et 1 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dóminum, et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus.

Tractus Luc. 1, 28, 42, 31 et 35 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum. ℣. Benedícta tu in mulieríbus: et benedíctus fructus ventris tui. ℣. Ecce concípies, et páries Fílium, et vocábis nomen ejus Emmánuel. ℣. Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. ℣. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, Graduale, ut supra, sed, omisso Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 21 Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus: minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. Allelúja.

Tempore autem Paschali, omissis Graduale et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 103, 4 Qui facit Angelos suos spíritus: et minístros suos flammam ignis. Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Credo.

Offertorium Apoc. 8, 3 et 4 Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua, et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei.

Secreta

Accéptum fiat in conspéctu tuo, Dómine, nostræ servitútis munus, et beáti Archángeli Gabriélis orátio: ut, qui a nobis venerátur in terris, sit apud te pro nobis advocátus in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Dan. 3, 58 Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sæcula.

Postcommunio

Córporis tui et sánguinis sumptis mystériis, tuam, Dómine Deus noster, deprecámur cleméntiam: ut, sicut Gabriéle nuntiánte, incarnatiónem tuam cognóvimus; ita, ipso adjuvánte, incarnatiónis ejúsdem benefícia consequámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 27 Martii
S. Joannis Damasceni Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Ps. 72, 24

Tenuísti manum déxteram meam: et in voluntáte tua deduxísti me, et cum glória suscepísti me. ℣. Ps. ibid., 1 Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri. Tenuísti.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ad cultum sacrárum imáginum asseréndum, beátum Joánnem cæléstі doctrína et admirábili spíritus fortitúdine imbuísti: concéde nobis ejus intercessióne et exémplo; ut, quorum cólimus imágines, virtútes imitémur et patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 10-17

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam. Hæc pópulum justum, et semen sine queréla liberávit a natiónibus, quæ illum deprimébant. Intrávit in ánimam servi Dei, et stetit contra reges horréndos in porténtis et signis. Et réddidit justis mercédem labórum suórum.

Graduale Ps. 17, 33 et 35 Deus, qui præcínxit me virtúte: et pósuit immaculátam viam meam. ℣. Qui docet manus meas ad prǽlium: et posuísti, ut arcum ǽreum, bráchia mea.

Tractus Ibid., 38, 39 et 50 Pérsequar inimícos meos, et comprehéndam illos. ℣. Confríngam illos, nec póterunt stare: cadent subtus pedes meos. ℣. Proptérea confitébor in natiónibus, Dómine, et nómini tuo psalmum dicam.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, Graduale ut supra, sed, omisso Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Dedísti mihi protectiónem salútis tuæ: et déxtera tua suscépit me. Allelúja.

Tempore autem Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. 1 Reg. 25, 26 et 28 Dóminus salvávit manum tuam tibi: quia prǽlia Dómini tu præliáris. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 14, 31 Benedíctus Dóminus Deus meus, qui docet manus meas ad prǽlium, et dígitos meos ad bellum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6, 6-11

In illo témpore: Factum est et in álio sábbato, ut intráret Jesus in synagógam, et docéret. Et erat ibi homo, et manus ejus déxtera erat árida. Observábant autem scribæ et pharisæi, si in sábbato curáret: ut inveníreut unde accusárent eum. Ipse vero sciébat cogitatiónes eórum: Et ait hómini, qui habébat manum áridam: Surge, et sta in médium. Et surgens stetit. Ait autem ad illos Jesus: Intérrogo vos si licet sábbatis benefácere, an male: ánimam salvam fácere, an pérdere? Et circumspéctis ómnibus dixit hómini: Exténde manum tuam. Et exténdit: et restitúta est manus ejus. Ipsi autem repléti sunt insipiéntia, et colloquebántur ad ínvicem, quidnam fácerent Jesu. Credo.

Offertorium Job 14, 7 Lignum habet spem: si præcísum fúerit, rursum viréscit, et rami ejus púllulant.

Secreta

Ut, quæ tibi, Dómine, offérimus, dona tuo sint digna conspéctu: beáti Joánnis et Sanctórum, quos ejus ópera expósitos in templis cólimus, pia suffragátio conspíret. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Ps. 36, 17 Bráchia peccatórum conteréntur, confírmat autem justos Dóminus.

Postcommunio

Sumpta nos, quǽsumus, Dómine, dona cæléstibus armis tueántur: et beáti Joánnis patrocínia circúmdent Sanctórum unánimi suffrágio cumuláta; quorum imágines evícit in Ecclésia esse venerándas. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 28 Martii

S. Joannis a Capistrano Conf.

Introitus Habac. 3, 18-19

Ego autem in Dómino gaudébo: et exsultábo in Deo Jesu meo: Deus Dóminus, fortitúdo mea. ℣. Ps. 80, 2 Exsultáte Deo adjutóri nostro, jubiláte Deo Jacob. ℣. Glória Patri. Ego autem.

Oratio

Deus, qui per beátum Joánnem fidéles tuos in virtúte sanctíssimi nóminis Jesu de crucis inimícis triumpháre fecísti: præsta, quǽsumus; ut, spirituálium hóstium, ejus intercessióne, superátis insídiis, corónam justítiæ a te accípere mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam

ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum.

Graduale Ps. 21, 24-25 Qui timétis Dóminum, laudáte eum: univérsum semen Jacob glorificáte eum. ℣. Tímeat eum omne semen Israël: quóniam non sprevit, neque despéxit deprecatiónem páuperis.

Tractus Exodi 15, 2 et 3 Fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem: iste Deus meus, et glorificábo eum. ℣. Dóminus quasi vir pugnátor, omnípotens nomen ejus. ℣. Ps. 75, 4 Dóminus cónterens bella: Dóminus nomen est illi.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, Graduale ut supra, sed, omisso Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 58, 17 Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: et exsultábo mane misericórdiam tuam. Allelúja.

Tempore autem Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 58, 17 Ego autem cantábo fortitúdinem tuam: et exsultábo mane misericórdiam tuam. Allelúja, allelúja. ℣. Quia factus es suscéptor meus, et refúgium meum in die tribulatiónis meae. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 9, 1-9

In illo témpore: Convocátis Jesus duódecim Apóstolis, dedit illis virtútem et potestátem super ómnia dæmónia, et ut languóres curárent. Et misit illos prædicáre regnum Dei, et sanáre infírmos. Et ait ad illos: Nihil tuléritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecúniam, neque duas túnicas habeátis. Et in quamcúmque domum intravéritis, ibi manéte, et inde ne exeátis. Et quicúmque non recéperint vos: exeúntes de civitáte illa, étiam púlverem pedum vestrórum excútite in testimónium supra illos. Egréssi autem circuíbant per castélla, evangelizántes, et curántes ubíque.

Offertorium Eccli. 46, 6 Invocávit Altíssimum poténtem in oppugnándo inimícos úndique, et audívit illum magnus et sanctus Deus.

Secreta

Sacrifícium, Dómine, quod immolámus, placátus inténde: ut, intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo, ad conteréndas inimicórum insídias nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Sap. 10, 20 Decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt.

Postcommunio

Repléti alimónia cæléstì et spirituáli póculo recreáti, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Joánne Confessóre tuo, nos ab hoste malígno deféndas, et Ecclésiam tuam perpétua pace custódias. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra: et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

FESTA APRILIS

¶ Tempore Paschali, a Feria III post Dominicam in Albis usque ad Vigiliam Ascensionis inclusive, in omnibus Missis de Officio Semiduplici vel Simplici et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dicuntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Die 2 Aprilis

S. Francisci de Paula Conf.

Introitus Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus ut palma.

Oratio

Deus, humílium celsitúdo, qui beátum Franciscum Confessórem Sanctórum tuórum glória sublimásti: tríbue, quǽsumus; ut, ejus méritis et imitatióne, promíssa humílibus prǽmia felíciter consequámur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3, 7-12

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi, Dómini mei; propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis: non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale Ps. 39, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja, allelúja. ℣. Osee, 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. (T. P. Allelúja).

Secreta

Hæc dona devótæ plebis, Dómine, quibus tua cumulámus altária, beáti Francísci méritis tibi grata, nobísque salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Communio Matth. 19, 28 et 29 Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Sumpta, Dómine, sacraménta cæléstia: beáto Francísco Confessóre tuo intercedénte, precámur; ut et temporális vitæ subsídia nobis cónferant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 4 Aprilis
S. Isidori Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], præter Orationes sequentes:

Oratio

Prótegat nos, quǽsumus, Dómine, beáti Isidóri, Confessóris tui atque Pontíficis et Doctóris, intercéssio gloriósa: ut, cujus sumus illumináti doctrínis; ejus semper protegámur et méritis. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Súscipe, clementíssime Deus, múnera nostræ servitútis: et beáti Isidóri, Confessóris tui atque Doctóris, solemnitáte lætántes; quǽsumus, ut ejus adjuvémur méritis, cujus sumus illumináti doctrínis. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, sancta tua præsídia: et, intercedéntibus beáti Isidóri Confessóris tui méritis; ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 5 Aprilis
S. Vincentii Ferrerii Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui géntium multitúdinem, mira beáti Vincéntii Confessóris tui prædicatióne, ad agnitiónem tui Nóminis veníre tribuísti: præsta, quǽsumus; ut, quem ventúrum Júdicem nuntiávit in terris, præmiatórem habére mereámur in cælis, Dóminum nostrum Jesum Christum: Qui tecum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ in Missis non conventualibus.

Secreta

Múnera, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, ut tibi grata sint et nobis salutária reddántur, beátus Vincéntius Conféssor tuus, qui donis tuis hic éxstitit gloriósus, apud cleméntiam tuam pius pro nobis intercéssor exístat. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra.

Postcommunio

Divínis, Dómine, munéribus satiáti: quǽsumus, ut, beáti Vincéntii Confessóris tui méritis gloriósis; salutáris Víctimæ desiderátum sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Et, in Quadragesima, fit Commemoratio Feriæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

Die 11 Aprilis

S. Leonis I Papæ, Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja, allelúja ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Leónis, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 39, 6-14

Justus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sǽculum non delébitur. Non recédet memória ejus et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia.

Allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja, allelúja ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum, allelúja.

Secreta

Sancti Leónis, Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum, allelúja.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Leónis, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 12 Aprilis

S. Victoris Mart.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum Temporis Paschalis I loco, [21], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui beátum Victórem, triumpháli martýrii pompa gloriósum, cæléstem íngredi aulam fecísti: concéde propítius; ut, ad ejus imitatiónem, contra vítia nostra pugnántes, quas nos victórias Victor dócuit, victóres consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Victóre Mártyre tuo, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Sanctíficet nos, quǽsumus, Dómine, tui percéptio sacraménti: et, intercessióne Sanctórum tuórum; tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Die 13 Aprilis
S. Hermenegildi Mart.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, pro cujus nómine beátus Hermenegildus, Rex et Martyr, mánibus impiórum occúbuit: præsta, quǽsumus; ut ejus intercessióne ab ómnibus perículis liberémur. Per Dóminum.

Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa Glória et honóre, de Communi unius Martyris III loco, [6].

Die 14 Aprilis
S. Justini Mart.

Introitus Ps. 118, 85 et 46

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes, sed non ut lex tua: ego autem loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum et non confundébar, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Narravérunt.

Oratio

Deus, qui per stultítiam crucis eminéntem Jesu Christi sciéntiam beátum Justínum Mártyrem mirabíliter docuísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut, errórum circumventióne depúlsa, fídei firmitátem consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 18-25 et 30

Fratres: Verbum crucis pereúntibus quidem stultítia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum: plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum: Judǽis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judǽis atque Græcis, Christum Dei virtútem et Dei sapiéntiam: quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapiéntia a Deo, et justítia et sanctificátio, et redémptio.

Allelúja. ℣. 1 Cor. 3, 19 et 20 Sapiéntia hujus mundi stultítia est apud Deum, scriptum est enim: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. Allelúja, allelúja.

℣. Philipp. 3, 8 Verúmtamen existimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. Allelúja.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, dicitur

Graduale 1 Cor. 3, 19 et 20 Sapiéntia hujus mundi stultítia est apud Deum, scriptum est enim: Dóminus novit cogitatiónes sapiéntium, quóniam vanæ sunt. ℣. Ibid. 1, 19 Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo.

Allelúja, allelúja. ℣. Philipp. 3, 8 Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi Dómini mei. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus 1 Cor. 2, 2 et 7-8 Non judicávi me scire áliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum. ℣. Lóquimur Dei sapiéntiam in mystério, quæ abscóndita est, quam prædestinávit Deus ante sǽcula in glóriam nostram. ℣. Quam nemo príncipum hujus sǽculi cognóvit. Si enim cognovissent, numquam Dóminum glóriæ crucifixíssent.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 2-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil opértum est quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui, postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam; ita dico vobis, hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis, quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium 1 Cor. 2, 2 Non enim judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera nostra, Dómine Deus, benígnus súscipe: quorum mirábile mystérium sanctus Martyr Justínus advérsum impiórum calúmnias strénue defendit. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi, ut in Missa sequenti.

Communio 2 Tim. 4, 8 Repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die justus judex, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Cæléstí alimónia refécti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, beáti Justíni Mártyris tui mónitis, de accéptis donis semper in gratiárum actióne maneámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Tiburtii, Valeriani et Maximi, ut in Missa sequenti.

Eadem die 14 Aprilis
Pro Ss. Tiburtio, Valeriano et Maximo Mm.

Missa Sancti tui, de Communi Martyrum 11 loco [23], cum Epistola et Evangelio ex Missa Protexisti, ex eodem Communi 1 loco, [21-22], et cum Orationibus ut infra.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii, Valeriáni et Máximi solémnia cólimus; eórum étiam virtútes imitémur. Per Dóminum.

Secreta

Hæc hóstia, quǽsumus, Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus: et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio

Sacro múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa Sapiéntiam de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, [13].

Die 16 Aprilis
S. Fructuosi Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 45. 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, allelúja: et príncipem fecit eum, ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérum, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, qui nos, ad venerándam hujus diéi festivitátem, beáti Confessóris tui atque Pontíficis Fructuósi, gaudéntibus ánimis, pervenire fecísti: da, quǽsumus; ut, quem Pastórem ampléctimur in terris, ejus précibus indulgéntiam habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 45. 1-6

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide, et lenitáte ipsíus, sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta et legem vitæ et disciplínæ.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 100. 4 Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

¶ In Missis votivis ante Septuagesimam vel post Pentecosten, dicitur

Graduale Eccli. 44. 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. ibid. 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 100. 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Omnípotens sempitérne Deus, hæc múnera tuæ Majestáti obláta, per intercessiónem beáti Fructuósi, Confessóris tui atque Pontíficis, ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram, allelúja.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Fructuóso, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 17 Aprilis

S. Aniceti Papæ et Mart.

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Oratio

Deus, qui nos beáti Anicéti, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 16, 20-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: quia plorábitis et flébitis vos, mundus autem gaudébit: vos vero contristabímini, sed tristítia vestra vertétur in gáudium. Múlier cum parit, tristítiam habet, quia venit hora ejus: cum autem pepérerit púerum, jam non méminit pressúræ propter gáudium, quia natus est homo in mundum. Et vos ígitur nunc quidem tristítiam habétis, íterum autem vidébo vos, et gaudébit cor vestrum: et gáudium vestrum nemo tollet a vobis.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Anicéto, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Anicéto, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale. Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris II loco, [5].

Die 18 Aprilis

S. Engratiæ Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum II loco, [39], præter Orationem sequentem:

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius; ut, qui beátæ Engrátiæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solémnia celebrámus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Engrátiæ, Vírginis et Mártyris tuæ, dicátas méritis, benígnus as-

súme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Engrátia, Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 21 Aprilis

S. Anselmi Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio de Communi Doctorum, [30], cum Oratione Deus, qui pópulo tuo, ut ibi, et dicitur Credo.

Die 22 Aprilis

Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm.

Introitus Ps. 144, 10-11

Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Exaltábo te, Deus meus rex: et benedícam nómini tuo in sǽculum, et in sǽculum sǽculi. ℣. Glória Patri. Sancti tui.

Oratio

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum Sotéris et Caji nos, quǽsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 19, 1-9

In diébus illis: Post hæc ego Joánnes audívi quasi vocem turbárum multárum in cælo, dicéntium: Allelúja: salus, et glória, et virtus Deo nostro est: quia vera et justa judícia sunt ejus, qui judicávit de meretríce magna, quæ corrúpit terram in prostitutióne sua, et vindicávit sánguinem servórum suórum de mánibus ejus. Et íterum dixérunt: Allelúja. Et fumus ejus ascéndit in sǽcula sæculórum. Et cecidérunt senióres vigintiquátuor, et quátuor animália, et adoravérunt Deum sedéntem super thronum, dicéntes: Amen: Allelúja. Et vox de throno exívit, dicens: Laudem dícite Deo nostro, omnes servi ejus; et qui timétis eum, pusílli et magni. Et audívi quasi vocem turbæ magnæ, et sicut vocem aquárum multárum, et sicut vocem tonitruórum magnórum, dicéntium: Allelúja: quóniam regnávit Dóminus Deus noster omnípotens. Gaudeámus, et exsultémus, et demus glóriam ei: quia venérunt núptiæ Agni, et uxor ejus præparávit se. Et datum est illi ut coopériat se býssino splendénti, et cándido. Býssinum enim justificatiónes sunt Sanctórum. Et dixit mihi: Scribe: Beáti, qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt.

Allelúja. ℣. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 115, 15 Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 5-11

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in

eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit: mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Secreta

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Communio Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino, allelúja: rectos decet collaudátio, allelúja.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa Intret, de Communi plurimorum Martyrum v loco, [18].

Die 23 Aprilis
S. Georgii Mart.

Introitus

Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Oratio

Deus, qui nos beáti Geórgii, Mártyris tui, méritis et intercessióne lætíficas: concéde propítius: ut, qui tua per eum benefícia póscimus, dono tuæ grátiæ consequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt

vivere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica, et, intercedénte Beáto Geórgio Mártyre tuo, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficis sacraméntis, intercedénte beáto Geórgio Mártyre tuo, tibi étiam plácitis móribus dignánter tríbuas deservíre. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut supra,

---

Die 24 Aprilis

S. Fidelis a Sigmaringa Mart.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátum Fidélem, seráphico spíritus ardóre succénsum, in veræ fídei propagatióne martýrii palma et gloriósis miráculis decoráre dignátus es: ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne, ita nos per grátiam tuam in fide et caritáte confírma; ut in servítio tuo fidéles usque ad mortem inveníri mereámur. Per Dóminum.

Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut supra.

Die 25 Aprilis
S. Marci Evangelistæ
Litaniæ majores

¶ Ad Processionem dicitur Missa de Rogationibus, ut habetur suo loco in Proprio de Tempore, 360, et, si contingat transferri Festum S. Marci, non tamen transfertur Processio, nisi quando prædictum Festum occurrat in die Paschæ: tunc enim in Feriam III sequentem transferatur.

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. Protexísti. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Oratio

Deus, qui beátum Marcum Evangelístam tuum evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: tríbue, quǽsumus; ejus nos semper et eruditióne profícere, et oratióne deféndi. Per Dóminum.

¶ Et fit Commemoratio Rogationum, præterquam in Missa conventuali vel cantata, si altera dicatur Missa de Rogationibus: de quibus tamen, etiam in Missis privatis, non legitur Evangelium in fine.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 1, 10-14

Similitúdo vultus quátuor animálium: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat vísio discúrrens in médio animálium, splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum

messis ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Beáti Marci Evangelístæ tui solemnitáte, tibi múnera deferéntes, quǽsumus, Dómine: ut, sicut illum prædicátio evangélica fecit gloriósum; ita nos ejus intercéssio et verbo, et ópere tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Rogationum, ut supra.

Præfatio de Apostolis.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Tríbuant nobis, quǽsumus, Dómine, contínuum tua sancta præsídium: quo, beáti Marci Evangelístæ tui précibus, nos ab ómnibus semper tueántur advérsis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Rogationum, ut supra.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa ut in Festo S. Lucæ Ev., die 18 Octobris, cum Orationibus et Epistola ut supra.

Die 26 Aprilis

S. Petri de Rates Ep. et Mart.

Patroni Principalis
Archidiœcesis Bracarensis

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. Protexísti. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia; per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dominum.

Et fit Commemoratio Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres

eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 10, 11-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle et unus pastor.

Credo per totam Octavam.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Cleti et Marcellini, ut in Missa sequenti.

Communio Joann. 15, 1 et 5 Ego sum vitis vera, et vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Cleti et Marcellini, ut in Missa sequenti.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4].

Eadem die 26 Aprilis

Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm.

Missa Sancti tui, de Communi Martyrum 11 loco, [23], præter Orationes sequentes:

Oratio

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum Cleti et Marcellíni nos, Dómine, fóveat pretiósa con-

Die 27 Aprilis

Sancti Petri Canisii

Confessoris et Ecclésiæ Doctoris

Missa In médio Ecclésiæ, de Communi Doctorum. (30) præter Orationem sequentem, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum, Confessórem tuum, virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut ejus exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscant, et fidéles in veritátis confessióne persevérent. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontificio, martyrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia: per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dominum.

Léctio Epístolæ beati Pauli Apóstoli ad Timótheum 2 loco.

Secreta

Sancti Petri Confessóris tui atque Doctóris nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salùtem: beátus Petrus Conféssor tuus et Doctor egrégius, quæsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cælestibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Concordat cum originali. In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacræ Rituum Congregationis, die 24 Novembris 1926.

L. ✠ S. Philippus di Fava, Substitutus

IMPRIMATUR

Emmanuel, Arch. Prim.

Die 11 Maji

Translatio S. Marci

Ep. et Mart.

Missa Protexisti, de Communi Martyrum Tempore Paschali I loco, (21), praeter Orationes sequentes.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Marci, Martyris tui atque Pontificis, pretiosíssimis reliquiis locupletáre et insígni miraculórum glória decoráre dignátus es: concéde propítius: ut, qui ejus intercessióne confídimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Marci Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 24 Novembris

S. Joannis a Cruce

Confessoris et Ecclesiae Doctoris

Missa In médio Ecclésiae, de Communi Doctórum (30) praeter Orationem sequentem, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui sanctum Joánnem, Confessórem tuum atque Doctórem, perféctæ sui abnegatiónis et Crucis amatórem exímium effecísti: concede; ut eius imitatióni iúgiter inhæréntes, glóriam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Chrysogoni Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Sancti Joánnis Confessóris tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Chrysogoni.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Joánnes, Conféssor tuus et Doctor egrégius, quæsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commem. S. Chrysogoni.

féssio: et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Secreta

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa **Intret**, de Communi plurimorum Martyrum v loco, [18], cum Orationibus ut supra.

¶ Si quod ex sequentibus Festis, quod fuerit Solemne vel Duplex aut Semiduplex, in Feriis Rogationum occurrat, de Rogationibus, juxta propriam Rubricam, 360, fit Commemoratio in omnibus Missis, excepta Missa conventuali de Festo, si altera dicatur conventualis vel cantata de Rogationibus. Itemque Feria IV, ante Commemorationem Feriæ Rogationum, fit Commemoratio Vigiliæ Ascensionis, præterquam in Missa conventuali de Festo vel de Rogationibus. Et in Missis in quibus facta sit Commemoratio Feriæ aut Vigiliæ, ultimum Evangelium Feria II erit de Rogationibus, Feria IV de Vigilia. De iisdem Festis tamen Feria II vel IV occurrentibus, nisi fuerint Solemnia I vel II ordinis, Missa conventualis de Festo legitur extra Chorum, et Missa conventualis de Feria aut de Vigilia dicitur in Choro.

Die 27 Aprilis
Translatio
S. Marci Ep. et Mart.

Missa **Protexísti**, de Communi Martyrum Tempore Paschali I loco, [21], præter Orationes sequentes, et dicitur **Credo** ratione Octavæ.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Marci, Mártyris tui atque Pontíficis, pretiosíssimis relíquiis locupletáre et insígni miraculórum glória decoráre dignátus es: concéde propítius; ut, qui ejus intercessióne confídimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia: per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Marci Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Die 28 Aprilis

S. Pauli a Cruce Conf.

Introitus Gal. 2, 19-20

Christo confíxus sum cruci: vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus: in fide vivo Fílii Dei, qui diléxit me, et trádidit semetípsum pro me, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 40, 2 Beátus qui intélligit super egénum et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri. Christo confíxus.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui ad mystérium crucis prædicándum, sanctum Paulum singulári caritáte donásti, et per eum novam in Ecclésia famíliam floréscere voluísti: ipsíus nobis intercessióne concéde: ut passiónem tuam júgiter recoléntes in terris, ejúsdem fructum cónsequi mereámur in cælis: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia; per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Deinde Commemoratio S. Vitalis Mart.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Vitális Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 1, 17-25

Fratres: Non misit me Christus baptizáre, sed evangelizáre: non in sapiéntia verbi, ut non evacuétur crux Christi. Verbum enim crucis pereúntibus quidem stultítia est: iis autem, qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapiéntiam sapiéntium, et prudéntiam prudéntium reprobábo. Ubi sápiens? ubi scriba? ubi conquisítor hujus sǽculi? Nonne stultam fecit Deus sapiéntiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapiéntia non cognóvit mundus per sapiéntiam Deum: plácuit Deo per stultítiam prædicatiónis salvos fácere credéntes. Quóniam et Judǽi signa petunt, et Græci sapiéntiam quærunt: nos autem prædicámus Christum crucifíxum: Judǽis quidem scándalum, géntibus autem stultítiam, ipsis autem vocátis Judǽis, atque Græcis, Christum Dei virtútem, et Dei sa-

piéntiam: quia quod stultum est Dei, sapiéntius est homínibus: et quod infírmum est Dei, fórtius est homínibus.

Allelúja. ℣. 2 Cor. 5, 15 Pro ómnibus mórtuus est Christus: ut, et qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mórtuus est, et resurréxit. Allelúja, allelúja. ℣. Rom. 8, 17 Si filii, et herédes: herédes quidem Dei, coherédes autem Christi: si tamen compátimur, ut et conglorificémur. Allelúja.

¶ In Missis votivis extra Tempus Paschale, omittuntur Allelúja ad Introitum, Offertorium et Communionem, et post Epistolam dicitur

Graduale Gal. 6, 14 Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. 1 Cor. 2, 2 Non judicávi me scire áliquid inter vos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifíxum.

Allelúja, allelúja. ℣. 1 Petr. 2, 21 Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exémplum ut sequámini vestígia ejus. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus 1 Petr. 4, 1 Christo ígitur passo in carne, et vos eádem cogitatióne armámini: quia qui passus est in carne, désiit a peccátis. ℣. 2 Cor. 4, 10 Semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. ℣. Hebr. 12, 2 Aspiciéntes in auctórem fídei et consummatórem Jesum, qui, propósito sibi gáudio, sustínuit crucem, confusióne contémpta, atque in déxtera sedis Dei sedet.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ephes. 5, 2 Ambuláte in dilectióne, sicut et Christus diléxit nos, et trádidit semetípsum pro nobis oblatiónem, et hóstiam Deo in odórem suavitátis, allelúja.

Secreta

Cæléstem nobis, Dómine, prǽbeant mystéria hæc passiónis et mortis tuæ fervórem: quo san-

ctus Paulus, ea offeréndo, corpus suum hóstiam vivéntem, sanctam, tibíque placéntem exhíbuit: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Deinde pro S. Vitale Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Communio 1 Petr. 4, 13 Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes, allelúja.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divínum sacraméntum, imménsæ caritátis tuæ memoriále perpétuum: tríbue, quæsumus: ut, sancti Pauli méritis et imitatióne, aquam de fóntibus tuis hauriámus in vitam ætérnam saliéntem, et tuam sacratíssimam passiónem córdibus nostris impréssam móribus et vita teneámus: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Deinde pro S. Vitale Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Eadem die 28 Aprilis

Pro S. Vitale Mart.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], cum Orationibus ut supra.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7].

Die 29 Aprilis

S. Petri Mart.

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri Mártyris tui fidem cóngrua devotióne sectémur; qui, pro ejúsdem fídei dilatatióne, martýrii palmam méruit obtinére. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia; per

quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 3-10; 3, 10-12

Carissime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexisse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Allelúja. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Preces, quas tibi, Dómine, offérimus, intercedénte beáto Petro Mártyre tuo, cleménter inténde: et propugnatóres fídei sub tua protectióne custódi. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Fidéles tuos, Dómine, custódiant sacraménta, quæ súmpsimus: et, intercedénte beáto Petro Mártyre

tuo, contra omnes advérsos tueántur incúrsus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnipotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontificis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa **Lætábitur**, de Communi unius Martyris v loco, [9], cum Orationibus ut supra.

Die 30 Aprilis
S. Catharinæ Senensis Virg.

Missa **Dilexísti**, de Communi Virginum III loco, [41], ritu Paschali, cum Orationibus ut infra, et dicitur **Credo**, ratione Octavæ.

Oratio

Da, quǽsumus, omnipotens Deus: ut, qui beátæ Catharínæ Vírginis tuæ natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ virtútis proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ **Bracarénsi** ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia: per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Secreta

Ascéndant ad te, Dómine, quas in beátæ Catharínæ solemnitáte offérimus, preces, et hóstia salutáris, virgíneo fragrans odóre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Postcommunio

Æternitátem nobis, Dómine, cónferat, qua pasti sumus, mensa cæléstis: quæ beátæ Catharínæ Vírginis vitam étiam áluit temporálem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnipotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

DIE I MAJI

IN SOLEMNITATE

S. JOSEPH OPIFICIS, SPONSI B. MARIAE V.

CONF., OPIFICUM PATRONI

Introitus — Sap. 10, 17

SAPIÉNTIA réddidit justis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili, et fuit illis in velaménto diéi et in luce stellárum per noctem, allelúja, allelúja.

Ps. 126, 1 Nisi Dóminus ædificáverit domum, in vanum labórant qui ædíficant eam. Sapiéntia. ℣. Glória Patri. Sapiéntia.

Oratio

RERUM cónditor Deus, qui legem labóris humáno géneri statuísti: concéde propítius; ut, sancti Joseph exémplo et patrocínio, ópera perficiámus quæ præcipis, et prǽmia consequámur quæ promíttis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses.

Col. 3, 14-15, 17, 23-24

FRATRES: Caritátem habéte, quod est vínculum perfectiónis, et pax Christi exsúltet in córdibus vestris, in qua et vocáti estis in córpore, et grati estóte. Omne quodcúmque fácitis in verbo aut in ópere, ómnia in nómine Dómini Jesu Christi, grátias agéntes Deo et Patri per ipsum. Quodcúmque fácitis, ex ánimo operámini sicut Dómino, et non homínibus, sciéntes quod a Dómino accipiétis retributiónem hereditátis. Dómino Christo servíte.

Allelúja, ℣. De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero protéctor eórum semper. Allelúja, allelúja. ℣. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

Extra Tempus Paschale dicitur:

Graduale. Ps. 127, 1-2 Beátus quicúmque times Dóminum, qui ámbulas in viis ejus. ℣. Labórem mánuum tuárum manducábis et bene tibi erit.

Allelúja, allelúja. ℣. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 111, 1-3 Beátus vir qui mandátis ejus delectátur multum. ℣. Potens in terra erit semen ejus; generatióni rectórum benedicétur. ℣. Opes et divítiæ erunt in domo ejus, et munificéntia ejus manébit semper.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Mathæum

Matth. 13, 54-58

IN illo témpore: Véniens Jesus in pátriam suam, docébat eos in synagógis eórum, ita ut miraréntur et dícerent: «Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri fílius? Nonne mater ejus dícitur María, et fratres ejus Jacóbus et Joseph et Simon et Judas? Et soróres ejus nonne omnes

apud nos sunt? Unde ergo huic ómnia ista?» Et scandalizabántur in eo. Jesus autem dixit eis: «Non est prophéta sine honóre nisi in pátria sua et in domo sua». Et non fecit ibi virtútes multas propter incredulitátem illórum.

Credo.

Offertorium. Ps. 89, 17 Bónitas Dómini Dei nostri sit super nos, et opus mánuum nostrárum secúnda nobis, et opus mánuum nostrárum secúnda, allelúja.

Secreta

QUAS tibi, Dómine, de opéribus mánuum nostrárum offérimus hóstias, sancti Joseph interpósito suffrágio, pignus fácias nobis unitátis et pacis. Per Dóminum.

Præfatio de sancto Joseph: Et te in Solemnitáte.

Communio. Matth. 13, 54. Unde huic sapiéntia hæc et virtútes? Nonne hic est fabri fílius? Nonne mater ejus dícitur María? Allelúja.

Postcommunio


HÆC sancta quæ súmpsimus, Dómine: per intercessiónem beati Joseph; et operatiónem nostram cómpleant, et præmia confírment. Per Dóminum.

Concordat cum originali approbato,

Bracaræ, die 6 Oct. 1956

IMPRIMATUR

† Antónius, Archiep. Prim.



Feria IV infra Hebdomadam II post Octavam Paschæ

IN SOLEMNITATE
S. JOSEPH SPONSI B. MARIÆ V.

CONF. ET ECCLESIÆ UNIVERSALIS PATRONI

Introitus Ps. 32, 20-21

Adjútor, et protéctor noster est Dóminus: in eo lætábitur cor nostrum, et in nómine sancto ejus sperávimus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 70, 2 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. Adjútor. ℣. Glória Patri. Adjútor.

Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsum elígere dignátus es: præsta, quǽsumus; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis: Qui vivis.

Léctio libri Génesis.
Gen. 49, 22-26

Fílius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu: fíliæ discurrérunt super murum. Sed exasperavérunt eum, et jurgáti sunt, invideruntque illi habéntes jácula. Sedit in forti arcus ejus, et dissolúta sunt víncula brachiórum et mánuum illíus per manus poténtis Jacob: inde pastor egréssus est, lapis Israël. Deus patris tui erit adjútor tuus, et Omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cæli désuper, benedictiónibus abýssi jacéntis deórsum, benedictiónibus úberum et vulvæ. Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus, donec veni-

ret desidérium cóllium æternórum: fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazarǽi inter fratres suos.

Allelúja. ℣. De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero protéctor eórum semper. Allelúja, allelúja. ℣. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 3, 21-23

In illo témpore: Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et, Jesu baptizáto et oránte, apértum est cælum: et descéndit Spíritus Sanctus corporáli spécie sicut colúmba in ipsum: et vox de cælo facta est: Tu es Fílius meus diléctus, in te complácui mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph.

Credo per totam Octavam.

Offertorium Ps. 147, 12 et 13 Lauda, Jerúsalem, Dóminum: quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fíliis tuis in te, allelúja, allelúja.

Secreta

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ sponsi patrocínio suffúlti, rogámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut corda nostra fácias terréna cuncta despícere, ac te verum Deum perfécta caritáte dilígere: Qui vivis.

Præfatio de S. Joseph Et te in Festivitáte, quæ dicitur per totam Octavam, juxta Rubricas.

Communio Matth. 1, 16 Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Divíni múneris fonte refécti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut nos facis beáti Joseph protectióne gaudére; ita, ejus méritis et intercessióne, cæléstis glóriæ fácias esse partícipes. Per Dóminum.

¶ Pro votiva de S. Joseph dicitur Missa Adjútor, quæ habetur inter Missas votivas circa finem Missalis, [65].

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo, additis tamen, juxta Rubricas, Orationibus pro diversitate Temporum assignatis, nempe 2ª Oratio de sancta Maria Concéde, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352. In die autem Octava, Missa ut in Festo; sed Introitus non duplicatur.

FESTA MAJI

¶ Post Octavam Pentecostes, prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa Dominicæ præcedentis impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 1 Maji

Ss. Philippi et Jacobi App.

¶ Hodie, occurrente una ex tribus Feriis Rogationum, juxta Rubricas: 1. in Choro, post Tertiam semper dicitur Missa conventualis de Festo, et, si fiat Processio, post Nonam Missa de Rogationibus; 2. extra Chorum, in Feria II, si omittatur Processio, post Nonam legitur Missa de Rogationibus, et in Feria IV post Sextam semper

Missa de Vigilia. De Feria autem et de Vigilia prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Neh. vel 2 Esdr. 9, 27

Clamavérunt ad te, Dómine, in témpore afflictiónis suæ, et tu de cælo exaudísti eos, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. Clamavérunt. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Deus, qui nos ánnua Apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi solemnitáte lætíficas: præsta, quǽsumus; ut, quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horribili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 14, 9 Tanto témpore vobiscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem meum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 14, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me crédite. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. Si quo minus dixíssem vobis: Quia vado paráre vobis locum. Et si abíero, et præparávero vobis locum: íterum vénio, et accípiam vos ad meípsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado scitis, et viam scitis. Dicit ei Thomas: Dómine, nescímus quo vadis: et quómodo póssumus viam scire? Dicit ei Jesus: Ego sum via, et véritas, et vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissétis me, et Patrem meum útique cognovissétis: et ámodo cognoscétis eum, et vidístis eum. Dicit ei Philíppus: Dómine, osténde nobis Patrem, et súfficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem. Quómodo tu dicis: Osténde nobis Patrem? Non créditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alióquin propter ópera ipsa crédite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, ópera quæ ego fácio, et ipse fáciet, et majóra horum fáciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, hoc fáciam. Credo.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Múnera, Dómine, quæ pro Apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi solemnitáte deférimus, propítius súscipe: et mala ómnia, quæ merémur, avérte. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Joann. 14, 9 et 10 Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem meum, allelúja: non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Allelúja, allelúja.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

¶ Pro votivis extra Tempus Paschale, dicitur sequens Missa:

Introitus Neh. vel 2 Esdr. 9, 27

Clamavérunt ad te, Dómine, in témpore afflictiónis suæ, et tu de cælo exaudísti eos. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Deus, qui nos Apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi commemoratióne lætíficas: præsta, quǽsumus; ut, quorum gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 4, 7-13

Fratres: Unicuíque nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cælos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelistas, álios autem pastóres, et doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii, proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 14, 9 Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem meum. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Evangelium Non turbétur cor vestrum, ut in Missa præcedenti.

Offertorium Ps. 28, 15 In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Múnera, Dómine, quæ pro Apostolórum tuórum Philíppi et Jacóbi commemoratióne deférimus, propítius súscipe: et mala ómnia, quæ merémur, avérte. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Joann. 14, 9 et 10 Tanto témpore vobíscum sum, et non cognovístis me? Philíppe, qui videt me, videt et Patrem meum: non credis, quia ego in Patre, et Pater in me est?

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum memóriam celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Die 2 Maji

S. Athanasii Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine, benígnus illústra: ut beáti Athanásii, Confessóris atque Doctóris, illumináta doctrínis; ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia; per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 4, 5-14

Fratres: Non nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum: quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Habémus autem thesáurum istum in vasis fictílibus: ut sublímitas sit virtútis Dei, et non ex nobis. In ómnibus tribulatiónem pátimur, sed non angustiámur: aporiámur, sed non destitúimur: persecutiónem pátimur, sed non derelínquimur: dejícimur, sed non perímus: semper mortificatiónem Jesu in córpore nostro circumferéntes, ut et vita Jesu manifestétur in corpóribus nostris. Semper enim nos, qui vívimus, in mortem trádimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestétur in carne nostra mortáli. Ergo mors in nobis operátur, vita autem in vobis. Habéntes autem eúmdem spíritum fídei, sicut scriptum est: Crédidi, propter quod locútus sum: et nos crédimus, propter quod et lóquimur: sciéntes, quóniam qui suscitávit Je-

sum, et nos cum Jesu suscitábit, et constituet vobíscum.

Allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

¶ In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 10, 23-28

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum persequéntur vos in civitáte ista, fúgite in áliam. Amen dico vobis, non consummábitis civitátes Israël, donec véniat Fílius hóminis. Non est discípulus super magístrum, nec servus super dóminum suum. Súfficit discípulo, ut sit sicut magíster ejus: et servo, sicut dóminus ejus. Si patremfamílias Beélzebub vocavérunt: quanto magis domésticos ejus? Ne ergo timuéritis eos. Nihil enim est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum, allelúja.

Secreta

Sancti Athanásii, Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica; et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio Matth. 10, 27 Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta, allelúja.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta: ut beáti Athanásii, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnipotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Die 3 Maji
In Inventione S. Crucis

¶ Hodie, occurrente una ex tribus Feriis Rogationum, juxta Rubricas: 1. in Choro, post Tertiam semper dicitur Missa conventualis de Festo, et, si fiat Processio, post Nonam Missa de Rogationibus; 2. extra Chorum, in Feria II, si omittatur Processio, post Nonam legitur Missa de Rogationibus, et in Feria IV post Sextam semper Missa de Vigilia. De Feria autem et de Vigilia prohibentur Missæ privatæ.

Introitus — Gal. 6, 14

Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti, et liberáti sumus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. Nos autem. ℣. Glória Patri. Nos autem.

Oratio

Deus, qui in præclára salutíferæ Crucis Inventióne, passiónis tuæ mirácula suscitásti: concéde; ut vitális ligni prétio, ætérnæ vitæ suffrágia consequámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio diei Octavæ S. Petri de Rates:

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ Bracarénsi, ejus in ómnibus gloriósa sequi vestígia; per quem religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Dein, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio Ss. Alexandri I Papæ, Eventii et Theoduli Mm., ac Juvenalis Ep. et Conf., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas.

Gal. 5, 10-15 et 6, 12-14

Fratres: Confído in vobis in Dómino, quod nihil áliud sapiétis: qui autem contúrbat vos, portábit judícium, quicúmque est ille. Ego autem, fratres, si circumcisiónem adhuc prædico: quid adhuc persecutiónem pátior? Ergo evacuátum est scándalum Crucis. Utinam et abscindántur qui vos contúrbant. Vos enim in libertátem vocáti estis fratres: tantum ne libertátem in occasiónem detis carnis, sed per caritátem servíte ínvicem. Omnis enim lex in uno sermóne implétur: Díliges próximum tuum sicut teípsum. Quod si ínvicem mordétis, et coméditis: vidéte ne ab ínvicem consumámini. Quicúmque enim volunt placére in carne, hi cogunt vos circumcídi, tantum ut Crucis Christi persecutiónem non patiántur. Neque enim qui circumcidúntur, legem custódiunt: sed volunt vos circumcídi, ut in carne vestra gloriéntur. Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi:

per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

Allelúja. Eccl. vox Salva nos, Christe Salvátor, per virtútem sanctæ Crucis: qui salvásti Petrum in mari, miserére nobis. Allelúja, allelúja. Dulce Lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: quæ sola fuísti digna sustinére Regem cælórum, et Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 3, 1-15

In illo témpore: Erat homo ex pharisǽis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia a Deo venísti magister, nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus: Quómodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iteráto introíre, et renásci? Respóndit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua, et Spíritu Sancto, non potest introíre in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: opórtet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quo vadat: sic est omnis qui natus est ex spíritu. Respóndit Nicodémus, et dixit ei: Quómodo possunt hæc fíeri? Respóndit Jesus, et dixit ei: Tu es magister in Israël, et hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur, et quod vídimus testámur, et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis et non créditis: quómodo, si díxero vobis cæléstia credétis? Et nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto; ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Credo.

Offertorium Eccl. vox Prótege, Dómine, plebem tuam per signum sanctæ Crucis ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium: ut tibi gratam exhibeámus servitútem, et acceptábile tibi fiat sacrifícium nostrum, allelúja.

Secreta

Sacrifícium, Dómine, quod tibi immolámus, placátus inténde: ut ab omni nos éruat bellórum nequítia, et per vexíllum sanctæ Crucis Fílii tui, ad conteréndas potestátis advérsæ insídias, nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Deinde Commemoratio Ss. Alexandri, Eventii, Theoduli ac Juvenalis, ut supra.

Præfatio de Cruce.

Communio Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster, allelúja.

Postcommunio

Repléti alimónia cæléstí, et spiritáli póculo recreáti: quæsumus, omnípotens Deus; ut ab hoste malígno deféndas, quos per lignum sanctæ Crucis Fílii tui, arma justítiæ pro salúte mundi, triumpháre jussísti. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ:

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, cæléstibus mystériis celebráta solémnitas indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Deinde Commemoratio Ss. Alexandri, Eventii, Theoduli ac Juvenalis, ut supra.

¶ Pro votiva de S. Cruce dicitur Missa **Nos autem**, quæ habetur inter Missas votivas circa finem Missalis, [77].

Eadem die 3 Maji

Pro Ss. Alexandro I Papa, Eventio et Theodulo Mm. ac Juvenale Ep. Conf.

Missa **Sancti tui** de Communi Martyrum Tempore Paschali II loco, [23], vel pro votiva extra Tempus Paschale **Sapiéntiam**, de Communi plurimorum Martyrum I loco, [13], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum tuórum Alexándri, Evéntii, Theodúli, atque Juvenális natalítia cólimus; a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus, liberémur. Per Dóminum.

Secreta

Super has hóstias, quæsumus, Dómine, benedíctio copiósa descéndat: quæ et sanctificatiónem nobis cleménter operétur, et de Sanctórum nos solemnitáte lætíficet. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis tuis Alexándro, Evéntio, Theodúlo, et Juvenále sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 4 Maji

S. Monicæ Vid.

Introitus Ps. 118, 75 et 120

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis tímui, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Cognóvi.

Oratio

Deus, mæréntium consolátor et in te sperántium salus, qui beátæ Mónicæ pias lácrimas in conversióne fílii sui Augustíni misericórditer suscepísti: da nobis utriúsque intervéntu; peccáta nostra deploráre, et grátiæ tuæ indulgéntiam inveníre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Translationis Reliquiarum S. Vincentii Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 5, 3-10

Carissime: Víduas honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios, aut nepótes habet, discat primum domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere vídua est, et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratiónibus, et oratiónibus nocte, ac die. Nam quæ in delíciis est, vivens mórtua est. Et hoc præcipe, ut irreprehensíbiles sint. Si quis autem suórum, et máxime domesticórum curam non habet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Vídua eligátur non minus sexagínta annórum, quæ fúerit uníus viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens, si fílios educávit, si hospítio recépit, si sanctórum pedes lavit, si tribulatiónem patiéntibus subministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

Allelúja. ℣. P. 44. 5 Spécie tua et pulchritúdine tua, inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja, allelúja. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 7, 11-16

In illo témpore: Ibat Jesus in civitátem, quæ vocátur Naïm: et ibant cum eo discípuli ejus, et turba copiósa. Cum autem appropinquáret portæ civitátis, ecce defúnctus efferebátur, fílius únicus matris suæ: et hæc vídua erat: et turba civitátis multa cum illa. Quam cum vidísset Dóminus, misericórdia motus super eam, dixit illi: Noli flere. Et accéssit, et tétigit lóculum. (Hi autem qui portábant, stetérunt). Et ait: adoléscens, tibi dico, surge. Et resédit qui erat mórtuus, et cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accépit autem omnes timor: et magnificábant Deum, dicéntes: Quia prophéta magnus surréxit in nobis, et quia Deus visitávit plebem suam.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi, allelúja.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Translationis, ut in Missa sequenti.

Communio Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis, allelúja.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Translationis, ut in Missa sequenti.

Eadem die 4 Maji

Translatio Reliquiarum S. Vincentii Mart.

Missa Protexísti, ut in Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco, [21], præter Orationem sequentem:

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sancti Vincéntii Mártyris tui Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ participes, cujus in ejus cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Vincéntio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 5 Maji
S. Pii V Papæ et Conf.

Missa **Protexísti** de Communi Martyrum 1 loco, [21], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui ad conteréndos Ecclésiæ tuæ hostes, et ad divínum cultum reparándum, beátum Pium Pontíficem máximum elígere dignátus es: fac nos ipsíus defféndi præsídiis, et ita tuis inhærére obséquiis: ut, ómnium hóstium superátis insídiis, perpétua pace lætémur. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Pio, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale Missa **Státuit**, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, [25], cum Orationibus ut supra.

Die 6 Maji
S. Joannis Ap. et Ev.
ante Portam Latinam

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Oratio

Deus, qui cónspicis quia nos úndique mala nostra pertúrbant: præsta, quǽsumus; ut beáti Joánnis, Apóstoli tui et Evangelístæ, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ
Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos

habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 20, 20-23

In illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedǽi cum fíliis suis, adórans, et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit: Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei: Póssumus. Ait illis: Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam, vel sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Refécti, Dómine, pane cælésti: ad vitam, quǽsumus, nutriámur ætérnam. Per Dóminum.

¶ Pro votiva de S. Joanne, Missa dicitur ut in festo, die 27 Decembris. 26.

Die 7 Maji
S. Stanislai Ep. et Mart.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco. [21], præter Orationem ut infra:

Oratio

Deus, pro cujus honóre gloriósus Póntifex Stanisláus gládiis impiórum occúbuit: præsta, quǽsumus; ut omnes, qui ejus implórant auxílium, petitiónis suæ salutárem consequántur efféctum. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Stanisláo, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Stanisláo, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 1 loco, [5], cum Orationibus ut supra.

Die 8 Maji
In Apparitione S. Michaëlis Archangeli

Introitus — Ps. 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri. Benedícite.

Oratio

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas: concéde propítius; ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. — Apoc. 1, 1-5

In diébus illis: Significávit Deus quæ opórtet fíeri cito, mittens per Angelum suum servo suo Joánni, qui testimónium perhíbuit verbo Dei, et testimónium Jesu Christi, quæcúmque vidit. Beátus qui legit, et audit verba prophetíæ hujus: et servat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim prope est. Joánnes septem ecclésiis, quæ sunt in Asia. Grátia vobis, et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui ventúrus est: et a septem spirítibus, qui in conspéctu throni ejus sunt: et a Jesu Christo, qui est testis fidélis, primogénitus mortuórum, et princeps regum terræ, qui diléxit nos, et lavit nos, a peccátis nostris in sánguine suo.

Allelúja. ℣. Eccl. vox Concússum est mare, et contrémuit terra, ubi Archángelus Míchaël descéndit de cælo. Allelúja, allelúja. ℣. Sancte Míchaël Archángele, defénde nos in prǽlio: ut non pereámus in treméndo judício. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. — Matth. 18, 1-10

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et, ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei, ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo a scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala: verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscíde eum, et prójice abs te: bonum tibi est ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quam duas ma-

nus, vel duos pedes habéntem, mitti in ignem ætérnum. Et si óculus tuus scandalízat te, érue eum, et prójice abs te: bonum tibi est cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est.

Credo.

Offertorium Apoc. 8, 3 et 4 Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua, et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei, allelúja.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus, supplíciter deprecántes: ut eásdem, angélico pro nobis interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram proveníre concédas. Per Dóminum.

Communio Dan. 3, 58 Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula, allelúja.

Postcommunio

Beáti Archángeli tui Michaélis intercessióne suffúlti: súpplices te, Dómine, deprecámur; ut, quod ore proséquimur, contingámus et mente. Per Dóminum.

¶ Pro votiva de S. Michaële, Tempore Paschali, Missa dicitur ut supra; extra Tempus Paschale, ut in ejus Dedicatione, die 29 Septembris.

Die 9 Maji

S. Gregorii Nazianzeni Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], cum Epistola Justus 11 loco, [32], atque Oratione Deus, qui pópulo tuo, ut ibi, et dicitur Credo.

Die 10 Maji

S. Antonini Ep. et Conf.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], præter Orationes sequentes:

Oratio

Sancti Antoníni, Dómine, Confessóris tui atque Pontíficis, méritis adjuvémur: ut, sicut te in illo mirábilem prædicámus, ita in nos misericórdem fuísse gloriémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Gordiani et Epimachi Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Gordiani et Epimachi.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Antoníno, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Gordiani et Epimachi.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, [25], cum Orationibus ut supra.

Eadem die 10 Maji
Pro Ss. Gordiano et Epimacho Martyribus

Missa Sancti tui, de Communi Martyrum Tempore Paschali II loco, [23], cum Orationibus et Epistola ut infra:

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Epistola Post hæc ego Joánnes, ut in Festo Ss. Soteris et Caji Pp. et Mm., die 22 Aprilis, 569.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beatórum Mártyrum tuórum Gordiáni et Epímachi dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui cæléstia aliménta percépimus, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Gordiáno et Epímacho, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale, Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum I loco, [13], cum Orationibus ut supra.

Die 12 Maji
B. Joannæ Virg.

Missa Dilexísti, de Communi Virginum III loco, [41], præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui, inter regáles delícias et mundi illécebras, beátam Joánnam Vírginem tuam virtúte constántiæ roborásti: quǽsumus; ut ejus intercessióne fidéles tui terréna despíciant, et ad cæléstia semper aspírent. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. atque Pancratii Mm., ut in Missa sequenti.

Eadem die 12 Maji
S. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. atque Pancratii Mm.

Introitus Ps. 32, 18, 19 et 20

Ecce óculi Dómini super timéntes eum, sperántes in misericórdia ejus, allelúja: ut erípiat a morte ánimas eórum: quóniam adjútor, et protéctor noster est, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Ecce óculi Dómini.

Oratio

Semper nos, Dómine, Mártyrum tuórum Nérei, Achillei, Domitíllæ atque Pancrátii fóveat, quǽsumus, beáta solémnitas: et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes

intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est.

Allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja, allelúja. ℣. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 4, 46-53

In illo témpore: Erat quidam régulus, cujus fílius infirmabátur Caphárnaum. Hic cum audísset, quia Jesus adveníret a Judǽa in Galilǽam, ábiit ad eum, et rogábat eum ut descénderet, et sanáret fílium ejus: incipiébat enim mori. Dixit ergo Jesus ad eum: Nisi signa et prodígia vidéritis, non créditis. Dicit ad eum régulus: Dómine, descénde priúsquam moriátur fílius meus. Dicit ei Jesus: Vade, fílius tuus vivit. Crédidit homo sermóni, quem dixit ei Jesus, et ibat. Jam autem eo descendénte, servi occurrérunt ei, et nuntiavérunt dicéntes, quia fílius ejus víveret. Interrogábat ergo horam ab eis, in qua mélius habúerit. Et dixérunt ei: Quia heri hora séptima relíquit eum febris. Cognóvit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Jesus: Fílius tuus vivit: et crédidit ipse, et domus ejus tota.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia sanctórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Sanctórum Mártyrum tuórum, quǽsumus, Dómine, Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii sit tibi grata conféssio: quæ et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

Communio Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino, allelúja: rectos decet collaudátio, allelúja.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine: ut beatórum Mártyrum tuórum Nérei, Achíllei, Domitíllæ atque Pancrátii deprecatiónibus, sacraménta sancta, quæ súmpsimus, ad tuæ nobis profíciant placatiónis augméntum. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale dicitur sequens Missa:

Introitus Ps. 36, 39

Salus autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Salus autem.

Oratio, ut supra; sed, ubi dicitur beáta solémnitas, dicatur beáta memória.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

1 Petr. 4, 13-19

Caríssimi: Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis

Die 13 Maji

S. ROBERTI BELLARMINO

EPISCOPI, CONFESSORIS ET ECCL. DOCTORIS

Duplex

Introitus Eccli. 15, 5

IN médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ induit eum, allelúja, allelúja. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣ Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui ad errórum insídias repelléndas et Apostólicæ Sedis jura propugnánda beátum Robértum Pontíficem tuum atque Doctórem mira eruditióne et virtúte decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut nos in veritátis amóre crescámus et errántium corda ad Ecclésiæ tuæ rédeant unitátem. Per Dóminum nostrum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Sap. 7, 7-14

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiae: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus: nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum aestimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et laetátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam, quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiae Dei, propter disciplínae dona commendáti.

Allelúja, allelúja. ℣ Dan. 12, 3 Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti. Allelúja. ℣ Qui ad justítiam erúdiunt multos, quasi stellae in perpétuas aeternitátes. Allelúja.

In Missis votivis extra Tempus Paschale dicitur

Graduale Eccli. 44, 16 et 17 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo et invéntus est justus. ℣ Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣ Dan. 12, 3 Qui docti fúerint, fulgébunt quasi splendor firmaménti. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 91, 2-5 Bonum est

confitéri Dómino et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem. ℣. Quia delectásti me, Dómine, in factúra tua, et in opéribus mánuum tuárum exsultábo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus [illegible]bitur in regno cælórum: qui autem [illegible]cerit et docúerit, hic magnus vocá[illegible] in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 72, 28 Mihi au[illegible] adhærére Deo bonum est, pónere [illegible] Dómino Deo spem meam: ut ann[illegible] tiem omnes prædicatiónes tuas in p[illegible] tis filiae Sion, allelúja.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, in odó[illegible] suavitátis offérimus: et præs[illegible] ut beáti Robérti mónitis et exem[illegible] edócti, per sémitam mandatórum t[illegible]rum dilatáto corde currámus. Per D[illegible]minum nostrum.

Communio Matth. [illegible] et [illegible] Vos estis lux mundi: sic lúceat l[illegible] vestra coram homínibus, ut vídea[illegible] ópera vestra bona, et gloríficent Patr[illegible] vestrum, qui in caelis est, allelúja.

Postcommunio

Sacraménta, quae súmpsimus, D[illegible]mine, Deus noster, in nobis [illegible]veant caritátis ardórem: quo be[illegible] Robértus veheménter accénsus, [illegible] Ecclésia tua se júgiter impend[illegible] Per Dóminum nostrum.

APPROBATIO

Concordat cum originali approbato. In fidem etc.

Ex Secretaria S. Rituum Congregationis, die 2 Februarii 1932.

L. ✠ S.

A. Carinci, Secretarius

IMPRIMATUR

Bracaræ, die 2 Octobris 1932.

† Antonius, Archiepiscopus Primas

BRACARÆ, SUMPTIBUS ET TYPIS UNIVERSALIS

exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut maledicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat, gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

Evangelium Erat quidam régulus, ut supra.

Offertorium Ps. 123, 7 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus.

Secreta, ut supra.

Communio Matth. 25, 40 et 34 Amen dico vobis: quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum ab inítio sǽculi.

Postcommunio, ut supra.

Die 14 Maji
S. Bonifatii Mart.

Missa Protexisti, de Communi Martyrum Tempore Paschali 1 loco, [21], cum Oratione ut infra:

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Bonifátii Mártyris tui solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Bonifátio Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Oratione ut supra.

Die 15 Maji
S. Joannis Baptistæ de la Salle Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui ad christiánam páuperum eruditiónem, et ad juvéntam in via veritátis firmándam, sanctum Joánnem Baptístam Confessórem excitásti, et novam per eum in Ecclésia famíliam collegísti: concéde propítius; ut, ejus intercessióne et exémplo, stúdio glóriæ tuæ in animárum salúte fervéntes, ejus in cælis corónæ partícipes fíeri valeámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 18, 1-5

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et, ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus, allelúja.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum, allelúja.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

¶ A Dominica I post Pentecosten usque ad Sabbatum ante Dominicam I Adventus inclusive, in omnibus Missis de Officio Semiduplici aut Simplici et in Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa non sint, dicuntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª ad poscenda suffragia Sanctorum A cunctis, [119], et 3ª ad libitum eligenda.

Die 16 Maji

In Consecratione Archidiœcesis Bracarensis Sacratissimo Cordi Jesu

Introitus Cant. 3, 11

Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus, et in die lætítiæ cordis ejus, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. Egredímini. ℣. Glória Patri. Egredímini.

Oratio

Fac nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus indui, et affectibus inflammári: ut, tibi cum Ecclésia tua Bracarénsi pie consecráti; et imágini bonitátis tuæ confórmes, et tuæ redemptiónis mereámur esse partícipes: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi Ep. et Conf., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 3, 8-9 et 14-19

Fratres: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sæculis in Deo, qui ómnia creávit. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis, et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Allelúja. ℣. Ps. 20, 3-4 et 12 Dómine Deus meus, clamávi ad te, et sanásti me: eduxísti ab inférno ánimam meam. Allelúja, allelúja. ℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi: conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia. Allelúja.

¶ In Missis votivis extra Tempus Paschale, omisso Allelúja, dicitur

Graduale Matth. 21, 5 Dícite fíliæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuétus. ℣. Isai. 42, 4 et 2 Non erit tristis, neque turbuléntus: non clamábit, nec audiétur vox ejus foris.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 11, 29 Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 21, 7-8 et 15 Ego autem sum vermis, et non homo: oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis. ℣. Omnes vidéntes me, derisérunt me: locúti sunt lábiis, et movérunt caput. ℣. Sicut aqua effúsus sum, et dispérsa sunt ómnia ossa mea: factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 9-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis: ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Credo.

Offertorium 1 Paralip. 29, 17 et 18 Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa: et pópulum tuum vidi cum ingénti gáudio tibi offérre donária: Deus Israël, custódi hanc voluntátem cordis eórum, allelúja, allelúja.

Secreta

Illo nos igne, quǽsumus, Dómine, Spíritus Sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus e penetrálibus Cordis sui misit in terram, et vóluit veheménter accéndi: Qui tecum... in unitáte ejúsdem.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi, ut in Missa sequenti.

Præfatio de ~~Cruce~~. J. C. Jesu

Communio Ps. 33, 9; 99, 5 Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: in ætérnum misericórdia ejus, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Prǽbeant nobis, Dómine Jesu, divínum tua sancta fervórem: quo, dulcíssimi Cordis tui suavitáte percépta, discámus terréna despícere, et amáre cæléstia: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Ubaldi, ut in Missa sequenti.

¶ In votivis extra Tempus Paschale dicitur Missa ut supra; sed omittitur Allelúja post Introitum, Offertorium et Communionem.

Eadem die 16 Maji

S. Ubaldi Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, [25], præter Orationem sequentem:

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quǽsumus, placátus impénde: et, intercessióne beáti Ubáldi, Confessóris tui atque Pontíficis, contra omnes diáboli nequítias déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Ubáldo, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 17 Maji

S. Paschalis Baylon Conf.

Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui beátum Paschálem Confessórem tuum mirífica erga córporis et sánguinis tui sacra mystéria dilectióne decorásti: concéde propítius; ut, quam ille ex hoc divíno convívio spíritus percépit pinguédinem, eámdem et nos percípere mereámur: Qui vivis.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstì, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

¶ Pro votiva extra Tempus Paschale Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], cum Orationibus ut supra.

Die 18 Maji

S. Venantii Mart.

Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus ut infra.

Extra Tempus Paschale Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [8], cum Evangelio Nolíte arbitrári, ut in fine Communis, [12], et item cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui hunc diem beáti Venántii Mártyris tui triúmpho consecrásti: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, qui ejus mérita venerámur, fídei constántiam imitémur. Per Dóminum.

Secreta

Hanc oblatiónem, omnípotens Deus, beáti Venántii mérita tibi reddant accéptam: ut, ipsíus subsídiis adjúti, glóriæ ejus consórtes efficiámur. Per Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, ætérnæ vitæ sacraménta, te humíliter deprecántes: ut, beáto Venántio Mártyre tuo pro nobis deprecánte, véniam nobis concílient, et grátias. Per Dóminum.

Die 19 Maji

S. Petri Cælestini Papæ et Conf.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. (T. P. Allelúja,

allelúja). ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Cælestinum ad summi pontificátus ápicem sublimásti, quique illum humilitáti postpónere docuísti: concéde propítius; ut ejus exémplo cuncta mundi despícere, et ad promíssa humílibus prǽmia perveníre felíciter mereámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pudentianæ Virg.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beátæ Pudentiánæ, Vírginis tuæ, solémnia cólimus; ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 10, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea

auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. (T. P. Allelúja).

Secreta

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Pudentiana
Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Petro Cælestíno, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro S. Pudentiana
Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Eadem die 19 Maji

Pro S. Pudentiana Virg.

Missa Dilexísti, de Communi Vírginum III loco, [41].

Die 20 Maji

S. Bernardini Senensis Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Dómine Jesu, qui beáto Bernardíno Confessóri tuo exímium sancti nóminis tui amórem tribuísti: ejus, quæsumus, méritis et intercessióne, spíritum nobis tuæ dilectiónis benígnus infúnde: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 12 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quó-

niam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. Jac. 1-12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem; quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

Evangelium Ecce nos relíquimus ómnia, ut supra, 602.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. (T. P. Allelúja).

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 41-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Reficti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 22 Maji
In Translatione S. Jacobi Intercisi Mart.

Tempore Paschali Missa Protexísti, ut in Communi Martyrum 1 loco, [21], præter Orationem sequentem.

Extra Tempus Paschale Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris 1 loco, [9], item præter Orationem sequentem.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in sancti Mártyris tui Jacóbi Relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in ejus cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Die 25 Maji
S. Gregorii VII Papæ et Conf.

Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Epistola, Orationibus et Commemoratione S. Urbani, ut in Missis sequentibus.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Eccli. 45, 30 Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, in te sperántium fortitúdo, qui beátum Gregórium, Confessórem tuum atque Pontíficem, pro tuénda Ecclésiæ libertáte, virtúte constántiæ roborásti: da nobis, ejus exémplo et intercessióne, ómnia adversántia fórtiter superáre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Urbani Papæ et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44. 16-27 et 45. 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsius, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44. 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109. 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 24. 42-47

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis, qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia, qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium Ps. 88. 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Urbani.

Communio Luc. 12. 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Gregório, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Urbani.

Eadem die 25 Maji

Pro S. Urbano I Papa et Mart.

Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus ut in Missa sequenti.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacérdotes tui.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Urbáni, Mártyris tui atque Pontíficis, solémnia cólimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 1, 3-7

Fratres: Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam sicut abúndant passiónes Christi in nobis: ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur tolerántiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre profíciscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et profectus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone, et

fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, quǽsumus, emúndet nostra delícta: et ad sacrifícium celebrándum, subditórum tibi córpora, mentésque sanctíficet. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Urbáno, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effé-ctum. Per Dóminum.

Die 26 Maji
S. Philippi Nerii Conf.

Introitus Rom. 5, 5

Cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per inhabitántem Spíritum ejus in nobis. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. 102, 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri. Cáritas Dei.

Oratio

Deus, qui beátum Philíppum Confessórem tuum Sanctórum tuórum glória sublimásti: concéde propítius; ut cujus solemnitáte lætámur, ejus virtútum proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Eleutherii Papæ et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 7, 7-14

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus: nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum, in comparatióne illíus, aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus: quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti.

Graduale Ps. 33, 12 et 6 Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. ℣. Accédite ad eum, et illuminámini: et fácies vestræ non confundéntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Thren. 1, 13 De excélso misit ignem in óssibus meis, et erudívit me. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Thren. 1, 13 De excélso misit ignem in óssibus meis, et erudívit me. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 38, 4 Concáluit cor meum intra me: et in meditatióne mea exardéscet ignis.

¶ Tempore Paschali, Evangelium Ego sum vitis vera, de Communi Martyrum 1 loco, [22]; extra Tempus Paschale vero, dicitur sequens Evangelium:

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcincti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus expectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Ps. 118, 32 Viam mandatórum tuórum cucúrri, cum dilatásti cor meum. (T. P. Allelúja).

Secreta

Sacrifíciis præséntibus, quǽsumus, Dómine, inténde placátus: et præsta; ut illo nos igne Spíritus Sanctus inflámmet, quo beáti Philíppi cor mirabíliter penetrávit. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Et fit Commemoratio S. Eleutherii.

Communio Ps. 83, 3 Cor meum, et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Cæléstibus, Dómine, pasti delíciis: quǽsumus; ut beáti Philíppi Confessóris tui méritis et imitatióne, semper éadem, per quæ veráciter vívimus, appetámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Eleutherii.

Eadem die 26 Maji

Pro S. Eleutherio Papa et Mart.

Tempore Paschali Missa Protexisti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus ut infra.

Extra Tempus Paschale Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], item cum Orationibus ut infra:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Eleuthérii, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et intercedénte beáto Eleuthério, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crimine, et, intercedénte beáto Eleuthério, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 27 Maji

S. Bedæ Venerabilis Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], præter Orationem sequentem, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Bedæ, Confessóris tui atque Doctóris, eruditióne clarificas: concéde propítius fámulis tuis; ejus semper illustrári sapiéntia et méritis adjuvári. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis I Papæ et Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Sancti Bedæ, Confessóris tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Beda, Conféssor tuus et Doctor egrégius, quæsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis.

Eadem die 27 Maji

Pro S. Joanne I Papa et Mart.

Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], præter Orationem ut infra.

Extra Tempus Paschale Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris II loco, [5], item cum Oratione ut infra:

Oratio

Deus, qui nos beáti Joánnis, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Joánne, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Joánne, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 28 Maji

S. Augustini Ep. et Conf.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Deus, qui Anglórum gentes, prædicatióne et miráculis beáti Augustíni, Confessóris tui atque Pontíficis, veræ fídei luce illustráre dignátus es: concéde; ut, ipso interveniénte, errántium corda ad veritátis tuæ rédeant unitátem, et nos in tua simus voluntáte concórdes. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 2, 3-9

Fratres: Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos Evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre, neque de immundítia, neque in dolo, sed sicut probáti sumus a Deo, ut crederétur nobis Evangélium: ita lóquimur, non quasi homínibus placéntes, sed Deo, qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis: neque in occasióne avarítiæ: Deus testis est: nec quæréntes ab homínibus glóriam, neque a vobis, neque ab áliis; cum possémus vobis óneri esse ut Christi Apóstoli: sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos, cúpide volebámus trádere vobis non solum Evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras: quóniam caríssimi nobis facti estis. Mémores enim estis, fratres, labóris nostri, et fatigatiónis: nocte ac die operántes, ne quem vestrum gravarémus, prædicávimus in vobis Evangélium Dei.

Graduale Ps. 131, 16-17 Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitá-

tem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus. (T. P. Allelúja).

Secreta

Sacrifícium tibi offérimus, Dómine, in solemnitáte beáti Augustíni, Pontíficis et Confessóris tui, humíliter deprecántes, ut oves, quæ periérunt, ad unum ovíle revérsæ, hoc salutári pábulo nutriántur. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Hóstia salutári reficti: te, Dómine, súpplices exorámus; ut éadem, beáti Augustíni interveniénte suffrágio, in omni loco nómini tuo júgiter immolétur. Per Dóminum.

Die 29 Maji
S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis Virg.

Missa Dilexísti, de Communi Vírginum III loco, [41], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti: da, ut, quam festiva celebritáte venerámur; puritáte et caritáte imitémur. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 30 Maji
S. Felicis I Papæ et Mart.

Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], præter Orationem ut infra.

Extra Tempus Paschale Missa Státuit, de Communi unius Martyris I loco, [4], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Felícis, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Felíce, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Felíce, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 31 Maji
S. Angelæ Mericiæ Virg.

Missa Dilexisti, de Communi Virginum III loco, [41], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui novum per beátam Angelam sacrárum Vírginum collégium in Ecclésia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gáudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petronillæ Virg.

Oratio

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, sicut de beátæ Petroníllæ Vírginis tuæ festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur affécțu. Per Dóminum.

Secreta

Hóstia, Dómine, quam tibi beátæ Angelæ memóriam recoléntes offérimus, et nostræ pravitátis véniam implóret, et grátiæ tuæ nobis dona concíliet. Per Dóminum.

Pro S. Petronilla — Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio


Cæléstí alimónia reſécti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut beátæ Angelæ précibus et exémplo, ab omni labe mundáti, et córpore tibi placeámus, et mente. Per Dóminum.

Pro S. Petronilla — Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Eadem die 31 Maji
Pro S. Petronilla Virg.

Missa Dilexisti, de Communi Virginum II loco, [41].



Feria VI post Octavam Ssmi Corporis Christi

SACRATISSIMI CORDIS JESU

Introitus Ps. 32, 11 et 19

Cogitatiónes Cordis ejus in generatióne et generatiónem: ut éruat a morte ánimas eórum et alat eos in fame. Ps. ibid. 1 Exsultáte justi in Dómino, rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri.

Oratio

Deus, qui nobis, in Corde Fílii tui, nostris vulneráto peccátis, infinítos dilectiónis thesáuros misericórditer largíri dignáris: concéde, quǽsumus; ut illi devótum pietátis nostræ præstántes obséquium, dignæ quoque satisfactiónis exhibeámus offícium. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 3, 8-19

Fratres, mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi: et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo qui ómnia creávit: ut innotéscat principátibus et potestátibus in cæléstibus per Ecclésiam multifórmis sapiéntia Dei: secúndum præfinitiónem sæculórum quam fecit in Christo Jesu Dómino nostro, in quo habémus fidúciam et accéssum in confidéntia per fidem ejus. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur: ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti et fundáti: ut possítis comprehéndere, cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale Ps. 24, 8-9 Dulcis et rectus Dóminus, propter hoc legem dabit delinquéntibus in via. ℣. Diri-

get mansuétos in judício, docébit mites vias suas.

Allelúja, allelúja. Matth. 11, 29 Tóllite jugum meum super vos et díscite a me, quia mitis sum et húmilis Corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúja.

In Missis Votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 102, 8-10 Misericors et miserátor Dóminus, longánimis et multum miséricors. ℣. Non in perpétuum irascétur, neque in ætérnum comminábitur. ℣. Non secúndum peccáta nostra fecit nobis, neque secúndum iniquitátes nostras retríbuit nobis.

Tempore autem Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja, allelúja. Matth. 11, 29 et 28 Tóllite jugum meum super vos et díscite a me, quia mitis sum et húmilis Corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúja. ℣. Veníte ad me omnes qui laborátis et oneráti estis et ego refíciam vos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 19, 31-37

In illo témpore: Judǽi, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato, erat enim magnus dies ille sábbati, rogavérunt Pilátum ut frangeréntur eórum crura et tolleréntur. Venérunt ergo mílites, et primi quidem fregérunt crura et altérius qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus. Et ille scit quia vera dicit, ut et vos credátis. Facta sunt enim hæc ut Scriptúra implerétur: Os non comminuétis ex eo. Et íterum ália Scriptúra dicit: Vidébunt in quem transfixérunt. Credo.

Offertorium Ps. 68, 21 Impropérium exspectávit Cor meum et misériam, et sustínui qui simul mecum contristarétur et non fuit; consolántem me quæsívi et non invéni.

Tempore vero Paschali, in Missis Votivis, sic mutatur Offertorium:

Offertorium Ps. 39, 7-9 Holocáustum et pro peccáto non postulásti: tunc dixi: Ecce vénio. In cápite libri scriptum est de me ut fácerem voluntátem tuam: Deus meus vólui et legem tuam in médio Cordis mei. Allelúja.

Secreta

Réspice, quǽsumus, Dómine, ad ineffábilem Cordis dilécti Fílii tui caritátem: ut quod offérimus sit tibi munus accéptum et nostrórum expiátio delictórum. Per eúmdem Dóminum.

Praefatio de Ssiño Corde Jesu.

Communio Joann. 19, 34 Unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua.

Tempore autem Paschali, in Missis Votivis, sic mutatur Communio:

Communio Joann. 7, 37 Si quis sitit véniat ad me et bibat. Allelúja, allelúja.

Postcommunio

Præbeant nobis, Dómine Jesu, divínum tua sancta fervórem: quo dulcíssimi Cordis tui suavitáte percépta, discámus terréna despícere, et amáre cæléstia: Qui vivis.

¶ Infra Octavam et in die Octava Missa dicitur ut in Festo. Infra Octavam autem adduntur, juxta Rubricas, Orationes pro diversitate Temporum assignatæ, nempe 2ª de Sancta Maria, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa.


¶ In Missa Dominicæ tertiæ post Pentecosten fit Commemoratio Ssmi Cordis Jesu; et dicitur Præfatio de eodem Ssmo Corde Jesu, ratione Octavæ, sed si Commemoratio Octavæ sit omittenda, dicitur Præfatio de Ssma Trinitate, juxta Rubricas.


PRÆFATIO SOLEMNIS




æ-térne De- us: Qui U-ni-gé-ni- tum tu- um in cru-ce pen-
déntem lánce- a mí- li- tis transfí- gi vo- lu- í-sti, ut a-pértum
Cor, di- ví-næ lar-gi- tá- tis sa-crá- ri- um, torréntes no-bis fún-
de- ret mi- se- ra- ti- ó- nis et grá- ti- æ, et quod amó- re
nostri flagrá- re nunquam dé-sti- tit, pi- is esset ré-qui- es
et pœ-ni- tén-ti- bus pa- té- ret sa- lú- tis re- fú- gi- um. Et
í-de- o cum Ange- lis et Archánge- lis, cum Thro-nis et Domi-na-
ti- ó-ni-bus, cumque omni mi- lí- ti- a cæ-léstis ex- érci- tus,
hymnum gló-ri- æ tu- æ cá-nimus, si- ne fi- ne di- céntes.

PRÆFATIO FERIALIS




di-ví-næ largi-tá-tis sacrá-ri-um, torréntes no-bis fúnde-ret
mi-se-ra-ti-ó-nis et grá-ti-æ, et quod amó-re nostri fla-
grá-re nunquam dé-sti-tit, pi-is esset ré-qui-es et pœ-ni-tén-
ti-bus pa-té-ret sa-lú-tis re-fú-gi-um. Et i-de-o cum An-
ge-lis et Archánge-lis, cum Thro-nis et Domi-na-ti-ó-ni-bus,
cumque omni mi-lí-ti-a cæ-lé-stis ex-érci-tus, hymnum gló-
ri-æ tu-æ cá-nimus, si-ne fi-ne di-céntes.

PRÆFATIO SINE CANTU

Sequens Præfatio: 1 Dicitur in Missis de Sacratissimo Corde Jesu. 2 Dicitur etiam, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ infra Octavam ipsius Sacratissimi Cordis Jesu celebrantur, dummodo et de Octava fiat Commemoratio, et ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant præfationem. 3 Dicitur item, juxta Rubricas, in omnibus Missis quæ cum Commemoratione ejusdem Sacratissimi Cordis Jesu celebrantur, dummodo pariter ipsa Missa, aut Commemoratio prius habita, aliam non exigant Præfationem.

Per ómnia sǽcula sæculórum.
℟. Amen.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre, nos tibi semper, et ubíque grátias ágere: Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: Qui Unigénitum tuum in cruce pendéntem láncea mílitis transfígi voluísti, ut apértum Cor, divínæ largitátis sacrárium, torréntes nobis fúnderet miseratiónis et grátiæ, et quod amóre nostri flagráre nunquam déstitit, piis esset réquies et pœniténtibus patéret salútis refúgium. Et ídeo cum Angelis et Archángelis, cum Thronis et Dominatiónibus, cumque omni milítia cæléstis exércitus, hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth. Pleni sunt cæli, et terra glória tua. Hosánna in excélsis. Benedíctus qui venit in nómine Dómini. Hosánna in excélsis.

Concordat cum originali approbato. In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 2 Aprilis 1929.

L. ✠ S.

ANGELUS MARIANI, S. R. C. Secretarius.



Feria VI post Octavam Sacratissimi Corporis Christi

SACRATISSIMI CORDIS JESU

Introitus Cant. 3, 11

Egredímini et vidéte, filiæ Sion, regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua in die desponsatiónis ejus, et in die lætítiæ cordis ejus. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. Egredímini. ℣. Glória Patri. Egredímini.

Oratio

Fac nos, Dómine Jesu, sanctíssimi Cordis tui virtútibus índui, et afféctibus inflammári: ut, et imágini bonitátis tuæ confórmes; et tuæ Redemptiónis mereámur esse partícipes: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. 3, 8-9 et 14-19

Fratres: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia hæc, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quæ sit dispensátio sacraménti abscónditi a sǽculis in Deo, qui ómnia creávit. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis, et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quæ sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum: scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale Matth. 21, 5 Dícite fíliæ Sion: Ecce Rex tuus venit tibi mansuétus. ℣. Isai. 42, 4 et 2 Non erit tristis, neque turbuléntus: non clamábit, nec audiétur vox ejus foris.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 11, 29 Díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Allelúja.

¶ **In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam**

Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 21, 7-8 et 15 Ego autem sum vermis, et non homo: oppróbrium hóminum, et abjéctio plebis. ℣. Omnes vidéntes me, derisérunt me: locúti sunt lábiis, et movérunt caput. ℣. Sicut aqua effúsus sum, et dispérsa sunt ómnia ossa mea: factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 29, 3-4 et 12 Dómine Deus meus, clamávi ad te, et sanásti me: eduxísti ab inférno ánimam meam. Allelúja, allelúja. ℣. Convertísti planctum meum in gáudium mihi: conscidísti saccum meum, et circumdedísti me lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 9-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis: ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur. Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Credo per totam Octavam.

Offertorium 1 Paralip. 29, 17 et 18 Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa: et pópulum tuum vidi cum ingénti gáudio offérre donária: Deus Israël, custódi hanc voluntátem cordis eórum, allelúja.

Secreta

Illo nos igne, quæsumus, Dómine, Spíritus Sanctus inflámmet, quem Dóminus noster Jesus Christus e penetrálibus Cordis sui misit in terram, et vóluit veheménter accéndi: Qui tecum... in unitáte ejúsdem.

Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 33, 9; 99, 5 Gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus: in ætérnum misericórdia ejus, allelúja.

Postcommunio

Præbeant nobis, Dómine Jesu, divínum tua sancta fervórem: quo, dulcíssimi Cordis tui suavitáte percépta; discámus terréna despícere, et amáre cæléstia: Qui vivis...

FESTA JUNII

¶ Post Octavam Pentecostes, prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impeditæ

in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 2 Junii

Ss. Marcellini, Petri atque Erasmi Ep. et Mm.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 33, 18

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellíni, Petri atque Erásmi solemnitáte lætíficas: præsta, quǽsumus; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 18-23

Fratres: Non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam expectátio creatúræ revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes: et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri.

Graduale Ps. 33, 18-19 Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Juxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis; et fructus vester máneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 21, 9-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur, tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et prǽsides, propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capil-

lus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Hæc hóstia, quǽsumus, Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus: et vínculа nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 1, 2 et 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio

Sacro múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus officio, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Sancti tui, de Communi Martyrum II loco, [23], cum Orationibus et Epistola ut in Missa præcedenti, et post Epistolam dicitur:

Allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 115, 15 Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Allelúja.

Die 3 Junii

S. Ovidii Ep. et Mart.

Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], præter Orationem sequentem.

Extra Tempus Paschale Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris II loco, [5], item præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam apostólica beáti Ovídii, Mártyris tui atque Pontíficis, prædicatióne mirabíliter illustrásti: concéde propítius; ut a quo religiónis háusimus increménta, intercessiónis assequámur suffrágia. Per Dóminum.

Die 4 Junii

S. Francisci Caracciolo Conf.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 21, 15; 68, 10

Factum est cor meum tamquam cera liquéscens in médio ventris mei: quóniam zelus domus tuæ comédit me. ℣. Ps. 72, 1 Quam bonus Israël Deus: his, qui recto sunt corde! ℣. Glória Patri. Factum est.

Oratio

Deus, qui beátum Francíscum, novi Ordinis institutórem, orándi stúdio et pœniténtiæ amóre decorásti: da fámulis tuis in ejus imitatióne ita profícere; ut, semper orántes et corpus in servitútem redigéntes, ad cæléstem glóriam perveníre mereántur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 4, 7-14

Justus, si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est non diutúrna, neque annórum número com-

putáta: cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus est diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est. Raptus est, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fictio decíperet ánimam illíus. Fascinátio enim nugacitátis obscúrat bona, et inconstántia concupiscéntiæ transvértit sensum sine malítia. Consummátus in brevi explévit témpora multa, plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Graduale Ps. 41, 2 Quemádmodum desíderat cervus ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℣. Ps. ibid., 3 Sitívit ánima mea ad Deum fortem vivum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 72, 26 Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Secreta

Da nobis, clementíssime Jesu: ut præclára beáti Francísci mérita recoléntes, eódem nos, ac ille, caritátis igne succénsi, digne in circúitu sacræ hujus mensæ tuæ esse valeámus: Qui vivis.

Communio Ps. 30, 20 Quam magna multitúdo dulcédinis tuæ, Dómine, quam abscondísti timéntibus te!

Postcommunio

Sacrosáncti sacrifícii, quǽsumus, Dómine, quod hódie in solemnitáte beáti Francísci tuæ obtúlimus majestáti, grata semper in méntibus nostris memória persevéret, et fructus. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus et Epistola ut in Missa præcedenti, et post Epistolam dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 64, 5 Beátus quem elegísti et assumpsísti: inhabitábit in átriis tuis. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111, 9 Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi. Allelúja.

Die 5 Junii
S. Bonifatii Ep. et Mart.

Introitus Isai. 65, 19 et 23

Exsultábo in Jerúsalem, et gaudébo in pópulo meo: et non audiétur in eo ultra vox fletus et vox clamóris. Elécti mei non laborábunt frustra, neque generábunt in conturbatióne: quia semen benedictórum Dómini est, et nepótes eórum cum eis. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. 43, 2 Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri narravérunt opus, quod operátus es in diébus eórum. ℣. Glória Patri. Exsultábo.

Oratio

Deus, qui multitúdinem populórum, beáti Bonifátii, Mártyris tui atque Pontíficis, zelo, ad agnitiónem tui nóminis vocáre dignátus es: concéde propítius; ut, cujus solémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 43, 1-15

Laudémus viros gloriósos, et paréntes nostros in generatióne sua. Multam glóriam fecit Dóminus magnificéntia sua a sǽculo. Dominántes in potestátibus suis, hómines magni virtúte, et prudéntia sua prǽditi, nuntiántes in prophétis dignitátem prophetárum, et imperántes in præsénti pópulo, et virtúte prudéntiæ pópulis sanctíssima verba. In perítia sua requiréntes modos músicos, et narrántes cármina scripturárum. Hómines dívites in virtúte, pulchritúdinis stúdium habéntes: pacificántes in dómibus suis. Omnes isti in generatiónibus gentis suæ glóriam adépti sunt, et in diébus suis habéntur in láudibus. Qui de illis nati sunt, reliquérunt nomen narrándi laudes eórum. Et sunt quorum non est memória: periérunt quasi qui non fúerint: et nati sunt, quasi non nati, et fílii ipsórum cum ipsis. Sed illi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale 1 Petr. 4, 13-14 Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. ℣. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscet.

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 66, 12 Declinábo super eum quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Isai. 66, 10 et 14 Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea, omnes, qui dilígitis Dóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Vidébitis et gau-

débit cor vestrum: cognoscétur manus Dómini servis ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli, ejus et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Offertorium Ps. 15, 7 et 8 Benedícam Dóminum, qui tríbuit mihi intelléctum: providébam Deum in conspéctu meo semper, quóniam a dextris est mihi ne commóvear. (T. P. Allelúja).

Secreta

Super has hóstias, Dómine, quǽsumus, benedíctio copiósa descéndat: quæ et sanctificatiónem nostram misericórditer operétur: et de sancti Bonifátii, Mártyris tui atque Pontíficis, fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Communio Apoc. 3, 21 Qui vícerit, dabo ei sedére mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno ejus. (T. P. Allelúja).

Postcommunio

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quǽsumus; ut nobis sancti Bonifátii, Mártyris tui atque Pontíficis, pia non desit orátio, cujus nos donásti patrocínio gubernári. Per Dóminum.

Die 6 Junii

S. Norberti Ep. et Conf.

Extra Tempus Paschale Missa Sacerdótes Dei, de Communi Confessoris Pontificis III loco, [28], cum Orationibus ut infra.

Oratio

Deus, qui beátum Norbértum, Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecísti: et per eum Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti: præsta, quǽsumus; ut, ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Norbérto, Confessóre tuo

atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], cum Orationibus ut supra, et Epistola Testíficor, [28].

Die 8 Junii

S. Quiteriæ Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum II loco, [39], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, pro cujus amóre beáta Quitéria Martyr níveum virginitátis suæ florem martýrii púrpura venustávit: concéde nos, quǽsumus; ejus patrocínio sublevári, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Die 9 Junii

Ss. Primi et Feliciani Mm.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Eccli. 44, 15 et 14

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sǽculum sǽculi. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam.

Oratio

Fac nos, quǽsumus, Dómine: sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni semper festa sectári; quorum suffrágiis protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 5, 16-20

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illius, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem.

Graduale Ps. 88, 6 et 2 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. ℣. Misericórdias tuas, Dómine, in ætérnum cantábo: in generatióne et progénie.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super

vos, et discite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium Ps. 67, 30 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta

Fiat tibi, quǽsumus, Dómine, hóstia sacránda placábilis, pretiósi celebritáte martýrii: quæ et peccáta nostra puríficet, et tuórum tibi vota conciliet famulórum. Per Dóminum.

Communio Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Primi et Feliciáni cæléstibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Sancti tui, de Communi Martyrum II loco, [23], cum Orationibus et Evangelio ut in Missa præcedenti, et post Epistolam dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja, allelúja. ℣. Te Mártyrum candidátus láudat exércitus, Dómine. Allelúja.

Die 10 Junii
S. Margaritæ Reginæ, Vid.

Missa Cognóvi, de Communi non Virginum III loco, [47], prætor Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátam Margarítam regínam exímia in páuperes caritáte mirábilem effecísti: da; ut ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris cáritas júgiter augeátur. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 11 Junii
S. Barnabæ Apostoli

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, sicut beáti Bárnabæ Apóstoli tui natalítia gloriósa celebrámus; ita étiam, ad tua benefícia promeréndа, majestátem tuam pro nobis ipse exóret. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 11, 21-26; 13, 1-3

In diébus illis: Multus númerus credéntium Antiochíæ convérsus est ad Dóminum. Pervénit autem sermo ad aures ecclésiæ, quæ erat Jerosólymis, super istis: et misérunt Bárnabam usque ad Antiochíam. Qui cum pervenísset, et vidísset grátiam Dei, gavísus est: et hortabátur omnes in propósito cordis permanére in Dómino: quia erat vir bonus, et plenus Spíritu Sancto, et fide. Et appósita est multa turba Dómino. Proféctus est autem Bárnabas Tarsum, ut quǽreret Saulum: quem cum invenísset, perdúxit Antiochíam. Et annum totum conversáti sunt ibi in ecclésia: et docuérunt turbam multam, ita ut cognominaréntur primum Antiochíæ discípuli, Christiáni. Erant autem in ecclésia, quæ erat Antiochíæ, prophétæ et doctóres, in quibus Bárnabas, et Simon, qui vocabátur Niger, et Lúcius Cyrenénsis, et Mánahen, qui erat Heródis Tetrárchæ collactáneus, et Saulus. Ministrántibus autem illis Dómino, et jejunántibus, dixit illis Spíritus Sanctus: Segregáte mihi Saulum, et Bárnabam in opus, ad quod assúmpsi eos. Tunc jejunántes, et orántes, imponentésque eis manus, dimisérunt illos.

Graduale Ps. 18, 5 et 2 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum. ℣. Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 10, 16-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos: et ad præsides, et ad reges ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et insúrgent fílii in paréntes, et morte eos affícient: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit. Credo.

Offertorium Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui Dómine, in omni progénie et generatióne.

Secreta

Beáti Bárnabæ Apóstoli tui, Dómine, solémnia recensémus: ut ejus auxílio benefícia capiámus: pro quo tibi hóstias laudis offérimus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 Vos, qui secúti estis me, sedébitis super

sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio

Adjuvet famíliam tuam, quǽsumus, Dómine: tibi supplicándo venerándus Bárnabas, Apóstolus tuus; ut pius intervéntor exístat, qui tui Nóminis éxtitit prædicátor. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus, Epistola et Evangelio, ut in Missa præcedenti.

Die 12 Junii

Coronatio B. M. V. Immaculatæ de Monte Sameiro

Missa Gaudens gaudébo, ut in Festo Conceptionis immaculatæ B. M. Virginis, die 8 Decembris, 462, præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui per immaculátam Vírginis Conceptiónem dignum Fílio tuo habitáculum præparásti: súpplices a te quǽsumus; ut ejúsdem Vírginis Coronatiónem celebrántes, salútem mentis et córporis consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Joannis a S. Facundo Conf. ac Ss. Basilidis, Cyrini, Naboris et Nazarii Mm., ut in Missis sequentibus.

Eadem die 12 Junii

S. Joannis a S. Facundo Conf.

Extra Tempus Paschale Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, auctor pacis et amátor caritátis, qui beátum Joánnem Confessórem tuum mirífica dissidéntes componéndi grátia decorásti: ejus méritis et intercessióne concéde; ut, in tua caritáte firmáti, nullis a te tentatiónibus separémur. Per Dóminum.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti cibo, potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus ut supra et Epistola Justum, [32].

Eadem die 12 Junii

Pro Ss. Basilide, Cyrino, Nabore et Nazario Mm.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Sanctórum Mártyrum tuórum Basílidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii, quǽsumus, Dómine, natalítia nobis votíva respléndeant: et, quod illis cóntulit excelléntia sempitérna, frúctibus nostræ devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Epistola Rememorámini, [17].

Graduale Ps. 78, 10 et 2 Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 44, 14 Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt: et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 24, 3-13

In illo témpore: Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum advéntus tui, et consummatiónis sǽculi? Et respóndens Jesus, dixit eis: Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus: et multos sedúcent. Auditúri enim estis prǽlia, et opiniónes præliórum. Vidéte, ne turbémini. Opórtet enim hæc fíeri, sed nondum est finis. Consúrget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestiléntiæ, et fames, et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia, inítia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem, et occídent vos: et éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent, et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétæ surgent, et sedúcent multos. Et quóniam abundávit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta

Pro sanctórum tuórum Basílidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii sánguine venerándo, hóstias tibi, Dómine, solémniter immolámus, tua mirabília pertractántes: per quem talis est perfécta victória. Per Dóminum.

Communio Ps. 78, 2 et 11 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli, carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Semper, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Basílidis, Cyríni, Náboris atque Nazárii solémnia celebrántes: præsta, quǽsumus; ut eórum patrocínia júgiter sentiámus. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Sancti tui de Communi Martyrum 11 loco, [25] cum Orationibus ut in Missa præcedenti.

Die 13 Junii

S. Antonii Lusitani Conf.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ induit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. In médio. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Ecclésiam tuam, Deus, beáti Antónii Confessóris tui solémnitas votíva lætíficet: ut spirituálibus semper muniátur auxíliis, et gáudiis pérfrui mereátur ætérnis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 7, 7-15

Optávi et datus est mihi sensus; et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ: et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne áurum in comparatióne illíus, aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi illam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam horum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo. Infinítus enim thesáurus est homínibus; quo qui usi sunt, partícipes facti sunt amicítiæ Dei, propter disciplínæ dona commendáti. Mihi autem dedit Deus dícere ex senténtia, et præsúmere digna horum, quæ mihi dantur: quóniam ipse sapiéntiæ dux est, et sapiéntium emendátor.

Graduale Eccli. 24, 3-4 In médio pópuli sui exaltábitur, et in plenitúdine sancta admirábitur. ℣. In multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 48, 15 In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. Allelúja.

¶ In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Eccli. 39, 12-13 Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. ℣. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. ℣. ibid. 48, 15 In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est.

Tempore vero Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Eccli. 24, 4 In multitúdine electórum habébit laudem, et inter benedíctos benedicétur. Allelúja, allelúja. ℣. ibid. 48, 15 In vita sua fecit monstra, et in morte mirabília operátus est. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus: ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum. Credo.

Offertorium Eccli. 40, 1-2 Memória ejus in compositiónem odóris: in omni ore quasi mel indulcábitur memória ejus.

Secreta

Præsens oblátio fiat, Dómine, pópulo tuo salutáris: pro quo dignátus es Patri tuo te vivéntem hóstiam immoláre: Qui cum eódem Deo Patre, et Spíritu Sancto vivis et regnas Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

Communio Eccli. 51, 30 Dedit mihi Dóminus linguam mercédem meam, et in ipsa laudábo eum.

Postcommunio

Divínis, Dómine, munéribus satiáti: quǽsumus; ut beáti Antónii Confessóris tui méritis gloriósis, salutáris víctimæ desiderátum sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Die 14 Junii

S. Basilii Magni Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ, et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti Basílii, Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desi-

déria coacervábunt sibi magístros, prurièntes áuribus, et a veritáte quidem auditum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus, et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 21 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 14, 26-35

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus commíttere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum viginti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus. Bonum est sal. Si autem sal evanúerit, in quo condiétur? Neque in terram, neque in sterquilínium útile est, sed foras mittétur. Qui habet aures audiéndi, áudiat.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Sancti Basílii, Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Basílii, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 15 Junii
Ss. Viti, Modesti atque Crescentiæ Mm.

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 33, 20-21

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. ℣. Ps. ibid. 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Multæ tribulatiónes.

Oratio

Da Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, sanctis Martýribus tuis Vito, Modésto atque Crescéntia intercedéntibus, supérbe non sápere, sed tibi plácita humilitáte profícere: ut, prava despíciens, quæcúmque recta sunt, líbera exérceat caritáte. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 3, 1-8

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale Ps. 149, 5 et 1 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 144, 10-11 Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 16-20

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Revérsi sunt autem septuagínta duo cum gáudio, dicéntes: Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis: Vidébam sátanam sicut fulgur de cælo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci: et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére, quia spíritus vobis subjiciúntur: gaudéte autem, quod nómina vestra scripta sunt in cælis.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

Secreta

Sicut glóriam divínæ poténtiæ múnera pro Sanctis obláta testántur: sic nobis efféctum, Dómine, tuæ salvatiónis impéndant. Per Dóminum.

DIE 17 JUNII

S. Gregorii Barbadici

Ep. et Conf.

3. classis

Missa *Statuit*, de Communi Confessoris Pontificis 1. loco [25], praeter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui beatum Gregórium Confessorem tuum atque Pontificem pastorali sollicitudine, et pauperum miseratione claréscere voluísti: concede propítius; ut, cujus mérita celebramus caritátis, imitémur exémpla. Per Dominum.

Secreta

Sancti tui, quaésumus, Dómine, nos ubíque loetificent: ut, dum eorum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Praesta, quaésumus, Omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibentes, intercedente beato Gregório, Confessore tuo atque Pontífice, benefítia potióra sumámus. Per Dóminum.

DIE 23 OCTOBRIS

S. Antonii Mariae Claret

Ep. et Conf.

3. classis

Missa *Sacerdotes tui*, de Communi Confessoris Pontificis 2. loco [26], praeter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui beatum Antónium Mariam Confessorem tuum atque Pontíficem, apostolicis virtútibus sublimásti, et per eum novas in Ecclesia clericórum ac vírginum famílias collegísti: concéde, quaésumus; ut, ejus dirigéntibus mónitis ac suffragántibus méritis, animárum salútem quaerere júgiter studeámus. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Antónii Mariae, Confessóris tui atque Pontíficis, quaésumus, Dómine, annua solémnitas pietati tuae nos reddat accéptos: ut, per haec piae placationis offícia, et illum beata retribútio comitétur, et nobis grátiae tuae dona concíliet.
Per Dominum.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerator animarum: praesta; ut beati Antonii Mariae, Confessoris tui atque Pontíficis, cujus venerandam celebramus festivitatem, précibus indulgéntiam consequamur.
Per Dominum.

IMPRIMATUR.

Bracarae, die 21 Nov., 1961

† ANTONIUS, *Archiepiscopus Bracarensis*

Communio Sap. 3, 1-2 et 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Postcommunio

Repléti, Dómine, benedictióne solémni: quǽsumus; ut per intercessiónem sanctórum Mártyrum tuórum Viti, Modésti et Crescéntiæ, medicína sacraménti et corpóribus nostris prosit, et méntibus. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Sancti tui, de Communi Martyrum 11 loco, [23], cum Orationibus et Evangelio ut in Missa præcedenti.

Die 17 Junii

B. Teresiæ Viduæ Reginæ Portugaliæ

Introitus Ps. 44, 15-16

Adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regis Dómini. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Adducéntur.

Oratio

Deus, qui ad Ecclésiam tuam novis semper exémplis imbuéndam, beátam Terésiam, mundáno principátu despécto, ad humilitátis tuæ sectánda vestígia toto corde transíre fecísti: concéde; ut ipsíus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 2, 8-14

Vox dilécti mei: ecce iste venit, sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit: imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea, in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale Ps. 115, 16-17 Dirupísti víncula mea: tibi sacrificábo hóstiam laudis, et nomen Dómini invocábo. ℣. ibid., 18-19 Vota mea Dómino reddam in conspéctu omnis pópuli ejus, in átriis domus Dómini.

Allelúja, allelúja. Cant. 2, 3 Sub umbra illíus, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit

homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis. Ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

Secreta

Súscipe, Dómine, sacrifícium, cujus te voluísti dignánter immolatióne placári: et præsta, ut beátæ Terésiæ intercessióne nobis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Communio Cant. 6, 8 Vidérunt eam fíliæ, et beatíssimam prædicavérunt; regínæ, et laudavérunt eam.

Postcommunio

Ascéndant ad te, Dómine, preces nostræ, beátæ Terésiæ suffragántibus méritis: ut, cæléstibus dápibus temporáliter recreáti, ætérni convívii dulcédine perfruámur. Per Dóminum.

Die 18 Junii

S. Ephræm Syri Diac., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], præter Orationem sequentem, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Ephræm, Confessóris tui et Doctóris, mira eruditióne et præcláris vitæ méritis illustráre voluísti: te súpplices exorámus; ut, ipso intercedénte, eam advérsus erróris et pravitátis insídias perénni tua virtúte deféndas. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Marci et Marcelliani Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Sancti Ephræm, Confessóris tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Marci et Marcelliani, ut infra.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Ephræm Conféssor tuus et Doctor egrégius; quǽsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Marci et Marcelliani, ut infra.

Eadem die 18 Junii

Ss. Marci et Marcelliani Mm.

Extra Tempus Paschale.

Introitus Ps. 36, 39

Salus autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Salus.

Oratio

Sanctórum tuórum nos, Dómine, Marci et Marcelliáni natalítia tueántur: quia tanto fiduciálius nómini tuo supplicámus, quanto frequéntius Mártyrum benedictiónibus confovémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 5, 1-5

Fratres: Justificáti ex fide, pacem habeámus ad Deum per Dóminum nostrum Jesum Christum: per quem et habémus accéssum per fidem in grátiam istam, in qua stamus, et gloriámur in spe glóriæ filiórum Dei. Non solum autem, sed et gloriámur in tribulatiónibus: sciéntes quod tribulátio patiéntiam operátur, patiéntia autem probatiónem, probátio vero spem, spes autem non confúndit: quia cáritas Dei diffúsa est in córdibus nostris per Spíritum Sanctum, qui datus est nobis.

Graduale Sap. 3, 1-2 et 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui, effúso sánguine, secúti sunt Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 47-51

In illo témpore: Dicébat Jesus scribis et pharisǽis: Væ vobis, qui ædificátis monuménta prophetárum: patres autem vestri occidérunt illos. Profécto testificámini quod consentítis opéribus patrum vestrórum: quóniam ipsi quidem eos occidérunt, vos autem ædificátis eórum sepúlcra. Proptérea et sapiéntia Dei dixit: Mittam ad illos prophétas et apóstolos, et ex illis occídent, et persequéntur: ut inquirátur sanguis ómnium prophetárum, qui effúsus est a constitutióne mundi a generatióne ista, a sánguine Abel usque ad sánguinem Zacharíæ, qui périit inter altáre et ædem. Ita dico vobis, requirétur ab hac generatióne.

Offertorium Ps. 123, 7 Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Marco et Marcelliáno, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 40 et 34 Amen dico vobis, quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte, benedícti Patris mei, possidéte parátum vobis regnum ab inítio sǽculi.

Postcommunio

Salutáris tui, Dómine, múnere satiáti, súpplices exorámus: ut, cujus lætámur gustu, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Marco et Marcelliáno, renovémur efféctu. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa Sancti tui, de Communi Martyrum 11 loco, [23], cum Orationibus et Evangelio ut in Missa præcedenti; sed post Epistolam dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ numquam pótuit violári certámine: qui, effúso sánguine, secúti sunt Dóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

Die 19 Junii

S. Julianæ de Falconeriis Virg.

Missa Dilexísti, de Communi Virginum 111 loco, [41], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátam Juliánam Vírginem tuam, extrémo morbo laborántem, pretióso Fílii tui córpore mirabíliter recreári dignátus es: concéde, quæsumus; ut, ejus intercedéntibus méritis, nos quoque eódem in mortis agóne refécti ac roboráti, ad cæléstem pátriam perducámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Gervasii et Protasii Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Gervasii et Protasii.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Gervasii et Protasii.

Eadem die 19 Junii

Pro Ss. Gervasio et Protasio Martyribus

Extra Tempus Paschale:

Introitus Ps. 84. 9

Loquétur Dóminus pacem in plebem suam: et super sanctos suos, et in eos, qui convertúntur ad ipsum. ℣. Ps. ibid., 2 Benedixísti, Dómine, terram tuam: avertísti captivitátem Jacob. ℣. Glória Patri. Loquétur.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Gervásii et Protásii solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 4. 13-19

Caríssimi: Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis

Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut malédicus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: glorificet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

Evangelium **Descéndens Jesus**, de Communi plurimorum Martyrum III loco, [16].

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio Ps. 78, 2 et 11 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli, carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Gervásio et Protásio, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali Missa **Sancti tui**, de Communi Martyrum II loco, [23], cum Orationibus ut in Missa præcedenti; sed post Epistolam dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. laus Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja, allelúja. ℣. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

Die 20 Junii

S. Silverii Papæ et Mart.

Missa **Státuit**, de Communi unius Martyris I loco, [4], cum Orationibus et Epistola ut infra:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Silvérii, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Judæ Apóstoli. Jud., 17-21

Caríssimi: Mémores estóte verbórum, quæ prædícta sunt ab Apóstolis Dómini nostri Jesu Christi, qui dicébant vobis, quóniam in novíssimo témpore vénient illusó-

res, secúndum desidéria sua ambulántes in impietátibus. Hi sunt, qui ségregant semetípsos, animáles, Spíritum non habéntes. Vos autem, caríssimi, superædificántes vosmetípsos sanctíssimæ vestræ fídei, in Spíritu Sancto orántes, vosmetípsos in dilectióne Dei serváte, exspectántes misericórdiam Dómini nostri Jesu Christi in vitam ætérnam.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Silvério, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Silvério, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 21 Junii
S. Aloisii Gonzagæ Conf.

Introitus Ps. 8, 6

Minuísti eum paulo minus ab Angelis: glória et honóre coronásti eum. ℣. Ps. 148, 2 Laudáte Dóminum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes virtútes ejus. ℣. Glória Patri. Minuísti.

Oratio

Cæléstium donórum distribútor, Deus, qui in angélico júvene Aloísio miram vitæ innocéntiam pari cum pœniténtia sociásti: ejus méritis et précibus concéde; ut, innocéntem non secúti, pœniténtem imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ideò stabilíta sunt bona illíus in Dómino.

Graduale Ps. 70, 5-6 Dómine, spes mea a juventúte mea: in te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es protéctor meus. ℣. Ps. 40, 13 Me autem propter innocéntiam suscepísti: et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 64, 5 Beátus quem elegísti, et assumpsísti: inhabitábit in átriis tuis. Allelúja.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 64, 5 Beátus quem elegísti, et assumpsísti: inhabitábit in átriis tuis. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 70, 18 Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque nunc pronuntiábo mirabília tua. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 22, 29-40

In illo témpore: Respóndens Jesus, ait sadducǽis: Errátis, nesciéntes Scriptúras, neque virtútem Dei. In resurrectióne enim neque nubent, neque nubéntur: sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. De resurrectióne

autem mortuórum non legístis quod dictum est a Deo, dicénte vobis: Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob? Non est Deus mortuórum, sed vivéntium. Et audiéntes turbæ, mirabántur in doctrína ejus. Pharisǽi autem, audiéntes quod siléntium imposuísset sadducǽis, convenérunt in unum: et interrogávit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: Magíster, quod est mandátum magnum in lege? Ait illi Jesus: Díliges Dóminum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota ánima tua, et in tota mente tua. Hoc est máximum, et primum mandátum. Secúndum autem símile est huic: Díliges próximum tuum, sicut teípsum. In his duóbus mandátis univérsa lex pendet, et prophétæ.

Offertorium Ps. 23, 3-4 Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus, et mundo corde.

Secreta

Cæléstí convívio fac nos, Dómine, nuptiáli veste indútos accúmbere: quam beáti Aloísii pia præparátio, et juges lácrimæ inæstimabílibus ornábant margarítis. Per Dóminum.

Communio Ps. 77, 24-25 Panem cæli dedit eis: panem Angelórum manducávit homo.

Postcommunio

Angelórum esca nutrítos, angélicis étiam, Dómine, da móribus vívere: et ejus, quem hódie cólimus, exémplo, in gratiárum semper actióne manére. Per Dóminum.

Die 22 Junii
Bb. Francisci Pacheco et Soc. Mm.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo cum Commemoratione S. Paulini, ut in Missa sequenti, sed sine Commemoratione Vigiliæ anticipatæ S. Joannis Baptistæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia sine Commemoratione Festi, ut die sequenti notatur; et de Vigilia item legi possunt Missæ privatæ, cum 2ª tamen Oratione Festi et 3ª S. Paulini.

Missa Multæ tribulatiónes, de Communi Martyrum III loco, [15], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum Francísci et Sociórum ejus solemnitáte lætíficas: concéde propítius: ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Paulini Ep. et Conf., ut in Missa sequenti.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, in Missis non conventualibus fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ S. Joannis Baptistæ, ut die sequenti habetur, et de ea legitur Evangelium in fine.

Eadem die 22 Junii
S. Paulini Ep. et Mart.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansue-

túdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Deus, qui ómnia pro te in hoc sæculo relinquéntibus, céntuplum in futúro et vitam ætérnam promisísti: concéde propítius; ut, sancti Pontíficis Paulíni vestígiis inhæréntes, valeámus terréna despícere, et sola cæléstia desideráre: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 8, 9-15

Fratres: Scitis grátiam Dómini nostri Jesu Christi, quóniam propter vos egénus factus est, cum esset dives, ut illíus inópia vos dívites essétis. Et consílium in hoc do: hoc enim vobis útile est, qui non solum fácere, sed et velle cœpístis ab anno prióre: nunc vero et facto perfícite: ut quemádmodum promptus est ánimus voluntátis, ita sit et perficiéndi ex eo quod habétis. Si enim volúntas prompta est, secúndum id quod habet, accépta est, non secúndum id quod non habet. Non enim ut áliis sit remíssio, vobis autem tribulátio, sed ex æqualitáte. In præsénti témpore vestra abundántia illórum inópiam súppleat: ut et illórum abundántia vestræ inópiæ sit suppleméntum, ut fiat æquálitas, sicut scriptum est: Qui multum, non abundávit: et qui módicum, non minorávit.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Da nobis, Dómine, perféctæ caritátis sacrifícium, exémplo sancti Pontíficis Paulíni, cum altáris oblatióne conjúngere: et beneficéntiæ stúdio sempitérnam misericórdiam promeréri. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Tríbue nobis per hæc sancta, Dómine, illum pietátis et humilitátis afféctum, quem ex hoc divíno fonte hausit sanctus Póntifex tuus Paulínus: et, ipsíus intercessióne, in omnes, qui te deprecántur, grátiæ tuæ divítias benígnus effúnde. Per Dóminum.

Die 23 Junii

In Vigilia S. Joannis Baptistæ

Introitus Luc. 1, 13, 15 et 14 Ne tímeas, Zacharía, exaudíta est orátio tua: et Elísabeth, uxor tua, páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem: et erit magnus coram Dómino: et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multi in nativitáte ejus gaudébunt. ℣. Ps. 20, 2 Dómine, in virtúte tua lætábitur rex: et super salutáre tuum exsultábit veheménter. ℣. Glória Patri. Ne tímeas.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut família tua per viam salútis incédat; et, beáti Joánnis Præcursóris hortaménta sectándo, ad eum quem prædíxit, secúra pervéniat, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

2ª Oratio de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Léctio Jeremíæ Prophétæ. Jerem. 1, 4-10

In diébus illis: Factum est verbum Dómini ad me, dicens: Priúsquam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de vulva, sanctificávi te, et prophétam in géntibus dedi te. Et dixi: A a a, Dómine Deus: ecce néscio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dóminus ad me: Noli dícere: Puer sum: quóniam ad ómnia, quæ mittam te, ibis: et univérsa, quæcúmque mandávero tibi, loquéris. Ne tímeas a fácie eórum: quia tecum ego sum, ut éruam te, dicit Dóminus. Et misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum: et dixit Dóminus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te hódie super gentes, et super regna, ut evéllas, et déstruas, et dispérdas, et díssipes, et ædífices, et plantes: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Joann. 1, 6-7 Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joánnes. ℣. Hic venit ut testimónium perhibéret de lúmine, paráre Dómino plebem perféctam.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 5-17

Fuit in diébus Heródis, regis Judǽæ, sacérdos quidam nómine Zacharías, de vice Abía, et uxor illíus de filiábus Aaron, et nomen ejus Elísabeth. Erant autem justi ambo ante Deum, incedéntes in ómnibus mandátis, et justificatiónibus Dómini sine queréla, et non erat illis fílius, eo quod esset Elísabeth stérilis, et ambo processíssent in diébus suis. Factum est autem, cum sacerdótio fungerétur in órdine vicis suæ ante Deum, secúndum consuetúdinem sacerdótii, sorte éxiit, ut incénsum póneret, ingréssus in templum Dómini: et omnis multitúdo pópuli erat orans foris hora incénsi. Appáruit autem illi Angelus Dómini, stans a dextris altáris incénsi. Et Zacharías turbátus est, videns, et timor írruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne tímeas, Zacharía, quóniam

exaudíta est deprecátio tua: et uxor tua Elísabeth páriet tibi fílium, et vocábis nomen ejus Joánnem: et erit gáudium tibi, et exsultátio, et multi in nativitáte ejus gaudébunt: erit enim magnus coram Dómino: et vinum, et síceram non bibet, et Spíritu Sancto replébitur adhuc ex útero matris suæ: et multos filiórum Israël convértet ad Dóminum Deum ipsórum: et ipse præcédet ante illum in spíritu, et virtúte Elíæ: ut convértat corda patrum in fílios, et incrédulos ad prudéntiam justórum, paráre Dómino plebem perféctam.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Joánne Baptísta, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, 352.

Communio Ps. 20, 6 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio

Beáti Joánnis Baptístæ nos, Dómine, præclára comitétur orátio: et quem ventúrum esse prædixit, poscat nobis fore placátum, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, 352.





Die 24 Junii

IN NATIVITATE
S. JOANNIS BAPTISTÆ

Ad primam Missam

Introitus — Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime. Justus ut palma. ℣. Glória Patri. Justus ut palma.

Oratio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Joánnis Baptistæ solémnia cólimus; ejus apud te intercessióne muniámur. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 41, 27; 42, 1-6; 46, 2-5 et 47, 4

Hæc dicit Dóminus Deus: Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, et Jerúsalem evangelístam dabo. Ecce servus meus, suscípiam eum: eléctus meus, complácuit sibi in illo ánima mea: dedi spíritum meum super eum, judícium géntibus próferet. Non clamábit, neque accípiet persónam, nec audiétur vox ejus foris. Cálamum quassátum non cónteret, et linum fúmigans non exstínguet. In veritáte edúcet judícium: non erit tristis neque turbuléntus, donec ponat in terra judícium: et legem ejus ínsulæ expectábunt. Hæc dicit Dóminus Deus, creans cælos, et exténdens eos: firmans terram, et quæ gérminant ex ea: dans flatum pópulo, qui est super eam, et spíritum calcántibus eam. Ego Dóminus vocávi te in justítia, et apprehéndi manum tuam, et servávi te. Et dedi te in fœdus pópuli, in lucem géntium. Contabuérunt, et contríta sunt simul: non potuérunt salváre portántem. Qui portámini a meo útero: qui gestámini a mea vulva. Usque ad senéctam ego ipse, et usque ad canos ego portábo et salvábo. Cui assimilástis me, et adæquástis, et comparástis me, et

fecistis símilem? Redémptor noster, nomen illíus, Sanctus Israël.

Graduale Ps. 91, 13 et 3 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 76 Tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: præíbis ante fáciem Dómini paráre vias ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 1, 18, 25

In illo témpore: Dixit Zacharías ad Angelum: Unde hoc sciam? Ego sum senex, et uxor mea procéssit in diébus suis. Et respóndens Angelus, dixit ei: Ego sum Gábriel, qui asto ante Deum: et missus sum loqui ad te, et hæc tibi evangelizáre. Et ecce eris tacens, et non póteris loqui, usque in diem quo hæc fiant, pro eo quod non credidísti verbis meis, quæ implebúntur in témpore suo. Et erat plebs exspéctans Zacharíam: et mirabántur quod tardáret ipse in templo. Egréssus autem non póterat loqui ad illos, et cognovérunt quod visiónem vidísset in templo. Et ipse erat ínnuens illis, et permánsit mutus. Et factum est, ut impléti sunt dies offícii ejus, ábiit in domum suam. Post hos autem dies concépit Elísabeth uxor ejus, et occultábat se ménsibus quinque, dicens: Quia sic fecit mihi Dóminus in diébus, quibus respéxit auférre oppróbrium meum inter hómines.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultávit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Múnera, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Joánne Baptísta, nos per hæc a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Joánne Baptísta; per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Eadem die

Nativitatis S. Joannis Baptistæ

ad Missam majorem

Introitus Isai. 49, 1 et 2

De ventre matris meæ vocávit me Dóminus nómine meo: et pósuit os meum ut gládium acútum: sub teguménto manus suæ protéxit me, et pósuit me quasi sagíttam eléctam. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. De ventre. ℣. Glória Patri. De ventre.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et

ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Léctio Isaíæ Prophétæ.

Isai. 49, 1-3, 5, 6 et 7

Hæc dicit Dóminus Deus: Audíte, ínsulæ, et atténdite pópuli de longe: Dóminus ab útero vocávit me, de ventre matris meæ recordátus est nóminis mei. Et pósuit os meum quasi gládium acútum: in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam: in pháretra sua abscóndit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israël, quia in te gloriábor. Et nunc dicit Dóminus, formans me ex útero servum sibi: Ecce dedi te in lucem géntium, ut sis salus mea usque ad extrémum terræ. Reges vidébunt, et consúrgent príncipes, et adorábunt propter Dóminum, et sanctum Israël, qui elégit te.

Graduale Jerem. 1, 5 et 9 Priúsquam te formárem in útero, novi te: et ántequam exíres de ventre, sanctificávi te. ℣. Misit Dóminus manum suam, et tétigit os meum, et dixit mihi.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 5, 35 Erat lucérna ardens et lucens ante Dóminum Joánnes Baptísta, qui viam Dómino præparávit in erémo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 1, 57-68

Elísabeth implétum est tempus pariéndi, et péperit fílium. Et audiérunt vicíni, et cognáti ejus, quia magnificávit Dóminus misericórdiam suam cum illa, et congratulabántur ei. Et factum est in die octávo, venérunt circumcídere púerum, et vocábant eum nómine patris sui Zacharíam. Et respóndens mater ejus, dixit: Nequáquam, sed vocábitur Joánnes. Et dixérunt ad illam: Quia nemo est in cognatióne tua, qui vocétur hoc nómine. Innuébant autem patri ejus, quem vellet vocári eum. Et póstulans pugillárem, scripsit, dicens: Joánnes est nomen ejus. Et miráti sunt univérsi. Apértum est autem ílico os ejus, et lingua ejus, et loquebátur benedícens Deum. Et factus est timor super omnes vicínos eórum: et super ómnia montána Judǽæ divulgabántur ómnia verba hæc: et posuérunt omnes, qui audíerant in corde suo, dicéntes: Quis, putas, puer iste erit? Etenim manus Dómini erat cum illo. Et Zacharías pater ejus replétus est Spíritu Sancto, et prophetávit, dicens: Benedíctus Dóminus Deus Israël, quia visitávit, et fecit redemptiónem plebis suæ.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitátem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum, et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Communio Luc. 1, 76 Tu, puer, prophéta Altíssimi vocáberis: præíbis enim ante fáciem Dómini paráre vias ejus.

Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptístæ generatióne lætitiam: per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut in præcedenti Missa, cum Orationibus tamen de Vigilia; et post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur Tractus Desidérium, de Communi unius Martyris, [4].

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Luc. 1, 76 Tu, puer, prophéta Altissimi vocáberis: præíbis ante Dóminum paráre vias ejus. Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo; et pro Orationibus, juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2ª Oratio de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Die 25 Junii
S. Gulielmi Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui infirmitáti nostræ ad teréndam salútis viam in Sanctis tuis exémplum et præsídium collocásti: da nobis, ita beáti Guliélmi Abbátis mérita venerári; ut ejúsdem excipiámus suffrágia, et vestígia prosequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum: et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Guliélmus Abbas, quǽsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitátem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum, et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Guliélmus Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptístæ generatióne lætítiam: per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum.

Die 26 Junii
S. Pelagii Martyris

Introitus Eccli. 51, 2-7 Adjútor et protéctór factus es mihi, Dómine, et liberásti me a perditióne, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor: et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui, de mánibus quæréntium ánimam meam, a rege iníquo et a lingua injústa. ℣. Ps. 97, 1 Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit. ℣. Glória Patri. Adjútor.

Oratio

Deus, qui tuæ ineffábilis magnitúdine pietátis, beátum Pelágium, ætáte párvulum, magnum fide atque virtúte fecísti: tríbue, quǽsumus; ut qui ejus glóriam venerámur, vitæ quoque innocéntiam imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Joannis et Pauli Mm., ut in Missa sequenti.

Deinde Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant: et mendáces osténdit qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 70, 5-6 Dómine, spes mea a juventúte mea: in te confirmátus sum ex útero: de ventre matris meæ tu es protéctor meus. ℣. Ps. 40, 13 Me autem propter innocéntiam suscepísti: et confirmásti me in conspéctu tuo in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Christiánus sum, fui, et ero, ait Pelágius ad regem: idcírco mori non tímeo. Allelúja.

In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 63, 2 Exáudi Deus oratiónem meam, cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Ps. ibid., 3 Protexísti me a convéntu malignántium, a multitúdine operántium iniquitátem. ℣. Ps. ibid., 4-5 Quia exacuérunt ut gládium linguas suas: intendérunt arcum rem amáram, ut sagíttent in occúltis immaculátum.

In votivis vero Tempore Paschali, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Isai. 66, 10 et 14 Lætámini cum Jerúsalem, et exsultáte in ea, omnes, qui diligitis Dóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Vidébitis et gaudébit cor vestrum: cognoscétur manus Dómini servis ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Offertorium Sap. 4, 13-14 Consummátus in brevi explévit témpora multa, plácita enim erat Deo ánima illíus: propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum.

Secreta

Offérimus tibi, Dómine, hóstiam immaculátam, eníxe deprecántes: ut quæ pro salúte nostra humíliter pétimus, beáti Pelágii Mártyris tui précibus et intercessióne consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Martyrum ut in Missa sequenti.

Deinde Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitátem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum, et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Communio Apoc. 3, 5 Qui vícerit, vestiétur vestiméntis albis, et confitébor nomen ejus coram Angelis ejus, allelúja.

Postcommunio

Repléti cibo spirituális alimóniæ, et sacratíssimi póculi recreáti libámine, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut de beáti Pelágii Mártyris tui triumpháli coróna gaudémus, ita contínuo ejúsdem patrocínio perfruámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Martyrum ut in Missa sequenti.

Deinde Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptístæ generatióne lætítiam: per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Eadem die 26 Junii

Ss. Joannis et Pauli Mm.

Introitus Ps. 33, 20-21

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Multæ tribulatiónes.

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut nos gemináta lætítia hodiérnæ festivitátis excípiat, quæ de beatórum Joánnis et Pauli glorificatióne procédit; quos éadem fides et pássio vere fecit esse germános. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 10-15

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum. ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, inclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 1-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 5, 12-13 Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum, quóniam tu, Dómine, benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Joánnis et Pauli dicátas méritis, benígnus as-

súme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 4, 5 et 6 Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Joánnis et Pauli solémnia celebrántes, sacraménta cæléstia: præsta, quǽsumus; ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum.

Die 27 Junii

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, dicitur post Tertiam, extra Chorum, Missa de Canticis Canticorum, cum Commemoratione Octavæ S. Joannis Baptistæ et 3ª Oratione de Spiritu Sancto (57); et post Nonam, in Choro, dicitur Missa de Vigilia anticipata Ss. Petri et Pauli App., cum 2ª Oratione de sancta Maria Concéde et 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, 352. Missæ vero privatæ dici possunt, aut de Canticis Canticorum, cum Commemoratione Octavæ et Vigiliæ, de qua dicitur ultimum Evangelium in fine; aut de Octava, cum Commemoratione de Canticis et Vigilia, ut supra; aut de Vigilia, cum Commemoratione utriusque Officii de Canticis et de Octava.

Die 28 Junii

S. Irenæi Ep. et Mart.

¶ Ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa conventuali de S. Irenæo cum Commemoratione Octavæ, sed sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de ipsa Vigilia, ut in Missa sequenti, cum 2ª Oratione de sancta Maria Concéde et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352. Missæ autem privatæ dici possunt, aut de Festo cum Commemoratione Octavæ et Vigiliæ, de qua dicitur Evangelium in fine, aut de Vigilia cum Commemoratione S. Irenæi et Octavæ.

Introitus Malach. 2, 6

Lex veritátis fuit in ore ejus, et iníquitas non est invénta in lábiis ejus: in pace, et in æquitáte ambulávit mecum, et multos avértit ab iniquitáte. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Lex veritátis.

Oratio

Deus, qui beáto Irenǽo, Mártyri tuo atque Pontífici, tribuísti, ut et veritáte doctrínæ expugnáret hǽreses, et pacem Ecclésiæ felíciter confirmáret: da, quǽsumus, plebi tuæ in sancta religióne constántiam; et pacem tuam nostris concéde tempóribus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum: et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. (Per Dóminum).

Deinde, in Missis non conventualibus, Commemoratio Vigiliæ Ss. Petri et Pauli App., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 3, 14-17; 4, 1-5

Caríssime: Pérmane in iis, quæ didicísti, et crédita sunt tibi: sciens a quo didíceris: et quia ab infántia sacras lítteras nosti, quæ te possunt instrúere ad salútem, per fidem, quæ est in Christo Jesu. Omnis Scriptúra divínitus inspiráta útilis est ad docéndum, ad arguéndum, ad corripiéndum, ad erudiéndum in justítia: ut perféctus sit homo Dei, ad omne opus bonum instrúctus. Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple.

Graduale Ps. 121, 8 Propter fratres meos, et próximos meos loquébar pacem de te. ℣. Ps. 36, 37 Custódi innocéntiam, et vide æquitátem: quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 6, 35 In multitúdine presbyterórum prudéntium sta, et sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere, ut omnem narratiónem Dei possis audíre. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 36, 23 et 30-32 Apud Dóminum gressus hóminis dirigéntur: et viam ejus volet. ℣. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 36, 37 Custódi innocéntiam, et vide æquitátem: quóniam sunt relíquiæ hómini pacífico. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 6, 35 In multitúdine presbyterórum prudéntium sta, et sapiéntiæ illórum ex corde conjúngere, ut omnem narratiónem Dei possis audíre. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 10, 28-33

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Qui autem negáverit me coram homínibus, negábo et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Offertorium Eccli. 24, 44 Doctrinam quasi antelucánum illúmino ómnibus, et enarrábo illam usque ad longínquum.

Secreta

Deus, qui credéntes in te pópulos nullis sinis cóncuti terróribus: dignáre preces et hóstias dicátæ tibi plebis suscípere: ut pax a tua pietáte concéssa, christianórum fines ab omni hoste fáciat esse secúros. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitátem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum, et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: (Qui tecum).

Deinde Commemoratio Vigiliæ, ut supra.

Communio Eccli. 24, 47 Vidéte quóniam non soli mihi laborávi, sed ómnibus exquiréntibus veritátem.

Postcommunio

Deus, auctor pacis et amátor, quem nosse, vívere, cui servíre, regnáre est: prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos; ut, qui in defensióne tua confídimus, beáti Irenǽi, Mártyris tui atque Pontíficis, intercessióne, nullíus hostilitátis arma timeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptístæ generatióne lætítiam: per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: (Qui tecum).

Deinde Commemoratio Vigiliæ, de qua, in Missis non conventualibus, legitur in fine Missæ Evangelium, ut infra.

Eadem die 28 Junii

In Vigilia
Ss. Petri et Pauli App.

Introitus Joann. 21, 18-19

Dicit Dóminus Petro: Cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas ubi volébas: cum autem senúeris, exténdes manus tuas, et álius te cinget, et ducet quo tu non vis: hoc autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum. ℣. Ps. 18, 1 Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti; quos in apostólicæ confessiónis petra solidásti. Per Dóminum.

In Missa conventuali additur, juxta Rubricas, 2ª Oratio de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352. In Missis vero privatis, 2ª Oratio de S. Irenæo, et 3ª de Octava S. Joannis.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 3, 1-10

In diébus illis: Petrus et Joannes ascendébant in templum ad horam oratiónis nonam. Et quidam vir.

qui erat claudus ex útero matris suæ, bajulabátur: quem ponébant quotídie ad portam templi, quæ dícitur Speciósa, ut péteret eleemósynam ab introeúntibus in templum. Is cum vidísset Petrum et Joánnem incipiéntes introíre in templum, rogábat, ut eleemósynam accíperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joánne, dixit: Réspice in nos. At ille intendébat in eos, sperans se áliquid acceptúrum ab eis. Petrus autem dixit: Argéntum et aurum non est mihi: quod autem hábeo, hoc tibi do: In nómine Jesu Christi Nazaréni surge, et ámbula. Et apprehénsa manu ejus déxtera, allevávit eum, et prótinus consolidátæ sunt bases ejus et plantæ. Et exsíliens stetit, et ambulábat: et intrávit cum illis in templum, ámbulans, et exsíliens, et laudans Deum. Et vidit omnis pópulus eum ambulántem, et laudántem Deum. Cognoscébant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemósynam sedébat ad Speciósam portam templi: et impléti sunt stupóre et éxtasi in eo, quod contígerat illi.

Graduale Ps. 18, 5 et 2 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum. ℣. Cæli enárrant glóriam Dei: et ópera mánuum ejus annúntiat firmaméntum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 21, 15-19

In illo témpore: Dixit Jesus Simóni Petro: Simon Joánnis, díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei íterum: Simon Joánnis, díligis me? Ait illi: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tértio: Simon Joánnis, amas me? Contristátus est Petrus, quia dixit ei tértio, Amas me? et dixit ei: Dómine, tu ómnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. Amen, amen dico tibi: cum esses júnior, cingébas te, et ambulábas ubi volébas: cum autem senúeris, exténdes manus tuas, et álius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, signíficans qua morte clarificatúrus esset Deum.

Offertorium Ps. 138, 17 Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta

Munus pópuli tui, quæsumus, Dómine, apostólica intercessióne sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.


Aliæ Secretæ, ut supra notatur.
Præfatio communis.

Communio Joann. 21, 15 et 17 Simon Joánnis, díligis me plus his? Dómine, tu ómnia nosti: tu scis, Dómine, quia amo te.

Postcommunio

Quos cæléstí, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra notatur.



Die 29 Junii

Ss. PETRI ET PAULI
APOSTOLORUM

Introitus — Act. 12, 11

Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum: et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum. ℣. Ps. 138, 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Nunc scio. ℣. Glória Patri. Nunc scio.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 12, 1-11

In diébus illis: Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judǽis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies azymórum. Quem cum apprehendísset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiéndum, volens post Pascha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab ecclésia ad Deum pro eo. Cum autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus: et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit: et lumen refúlsit in habitáculo: percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens: Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcíngere, et cálcea te cáligas tuas. Et fecit

sic. Et dixit illi: Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me. Et éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est, quod fiébat per Angelum: existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam et secúndam custódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem: quæ ultro apérta est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum: et contínuo discéssit Angelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Credo, per totam Octavam.

Offertorium Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni progénie et generatióne.

Secreta

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequátur orátio: per quam nos expiári tríbuas, et defféndi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis, quæ dicitur per totam Octavam in omnibus Missis quæ aliam præfationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Quos cæléstí, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

¶ Pro votiva Ss. Petri et Pauli sumitur Missa Mihi autem, quæ habetur inter votivas, [66]. Tempore autem Paschali dicitur Missa ut in Festo S. Marci, 572, præter Orationes, Epistolam et Evangelium, quæ dicuntur ut

in Missa Mihi autem, ut supra notatur, et præter Allelúja, quod dicitur ut infra:

Allelúja. ℣. Apoc. 11, 4 et 6 Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra, lucéntia ante Dóminum: habent potestátem claudéndi cælum et aperiéndi portas ejus: quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in Ecclésia Sanctórum. Allelúja.

Missa votiva de S. Petro Apostolo

I Extra Tempus Paschale

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid. 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nullis nos permíttas perturbatiónibus cóncuti; quos in Apostólicæ confessiónis petra solidásti. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli, ut in Missa diei sequentis, ante omnes alias Commemorationes.

Epistola et Graduale, ut supra in Festo S. Petri et Pauli.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Matth. 16, 18-19 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Et portæ inferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis. ℣. Et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Evangelium, ut supra in Festo Ss. Petri et Pauli.

Offertorium Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni progénie et generatióne.

Secreta

Munus pópuli tui, quǽsumus, Dómine, apostólica intercessióne sanctífica: nosque a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli, ut supra.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Quos cæléstí, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli, ut supra.

II Tempore Paschali

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. Ibid. 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre

inimici éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Orationes, Commemorationes, Epistola, Evangelium, Offertorium et Communio, ut supra, juxta Rubricas; sed post Epistolam, omissis Graduali et Tractu, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 106, 8 Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

¶ Item pro votiva de S. Paulo sumitur Missa ut in sequenti die, cum Commemoratione S. Petri.

Die 30 Junii
In Commemoratione S. Pauli Apostoli

Introitus 2 Tim. 1, 12

Scio cui crédidi, et certus sum, quia potens est depósitum meum serváre in illum diem, justus judex. ℣. Ps. 138, 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri. Scio cui crédidi.

Oratio

Deus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis, quǽsumus; ut, cujus natalítia cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petri Ap. ante omnes alias Commemorationes.

Oratio

Deus, qui beáto Petro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cæléstis, ligándi atque solvéndi pontifícium tradidísti: concéde; ut, intercessiónis ejus auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur: (Qui vivis).

Deinde fit Commemoratio Octavæ S. Joannis:

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti: da pópulis tuis spirituálium grátiam gaudiórum; et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 1, 11-23

Fratres: Notum vobis fácio Evangélium, quod evangelizátum est a me, quia non est secúndum hóminem: neque enim ego ab hómine accépi illud, neque dídici, sed per revelatiónem Jesu Christi. Audístis enim conversatiónem meam aliquándo in Judaísmo: quóniam supra modum persequébar Ecclésiam Dei, et expugnábam illam, et proficiébam in Judaísmo supra multos coætáneos meos in génere meo, abundántius æmulátor exsístens paternárum meárum traditiónum. Cum autem plácuit ei, qui me segregávit ex útero matris meæ, et vocávit per grátiam suam, ut reveláret Fílium suum in me, ut evangelizárem illum in géntibus: contínuo non acquiévi carni et sánguini, neque veni Jerosólymam ad antecessóres meos Apóstolos: sed ábii in Arábiam: et íterum revérsus sum Damáscum: deinde post annos tres veni Jerosólymam vidére Petrum, et mansi apud eum diébus quíndecim: álium

autem Apostolórum vidi néminem, nisi Jacóbum fratrem Dómini. Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non méntior. Deinde veni in partes Sýriæ et Ciliciæ. Eram autem ignótus fácie ecclésiis Judǽæ, quæ erant in Christo: tantum autem audítum habébant: Quóniam qui persequebátur nos aliquándo, nunc evangelízat fidem, quam aliquándo expugnábat: et in me glorificábant Deum.

Graduale Gal. 2, 8-9 Qui operátus est Petro in apostolátum, operátus est et mihi inter gentes: et cognovérunt grátiam Dei, quæ data est mihi. ℣. 1 Cor. 15, 10 Grátia Dei in me vácua non fuit: sed grátia ejus semper in me manet.

Allelúja, allelúja. ℣. 2 Tim. 4, 7 Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Tu es vas electiónis, sancte Paule Apóstole: vere digne es glorificándus. ℣. Prædicátor veritátis, et doctor géntium in fide et veritáte. ℣. Per te omnes gentes cognovérunt grátiam Dei. ℣. Intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 106, 8 Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Sancte Paule, prædicátor veritátis, et doctor géntium, intercéde pro nobis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 10, 16-22

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ecce ego mitto vos sicut oves in médio lupórum. Estóte ergo prudéntes sicut serpéntes, et símplices sicut colúmbæ. Cavéte autem ab homínibus. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis suis flagellábunt vos: et ad prǽsides, et ad reges ducémini propter me in testimónium illis, et géntibus. Cum autem tradent vos, nolíte cogitáre quómodo, aut quid loquámini: dábitur enim vobis in illa hora quid loquámini. Non enim vos estis qui loquímini, sed Spíritus Patris vestri, qui lóquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et insúrgent fílii in paréntes, et morte eos afficient: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

Credo.

Offertorium Ps. 138, 17 Mihi autem nimis honoráti sunt amici tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta

Apóstoli tui Pauli précibus, Dómine, plebis tuæ dona sanctífica: ut, quæ tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínio supplicántis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petri.

Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces et hóstias beáti Petri Apóstoli comméndet orátio: ut, quod pro illíus glória celebrá-

mus, nobis prosit ad véniam. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitátem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum, et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 et 29

Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis: beáto Paulo Apóstolo tuo interveniénte, deprecámur; ut, quæ pro illíus celebráta sunt glória, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petri.

Postcommunio

Lætíficet nos, Dómine, munus oblátum: ut, sicut in Apóstolo tuo Petro te mirábilem prædicámus; sic per illum tuæ sumámus indulgéntiæ largitátem. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio Octavæ S. Joannis.

Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptistæ generatióne lætítiam: per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

FESTA JULII

¶ Prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 1 Julii
Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C.

Introitus Apoc. 5, 9-10

Redemísti nos, Dómine, in sánguine tuo, ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne: et fecísti nos Deo nostro regnum. ℣. Ps. 88, 2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem annuntiábo veritátem tuam in ore meo. ℟. Redemísti. ℣. Glória Patri. ℟. Redemísti.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui unigénitum Fílium tuum mundi Redemptórem constituísti, ac ejus Sánguine placári voluísti: concéde, quæsumus, salútis nostræ prétium (solémni cultu) ita venerári, atque a præséntis vitæ malis ejus virtúte deféndi in terris; ut fructu perpétuo lætémur in cælis. Per eúmdem Dóminum.

¶ In Missis votivis omittantur verba solémni cultu.

Et fit Commemoratio diei Octavæ S. Joannis.

Oratio

Deus, qui præséntem diem honorábilem nobis in beáti Joánnis nativitáte fecísti: da pópulis tuis

spirituálium grátiam gaudiórum: et ómnium fidélium mentes dírige in viam salútis ætérnæ. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 9, 11-15

Fratres: Christus assistens póntifex futurórum bonórum, per ámplius et perféctius tabernáculum non manufáctum, id est, non hujus creatiónis; neque per sánguinem hircórum, aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in Sancta, ætérna redemptióne invénta. Si enim sanguis hircórum, et taurórum, et cinis vítulæ aspérsus, inquinátos sanctíficat ad emundatiónem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spíritum Sanctum semetípsum óbtulit immaculátum Deo, emundábit consciéntiam nostram ab opéribus mórtuis, ad serviéndum Deo vivénti? Et ídeo novi testaménti mediátor est: ut morte intercedénte, in redemptiónem eárum prævaricatiónum, quæ erant sub prióri testaménto, repromissiónem accípiant, qui vocáti sunt ætérnæ hereditátis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale 1 Joann. 5, 6 et 7-8 Hic est qui venit per aquam et sánguinem, Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sánguine. ℣. Tres sunt, qui testimónium dant in cælo: Pater, Verbum, et Spíritus Sanctus: et hi tres unum sunt. Et tres sunt, qui testimónium dant in terra: Spíritus, aqua, et sanguis: et hi tres unum sunt.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 9 Si testimónium hóminum accípimus, testimónium Dei majus est. Allelúja.

In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ephes. 1, 6-8 Gratificávit nos Deus in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus. ℣. Remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis. ℣. Rom. 3, 24-25 Justificáti gratis per grátiam ipsíus, per redemptiónem, quæ est in Christo Jesu. ℣. Quem propósuit Deus propitiatiónem per fidem in sánguine ipsíus.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Apoc. 5, 9 Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus: quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo. Allelúja, allelúja. ℣. Exodi 12, 13 Erit autem sanguis vobis in signum: et vidébo sánguinem, et transíbo vos: nec erit in vobis plaga dispérdens. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 19, 30-35

In illo témpore: Cum accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judǽi ergo (quóniam Parascéve erat) ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum

crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Credo.

Offertorium 1 Cor. 10, 16 Calix benedictiónis, cui benedícimus, nonne communicátio sánguinis Christi est? et panis, quem frángimus, nonne participátio córporis Dómini est?

Secreta

Per hæc divína mystéria, ad novi, quǽsumus, testaménti mediatórem Jesum accedámus: et super altária tua, Dómine virtútum, aspersiónem sánguinis mélius loquéntem, quam Abel, innovémus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ S. Joannis.

Secreta

Tua, Dómine, munéribus altária cumulámus: illíus nativitátem honóre débito celebrántes, qui Salvatórem mundi et cécinit adfutúrum, et adésse monstrávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Præfatio de Cruce.

Communio Hebr. 9, 28 Christus semel oblátus est ad multórum exhauriénda peccáta: secúndo sine peccáto apparébit exspectántibus se in salútem.

Postcommunio

Ad sacram, Dómine, mensam admissi, háusimus aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris: sanguis ejus fiat nobis, quǽsumus, fons aquæ in vitam ætérnam saliéntis: Qui tecum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ S. Joannis.

Postcommunio

Sumat Ecclésia tua, Deus, beáti Joánnis Baptístæ generatióne lætítiam: per quem suæ regeneratiónis cognóvit auctórem, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Die 2 Julii

In Visitatione B. Mariæ Virg.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus Visitatióne gáudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. Gaudeámus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui ex abundántia caritátis beátam Maríam, tuo Fílio fecundátam, ad salutatiónem Elísabeth inspirásti: præsta, quǽsumus; ut per ejus Visitatiónem donis cæléstibus repleámur, et ab ómnibus adversitátibus eruámur. Per eúmdem Dóminum.

Et. in Missis privatis tantum, fit Commemoratio Ss. Processi et Martiniani Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 2, 8-14

Ecce iste venit sáliens in móntibus, transíliens colles: símilis est diléctus meus cápreæ, hinnulóque cervórum. En ipse stat post paríetem nostrum, respíciens per fenéstras, prospíciens per cancéllos. En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale Cant. 3, 11 et 2-8 Egredímini, fíliæ Jerúsalem, ecce in móntibus sanctis eléсta virgo fília Sion: Salvátor venit in ea, sáliens in móntibus, transíliens colles. ℣. Ibid., 6, 9 Quæ est ista, quæ progréditur sicut auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta?

Allelúja, allelúja. ℣. Véniens de Líbano, quam pulchra est fília Jerúsalem! Festína, pulchérrima mulíerum, visitáre nos in pace. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 39, 56

In illo témpore: Exsúrgens María ábiit in montána cum festinatióne in civitátem Juda: et intrávit in domum Zacharíæ, et salutávit Elísabeth. Et factum est, ut audívit salutatiónem Maríæ Elísabeth, exsultávit infans in útero ejus: et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut véniat Mater Dómini mei ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutatiónis tuæ in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo, et beáta, quæ credidísti, quóniam perficiéntur ea, quæ dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo. Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est: et sanctum nomen ejus. Et misericórdia ejus a progénie in progénies timéntibus eum. Fecit poténtiam in bráchio suo: dispérsit supérbos mente cordis sui. Depósuit poténtes de sede, et exaltávit húmiles. Esuriéntes implévit bonis, et dívites dimísit inánes. Suscépit Israël púerum suum, recordátus misericórdiæ suæ. Sicut locútus est ad patres nostros, Abraham et sémini ejus in sǽcula. Mansit autem María cum illa quasi ménsibus tribus: et revérsa est in domum suam.

Credo.

Communio Cant. 4, 11 et 3 Quam dúlcia sunt elóquia tua, Virgo Dei Génitrix! Favus distíllans lábia tua, mel et lac sub lingua tua: sonet

vox tua in áuribus meis, vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Secreta

Vísita nos, Dómine, in salutári tuo: ac in tantis solémniis placatiónis hóstias immolántes, et præsénti atque perpétua prosperitáte et pace gaudére concéde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Processi et Martiniani, ut supra.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Visitatióne.

Communio Luc. 1, 41 Factum est autem, ut audívit Elísabeth salutatiónem Maríæ, exsultávit in gáudio infans in útero ejus: et repléta est Spíritu Sancto Elísabeth, allelúja.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos cæléstibus réficis sacraméntis, intercedénte beáta et gloriósa Dei Genitríce María, cujus hódie Visitatiónem celebrámus; tua fácias pietáte concórdes. Per eúmdem Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus.

Et fit Commemoratio Ss. Processi et Martiniani, ut supra.

Eadem die 2 Julii

Pro Ss. Processo et Martiniano Martyribus

Introitus Eccli. 44, 15 et 14

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam.

Oratio

Deus, qui nos sanctórum Mártyrum tuórum Procéssi et Martiniáni gloriósis confessiónibus circúmdas et prótegis: da nobis et eórum imitatióne profícere, et intercessióne gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 10, 32-38

Fratres: Rememorámini prístinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum: et in áltero quidem oppróbriis, et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem, et manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale Ps. 123, 7-8 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 4 Justi epuléntur, et exsúltent in conspé-

ctu Dei: et delectántur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, preces et múnera: quæ ut tuo sint digna conspéctu, sanctórum tuórum précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio

Córporis sacri, et pretiósi sánguinis repléti libámine, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quod pia devotióne gérimus, certa redemptióne capiámus. Per eúmdem Dóminum.

Die 3 Julii
S. Leonis II Papæ et Conf.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Deus, qui beátum Leónem Pontíficem Sanctórum tuórum méritis coæquásti: concéde propítius; ut, qui commemoratiónis ejus festa percólimus, vitæ quoque imitémur exémpla. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Apostolorum Petri et Pauli.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 7, 23-27

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, innocens, impollútus, segregátus a pec-

catóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale Ps. 131, 16-17 Sacerdótes ejus induam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis, venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 28, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, ut intercessióne beáti Leónis hæc nobis prosit oblátio: quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. Apostolorum Secreta

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequátur orátio: per quam nos expiári tríbuas, et deféndi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis, ratione Octavæ.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Deus, qui ánimæ fámuli tui Leónis ætérnæ beatitúdinis prǽmia contulísti: concéde propítius;

ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, ejus apud te précibus sublevémur. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. Apostolorum
Postcommunio

Quos cæléstí, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

Die 4 Julii

S. Elisabeth Vid. Reginæ Portugaliæ

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Elísabeth Regínæ: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Clementíssime Deus, qui beátam Elísabeth regínam, inter céteras egrégias dotes, béllici furóris sedándi prærogatíva decorásti: da nobis, ejus intercessióne; post mortális vitæ, quam supplíciter pétimus, pacem, ad ætérna gáudia perveníre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Apostolorum.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 19-24

Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens mundo in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus. Lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta aetérna supra petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale Eccli. 48, 3 et 10 Verbo Dómini contínuit cælum: lenívit iracúndiam Dómini, et conciliávit cor patris ad fílium. ℣. ibid., 15 In vita sua fecit magnália, et in morte mirabília operáta est.

Allelúja, allelúja. ℣. Aspice, quæ sólio résides, Regína, supérno, nos quondam hic pópulos, Elisabélla, tuos. Allelúja.

¶ In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 23, 5 Accépit benedictiónem a Dómino: et misericórdiam a Deo salutári suo. ℣. Prov. 31, 26 et 28 Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. ℣. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 44, 11-12 Oblivíscere pópulum tuum, et domum patris tui: et concupiscet rex decórem tuum. Allelúja, allelúja. ℣. Aspice, quæ sólio résides, Regína, supérno, nos quondam hic pópulos, Elisabélla, tuos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatióri, quærénti bonas margaritas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis. Ibi erit fletus et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum, símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 44, 13 et 10 Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: fíliæ regum in honóre tuo.

Secreta

Deus, qui in honórem beátæ Elísabeth Regínæ has tibi solémnes hóstias offérri voluísti: da nobis; ut, ejus vestígia secúti, et oratióne adjúti, tibi, cui servíre regnáre est, toto corde serviámus in terra, ac tecum regnémus in cælo. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. Apostolorum
Secreta

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequátur orátio: per quam nos expiári tríbuas, et defendi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis, ratione Octavæ.

Communio Ps. 44, 10 Astitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Postcommunio

Regáli ac sacro convívio, Dómine Jesu Christe, in quo tu es ipse verus cibus et potus: nos, quǽsumus, dignos effíciat, et cáritas tua imménsa, et beátæ Elísabeth Regínæ intercéssio gloriósa: Qui vivis.

Pro Octava Ss. Apostolorum
Postcommunio

Quos cæléstì, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni advérsitáte custódi. Per Dóminum.

Die 5 Julii

S. Antonii Mariæ Zaccaria Conf.

Introitus 1 Cor. 2, 4

Sermo meus, et prædicátio mea non in persuasibilibus humánæ sapiéntiæ verbis, sed in ostensióne spiritus et virtútis. ℣. Ps. 110, 1 Confitébor tibi, Dómine, in toto corde meo, in consilio justórum et congregatióne. ℣. Glória Patri. Sermo meus.

Oratio

Fac nos, Dómine Deus, supereminéntem Jesu Christi sciéntiam spiritu Pauli Apóstoli ediscere, qua beátus Antónius Maria mirabiliter eruditus, novas in Ecclésia tua clericórum et virginum familias congregávit. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Ss. Apostolorum.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem Apostolórum tuórum Petri et Pauli martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ, eórum in ómnibus sequi præcéptum; per quos religiónis sumpsit exórdium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 4, 8-16

Carissime: Píetas ad ómnia útilis est: promissiónem habens vitæ, quæ nunc est, et futúræ. Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus. In hoc enim laborámus, et maledícimur, quia sperámus in Deum vivum, qui est Salvátor ómnium hóminum, máxime fidélium. Prǽcipe hæc, et doce. Nemo adolescéntiam tuam contémnat: sed exémplum esto fidélium in verbo, in conversatióne, in caritáte, in fide, in castitáte. Dum vénio, atténde lectióni, exhortatióni, et doctrínæ. Noli neglígere grátiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetíam, cum impositióne mánuum presbytérii. Hæc meditáre, in his esto: ut proféctus tuus maniféstus sit ómnibus. Atténde tibi, et doctrínæ: insta in illis. Hoc enim fáciens, et teipsum salvum fácies, et eos qui te áudiunt.

Graduale Philipp. 1, 8-9 Testis mihi est Deus, quo modo cúpiam omnes vos in viscéribus Jesu Christi. Et hoc oro, ut cáritas vestra magis ac magis abúndet in sciéntia, et in omni sensu. ℣. Ibid., 10 Ut probétis potióra, ut sitis sincéri, et sine offénsa in diem Christi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 11 Repléti fructu justítiæ per Jesum Christum, in glóriam et laudem Dei. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus 2 Cor. 10, 17-18 Qui gloriátur, in Dómino gloriétur: non enim qui seipsum comméndat, ille probátus est: sed quem Deus comméndat. ℣. Gal. 6, 14 Mihi autem absit gloriári, nisi in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Philipp. 1, 21 Mihi vívere Christus est, et mori lucrum.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. 2 Cor. 7, 4 Replétus sum consolatióne, superabúndo gáu-

dio in omni tribulatióne nostra. Allelúja, allelúja. ℣. ibid., 6, 13 Tamquam filiis dico: dilatámini et vos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 10, 15-21

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Quisquis non recéperit regnum Dei velut párvulus, non intrábit in illud. Et compléxans párvulos, et impónens manus super illos, benedicébat eos. Et cum egréssus esset in viam, procúrrens quidam, genu flexo ante eum, rogábat eum: Magíster bone, quid fáciam ut vitam ætérnam percípiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. Præcépta nosti: Ne adúlteres, ne occídas, ne furéris, ne falsum testimónium díxeris, ne fraudem féceris, honóra patrem tuum et matrem. At ille respóndens, ait illi: Magíster, hæc ómnia observávi a juventúte mea. Jesus autem intúitus eum, diléxit eum, et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quæcúmque habes vende, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo: et veni, séquere me.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi: adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo.

Secreta

Ad mensam cæléstis convívii fac nos, Dómine, eam mentis et córporis puritátem afférre, qua beátus Antónius María, hanc sacratissimam hóstiam ófferens, mirífice ornátus enítuit. Per Dóminum.

Pro Octava Ss. Apostolorum
Secreta

Hóstias, Dómine, quas nómini tuo sacrándas offérimus, apostólica prosequátur orátio: per quam nos expiári tríbuas, et defféndi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis, ratione Octavæ.

Communio Philipp. 3, 17 Imitatóres mei estóte, fratres, et observáte eos, qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram.

Postcommunio

Cæléstí dape qua pasti sumus, Dómine Jesu Christe, eo corda nostra caritátis igne flamméscant: quo beátus Antónius María salutáris hóstiæ vexíllum, contra Ecclésiæ tuæ hostes, éxtulit ad victóriam: Qui vivis.

Pro Octava Ss. Apostolorum
Postcommunio

Quos cæléstí, Dómine, aliménto satiásti: apostólicis intercessiónibus ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum.

Die 6 Julii

In die Octava Ss. Petri et Pauli App.

Introitus Neh. vel 2 Esdr. 9, 27

Clamavérunt ad te, Dómine, in témpore afflictiónis suæ, et tu de cælo exaudísti eos, allelúja, allelúja, allelúja. ℣. Ps. 32, 1

Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde; ut, ambórum méritis, æternitátis glóriam consequámur: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 10-15

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et fílii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet Ecclésia.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Apoc. 11, 4 et 6 Isti sunt duæ olívæ et duo candelábra, lucéntia ante Dóminum: habent potestátem claudéndi cælum et aperiéndi portas ejus: quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt. Allelúja.

✠ Sequéntia Sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 14, 22-33

In illo témpore: Cómpulit Jesus discípulos ascéndere in navículam, et præcédere eum trans fretum, donec dimítteret turbas. Et dimíssa turba, ascéndit in montem solus oráre. Véspere autem facto, solus erat ibi. Navícula autem in médio mari jactabátur flúctibus: erat enim contrárius ventus. Quarta autem vigília noctis venit ad eos ámbulans super mare. Et vidéntes eum super mare ambulántem, turbáti sunt, dicéntes: Quia phantásma est. Et præ timóre clamavérunt. Statímque Jesus locútus est eis, dicens: Habéte fidúciam: ego sum, nolíte timére. Respóndens autem Petrus, dixit: Dómine, si tu es, jube me ad te veníre super aquas. At ipse ait: Veni. Et descéndens Petrus de navícula, ambulábat super aquam, ut veníret ad Jesum. Videns vero ventum válidum, tímuit: et cum cœpisset mergi, clamávit dicens: Dómine, salvum me fac. Et contínuo Jesus exténdens manum, apprehéndit eum, et ait illi: Módicæ fídei, quare dubitásti? Et cum ascendísset in navículam, cessávit ventus. Qui autem in navícula erant, venérunt, et adoravérunt eum, dicéntes: Vere Fílius Dei es.

Credo.

Offertorium Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni progénie et generatióne.

Secreta

Offérimus tibi, Dómine, preces et múnera: quæ, ut tuo sint digna conspéctu, Apostolórum tuórum Petri et Pauli précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28-29 Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Prótege, Dómine, pópulum tuum: et Apostolórum tuórum Petri et Pauli patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva. Per Dóminum.

Die 7 Julii
Ss. Cyrilli et Methodii Epp. et Cc.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui, exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Slavóniæ gentes per beátos Confessóres tuos atque Pontífices Cyrillum et Methódium ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: præsta; ut, quorum festivitáte gloriámur, eórum consórtio copulémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 7, 23-27

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deínde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale Ps. 131, 16-17 Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1, 3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

Secreta

Preces nostras, quǽsumus, Dómine, et tuórum réspice oblatiónes fidélium: ut tibi gratæ sint in tuórum festivitáte Sanctórum, et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium. Per Dóminum.

Communio Matth. 10, 27 Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui nobis múnera dignáris præbére cæléstia, intercedéntibus sanctis tuis Cyríllo et Methódio, despícere terréna concédas. Per Dóminum.

Die 8 Julii

Puritatis B. Mariæ Virg.

Introitus Sedulius

Salve, sancta Parens, enixa puérpera regem: qui cælum, terrámque regit in sǽcula sæculórum. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Salve.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens ætérne Deus: ut puríssimæ Vírginis Maríæ integérrimam Virginitátem festíva celebritáte venerántes, ejus intercessióne, puritátem mentis et córporis consequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 2, 10-14

En diléctus meus lóquitur mihi: Surge, própera, amíca mea, colúmba mea, formósa mea, et veni. Jam enim hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra: ficus prótulit grossos suos: víneæ floréntes dedérunt odórem suum. Surge, amíca mea, speciósa mea, et veni: colúmba mea in foramínibus petræ, in cavérna macériæ, osténde mihi fáciem tuam, sonet vox tua in áuribus meis: vox enim tua dulcis, et fácies tua decóra.

Graduale Cant. 2, 2 et 16 Sicut lílium inter spinas, sic amíca mea inter fílias. ℣. Diléctus meus mihi, et ego illi, qui páscitur inter lília.

Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 6, 9 Quæ est ista, quæ progréditur quasi auróra consúrgens, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Judith 13, 23 Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. ℣. Ibid. 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. ℣. Cant. 4, 7 Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Judith 15, 10 Tu glória Jerúsalem, tu lætítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri. Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 4, 7 Tota pulchra es, María: et mácula originális non est in te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 1, 26-35

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi.

Credo.

Offertorium Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Secreta

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas: ut, qui natus de Vírgine, matris integritátem non

minuit, sed sacrávit, in Puritátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster: Qui tecum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio Benedícta et venerábilis es, Virgo María, quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, puríssimæ Vírginis Maríæ patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Die 9 Julii
S. Angeli Custodis Regni Portugaliæ

Introitus Ps. 90, 11-12

Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: in mánibus portábunt te, ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum ℣. Ps. ibid. 1 Qui hábitat in adjutório Altíssimi, in protectióne Dei cæli commorábitur. ℣. Glória Patri. Angelis suis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Angélicam custódiam hóminum, regnis, provínciis et civitátibus contulísti: concéde propítius; ut nostri Regni ac civitátis præsul et custos, Angelus tuus sanctus, ipsum totum regnum, ac cives ab instántibus perículis córporis et ánimæ, et ab ómnibus adversitátibus prótegat et deféndat. Per Dóminum.

Léctio libri Regum
4 Reg. 19, 32-36

In diébus illis: Misit Isaías, fílius Amos, ad Ezechíam, dicens: Non ingrediétur urbem hanc, nec mittet in eam sagíttam, nec occupábit eam clýpeus, nec circúmdabit eam munítio. Per viam, qua venit, revertétur: et civitátem hanc non ingrediétur, dicit Dóminus. Protegámque urbem hanc, et salvábo eam propter me, et propter David servum meum. Factum est ígitur in nocte illa, venit Angelus Dómini, et percússit in castris Assyriórum centum octogínta quinque míllia. Cumque dilúculo surrexísset, vidit ómnia córpora mortuórum: et recédens ábiit, et revérsus est Sennácherib, rex Assyriórum.

Graduale Ps. 33, 8 Immittet Angelum suum Dóminus in circúitu timéntium eum: et erípiet eos. ℣. Ps. ibid. 18 Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Allelúja, allelúja. ℣. 4 Reg. 19, 34 Prótegam civitátem et regnum istud, et salvábo propter me, et propter David servum meum. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Zach. 2, 4-5 Absque muro habitábitur Jerúsalem: ego ero ei

murus ignis in circúitu, et in glória ero in médio ejus. ℣. Ibid., 8 et 10 Qui tetígerit vos, tangit pupíllam óculi mei: quia ecce ego vénio, et habitábo in médio tui. ℣. Ps. 102, 20 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. 4 Reg. 19, 34 Prótegam civitátem et regnum istud, et salvábo propter me, et propter David servum meum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 18, 1-10

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei, ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo a scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala: verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscíde eum, et prójice abs te: bonum tibi est ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habéntem, mitti in ignem ætérnum. Et, si óculus tuus scandalízat te, érue eum et prójice abs te: bonum tibi est cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est.

Credo.

Offertorium Isai. 62, 6 Super muros tuos, Jerúsalem, constítui custódes: tota die et nocte non tacébunt laudáre nomen Dómini.

Secreta

Súscipe, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, hæc múnera, quæ tibi supplicántes offérimus: ut, Angelo nostro suffragánte Custóde, a cunctis muniámur advérsis. Per Dóminum.

Communio Isai. 33, 3 et 22 A voce Angeli fugérunt pópuli, et ab exaltatióne tua dispérsæ sunt gentes: esto bráchium nostrum et salus pópuli nostri. Allelúja.

Postcommunio

Prosint nobis, Dómine, ad salútem córporis et ánimæ, sacraménta quæ súmpsimus: ut, Angélica opitulánte Custódia, a cunctis perículis liberáti, cæléstium donórum mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Die 10 Julii

Ss. Septem Fratrum Mm., ac Rufinæ et Secundæ, Vv. et Mm.

Introitus Ps. 112, 1 et 9

Laudáte, púeri, Dóminum, laudáte nomen Dómini: qui habitáre facit stérilem in domo, matrem filiórum lætántem. ℣. Ps. ibid., 2 Sit nomen Dómini benedictum: ex hoc nunc, et usque in sǽculum. ℣. Glória Patri. Laudáte, púeri.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus; pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 35-39

Fratres: Quis nos separábit a caritáte Christi? Tribulátio, an angústia, an persecútio, an fames, an núditas, an perículum, an gládius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur tota die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus, propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra áliqua póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 32, 1-2 Ecce quam bonum et quam jucúndum habitáre fratres in unum. ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. vox Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, inclyta tenens regna cæléstia. Allelúja, allelúja. ℣. Te Mártyrum candidátus laudat exércitus, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 12, 46-50

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, ecce mater ejus, et fratres stabant foris, quæréntes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quæréntes te. At ipse respóndens dicénti sibi, ait: Quæ est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et exténdens manum in discípulos suos, dixit: Ecce mater mea, et fratres mei. Quicúmque enim fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, et soror, et mater est.

Offertorium Ps. 123, 7 Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium: láqueus contritus est, et nos liberáti sumus.

Secreta

Sacrificiis præséntibus, quǽsumus, Dómine, inténde placátus: et, intercedéntibus Sanctis tuis, devotióni nostræ profíciant, et salúti. Per Dóminum.

Communio Matth. 22, 50 Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, et soror, et mater est, dicit Dóminus.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut intercedéntibus Sanctis tuis, illíus salutáris capiámus efféctum; cujus per hæc mystéria pignus accépimus. Per Dóminum.

Die 11 Julii
S. Pii I Papæ et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], præter Orationem sequentem:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat; beáti Pii, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Pii Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 12 Julii
S. Joannis Gualberti Abb.

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Joánnis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Naboris et Felicis Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli. 45, 1-6

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 43-48

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Audístis quia dictum est: Díliges próximum tuum, et ódio habébis inimícum tuum. Ego autem dico vobis: Dilígite inimícos vestros, benefácite his, qui odérunt vos: et oráte pro persequéntibus, et calumniántibus vos: ut sitis fílii Patris vestri, qui in cælis est: qui solem suum oríri facit super bonos et malos: et pluit super justos et injústos. Si enim dilígitis eos, qui vos díligunt, quam mercédem habébitis? nonne et publicáni hoc fáciunt? Et si salutavéritis fratres vestros tantum, quid ámplius fácitis? nonne et éthnici hoc fáciunt? Estóte ergo vos perfécti, sicut et Pater vester cæléstis perféctus est.

Offertorium Ps. 20, 3 et 4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Joánnes Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Naboris et Felicis.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Joánnes Abbas, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Naboris et Felicis.

Eadem die 12 Julii

Pro Ss. Nabore et Felice Mm.

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum II loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Præsta, quæsumus, Dómine: ut, sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt; ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dóminum.

Secreta

Múnera plebis tuæ, quæsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis fiant grata suffrágiis: et quorum triúmphis tuo nómini offerúntur, ipsórum digna perficiántur et méritis. Per Dóminum.

Postcommunio

Natalítiis Sanctórum tuórum, quæsumus, Dómine: ut, sacraménti múnere vegetáti, bonis, quibus per tuam grátiam nunc fovémur, perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Die 13 Julii

S. Anacleti Papæ et Mart.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 11 loco, [5], cum Evangelio Si quis venit, de eodem Communi 111 loco, [7].

Die 14 Julii

S. Bonaventuræ Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum Bonaventúram minístrum tribuísti: præsta, quǽsumus; ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem convertántur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico

vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteribit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Sancti Bonaventúræ, Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut, beáti Bonaventúræ, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Die 15 Julii

Bb. Ignatii de Azevedo et Sociorum Mm.

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, [13], præter Orationes sequentes.

Oratio

Omnípotens ætérne Deus, qui nos, in beáto Ignátio et Sóciis ejus, quadragínta Mártyrum palmas sub una tríbuis solemnitáte venerári: concéde propítius; ut quorum in cælis glóriam læti suspícimus, eórum invíctam in fide constántiam æmulémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Henrici Imperatoris et Confessoris, ut in Missa sequenti.

Secreta

Súscipe, Dómine, acceptíssimum Unigéniti tui sacrifícium: ac, beáto Ignátio et Sóciis ejus intercedéntibus, præsta; ut, quod illos roborávit ad pugnam, nos effíciat in tuo servítio atque amóre fervéntes. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Henrici, ut infra.

Postcommunio

Fidem in nobis, Dómine, quam de miseréntis grátiæ tuæ múnere suscépimus, áugeant hæc sancta mystéria, nosque ad eam, contra spirituália nequítiæ colluctántes profitendam, beatórum Ignátii et Sociórum ejus exémpla confírment. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Henrici, ut infra.

Eadem die 15 Julii

S. Henrici Imperatoris, Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum

ætérnum transtulísti: te súpplices exorámus; ut, sicut illum, grátiæ tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sǽculi superáre fecísti, ita nos fácias, ejus imitatióne, mundi hujus blandiménta vitáre, et ad te puris méntibus pervenire. Per Dóminum.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemorátione percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 16 Julii

In Commemoratione B. Mariæ V. de Monte Carmelo

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Deus, qui beatíssimæ semper Vírginis et Genitrícis tuæ Maríæ singulári título Carméli órdinem decorásti: concéde propítius; ut, cujus hódie Commemoratiónem solémni celebrámus offício, ejus muniti præsídiis, ad gáudia sempitérna perveníre mereámur: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24, 23-31

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me omnes, qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléminí. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Per te, Dei Génitrix, nobis est vita pérdita data: quæ de cælo suscepísti prolem, et mundo genuísti Salvatórem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera

quæ suxísti. At ille dixit: Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Credo.

Offertorium Recordáre, Virgo mater, in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta

Sanctífica, Dómine, quǽsumus, obláta libámina: et beátæ Dei Genitrícis Maríæ salubérrima intercessióne, nobis salutária fore concéde. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Commemoratióne.

Communio Regína mundi digníssima, María Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuísti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium.

Postcommunio

Adjuvet nos, quǽsumus, Dómine, gloriósæ tuæ Genitrícis, sempérque Vírginis Maríæ íntercéssio veneránda: ut, quos perpétuis cumulávit benefíciis, a cunctis perículis absolútos, sua fáciat pietáte concórdes: Qui vivis.

Die 17 Julii

S. Alexii Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui beáto Aléxio Confessóri tuo tribuísti, ut, et mundum nova arte delúderet, et de hoste humáni géneris mirabíliter triumpháret: concéde propítius; ut ejus semper muniámur auxílio, cujus salutíferis erudímur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 6, 6-12

Caríssime: Est quæstus magnus píetas cum sufficiéntia. Nihil enim intúlimus in hunc mundum: haud dúbium quod nec auférre quid póssumus. Habéntes autem aliménta, et quibus tegámur, his conténti simus. Nam qui volunt dívites fíeri, íncidunt in tentatiónem, et in láqueum diáboli, et desidéria multa inutília, et nocíva: quæ mergunt hómines in intéritum, et perditiónem. Radix enim ómnium malórum est cupíditas: quam quidem appeténtes, erravérunt a fide, et inseruérunt se dolóribus multis. Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: sectáre vero justítiam, pietátem, fidem, caritátem, patiéntiam, mansuetúdinem. Certa bonum certámen fídei, apprehénde vitam ætérnam.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 18 Julii

S. Camilli de Lellis Conf.

Introitus Joann. 15, 13

Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. ℣. Ps. 40, 2 Beátus qui intélligit super egénum, et páuperem: in die mala liberábit eum Dóminus. ℣. Glória Patri. Majórem hac dilectiónem.

Oratio

Deus, qui sanctum Camíllum, ad animárum in extrémo agóne luctántium subsídium, singulári caritátis prærogatíva decorásti: ejus, quæsumus, méritis, spíritum nobis tuæ dilectiónis infúnde; ut in hora éxitus nostri hostem víncere, et ad cæléstem mereámur corónam perveníre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Joánnis Apóstoli. 1 Joann. 3, 13-18

Caríssimi: Nolíte mirári, si odit vos mundus. Nos scimus, quóniam transláti sumus de morte ad vitam, quóniam dilígimus fratres. Qui non díligit, manet in morte: omnis qui odit fratrem suum, homicída est. Et scitis, quóniam omnis homicída non habet vitam ætérnam in semetípso manéntem. In hoc cognóvimus caritátem Dei, quóniam ille ánimam suam pro nobis pósuit: et nos debémus pro frátribus ánimas pónere. Qui habúerit substántiam hujus mundi, et víderit fratrem suum necessitátem habére, et cláu-

serit víscera sua ab eo: quómodo cáritas Dei manet in eo? Filíoli mei, non diligámus verbo, neque lingua, sed ópere, et veritáte.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secundúm Joánnem. Joann. 15, 12-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis, quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Hóstia immaculáta, qua illud Dómini nostri Jesu Christi imménsæ caritátis opus renovámus, sit, Deus Pater omnípotens, sancto Camíllo intercedénte, contra omnes córporis et ánimæ infirmitátes salutáre remédium, et in extrémo agóne solátium et tutéla. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus.

Communio Matth. 25, 36 et 40 Infírmus fui, et visitástis me. Amen, amen dico vobis: Quámdiu fecístis uni ex his frátribus meis mínimis, mihi fecístis.

Postcommunio

Per hæc cæléstia aliménta, quæ sancti Camílli Confessóris tui solémnia celebrántes, pia devotióne suscépimus: da, quǽsumus, Dómine; ut in hora mortis nostræ sacraméntis refécti, et culpis ómnibus expiáti, in sinum misericórdiæ tuæ læti súscipi mereámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus.

Eadem die 18 Julii

Pro Ss. Symphorosa et septem Filiis ejus Mm.

Introitus Ps. 33, 18

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Ps. ibid., 2 Benedicam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Clamavérunt justi.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Symphorósæ et filiórum ejus natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitú-

dine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum. ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod, descéndit in barbam, barbam Aaron.

Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 1-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non reveléttur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus plúris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 13, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio Matth. 12, 50 Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est, dicit Dóminus.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Symphorósa et fíliis

ejus; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 19 Julii

S. Vincentii a Paulo Conf.

Introitus Ps. 91, 13-14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus.

Oratio

Deus, qui ad evangelizándum paupéribus et ecclesiástici órdinis decórem promovéndum, beátum Vincéntium apostólica virtúte roborásti: præsta, quǽsumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 4, 9-14

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cǽdimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et

super salutáre tuum exsultábit vehe-méntér: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio Matth. 19, 28 et 29 Amen dico vobis: quod vos, qui reliquistis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Vincéntio Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 20 Julii

S. Hieronymi Æmiliani Conf.

Introitus Thren. 2, 11

Effúsum est in terra jecur meum super contritióne fíliæ pópuli mei, cum deficeret párvulus et lactens in platéis óppidi. ℣. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum: laudáte nomen Dómini. ℣. Glória Patri. Effúsum.

Oratio

Deus, misericordiárum pater, per mérita et intercessiónem beáti Hierónymi, quem órphanis adjutórem et patrem esse voluísti: concéde; ut spíritum adoptiónis, quo fílii tui nominámur et sumus, fidéliter custodiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Margaritæ Virg. et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Isaíæ Prophétæ.
Isai. 58, 7-11

Frange esuriénti panem tuum, et egénos, vagósque induc in domum tuam: cum víderis nudum, óperi eum, et carnem tuam ne despéxeris. Tunc erúmpet quasi mane lumen tuum, et sánitas tua cítius oriétur, et anteíbit fáciem tuam justítia tua, et glória Dómini cólliget te. Tunc invocábis, et Dóminus exáudiet: clamábis, et dicet: Ecce adsum; si abstúleris de médio tui caténam, et desíeris exténdere dígitum, et loqui quod non prodest. Cum effúderis esuriénti ánimam tuam, et ánimam afflíctam repléveris, oriétur in ténebris lux tua, et ténebræ tuæ erunt sicut merídies. Et réquiem tibi dabit Dóminus semper, et implébit splendóribus ánimam tuam, et ossa tua liberábit, et eris quasi hortus irríguus, et sicut fons aquárum, cujus non deficient aquæ.

Graduale Prov. 5, 16 Derivéntur fontes tui foras, et in platéis aquas tuas dívide. ℣. Ps. 111, 5-6 Jucúndus homo, qui miserétur, et cómmodat: dispónet sermónes suos in judício, quia in ætérnum non commovébitur.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 9 Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi. Allelúja.

In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir qui timet Dóminum, in mandátis

ejus cupit nimis. Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 9 Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 19, 13-21

In illo témpore: Obláti sunt Jesu párvuli, ut manus eis impóneret, et oráret. Discípuli autem increpábant eos. Jesus vero ait eis: Sínite párvulos, et nolíte eos prohibére ad me veníre: tálium est enim regnum cælórum. Et, cum imposuísset eis manus, ábiit inde. Et ecce unus accédens, ait illi: Magíster bone, quid boni fáciam, ut hábeam vitam ætérnam? Qui dixit ei: Quid me intérrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandáta. Dicit illi: Quæ? Jesus autem dixit: Non homicídium fácies: Non adulterábis: Non fácies furtum: Non falsum testimónium dices: Honóra patrem tuum, et matrem tuam, et díliges próximum tuum sicut te ipsum. Dicit illi adoléscens: Omnia hæc custodívi a juventúte mea: quid adhuc mihi deest? Ait illi Jesus: Si vis perféctus esse, vade, vende quæ habes, et da paupéribus, et habébis thesáurum in cælo: et veni, séquere me.

Offertorium Tob. 12, 12 Quando orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos: ego óbtuli oratiónem tuam Dómino.

Secreta

Clementíssime Deus, qui, véteri hómine consúmpto, novum secúndum te in beáto Hierónymo creáre dignátus es: da, per mérita ipsíus; ut nos páriter renováti, hanc placatiónis hóstiam in odórem tibi suavíssimum offerámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Margaritæ.

Communio Jac. 1, 27 Relígio munda et immaculáta apud Deum et Patrem, hæc est: Visitáre pupíllos et víduas in tribulatióne eórum, et immaculátum se custodíre ab hoc sǽculo.

Postcommunio

Angelórum pane refécti te, Dómine, supplíciter deprecámur: ut, qui ánnuam beáti Hierónymi Confessóris tui memóriam celebráre gaudémus; ejúsdem étiam, et exémplum imitémur, et amplíssimum in regno tuo prǽmium obtinére valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Margaritæ.

Eadem die 20 Julii

S. Margaritæ Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Communi Vírginum 1 loco, [37], præter Orationes sequentes:

Oratio

Omnípotens, sempitérne Deus, virginitátis auctor et amátor, qui beátam Margarítam dúplici virginitátis et martýrii título decorásti: cleméntiam tuam supplíciter implorámus; ut, cujus festivitátem celebrámus in terris, patrocínium sentiámus in cælis. Per Dóminum.

Die 21 Julii

S. Laurentii a Brundusio

Conf. et Eccl. Doct.

Duplex

Introitus — Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiae apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiae et intelléctus: stolam glóriae induit eum. Ps. 91,2. Bonum est confitéri Domino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui ad árdua quaeque pro nóminis tui glória et animárum salúte beáto Lauréntio, Confessóri tuo atque Doctóri, spíritum sapiéntiae et fortitúdinis contulísti: da nobis in eódem spíritu et agénda cognóscere; et cógnita, ejus intercessióne, perfícere. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Praxedis Virg., ut in Missali, 685

Léctio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Thimótheum 2 Tim. 4, 1-8.

Caríssimi: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum ejus: praedica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístae, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutiónis meae instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi corona justítiae, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 36, 30-31. Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣ Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae induit eum. Alleluja.

In Missis votivis post Septuagesimam omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis: ℣ Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur ℣. Glória et divítiae in domo ejus: et justítia éjus manet in saeculum saeculi.

Temp. autem Pasch. usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae induit eum. Allelúja ℣. Osee 14, 9 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in aetérnum ante Dóminum. Allelúja.

✝ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Matth. 5, 13, 19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in caelis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno caelórum: qui autem fécerit et docúerit, hic magnus vocábitur in regno caelórum. Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quae in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Sancti Laurentii, Confessóris tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quae, et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Praxedis

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Laurentius, Conféssor tuus et Doctor egrégius, quaesumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit commemoratio S. Praxedis.

Concordat cum originali
Bracarae, die 8 Novembris, 1959

IMPRIMATUR

✝ Antonius, Arch. Primas.

BRACARÆ, EX TIPIS «PAX»

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, ob honórem sanctæ Margarítæ, Vírginis et Mártyris tuæ, munus oblátum: et, quod nostris ássequi méritis non valémus, ejúsdem suffragántibus méritis largíre propítius. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit plebi tuæ, omnípotens Deus, beátæ Margarítæ, Vírginis et Mártyris tuæ, veneránda festívitas: ut, cujus gaudet méritis, ipsíus protegátur auxíliis. Per Dóminum.

Die 21 Julii

S. Praxedis Virg.

Introitus Ps. 118, 46-47

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Loquébar.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens, Deus: ut qui beátæ Praxédis, Vírginis tuæ, natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 7, 25-34

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quǽrere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quǽrere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tribulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc ítaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes, et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: prǽterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore, et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem. ℣. Proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ.

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abs-

cóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti: quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi.

Secreta

Hóstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius réspice: et, intercedénte beáta Praxéde Vírgine tua, víncula peccátorum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Communio Matth. 13, 45-46 Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta autem una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Postcommunio

Beátæ Praxédis Vírginis tuæ, Dómine, précibus confidéntes: quǽsumus cleméntiam tuam: ut, per ea quæ súmpsimus, ætérna remédia capiámus. Per Dóminum.

Die 22 Julii

S. Mariæ Magdalenæ Pœnit.

Introitus Ps. 118, 95-96

Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Me exspectavérunt.

Oratio

Largíre nobis, clementíssime Pater: ut, sicut beáta María Magdaléna, Dóminum nostrum Jesum Christum super ómnia diligéndo, suórum obtínuit véniam peccatórum; ita nobis, apud misericórdiam tuam, sempitérnam ímpetret beatitúdinem. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 3, 2-5; 8, 6-7

Surgam, et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea: quæsívi illum, et non invéni. Invenérunt me vígiles, qui custódiunt civitátem. Num quem díligit ánima mea vidístis? Páululum cum pertransíssem eos, invéni quem díligit ánima mea: ténui eum, nec dimíttam, donec introdúcam illum in domum matris meæ, et in cubículum genitrícis meæ. Adjúro, vos,

filiæ Jerúsalem, per cápreas, cervósque campórum, ne suscitétis, neque evigiláre faciátis diléctam, donec ipsa velit. Pone me ut signáculum super cor tuum, ut signáculum super bráchium tuum: quia fortis est ut mors diléctio, dura sicut inférnus æmulátio: lámpades ejus, lámpades ignis, atque flammárum. Aquæ multæ non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam: si déderit homo omnem substántiam domus suæ pro dilectióne, quasi nihil despíciet eam.

Graduale Ps. 45, 6 Adjuvábit eam Deus vultu suo: Deus in médio ejus, non commovébitur. ℣. Ps. ibid., 5 Flúminis ímpetus lætíficat civitátem Dei: sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus.

Allelúja, allelúja. Luc. 10, 42 Optimam partem elégit sibi María Magdaléna: quæ non auferétur ab ea in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 7, 36-50

In illo témpore: Rogábat Jesum quidam de pharisǽis, ut manducáret cum illo. Et ingréssus domum pharisǽi, discúbuit. Et ecce múlier, quæ erat in civitáte peccátrix, ut cognóvit, quod accubuísset in domo pharisǽi, áttulit alabástrum unguénti: et stans retro secus pedes ejus, lácrimis cœpit rigáre pedes ejus, et capíllis cápitis sui tergébat, et osculabátur pedes ejus, et unguénto ungébat. Videns autem pharisǽus, qui vocáverat eum, ait intra se, dicens: Hic, si esset prophéta, sciret útique, quæ et qualis est múlier, quæ tangit eum: quia peccátrix est. Et respóndens Jesus, dixit ad illum: Simon, hábeo tibi áliquid dícere. At ille ait: Magíster, dic. Duo debitóres erant cuídam fœneratóri: unus debébat denários quingéntos, et álius quinquagínta. Non habéntibus illis unde rédderent, donávit utrísque. Quis ergo eum plus díligit? Respóndens Simon, dixit: Æstimo quia is, cui plus donávit. At ille dixit ei: Recte judicásti. Et convérsus ad mulíerem, dixit Simóni: Vides hanc mulíerem? Intrávi in domum tuam, aquam pédibus meis non dedísti: hæc autem lácrimis rigávit pedes meos, et capíllis suis tersit. Osculum mihi non dedísti: hæc autem, ex quo intrávit, non cessávit osculári pedes meos. Oleo caput meum non unxísti: hæc autem unguénto unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittúntur ei peccáta multa, quóniam diléxit multum. Cui autem minus dimíttitur, minus díligit. Dixit autem ad illam: Remittúntur tibi peccáta. Et cœpérunt, qui simul accumbébant, dícere intra se: Quis est hic, qui étiam peccáta dimíttit? Dixit autem ad mulíerem: Fides tua te salvam fecit: vade in pace.

Credo.

Offertorium Ps. 44, 10 Fíliæ regum in honóre tuo: ástitit regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta

Hanc oblatiónem, terríbilis et piíssime Deus, beáta María Magdaléna suárum precum cúmulet increméntis: et, ad nostræ restauratiónis

principium, flágitet profutúram. Per Dóminum.

Communio Ps. 118, 78 et 80 Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor: in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio

Sanctíficet nos, quæsumus, Dómine, et múniat: intercedénte beáta María Magdaléna, divíni múneris libátio sacra; et cæléstium virtútum coherédes effíciat. Per Dóminum.

Die 23 Julii

S. Apollinaris Ep. et Mart.

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde, laudáte Deum. ℣. Ps. ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, fidélium remunerátor animárum, qui hunc diem beáti Apollináris Sacerdótis tui martýrio consecrásti: tríbue nobis, quǽsumus, fámulis tuis: ut, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus ejus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Liborii Ep. et Conf.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Libórii, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, in Missis non conventualibus fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ S. Jacobi, ut sequenti die notatur, et de ea legitur Evangelium in fine. Deinde fit Commemoratio S. Liborii cum Oratione Exáudi ex Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis 11 loco, [26].

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 5, 1-11

Caríssimi: Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro, consénior et testis Christi passiónum: qui et ejus, quæ in futúro reveláanda est, glóriæ communicátor: páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coácte, sed spontánee secúndum Deum: neque turpis lucri grátia, sed voluntárie: neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Simíliter adolescéntes, súbditi estóte senióribus. Omnes autem ínvicem humilitátem insinuáte: quia Deus supérbis resístit, humílibus autem dat grátiam. Humiliámini ígitur sub poténti manu Dei, ut vos exáltet in témpore visitatiónis: omnem sollicitúdinem vestram projiciéntes in eum, quóniam ipsi cura est de vobis. Sóbrii estóte, et vigiláte: quia adversárius vester diábolus tamquam leo rúgiens circuit, quærens quem dévoret: cui resístite fortes in fide: sciéntes eámdem passiónem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitáti fíeri. Deus autem omnis grátiæ, qui vocávit nos in ætérnam suam glóriam in

Christo Jesu, módicum passos ipse perficiet, confirmábit, solidabítque. Ipsi glória, et impérium in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 22, 24-30

In illo témpore: Facta est conténtio inter discípulos, quis eórum viderétur esse major. Dixit autem eis Jesus: Reges géntium dominántur eórum; et qui potestátem habent super eos, benéfici vocántur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcéssor est, sicut ministrátor. Nam quis major est, qui recúmbit, an qui ministrat? nonne qui recúmbit? Ego autem in médio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansístis mecum in tentatiónibus meis: et ego dispóno vobis, sicut dispósuit mihi Pater meus regnum, ut edátis, et bibátis super mensam meam in regno meo: et sedeátis super thronos, judicántes duódecim tribus Israël.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, pro commemoratióne sancti Apollináris, Mártyris tui atque Pontíficis, offérimus: supplíciter deprecántes; ut, sicut illi tribuísti sacræ fidei virtútem, sic nobis indulgéntiam largiáris et pacem. Per Dóminum.

Pro S. Liborio Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20 et 21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Postcommunio

Suméntes, Dómine, gáudia sempitérna participatióne sacraménti: præsta, quǽsumus; ut, beáti Apollináris, Mártyris tui atque Pontíficis, cujus natalítia cólimus, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Pro S. Liborio Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Libório, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de ipsa Vigilia sine Com-

memoratione Festi, additis in Missa Vigiliæ 2ª Oratione de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352; ac de Vigilia item legi possunt Missæ privatæ, cum 2ª tamen Oratione de S. Apollinare, et 3ª de S. Liborio Exáudi, ex Missa Sacerdótes tui, de Communi Confessoris Pontificis II loco, [26].

Eadem die 23 Julii

Pro S. Liborio Ep. et Conf.

Missa Státuit de Communi Confessoris Pontificis I loco, [25], cum Orationibus ut supra.

Die 24 Julii

In Vigilia S. Jacobi Ap.

Missa Ego autem, de Communi in Vigiliis Apostolorum, [1].

Et fit Commemoratio S. Christinæ Virg. et Mart.

Oratio

Crescat, Dómine, semper in nobis sanctæ jucunditátis effectus: ut beátæ Christínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, veneránda festívitas augeátur. Per Dóminum.

Deinde 3ª Oratio de S. Maria.

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Pro S. Christina — Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Christínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

3ª de S. Maria — Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem, et pacem. Per Dóminum.

Pro S. Christina — Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Christína, Vírgine et Mártyre tua, sempitérna protectióne confírment. Per Dóminum.

3ª de S. Maria — Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Eadem die 24 Julii

Pro S. Christina Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, de Communi Vírginum II loco, [39], cum Orationibus ut supra.

Die 25 Julii

S. Jacobi Apostoli

Introitus — Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Mihi autem. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Esto, Dómine, plebi tuæ sanctificátor et custos: ut, Apóstoli tui Jacóbi munita præsídiis, et conversatióne tibi pláceat, et secúra mente desérviat. Per Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Christophori Mart.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Christóphori Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 1, 3-8

Fratres: Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictióne spirituáli in cæléstibus, in Christo Jesu, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutiónem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiónem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem glóriæ grátiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum, secúndum divítias grátiæ ejus, quæ superabundávit in nobis, per Jesum Christum Dóminum nostrum.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

Allelúja, allelúja. Eccl. prec. Sanctíssime Apóstole Jacóbe, sédule pro salúte totíus pópuli Christum deprecáre, allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 20, 20-28

In illo témpore: Accéssit ad Jesum mater filiórum Zebedæi cum fíliis suis, adórans, et petens áliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic ut sédeant hi duo fílii mei, unus ad déxteram tuam, et unus ad sinístram in regno tuo. Respóndens autem Jesus, dixit: Nescítis quid petátis. Potéstis bíbere cálicem, quem ego bibitúrus sum? Dicunt ei: Póssumus. Ait illis: Cálicem quidem meum bibétis: sedére autem ad déxteram meam, vel sinístram, non est meum dare vobis, sed quibus parátum est a Patre meo. Et, audiéntes decem, indignáti sunt de duóbus frátribus. Jesus autem vocávit eos ad se, et ait: Scitis quia príncipes géntium dominántur eórum: et qui majóres sunt, potestátem exércent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicúmque volúerit inter vos major fíeri, sit vester miníster: et qui volúerit inter vos primus esse, erit vester servus. Sicut Fílius hóminis non venit ministrári, sed ministráre, et dare ánimam suam, redemptiónem pro multis.

Credo.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Oblatiónes pópuli tui, quǽsumus, Dómine, beáti Jacóbi Apóstoli pássio beáta concíliet: et quæ nostris non aptæ sunt méritis, fiant tibi plácitæ ejus deprecatióne. Per Dóminum.

Pro S. Christophoro Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Luc. 19, 28 et 29 Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Beáti Jacóbi Apóstoli tui, in cujus hódie festivitáte córpore et sánguine Fílii tui nos refecísti: quǽsumus, Dómine; intercessióne nos ádjuva, pro cujus solemnitáte percépimus tua sancta lætántes. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Christophoro
Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra, sed post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

¶ Tempore autem Paschali, Missa Protexísti, de Communi Martyrum I loco, [21], cum Orationibus, Epistola et Evangelium ut supra; sed post Epistolam dicitur:

Allelúja. ℣. Joann. 15-16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja.

Eadem die 25 Julii

Pro S. Christophoro Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris, IV loco, [7], cum Orationibus, ut supra.

Die 26 Julii

S. Annæ Matris B. M. V.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Annæ: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 47, 2 Magnus Dóminus et laudábilis nimis, in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Gaudeámus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Deus, qui beátæ Annæ tantam grátiam conférre dignátus es, ut beatíssimam Maríam, Matrem tuam, in útero suo portáre mererétur: da nobis, per intercessiónem Matris et Fíliæ, tuæ propitiatiónis abundántiam; ut quarum memóriam pio amóre ampléctimur, eárum précibus ad cæléstem Jerúsalem pervenire mereámur: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ
Prov. 31, 10-31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, dedítque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit, et vidit quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananæo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale Eccl. vox Benedícta et venerábilis es, Anna beáta, quæ privilégio amóris effécta es Avia Salvatóris. ℣. O felix Mater, quæ péperit Vírginem almam, cujus in útero factus est Deus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. laus Felix ex fructu tríplici: sed magis ex deífico, quæ virtúte multíplici dono pollet mirífico. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matt. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile

est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni género piscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Eccl. laus Felix namque et sacra es, Anna beáta, et omni laude digníssima: quia ex te nata est sancta Virgo María: de qua ortus est Sol justítiæ, Christus Deus noster.

Secreta

Múnera, Dómine, sacrifícii præséntis, quæ tibi offérimus in honóre beátæ Annæ, Aviæ tuæ: fiant nobis, précibus ejus, vita perpétua et salus infiníta: Qui vivis.

Communio Eccl. vox Beáta víscera Annæ beátæ, quæ portavérunt ætérni fructus bravíum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ mystériis, supplíciter deprecámur: ut, sicut beáta Anna nobis péperit exórdium nostræ redemptiónis, sic, ejus précibus adjúti, ætérnis gáudiis perfruámur. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis Introitus sumitur ex Missa Cognóvi, de Communi non Virginum II loco, [47], et ex ea post Septuagesimam sumitur etiam Graduale cum Tractu: Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

Die 27 Julii

Bb. Rodulfi Aqua Viva et Soc. Mart.

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum I loco, [13], præter Orationem sequentem.

Oratio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, beatórum Mártyrum tuórum Rodúlfi, Alfónsi, Petri, Antónii atque Francísci comméndet oblátio veneránda: ut, eórum exémplo atque intercessióne, nosmetípsos hóstiam vivam tibíque placéntem in obséquium tui sancti nóminis præbeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pantaleonis, ut in Missa sequenti.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte reddántur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pantaleonis, ut infra.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Rodúlfo, Alfónso,

Petro, António atque Francisco; ut, quod ore contingimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pantaleonis, ut infra.

Eadem die 27 Julii

S. Pantaleonis Mart.

Missa Lætábitur de Communi unius Martyris v loco, [9], præter Orationem sequentem.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui beátum Pantaleónem, Mártyrem tuum, incéndia impiórum superáre fecisti: tríbue, quǽsumus; ejus natalítia coléntes ab ætérnis supplíciis liberári. Per Dóminum.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Postcommunio

Reffécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum; intercedénte beáto Pantaleóne Mártyre tuo, sentiámus effectum. Per Dóminum.

Die 28 Julii

Dedicatio Eccl. Cathedralis Bracarensis Primatialis et Metropolit.

Missa Terríbilis de Communi Dedicationis Ecclesiæ, [48]: hodie tantum duplicatur Introitus, et per totam Octavam dicitur Missa, vel saltem fit Commemoratio Dedicationis et dicitur Credo.

Et fit Commemoratio Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Conf., ut in Missa sequenti.

Eadem die 28 Julii

Ss. Nazarii et Celsi Mm., Victoris I Papæ et Mart. ac Innocentii I Papæ et Conf.

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Sanctórum tuórum nos, Dómine, Nazárii, Celsi, Victóris et Innocéntii conféssio beáta commúniat: et fragilitáti nostræ subsídium dignánter exóret. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 17-20

Réddidit Deus justis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem: tránstulit illos per Mare Rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen san-

ctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter, Dómine Deus noster.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 44, 14 Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 21, 9-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum. Et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et prǽsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta

Concéde nobis, omnípotens Deus: ut his munéribus, quæ in sanctórum tuórum Nazárii, Celsi, Victóris et Innocéntii honóre deférimus, et te placémus exhíbitis, et nos vivificémur accéptis. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 4, 5 et 6 Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio

Sanctórum Nazárii, Celsi, Victóris et Innocéntii, Dómine, intercessióne placátus: præsta, quǽsumus; ut, quod temporáli celebrámus actióne, perpétua salvatióne capiámus. Per Dóminum.

Die 29 Julii

S. Marthæ Virg.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Marthæ: de cujus festivitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo justítiæ. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Omnipotens clementissime Deus, cujus Filius in ædibus beátæ Marthæ hospitári dignátus est: da, quǽsumus: ut ejus méritis, quæ illum plácide suscépit, in cælórum æde misericórditer suscipiámur. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Dedicationis.

Oratio

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Ss. Felicis II Papæ, Simplicii, Faustini et Beatricis Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli. 26, 16-24

Grátia mulíeris sédulæ delectábit virum suum, et ossa illíus impinguábit. Disciplína illíus, datum Dei est. Múlier sensáta et tácita, non est immutátio eruditæ ánimæ. Grátia super grátiam, múlier sancta et pudoráta. Omnis autem ponderátio non est digna continéntis ánimæ. Sicut sol óriens in altíssimis Dei, sic mulíeris bonæ spécies in ornaméntum domus ejus: lucérna splendens super candelábrum sanctum, et spécies faciéi super ætátem stábilem. Colúmnæ áureæ super bases argénteas, et pedes firmi super plantas stábilis mulíeris. Fundaménta ætérna super petram sólidam, et mandáta Dei in corde mulíeris sanctæ.

Graduale 44, 3 et 5 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit rex spéciem tuam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 10, 38-42

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam: et huic erat soror nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium: quæ stetit, et ait: Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respóndens, dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima: porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in sǽculum sǽculi.

Secreta

Súscipe et sanctífica, miséricors Deus, hoc munus oblátum: et concéde; ut, ad salútem nostram,

caro et sanguis fiat Fílii tui, méritis illíus quæ illum gratánter hospítio suscépit. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Annue, quǽsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. (Per Dóminum).

¶ In præcedenti Secreta, extra Cathedralem Bracarensem, omittitur tota parenthesis.

Deinde fit Commemoratio Ss. Felicis II, Simplicii, Faustini et Beatricis, ut infra.

Communio Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, piis sacraméntis quæ súmpsimus, et méritis beátæ Marthæ, Fílii tui hóspitæ; digne hic et in futúrum vivámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ prǽparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio Ss. Felicis II, Simplicii, Faustini et Beatricis, ut infra.

Eadem die 29 Julii

Pro S. Felice II Papa, Simplicio, Faustino et Beatrice Martyribus

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, [13], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus, et quia pondus própriæ actiónis gravat; beatórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias, tibi, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis commemoratióne deférimus: suppliciter deprecántes; ut indulgéntiam nobis páriter cónferant, et salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens, Deus: ut sanctórum Mártyrum tuórum Felícis, Simplícii, Faustíni et Beatrícis cæléstibus mystériis celebráta solémnitas, indulgéntiam nobis tuæ propitiatiónis acquírat. Per Dóminum.

Die 30 Julii

De Octava Dedicationis Cathedralis Bracarensis

Missa Terribilis, de Communi. [48], et fit Commemoratio Ss. Abdon et Sennen Mm., ut in Missa sequenti.

Eadem die 30 Julii
Ss. Abdon et Sennen Mm.

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Deus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc glóriam veniéndi copiósum munus grátiæ contulísti: da fámulis tuis suórum véniam peccatórum; ut, sanctórum tuórum intercedéntibus méritis, ab ómnibus mereántur adversitátibus liberári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 6, 4-10

Fratres: Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ a dextris, et a sinístris: Per glóriam, et ignobilitátem: per infámiam, et bonam famam: ut seductóres, et veráces: sicut qui ignóti, et cógniti: quasi moriéntes, et ecce vívimus: ut castigáti, et non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes: tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Sap. 3, 1 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus.

Secreta

Hæc hóstia, quǽsumus, Dómine, quam sanctórum Mártyrum tuórum natalítia recenséntes offérimus: et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Ps. 78, 2 et 11 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli, carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Per hujus, Dómine, operatiónem mystérii, et vítia nostra purgéntur: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Abdon et Sennen, justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

Die 31 Julii
S. Ignatii Conf.

Introitus Philipp. 2, 10, 11

In nómine Jesu omne genu flectátur, cæléstium, terréstrium, et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris. ℣. Ps. 5, 12-13 Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: quóniam tu benedíces justo. ℣. Glória Patri. In nómine Jesu.

Oratio

Deus, qui ad majórem tui nóminis glóriam propagándam, novo per beátum Ignátium subsídio militántem Ecclésiam roborásti: concéde; ut, ejus auxílio et imitatióne certántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Dedicationis.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 8-10; 3, 10-12

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cælésti. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii, et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Li-

bani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Adsint, Dómine Deus, oblatiónibus nostris sancti Ignátii benígna suffrágia: ut sacrosánta mystéria, in quibus omnis sanctitátis fontem constituísti, nos quoque in veritáte sanctíficent. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Annue, quǽsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, perveníre mereámur. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 49 Ignem veni míttere in terram: et quid volo, nisi ut accendátur?

Postcommunio

Laudis hóstia, Dómine, quam pro sancto Ignátio grátias agéntes obtúlimus: ad perpétuam nos majestátis tuæ laudatiónem, ejus intercessióne, perdúcat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ prǽparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis.

FESTA AUGUSTI

¶ Prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Do-

minicæ impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 1 Augusti
S. Petri ad Vincula

Introitus Act. 12, 11

Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum. ℣. Ps. 118, 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri. Nunc scio vere.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illæsum abíre fecísti: nostrórum, quæsumus, absólve víncula peccatórum; et ómnia mala a nobis propitiátius exclúde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli Ap., ante omnes alias Commemorationes.

Oratio

Deus, qui multitúdinem géntium beáti Pauli Apóstoli prædicatióne docuísti: da nobis, quæsumus; ut, cujus commemoratiónem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiámus. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio Octavæ Dedicationis.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. (Per Dóminum).

Postea fit Commemoratio Ss. Machabæorum Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio Actuum Apostolórum
Act. 12, 1-11

In diébus illis: Misit Heródes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclésia. Occídit autem Jacóbum fratrem Joánnis gládio. Videns autem quia placéret Judǽis, appósuit ut apprehénderet et Petrum. Erant autem dies Azymórum. Quem cum apprehendísset, misit in cárcerem, tradens quátuor quaterniónibus mílitum custodiéndum, volens post Pascha prodúcere eum pópulo. Et Petrus quidem servabátur in cárcere. Orátio autem fiébat sine intermissióne ab ecclésia ad Deum pro eo. Cum autem productúrus eum esset Heródes, in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites, vinctus caténis duábus: et custódes ante óstium custodiébant cárcerem. Et ecce Angelus Dómini ástitit: et lumen refúlsit in habitáculo: percussóque látere Petri, excitávit eum, dicens: Surge velóciter. Et cecidérunt caténæ de mánibus ejus. Dixit autem Angelus ad eum: Præcíngere, et cálcea te cáligas tuas. Et fecit sic. Et dixit illi: Circúmda tibi vestiméntum tuum, et séquere me. Et éxiens sequebátur eum, et nesciébat quia verum est, quod fiébat per Angelum: existimábat autem se visum vidére. Transeúntes autem primam

et secúndam custódiam, venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem: quæ ultro apérta est eis. Et exeúntes processérunt vicum unum: et contínuo discéssit Angelus ab eo. Et Petrus ad se revérsus, dixit: Nunc scio vere, quia misit Dóminus Angelum suum, et erípuit me de manu Heródis, et de omni exspectatióne plebis Judæórum.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constitues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi filii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Solve, jubénte Deo, terrárum, Petre, caténas: qui facis ut páteant cæléstia regna beátis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Credo.

Offertorium Matth. 16, 18-19 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam: et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cælórum.

Secreta

Oblátum tibi, Dómine, sacrifícium, intercedénte beáto Petro Apóstolo tuo, vivíficet nos semper, et múniat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli.

Secreta

Apóstoli tui Pauli précibus, Dómine, plebis tuæ dona sanctífica: ut, quæ tibi tuo grata sunt institúto, gratióra fiant patrocínio supplicántis. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Annue, quǽsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, perveníre mereámur. (Per Dóminum).

Postea Commemoratio Ss. Machabæorum, ut infra.

Præfatio de Apostolis.

Communio Joann. 21, 15 Simon Joánnis, díligis me plus his? Dómine, tu ómnia nosti: tu scis, Dómine, quia amo te.

Postcommunio

Córporis sacri et pretiósi sánguinis repléti libámine, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, quod pia devotióne gérimus, certa redemptióne capiámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pauli.

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis, beáto Paulo Apóstolo tuo interveniénte, deprecámur: ut, quæ pro illíus celebráta sunt glória, nobis profíciant ad medélam. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. (Per Dóminum).

Postea fit Commemoratio Ss. Machabæorum, ut infra.

Eadem die 1 Augusti

Pro Ss. Machabæis Mm.

Introitus Ps. 33, 18

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum; et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria et vérbera expérti, insuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum habitáre fratres in unum! ℣. Sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron.

Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 1-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum, allelúja.

Secreta

Mystéria tua, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum honóre, devóta mente tractémus: quibus et præsídium nobis crescat, et gáudium. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiéndo sectémur. Per Dóminum.

Die 2 Augusti

S. Alfonsi Mariæ de Ligorio Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Luc. 4, 18

Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me: evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Spíritus Dómini.

Oratio

Deus, qui per beátum Alfónsum Maríam, Confessórem tuum atque Pontíficem, animárum zelo succénsum, Ecclésiam tuam nova prole fœcundásti: quæsumus; ut, ejus salutáribus mónitis edócti et exémplis roboráti, ad te perveníre felíciter valeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Dedicationis.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio S. Stephani I Papæ et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 2, 1-7

Caríssime: Confortáre in grátia, quæ est in Christo Jesu: et quæ audísti a me per multos testes, hæc comménda fidélibus homínibus, qui idónei erunt et álios docére. Labóra sicut bonus miles Christi Jesu. Nemo mílitans Deo ímplicat se negótiis sæculáribus: ut ei pláceat, cui se probávit. Nam et qui certat in agóne, non coronátur, nisi legítime certáverit. Laborántem agrícolam opórtet primum de frúctibus percípere. Intéllige quæ dico: dabit enim tibi Dóminus in ómnibus intelléctum.

Graduale Ps. 118, 52-53 Memor fui judiciórum tuórum a sǽculo, Dómine, et consolátus sum: deféctio ténuit me pro peccatóribus derelinquéntibus legem tuam. ℣. Ps. 30, 11 Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: veritátem tuam, et salutáre tuum dixi.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 49, 3-4 Ipse est diréctus divínitus in pœniténtiam gentis, et tulit abominatiónes impietátis: et gubernábit ad Dóminum cor ipsíus: et in diébus peccatórum corroborávit pietátem. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 34, 13 Ego autem cum mihi molésti essent, induébar cilício: humiliábam in jejúnio ánimam meam: et orátio mea in sinu meo convertétur. ℣. Ps. 22, 5 Parásti in conspéctu meo mensam advérsus eos, qui tríbulant me: impinguásti in óleo caput meum, et calix meus inébrians quam præclárus est! ℣. 1 Cor. 9, 22 Factus sum infírmis infírmus, ut infírmos lucrifácerem.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 132, 1-2 Ecce quam bonum, et quam jucúndum, habitáre fratres in unum: sicut unguéntum in cápite, quod descéndit in barbam, barbam Aaron. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta; et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt:

dignus est enim operárius mercéde sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Credo.

Offertorium Prov. 3, 9 et 27 Honóra Dóminum de tua substántia, et de primítiis ómnium frugum tuárum da ei. Noli prohibére benefácere eum, qui potest: si vales, et ipse bénefac.

Secreta

Cæléstí, Dómine Jesu Christe, sacrifícii igne corda nostra in odórem suavitátis exúre: qui beáto Alfónso Maríæ tribuísti et hæc mystéria celebráre, et per éadem hóstiam tibi sanctam seípsum exhibére: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Oratio

Annue, quǽsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio S. Stephani.

Communio Eccli. 50, 1 et 9 Sacérdos magnus, qui in vita sua suffúlsit domum, et in diébus suis corroborávit templum, quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne.

Postcommunio

Deus, qui beátum Alfónsum Maríam, Confessórem tuum atque Pontíficem, fidélem divíni mystérii dispensatórem et præcónem effecísti: ejus méritis, precibúsque concéde: ut fidéles tui et frequénter percípiant, et percipiéndo sine fine colláudent. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. (Per Dóminum).

Deinde fit Commemoratio S. Stephani.

Eadem die 2 Augusti
Pro S. Stephano I Papa et Mart.

Introitus Ps. 131, 16

Sacerdótes ejus índuam salutári, et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes ejus.

Oratio

Deus, qui nos beáti Stéphani, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 20, 17-21

In diébus illis: A Miléto Paulus mittens Ephesum, vocávit majóres natu ecclésiæ. Qui cum venissent ad eum, et simul essent, dixit eis: Vos scitis a prima die, qua ingréssus sum in Asiam, quáliter vobiscum per omne tempus fúerim, sérviens Dómino cum omni humilitáte, et lácrimis, et tentatiónibus, quæ mihi accidérunt ex insídiis Judæórum: quómodo nihil subtráxerim utílium, quo minus annuntiárem vobis, et docérem vos públice, et per domos, testíficans Judæis, atque gentílibus in Deum pœniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Jesum Christum.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Stéphano, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20 et 21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi: ecce ália quinque superlucrátus sum. Euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Stéphano, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 3 Augusti

In Inventione S. Stephani Protomartyris

Introitus Ps. 118, 23, 86 et 23

Sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: et iníqui persecúti sunt me: ádjuva me, Dómine Deus meus, quia servus tuus exercebátur in tuis justificatiónibus. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in

lege Dómini. ℣. Glória Patri. Sedérunt príncipes.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, imitári quod cólimus: ut discámus et inimícos dilígere; quia ejus Inventiónem celebrámus, qui novit étiam pro persecutóribus exoráre Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Octavæ Dedicationis.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 6, 8-10 et 7. 54-59

In diébus illis: Stéphanus, plenus grátia et fortitúdine, faciébat prodígia et signa magna in pópulo. Surrexérunt autem quidam de synagóga, quæ appellátur Libertinórum, et Cyrenénsium, et Alexandrinórum, et eórum qui erant a Cilícia, et Asia, disputántes cum Stéphano: et non póterant resístere sapiéntiæ et Spirítui, qui loquebátur. Audiéntes autem hæc, dissecabántur córdibus suis, et stridébant déntibus in eum. Cum autem esset Stéphanus plenus Spíritu Sancto, inténdens in cælum, vidit glóriam Dei, et Jesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce vídeo cælos apértos, et Fílium hóminis stantem a dextris Dei. Exclamántes autem voce magna continuérunt aures suas, et ímpetum fecérunt unanímiter in eum. Et ejiciéntes eum extra civitátem lapidábant: et testes deposuérunt vestiménta sua secus pedes adolescéntis, qui vocabátur Saulus. Et lapidábant Stéphanum invocántem, et dicéntem: Dómine Jesu, súscipe spíritum meum. Pósitis autem génibus clamávit voce magna, dicens: Dómine, ne státuas illis hoc peccátum. Et cum hoc dixísset, obdormívit in Dómino.

Graduale Ps. 118, 23 et 86 Sedérunt príncipes, et advérsum me loquebántur: et iníqui persecúti sunt me. ℣. Adjuva me, Dómine Deus meus: salvum me fac propter misericórdiam tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Act. 7, 56 Vídeo cælos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 23, 34-39

In illo témpore: Dicébat Jesus scribis et pharisǽis: Ecce ego mitto ad vos prophétas, et sapiéntes, et scribas, et ex illis occidétis et crucifigétis, et ex eis flagellábitis in synagógis vestris, et persequémini de civitáte in civitátem: ut véniat super vos omnis sanguis justus, qui effúsus est super terram, a sánguine Abel justi usque ad sánguinem Zacharíæ, fílii Barachíæ, quem occidístis inter templum et altáre. Amen dico vobis, vénient hæc ómnia super generatiónem istam. Jerúsalem, Je-

rúsalem, quæ occídis prophétas, et lápidas eos, qui ad te missi sunt, quóties vólui congregáre fílios tuos, quemádmodum gallína cóngregat pullos suos sub alas, et noluísti? Ecce relinquétur vobis domus vestra desérta. Dico enim vobis, non me vidébitis ámodo, donec dicátis: Benedíctus, qui venit in nómine Dómini.

Offertorium Act. 6, 5 et 7, 59 Elegérunt Apóstoli Stéphanum Levítam, plenum fide et Spíritu Sancto: quem lapidavérunt Judæi orántem, et dicéntem: Dómine Jesu, áccipe spíritum meum, allelúja.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera pro tuórum commemoratióne Sanctórum: ut, sicut illos pássio gloriósos effécit; ita nos devótio reddat innócuos. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Annue, quǽsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus); ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, perveníre mereámur. Per Dóminum.

Communio Act. 7, 56, 59 et 60 Vídeo cælos apértos, et Jesum stantem a dextris virtútis Dei: Dómine Jesu, áccipe spíritum meum, et ne státuas illis hoc peccátum.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáto Stéphano Mártyre tuo, sempitérna protectióne confírment. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ prǽparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

Die 4 Augusti
S. Dominici Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. Os justi. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam beáti Domínici Confessóris tui illumináre dignátus es méritis et doctrínis: concéde; ut ejus intercessióne temporálibus non destituátur auxíliis, et spirituálibus semper profíciat increméntis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ Dedicationis.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas

incólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta; ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: ut méritis beáti Domínici Confessóris tui nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ.

Secreta

Annue, quǽsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus): ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad

ætérna præmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Concéde, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui peccatórum nostrórum póndere prémimur, beáti Domínici Confessóris tui patrocínio sublevémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ præparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

Die 5 Augusti

In Dedicatione S. Mariæ ad Nives

Introitus

Plácuit divínæ Providéntiæ egrégiam Urbem Matris suæ habitáculo decoráre: ut dum a pópulo venerátur frequénter in terris, opem suæ intercessiónis de cælis gáudeat advenísse. ℣. Contra natúram témporis, aër nímia frígoris congelatióne constríngitur: ut, imbre désuper fuso, nivem páriter et algórem ministráret. ℣. Glória Patri. Plácuit.

Oratio

Deus, qui, ad declarándam Genitrícis tuæ glóriam, in æstívis calóribus, nivis inusitáto descénsu, locum, quo ei templum ædificarétur, dignátus es demonstráre: tribue, quæsumus; ut, ejus obséquiis insisténtes, ab æstu concupiscéntiæ refrigeráti, candóre innocéntiæ super nivem dealbémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli 24, 14-16

Ab inítio, et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

Graduale Requisiérunt locum: mox vero Papa Libérius, fossórium lætus accípiens, sicut nix designáverat própriis mánibus cœpit effódere. ℣. Imménsi ígitur miráculi, tam Póntifex et Cúria quam Clerus et pópulus, admiratióne dixérunt: Benedíctus Deus.

Allelúja, allelúja. ℣. Omnipoténti Deo imménsas grátias persólvere nos opórtet, quia, cum simus ómnium meritórum sublimatióne priváti, ad spirituále suæ Genitrícis obséquium nos dignátus est deputáre. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera.

quæ suxísti. At ille dixit: Quinimo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Credo.

Offertorium Illústris vero patrícius, propter ea quæ sibi et uxóri suæ fúerant reveláta, ómnia quæ habébant beátæ Maríæ conferéntes, ipsam venerábilem basílicam sibi fecérunt herédem, allelúja.

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, apud cleméntiam tuam Fílii tui Genitrícis comméndet orátio: pro qua idcirco tantum miráculum operári dignátus es, ut pro peccátis nostris apud te fiduciáliter intercédat. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de beata Maria Virgine Et te in Festivitáte.

Communio Quam perféctam basílicam idem Libérius Papa in honóre Dei et beatíssimæ ejus Genitrícis consecrávit, allelúja.

Postcommunio

Sumpta, Dómine, sacraménta ob honórem gloriósæ Maríæ semper vírginis: cujus candórem nivis mirabíliter hodiérna die paténter pópulis demonstrásti; ejúsdem Dóminæ nostræ précibus, nobis, quǽsumus, perpétuam profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Die 6 Augusti
In Transfiguratione D. N. J. C.

¶ Hodie benedicuntur novi racemi uvarum, qui super parvam mensam, prope Altare in plano ad cornu Epistolæ appositam, præparantur, pulchro velo usque ad Benedictionem cooperti.

Celebrans cum sacris Ministris, antequam Missam incipiat, Altare conscendit illudque in medio osculatur. Tum ad cornu Epistolæ se recipit, ubi stans junctis manibus ad Altare conversus, cum Diacono a dexteris et Subdiacono a sinistris, racemos uvarum benedicit, signum Crucis a fronte ad pectus ducens, dum simul in tono feriali incipit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini. ℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Sit nomen Dómini benedíctum. ℟. Ex hoc nunc et usque in sǽculum.

Béne ✠ dic, Dómine, hos fructus novos uvæ, quos tu, Dómine, rore cæli et inundántia pluviárum, tranquillitáte atque serenitáte äëris ad maturitátem perdúcere dignátus es: et dedísti eos ad usus nostros cum gratiárum actióne percípere, in nómine Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum.

Si autem Missa non fuerit solemnis vel cantata, præcedens Benedictio modo supradicto fieri debet; sed Sacerdos omnia submissa voce legat.

In Missa Transfigurationis conficitur Sanguis Christi de novo vino, si inveniri potest; alias unus tantum acinus, ex racemis uvæ antea benedictis, prematur super cochlear, et exinde misceatur cum vino in Calice posito.

Ad Missam

Introitus Ps. 17, 14 et 16

Intónuit de cælo Dóminus, et Altíssimus dedit vocem suam: et apparuérunt fontes aquárum, et reveláta sunt fundaménta orbis terrárum. ℣. Matth. 3, 16-17

Cæli apérti sunt super eum, et vox de cælo facta est: Hic est Fílius meus diléctus. Intónuit. ℣. Glória Patri. Intónuit.

Oratio

Deus, qui hodiérna die Unigénitum tuum mirabíliter transformátum cǽlitus utriúsque testaménti Pátribus reveslásti: da nobis, quǽsumus; beneplácitis tibi áctibus, ad ejus semper contemplándam pertíngere glóriam, in quo tuæ Paternitáti óptime complacuísse testátus es. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio Ss. Xysti II Papæ, Felicissimi et Agapiti Mm.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Xysti, Felicíssimi et Agapíti natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli

2 Petr. 1, 15-19

Caríssimi: Dabo autem óperam et frequénter habére vos post óbitum meum, ut horum ómnium memóriam faciátis. Non enim indóctas fábulas secúti, notam fécimus vobis Dómini nostri Jesu Christi virtútem et præsciéntiam: sed speculatóres facti illíus magnitúdinis. Accípiens enim a Deo Patre honórem et glóriam, voce delápsa ad eum hujuscémodi a magnífica glória: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et hanc vocem nos audívimus de cælo allátam, cum essémus cum ipso in monte sancto. Et habémus firmiórem prophéticum sermónem: cui benefácitis attendéntes, quasi lucérnæ lucénti in caliginóso loco, donec dies elucéscat, et lúcifer oriátur in córdibus vestris.

Graduale Hæc dies, quam fecit Dóminus, exsultémus et lætémur in ea. ℣. Ps. 117, 1 Confitémini Dómino quóniam bonus: quóniam in sǽculum misericórdia ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Hódie coram tribus discípulis transfigurátus est Jesus: cum quo Móyses et Elías visi sunt in majestáte loquéntes. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 17, 1-9

In illo témpore: Assúmpsit Jesus Petrum, et Jacóbum, et Joánnem fratrem ejus, et duxit illos in montem excélsum seórsum: et transfigurátus est ante eos. Et resplénduit fácies ejus sicut sol: vestiménta autem ejus facta sunt alba sicut nix. Et ecce apparuérunt illis Móyses et Elías cum eo loquéntes. Respóndens autem Petrus, dixit ad Jesum: Dómine, bonum est nos hic esse: si vis, faciámus hic tria tabernácula, tibi unum, Móysi unum, et Elíæ unum. Adhuc eo loquénte, ecce nubes lúcida obumbrávit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte. Et audiéntes discípuli, cecidérunt in fáciem suam, et timuérunt valde. Et accéssit Jesus, et tétigit eos, dixítque eis: Súrgite, et nolíte timére. Levántes au-

tem óculos suos, néminem vidérunt, nisi solum Jesum. Et, descendéntibus illis de monte, præcépit eis Jesus, dicens: Némini dixéritis visiónem, donec Fílius hóminis a mórtuis resúrgat.

Credo.

Offertorium Matth. 17, 1-2 Ascéndens Dóminus Jesus in montem excélsum, transfigurátus est coram tribus discípulis suis, allelúja.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, múnera quæ in gloriósa Fílii tui Transfiguratióne deférimus: et concéde propítius; ut per hæc, et a temporálibus liberémur incómmodis, et gáudiis conjungámur ætérnis. Per eúmdem Dóminum.

Pro Ss. Martyribus — Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate.

Communio Matth. 17, 5 Vox Patris audíta est: Hic est Fílius meus diléctus, in quo mihi bene complácui: ipsum audíte.

Postcommunio

Deus, qui nos Transfiguratiónis tuæ diem devótis hódie láudibus celebráre concédis: tríbue nobis, quǽsumus; ad tuæ divinitátis contemplatiónem pertíngere, qui nostræ humanitátis fíeri dignátus es párticeps: Qui vivis.

Pro Ss. Martyribus
Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Xysto, Felicíssimo et Agapíto; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Eadem die 6 Augusti

Pro Ss. Xysto II Papa Felicissimo et Agapito Mm.

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum 1 loco, [13], præter Orationes, ut supra.

Die 7 Augusti

S. Cajetani Conf.

Introitus — Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui beáto Cajetáno Confessóri tuo apostólicam vivéndi formam imitári tribuísti: da nobis, ejus intercessióne et exémplo, in te semper confídere, et sola cæléstia desideráre. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Donati Ep. et Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et lau-

dábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus, vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 6, 24-33

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo potest duóbus dóminis servíre: aut enim unum ódio habébit, et álterum díliget: aut unum sustinébit, et álterum contémnet. Non potéstis Deo servíre, et mammónæ. Ideo dico vobis, ne sollíciti sitis ánimæ vestræ quid manducétis, neque córpori vestro quid induámini. Nonne ánima plus est quam esca: et corpus plus quam vestiméntum? Respícite volatília cæli, quóniam non serunt, neque metunt, neque cóngregant in hórrea: et Pater vester cæléstis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cógitans potest adjícere ad statúram suam cúbitum unum? Et de vestiménto quid sollíciti estis? Consideráte lília agri quómodo crescunt: non labórant, neque nent. Dico autem vobis, quóniam nec Sálomon in omni glória sua coopértus est sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hódie est, et cras in clíbanum míttitur, Deus sic vestit: quanto magis vos, módicæ fídei? Nolíte ergo sollíciti esse, dicéntes: Quid manducábimus, aut quid bibémus, aut quo operiémur? Hæc enim ómnia gentes inquírunt. Scit enim Pater vester, quia his ómnibus indigétis. Quǽrite ergo primum regnum Dei, et justítiam ejus: et hæc ómnia adjiciéntur vobis.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Donati.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Cajetáno Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Donati.

Eadem die 7 Augusti
Pro S. Donato Ep. et Mart.

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde, laudáte Deum. ℣. Ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, qui es tuórum glória sacerdótum: præsta, quǽsumus; ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti, cujus festa gérimus, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 1, 2-12

Caríssimi: Omne gáudium existimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti et íntegri in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hǽsitans: qui enim hǽsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur. Non ergo ǽstimet homo ille quod accípiat áliquid a Dómino. Vir dúplex ánimo incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Justus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 13, 33-37

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre proféctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri præcépit ut vígilet. Vigiláte ergo, (nescítis enim quando dóminus domus véniat: sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) ne cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Præsta, quǽsumus, Dómine: ut sancti Mártyris tui et Epíscopi Donáti intercessióne, quem ad laudem nóminis tui dicátis munéribus

honorámus, piæ nobis fructus devotiónis accréscat. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Omnípotens et miséricors Deus, qui nos sacramentórum tuórum et partícipes éfficis, et minístros: præsta, quǽsumus; ut, intercedénte beáto Donáto, Mártyre tuo atque Pontífice, ejúsdem proficiámus et fídei consórtio, et digno servítio. Per Dóminum.

Die 8 Augusti

Ss. Cyriaci, Largi et Smaragdi Martyrum

Introitus Ps. 33, 10-11

Timéte Dóminum, omnes sancti ejus, quóniam nihil deest timéntibus eum: dívites eguérunt et esuriérunt: inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Timéte Dóminum.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum Cyríaci, Largi et Smarágdi solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, Missæ non conventuales sunt de Canticis Canticorum, et fit Commemoratio Festi et Vigiliæ anticipatæ S. Laurentii, ut in Missa sequenti; et legitur Evangelium Vigiliæ in fine.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 2, 13-16

Fratres: Grátias ágimus Deo sine intermissióne: quóniam cum accepissétis a nobis verbum audítus Dei, accepístis illud, non ut verbum hóminum, sed (sicut est vere) verbum Dei, qui operátur in vobis, qui credidístis. Vos enim imitatóres facti estis, fratres, ecclesiárum Dei, quæ sunt in Judǽa in Christo Jesu: quia éadem passi estis et vos a contribúlibus vestris, sicut et ipsi a Judǽis: qui et Dóminum occidérunt Jesum, et prophétas: et nos persecúti sunt, et Deo non placent, et ómnibus homínibus adversántur, prohibéntes nos géntibus loqui, ut salvæ fiant, ut ímpleant peccáta sua semper: pervénit enim ira Dei super illos usque in finem.

Graduale Ps. 33, 10 et 11 Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum. ℣. Inquiréntes autem Dóminum, non defícient omni bono.

Allelúja, allelúja. ℣. Sap. 3, 7 Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 16, 15-18

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes in mundum univérsum, prædicáte Evangélium omni creatúræ. Qui credíderit, et baptizátus fúerit, salvus erit: qui

Die 9 Augusti

S. Joannis Mariae Vianney

Confessoris

Duplex

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, praeter Orationem sequentem:

Oratio P

Omnípotens et misericors Deus, qui sanctum Joánnem Maríam pastorali stúdio et jugi oratiónis ac pæniténtiæ ardóre mirábilem efecísti: da, quǽsumus; ut, ejus exémplo et intercessióne, ánimas fratrum lucrári Christo, et cum eis ætérnam glóriam cónsequi valeámus. Per eúndem Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Vigiliae S. Laurentii:

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem; perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. (Per Dóminum.)

Deinde Commemoratio S. Romani Mart.:

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Secreta C

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Pro Vigilia Secreta

Hóstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius súscipe: et, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, víncula peccatórum nostrórum

absólve. (Per Dóminum nostrum.)

Pro S. Romano Secreta

Munéribus nostris, quaesumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum nostrum.

Postcommunio C

Reféeti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hac commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum nostrum.

Pro Vigilia

Postcommunio

Da, quaesumus, Dómine, Deus noster: ut, sicut beáti Lauréntii Mártyris tui commemoratióne, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. (Per Dóminum nostrum.)

Pro S. Romano

Postcommunio

Quáesumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Et in fine Missae legitur Evangelium Vigiliae:

✝ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis; et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Concordat cum Originali.

IMPRIMATUR

Bracarae, die 9 Augusti 1928

✝ Emmanuel, Arch. Prim.

vero non credíderit, condemnábitur. Signa autem eos qui credíderint, hæc sequéntur: In nómine meo dæmónia ejicient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et, si mortíferum quid biberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et eórum nobis fiat supplicatióne salutáris, pro quorum solemnitáte deféertur. Per Dóminum.

Communio Marc. 16, 17 et 18 Signa autem eos, qui in me credunt, hæc sequéntur: dæmónia ejícient: super ægros manus impónent, et bene habébunt.

Postcommunio

Reffécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedéntibus sanctis Mártyribus tuis Cyriaco, Largo et Smarágdo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra, sed a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne portántes manípulos suos.

Tempore autem Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. Sap. 3, 7 Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia sanctórum. Allelúja.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Canticis Canticorum, cum Commemoratione Festi, sed sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia, cum 2ª Oratione de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 399; et de Vigilia item dici possunt Missæ privatæ, cum 2ª tamen Oratione de Canticis Canticorum et 3ª de Festo.

Die 9 Augusti

In Vigilia S. Laurentii Mart.

Introitus Ps. 111, 9

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sǽculum sǽculi: cornu ejus exaltábitur in glória. ℣. Ps. ibid., 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Glória Patri. Dispérsit.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et intercessióne beáti Lauréntii Mártyris tui, cujus prævenímus festivitátem; perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Romani Mart., ut in Missa sequenti.

Deinde 3ª Oratio de sancta Maria Concéde, 399.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 51, 1-8 et 12

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuátus: de altitúdine ventris inferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa: laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 111, 9 et 2 Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Job 16, 20 Orátio mea munda est: et ídeo peto, ut detur locus voci meæ in cælo: quia ibi est judex meus, et cónscius meus in excélsis: ascéndat ad Dóminum deprecátio mea.

Secreta

Hóstias, Dómine, quas tibi offérimus, propítius súscipe: et, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, víncula peccatórum nostrórum absólve. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Romani.

Deinde 3ª Secreta de sancta Maria Tua, Dómine, 399.

Communio Matth. 16, 24 Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut beáti Lauréntii Mártyris tui commemoratióne temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Romani.

Deinde 3ª Postcommunio de sancta Maria Sumptis, Dómine, 399.

Eadem die 9 Augusti
Pro S. Romano Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris v loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Románo Mártyre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 10 Augusti
S. Laurentii Mart.

Introitus Ps. 95, 6

Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus: sánctitas, et magnificéntia in sanctificatióne ejus. ℣. Ps. ibid., 1 Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. Conféssio. ℣. Gloria Patri. Conféssio.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et, intercessióne beáti Lauréntii, Mártyris tui; perpétuam nobis misericórdiam benígnus impénde. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 9, 6-10

Fratres: Qui parce séminat, parce et metet: et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquísque prout destinávit in corde suo, non ex tristítia, aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus. Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem adminístrat semen seminánti: et panem ad manducándum præstábit, et multiplicábit semen vestrum, et augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

Graduale Ps. 16, 3 Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte. ℣. Igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas.

Allelúja, allelúja. ℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum crucis cæcos illuminávit. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 12, 24-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur:

et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium Ps. 95, 6 Conféssio et pulchritúdo in conspéctu ejus: sánctitas, et magnificéntia in sanctificatióne ejus.

Secreta

Accipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et beáti Lauréntii suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio Joann. 12, 26 Qui mihi ministrat, me sequátur: et ubi ego sum, illic et miníster meus erit.

Postcommunio

Sacro múnere satiáti, súpplices te, Dómine, deprecámur: ut, quod débitæ servitútis celebrámus offício, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, salvatiónis tuæ sentiámus augméntum. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra, sed a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum Crucis cæcos illuminávit. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

¶ Infra Octavam S. Laurentii nihil fit de ea; sed, si celebretur Missa votiva de eodem S. Laurentio, in ea dicitur Glória in excélsis.

Die 11 Augusti

Dedicatio Ecclesiæ Boni Jesu a Monte

Missa Terríbilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ, [48], et fit Commemoratio Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Mm., ut in Missa sequenti.

Eadem die 11 Augusti

Ss. Tiburtii et Susannæ Virg., Martyrum

Missa Salus autem de Communi plurimorum Martyrum 11 loco, [14], cum Orationibus et Epistola ut infra:

Oratio

Sanctórum Mártyrum tuórum Tibúrtii et Susánnæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia: quia non désinis propítius intuéri; quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem inveníent resurrectiónem: álii vero ludí-

bria, et vérbera expérti, insuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Secreta

Adésto, Dómine, précibus pópuli tui, adésto munéribus: ut, quæ sacris sunt obláta mystériis, tuórum tibi pláceant intercessióne Sanctórum. Per Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ: quod sit nobis, quǽsumus, interveniéntibus sanctis Martýribus tuis, vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ. Per Dóminum

---

Die 12 Augusti
S. Claræ Virg.

Missa Dilexisti, de Communi Virginum III loco, [41], præter Orationes sequentes.

Oratio

Fámulos tuos, quǽsumus, Dómine: beátæ Vírginis tuæ Claræ votíva natalítia recenséntes; cæléstium gaudiórum sua fácias intervenţióne partícipes, et tui Unigéniti coherédes: Qui tecum.

Secreta

Obláta tibi, Dómine, múnera sanctífica, quæ majestáti tuæ accépta fáciat beátæ Vírginis tuæ Claræ intercéssio veneránda. Per Dóminum.

Postcommunio

Prótegant, quǽsumus, Dómine, plebem tuam: beátæ Vírginis tuæ Claræ continuáta præsídia; et sumpta pro illíus glória córporis tui sacri et pretiósi sánguinis sacraménta: Qui vivis.

Die 13 Augusti
Ss. Hippolyti et Cassiani Mm.

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum II loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beatórum Mártyrum tuórum Hippólyti et Cassiáni veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Secreta

Réspice, Dómine, múnera pópuli tui, Sanctórum festivitáte votíva: et tuæ testificátio veritátis nobis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Sacramentórum tuórum, Dómine, commúnio sumpta nos salvet: et in tuæ veritátis luce confírmet. Per Dóminum.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, dicitur extra Chorum post Tertiam Missa de Canticis cum Commemoratione Ss. Hippolyti et Cassiani, et in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia anticipata Assumptionis B. Mariæ Virg. cum 2ª Commemoratione de Spiritu Sancto et 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, [57]-[58]. Missæ autem privatæ dici possunt, vel de Canticis, sine

Commemoratione Vigiliæ, de qua item non legitur ultimum Evangelium, sed cum Commemoratione Ss. Martyrum; vel de Vigilia cum 2ª Commemoratione Ss. Martyrum et 3ª de Spiritu Sancto, [57]-[58].

Die 14 Augusti
In Vigilia Assumptionis B. Mariæ Virg.

Introitus Sedulius

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem: qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis: in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Glória Patri. Salve, sancta Parens.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui virginálem aulam beátæ Mariæ, in qua habitáres, elígere dignátus es: da, quǽsumus; ut, sua nos defensióne munítos, jucúndos fácias suæ interésse festivitáti: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Eusebii Conf., ut in Missa sequenti.

Deinde dicitur 3ª Oratio de Spiritu Sancto, [57].

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24, 23-31

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ, et virtútis. Transíte ad me omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impléмini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit: Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Offertorium Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta

Múnera nostra, Dómine, apud cleméntiam tuam Dei Genitrícis comméndet orátio: quam idcirco de præsénti sǽculo transtulísti; ut pro peccátis nostris apud te fiduciáliter intercédat. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Eusebii; deinde 3ª Secreta de Spiritu Sancto, [58].

Præfatio communis.

Communio Beáta viscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Concéde, miséricors Deus, fragilitáti nostræ præsídium: ut, qui sanctæ Dei Genitrícis festivitátem prævenímus; intercessiónis ejus auxílio, a nostris iniquitátibus resurgámus. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Eusebii; deinde 3ª Postcommunio de Spiritu Sancto, [58].

Eadem die 14 Augusti

Pro S. Eusebio Conf.

Missa **Justus**, ut in Festo S. Pauli primi Eremitæ, die 15 Januarii, 475, præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui nos beáti Eusébii Confessóris tui ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Reffécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.



Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ V.

Introitus Eccl. vox.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus Assumptióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Gaudent Angeli, et exsúltant Archángeli: lætántur justi, et congratulántur omnes Sancti. Gaudeámus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Veneránda nobis, Dómine, hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem: in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem; nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum, Dóminum nostrum, de se génuit incarnátum: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24, 11-20

In ómnibus réquiem quæsívi, et in hereditáte Dómini morábor. Tunc præcépit, et dixit mihi Creátor ómnium et qui creávit me, requiévit in tabernáculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhábita, et in Israël hereditáre, et in eléctis meis mitte radíces. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illius, et in plenitúdine sanctórum deténtio mea. Quasi cedrus exaltáta sum in Líbano, et quasi cypréssus in monte Sion. Quasi palma exaltáta sum in Cades, et quasi plantátio rosæ in Jéricho. Quasi olíva speciósa in campis, et quasi plátanus exaltáta sum juxta aquam in platéis. Sicut cinnamómum et bálsamum aromatízans odórem dedi: quasi myrrha elécta dedi suavitátem odóris.

Graduale Ps. 44, 5, 11 et 12 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam, et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam.



Die 15 Augusti

IN ASSUMPTIONE B. MARIÆ V.

Introitus — Ap. 12, 1

Signum magnum appáruit in caelo: múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius, et in cápite eius coróna stellárum duódecim. Ps. 97, 1. Cantáte Dómino cánticum novum: quia mirabília fecit. Signum magnum ✠ Glória Patri. Signum magnum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui Immaculátam Vírginem Maríam, Fílii tui Genitrícem, córpore et ánima ad caeléstem glóriam assumpsísti: concéde, quaésumus, ut ad supérna semper inténti, ipsíus glóriae mereámur esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Judith

Judith 13, 22-25; 15, 10

Benedíxit te Dominus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu, fília, a Dómino Deo excélso, prae ómnibus muliéribus super terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit caelum et terram, qui te diréxit in vúlnera cápitis príncipis inimicórum nostrórum; quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in aetérnum, pro quibus non pepercísti ánimae tuae propter angústias et tribulatiónem géneris tui, sed subvenísti ruínae ante conspéctum Dei nostri. Tu glória Jerúsalem, tu laetítia Israël, tu honorificéntia pópuli nostri.

Graduale. Ps. 44, 11-12 et 14. Audi fília, et vide, et inclína aurem tuam, et concupíscet rex pulchritúdinem tuam. ℣. Tota decóra ingréditur fília regis, textúrae áureae sunt amíctus eius. Allelúja, allelúja. ℣. Assumpta est María in caelum: gaudet exércitus Angelórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. 1, 41-50

In illo témpore: Repléta est Spíritu Sancto Elísabeth et exclamávit voce magna, et dixit: Benedícta tu inter mulíeres, et benedíctus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi ut véniat mater Dómini mei ad me? Ecce enim ut facta est vox salutatiónis tuae in áuribus meis, exsultávit in gáudio infans in útero meo. Et beáta, quae credidísti, quóniam perficiéntur ea, quae dicta sunt tibi a Dómino. Et ait María: Magníficat ánima mea Dóminum; et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo; quia respéxit humilitátem ancíllae suae, ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius, et misericórdia eius, a progénie in progénies timéntibus eum. Credo.

Offertorium. Gen. 3, 15. Inimicítias ponam inter te et Mulíerem, et semen tuum et Semen illíus.

Secreta

Ascéndat ad Te, Dómine, nostrae devotiónis oblátio, et, Beatíssima Vírgine María in caelum assúmpta intercedénte, corda nostra, caritátis igne succénsa, ad Te júgiter adspírent. Per Dóminum.

Praefatio de B. María Virg. Et te in Assumptióne: quae dicitur per totam Octavam in omnibus Missis quae aliam Praefationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio. Luc. 1, 48-49. Beátam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salutáribus sacraméntis, da quáesumus, ut, méritis et intercessióne Beátae Vírginis Maríae in caelum assúmptae, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per Dóminum.

Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo; et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2.ª Oratio de Spíritu Sancto, et 3.ª contra persecutores Ecclesiae, vel pro Papa, [57]-[58].

Concordat cum originali approbato.

IMPRIMATUR
Bracarae, 16 Dec. 1950
† Antonius, Archiep. Prim.

1950=Bracarae, Typis «Pax»

Allelúja, allelúja, ℣. Assúmpta est María in cælum: gaudet exércitus Angelórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 38-42

In illo témpore: Intrávit Jesus in quoddam castéllum: et múlier quædam, Martha nómine, excépit illum in domum suam: et huic erat soror, nómine María, quæ étiam sedens secus pedes Dómini, audiébat verbum illíus. Martha autem satagébat circa frequens ministérium: quæ stetit, et ait: Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit me solam ministráre? dic ergo illi, ut me ádjuvet. Et respóndens, dixit illi Dóminus: Martha, Martha, sollícita es, et turbáris erga plúrima: porro unum est necessárium. María óptimam partem elégit, quæ non auferétur ab ea. Credo.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genitrícis orátio: quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus, in cæléstí glória apud te pro nobis intercédere sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de B. María Virg. Et te in Assumptióne: quæ dicitur per totam Octavam in omnibus Missis quæ aliam Præfationem non exigant, juxta Rubricas.

Communio Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus.

Postcommunio

Mensæ cæléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut, qui Assumptiónem Dei Genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per eúmdem Dóminum.

¶ Infra Octavam Missa dicitur ut in Festo; et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2ª Oratio de Spiritu Sancto, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, [57]-[58].

Die 16 Augusti
S. Joachim
Patris B. Mariæ Virg., Conf.

Introitus Ps. 111, 9

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi: cornu ejus exaltábitur in glória. ℣. Ps. ibid. 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Dispérsit. ℣. Glória Patri. Dispérsit.

Oratio

Deus, qui præ ómnibus Sanctis tuis beátum Jóachim Genitrícis Fílii tui patrem esse voluísti: concéde, quæsumus; ut, cujus festa venerámur, ejus quoque perpétuo patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita

sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 111, 9 et 2 Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. ℣. O Jóachim, sanctæ conjux Annæ, pater almæ Vírginis, hic fámulis ferto salútis opem. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 111, 2 Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur, Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. precatio. O Jóachim, sanctæ conjux Annæ, pater almæ Vírginis, hic fámulis ferto salútis opem. Allelúja.

✠ Inítium sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 1, 1-16

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Credo, ratione Octavæ Assumptiónis.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Súscipe, clementíssime Deus, sacrifícium in honórem sancti Patriárchæ Jóachim, patris Maríæ Vírginis, majestáti tuæ oblátum: ut, ipso cum cónjuge sua, et beatíssima prole intercedénte, perféctam cónsequi mereámur remissiónem peccatórum, et glóriam sempitérnam. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Assumptióne, ratione Octavæ.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut per hæc sacraménta, quæ súmpsimus, intercedéntibus méritis et précibus beáti Jóachim, patris Genitrícis dilécti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi; tuæ grátiæ in præsénti, et ætérnæ glóriæ in futúro partícipes esse mereámur. Per eúmdem Dóminum.

Die 17 Augusti

S. Hyacinthi Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], cum Commemoratione Octavæ Assumptionis, ut supra, et diei Octavæ S. Laurentii Mart., ut in Missa sequenti, et dicitur Credo.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Assumptióne, ratione Octavæ.

Eadem die 17 Augusti

Pro die Octava S. Laurentii Mart.

Introitus Ps. 16, 3

Probásti, Dómine, cor meum, et visitásti nocte: igne me examinásti, et non est invénta in me iníquitas. ℣. Ps. ibid., 1 Exáudi, Dómine, justítiam meam: inténde deprecatiónem meam. ℣. Glória Patri. Probásti, Dómine.

Oratio

Excita, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, cui beátus Lauréntius Levíta servívit: ut, eódem nos repléti, studeámus amáre quod amávit, et ópere exercére quod dócuit. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 9, 6-10

Fratres: Qui parce séminat, parce et metet: et qui séminat in benedictiónibus, de benedictiónibus et metet. Unusquísque prout destinávit in corde suo, non ex tristítia, aut ex necessitáte: hílarem enim datórem díligit Deus. Potens est autem Deus omnem grátiam abundáre fácere in vobis, ut in ómnibus semper omnem sufficiéntiam habéntes, abundétis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi. Qui autem adminístrat semen semi-nánti: et panem ad manducándum præstábit, et multiplicábit semen vestrum, et augébit increménta frugum justítiæ vestræ.

Graduale Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℣. Et

constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Allelúja, allelúja. ℣. Levíta Lauréntius bonum opus operátus est: qui per signum crucis cæcos illuminávit. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 12, 24-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum fruménti, cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet: si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Sacrifícium nostrum tibi, Dómine, quǽsumus, beáti Lauréntii precátio sancta concíliet: ut, cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Communio Matth. 16, 24 Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos donis cæléstibus satiásti, intercedénte beáto Lauréntio Mártyre tuo, perpétua protectióne custódias. Per Dóminum.

Die 18 Augusti
Pro S. Agapito Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris IV loco, [9], cum Orationibus et Evangelio, ut infra notatur.

Oratio

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártyris tui confísa suffrágiis: atque, ejus précibus gloriósis, et devóta permáneat, et secúra consístat. (Per Dóminum).

Evangelium Nisi granum fruménti, ut supra in præcedenti Missa diei Octavæ S. Laurentii notatur.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in ejus tibi solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. (Per Dóminum).

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. (Per Dóminum).

Die 20 Augusti
S. Bernardi Abb. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio Ecclésiæ.

Die 19 Augusti

S. JOANNIS EUDES
CONFESSORIS
Duplex

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, praeter Orationem sequentem:

Oratio P

Deus, qui beátum Joánnem, Confessórem tuum, ad cultum sacrórum Córdium Jesu et Mariæ rite promovéndum, mirabíliter inflammásti, et per eum novas in Ecclésia tua famílias congregáre voluísti: præsta, quáesumus; ut, cujus pia mérita venerámur, virtútum quoque instruámur exémplis. Per eúndem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavae Assumptionis:

Oratio

Veneránda nobis, Dómine, hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem: in qua sancta Dei Génitrix mortem subiit temporálem; nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum, Dóminum nostrum, de se génuit incarnátum. (Qui tecum).

Credo, ratione Octavae.

Secreta C

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Pro Octava Assumptionis

Secreta

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genetrícis orátio: quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus, in cæléstì glória apud te pro nobis intercédere sentiámus. Per eúndem Dóminum.

Praefatio de Octava.

Postcommunio **C**

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus haec commemoratiòne percèpimus, ejus muniámur et précibus. Per Dòminum.

Pro Octava Assumptionis

Postcommunio

Mensae caeléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dòmine, Deus noster: ut, qui Assumptiònem Dei Genetrícis còlimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessiòne, liberémur. Per eúndem Dòminum.

Concordat cum Originali approbato. In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacrae Rituum Congregationis, die 31 Maji 1928.

L. † S. **Angelus Mariani**, Secretarius

Imprimatur.

Bracaræ, die 19 Augusti 1928

† **Emmanuel**, Arch. Prim.

BRACARÆ, TYPIS UNIVERSALE

Oratio

Deus, qui per Vírginem Matrem tuam beáto Bernárdo Doctóri tantam grátiam contulísti, ut in ómnibus, et per ómnia, semper in tuo servítio permanéret: concéde nobis, quǽsumus; ut, cujus ánnua solemnitáte lætámur, ejus intercessiónibus donum tuæ grátiæ consequámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavæ Assumptionis.

Oratio

Veneránda nobis, Dómine, hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem: in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem; nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum, Dóminum nostrum, de se génuit incarnátum: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 39, 6-14

Justus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sǽculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad níhilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et do-

cúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum.

Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Grata tibi sit, Deus, intercedénte beáto Bernárdo Confessóre tuo, hujus oblátio sacraménti, quod, in memóriam Domínicæ passiónis, tuæ offérimus Majestáti. Per Dóminum.

Pro Octava Assumptionis
Secreta

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genitrícis orátio: quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus, in cælésti glória apud te pro nobis intercédere sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Octava.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Pérfice, quǽsumus, Dómine, pium in nobis sanctæ religiónis efféctum: et, ad obtinéndam tuæ grátiæ largitátem, beátus Bernárdus, Abbas et Doctor egrégius, suis apud te semper pro nobis méritis et précibus intercédat. Per Dóminum.

Pro Octava Assumptionis
Postcommunio

Mensæ cæléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut, qui Assumptiónem Dei Genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne liberémur. Per eúmdem Dóminum.

Die 21 Augusti
S. Joannæ Franciscæ Fremiot de Chantal Vid.

Missa Cognóvi, de Communi non Virginum III loco, [47], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui beátam Joánnam Franciscam tuo amóre succénsam, admirábili spíritus fortitúdine per omnes vitæ sémitas in via perfectiónis donásti, quique per illam illustráre Ecclésiam tuam nova prole voluísti: ejus méritis et précibus concéde; ut, qui infirmitátis nostræ cónscii de tua virtúte confídimus, cæléstis grátiæ auxílio cuncta nobis adversántia vincámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Assumptionis.

Oratio

Veneránda nobis, Dómine, hujus diéi festívitas opem cónferat salutárem: in qua sancta Dei Génitrix mortem súbiit temporálem; nec tamen mortis néxibus déprimi pótuit, quæ Fílium tuum, Dóminum nostrum, de se génuit incarnátum: Qui tecum.

Credo, ratione Octavæ.

Secreta

Illo nos amóris igne, quǽsumus, Dómine, hæc hóstia salutáris inflámmet: quo beátæ Joánnæ Franciscæ cor veheménter incéndit, et

flammis adússit ætérnæ caritátis. Per Dóminum.

Pro Octava Assumptionis
Secreta

Subvéniat, Dómine, plebi tuæ Dei Genitrícis orátio: quam etsi pro conditióne carnis migrásse cognóscimus, in cæléști glória apud te pro nobis intercédere sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Octava.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos cæléstis panis virtúte satiásti, beáta Joánna Francísca intercedénte, fácias terréna despícere, et te solum Deum pura mente sectári. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

Pro Octava Assumptionis
Postcommunio

Mensæ cæléstis partícipes effécti, implorámus cleméntiam tuam, Dómine Deus noster: ut, qui Assumptiónem Dei Genitrícis cólimus, a cunctis malis imminéntibus, ejus intercessióne, liberémur. Per eúmdem Dóminum.

Die 22 Augusti

In die Octava Assumptionis B. Mariæ Virg.

Missa ut in Festo, omissa prima repetitione Introitus et addita Commemoratione Ss. Timothei, Hippolyti et Symphoriani Mm., ut in Missa sequenti.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, fit de Vigilia anticipata S. Bartholomæi Ap., ut die sequenti notatur.

Eadem die 22 Augusti

Pro Ss. Timotheo, Hippolyto et Symphoriano Mm.

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum 11 loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Auxílium tuum nobis, Dómine, quæsumus, placátus impénde: et, intercedéntibus beátis Martýribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, déxteram super nos tuæ propitiatiónis exténde. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Timótheo, Hippólyto et Symphoriáno, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 23 Augusti

S. Philippi Benitii Conf.

Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis 11 loco, [34], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui per beátum Philíppum Confessórem tuum, exímium nobis humilitátis exémplum tribuísti: da fámulis tuis próspera mundi ex ejus imitatióne despícere, et cæléstia semper inquírere. Per Dóminum.

Et, in Missis non conventualibus, fit Commemoratio Vigiliæ S. Bartholomæi, ut in Missa sequenti.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Vigiliæ, ut supra.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Philíppo Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Vigiliæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine, juxta Rubricas.

¶ Ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia, ut infra: de Vigilia dici possunt etiam Missæ privatæ cum 2ª tamen Oratione Festi.

Eadem die 23 Augusti

In Vigilia S. Bartholomæi Ap.

Missa Ego autem, de Communi in Vigiliis Apostolorum, [1], cum 2ª Oratione de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, 352.

Die 24 Augusti

S. Bartholomæi Apostoli

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Mihi autem. ℣. Gloria Patri. Mihi autem.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui hujus diéi venerándam sanctámque lætítiam in beáti Apóstoli tui Bartholomǽi festivitáte tribuísti: da Ecclésiæ tuæ, quǽsumus; et amáre quod crédidit, et prædicáre quod dócuit. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 12, 27-31

Fratres: Vos estis corpus Christi, et membra de membro. Et quosdam quidem pósuit Deus in Ecclésia primum apóstolos, secúndo prophétas, tértio doctóres, deínde virtútes, exínde grátias curatiónum, opitulatiónes, gubernatiónes, génera linguárum, interpretatiónes sermónum. Numquid omnes apóstoli? numquid omnes prophétæ? numquid omnes doctóres? numquid omnes virtútes? numquid omnes grátiam habent curatiónum? numquid omnes linguis loquúntur? numquid omnes interpretántur? Æmulámini autem charísmata melióra.

Graduale Ps. 44, 17-18 Constitues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Te gloriósus Apostolórum chorus laudat, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6, 12-19

In illo témpore: Exiit Jesus in montem oráre, et erat pernóctans in oratióne Dei. Et, cum dies factus esset, vocávit discípulos suos, et elégit duódecim ex ipsis (quos et Apóstolos nominávit): Simónem, quem cognominávit Petrum, et Andréam fratrem ejus, Jacóbum et Joánnem, Philíppum et Bartholomǽum, Matthǽum et Thomam, Jacóbum Alphǽi et Simónem, qui vocátur Zelótes, et Judam Jacóbi, et Judam Iscariótem, qui fuit próditor. Et descéndens cum illis, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere, quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes.

Credo.

Offertorium Ps. 138, 17 Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum.

Secreta

Beáti Apóstoli tui Bartholomǽi solémnia recenséntes, quǽsumus, Dómine: ut ejus auxílio tua benefícia capiámus, pro quo tibi laudis hóstias immolámus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 Vos qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël, dicit Dóminus.

Postcommunio

Sumptum, Dómine, pignus redemptiónis ætérnæ: sit nobis, quǽsumus; interveniénte beáto Bartholomǽo Apóstolo tuo, vitæ præséntis auxílium páriter et futúræ. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omnia dicuntur ut supra, sed post Graduale, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus, Epistola et Evangelio ut supra.

Die 25 Augusti

S. Ludovici Regis, Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps., ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui beátum Ludovícum, Confessórem tuum, de terréno ac temporáli regno ad cæléstis et ætérni regni glóriam transtulísti: ejus, quǽsumus, méritis et intercessióne; Regis regum Jesu Christi, Fílii tui, nos coherédes effícias, et

ejúsdem regni tríbuas esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 19, 12-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut redíret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset. Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non seminásti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, sicut beátus Ludovicus, Conféssor tuus, per abundántiam grátiæ tuæ, oblectaméntis mundiálibus spretis, soli Regi Christo placére stúduit; ita ejus orátio nos tibi reddat accéptos. Per eúmdem Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dominus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Deus, qui almum Confessórem Ludovícum mirificásti in terris: quæsumus, ut jam in cælis gloriósum efféctum; Ecclésiæ tuæ constítuas defénsorem, eámque, ejus précibus et méritis, ab omni adversitáte liberáre dignéris. Per Dóminum.

Die 26 Augusti

S. Zephyrini Papæ et Mart.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris 11 loco [5], præter Orationem sequentem:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut beáti Zephyríni, Mártyris tui atque Pontíficis, cujus gaudémus méritis, instruámur exémplis. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Zephyríno, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Zephyríno, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 27 Augusti

S. Josephi Calasanctii Conf.

Introitus Ps. 33, 12

Veníte, fílii, audíte me: timórem Dómini docébo vos. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Venite, fílii.

Oratio

Deus, qui per sanctum Joséphum Confessórem tuum, ad erudiéndam spíritu intelligéntiæ ac pietátis juventútem, novum Ecclésiæ tuæ subsídium providére dignátus es: præsta, quæsumus; nos, ejus exémplo et intercessióne, ita fácere et docére, ut prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: de-

scenditque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 18, 1-5

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis putas major est in regno cælórum? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit.

Offertorium Ps. 9, 17 Desidérium páuperum exaudívit Dóminus: præparatiónem cordis eórum audívit auris tua.

Secreta

Altáre tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis: ut ejus nobis fiant supplicatióne propítia, cujus nos donásti patrocínio adjuvári. Per Dóminum.

Communio Marc. 10, 14 Sínite párvulos veníre ad me, et ne prohibuéritis eos: tálium est enim regnum Dei.

Postcommunio

Sanctificáti, Dómine, salutári mystério: quæsumus; ut, intercedénte sancto Josépho Confessóre tuo, ad majus semper proficiámus pietátis increméntum. Per Dóminum.

Die 28 Augusti

S. Augustini Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio Ecclésiæ.

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: et, quibus fidúciam sperándæ pietátis indúlges, intercedénte beáto Augustíno, Confessóre tuo et Doctóre atque Pontífice, consuétæ misericórdiæ tríbue benígnus efféctum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Hermetis Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum

ipsius, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum ímple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 21 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo salliétur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum. Credo.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus, quæ in Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Sancti Augustíni, Pontíficis tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Hermetis.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Augustínus, Póntifex tuus et Doctor egrégius, quǽsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Hermetis.

Eadem die 28 Augusti

Pro S. Hermete Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris v loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui beátum Hermétem Mártyrem tuum virtúte constántiæ in passióne roborásti: ex ejus nobis imitatióne tríbue; pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Secreta

Sacrifícium tibi, Dómine, laudis offérimus in tuórum commemoratióne Sanctórum: da, quæsumus: ut, quod illis cóntulit glóriam, nobis prosit ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Repléti, Dómine, benedictióne cæléstí: quæsumus cleméntiam tuam; ut, intercedénte beáto Herméte Mártyre tuo, quæ humíliter gérimus, salúbriter sentiámus. Per Dóminum.

Die 29 Augusti

In Decollatione S. Joannis Baptistæ

Introitus Matth. 11, 2-3

Joánnes autem, cum audísset in vínculis ópera Christi, mittens duos de discípulis suis, ait illi: Tu es, qui ventúrus es, an álium expectámus? ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Joánnes autem.

Oratio

Sancti Joánnis Baptístæ, Præcursóris et Mártyris tui, quæsumus, Dómine, veneránda festívitas: salutáris auxílii nobis præstet efféctum: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Sabinæ Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 11, 36-39

Fratres: Sancti ludíbria et vérbera expérti, ínsuper et víncula et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. Circumiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fídei probáti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 115, 6 et 1 Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. ℣. Crédidi, propter quod locútus sum: ego autem humiliátus sum nimis.

Allelúja, allelúja. ℣. Marc. 6, 20 Metuébat Heródes Joánnem, sciens eum virum justum et sanctum: et custodiébat eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 6, 17-29

In illo témpore: Misit Heródes, ac ténuit Joánnem, et vinxit eum in cárcere propter Herodíadem uxórem Philíppi fratris sui, quia dúxerat eam. Dicébat enim Joánnes Heródi: Non licet tibi habére uxórem fratris tui. Heródias autem insidiabátur illi, et

volébat occídere eum, nec póterat. Heródes enim metuébat Joánnem, sciens eum virum justum et sanctum: et custodiébat eum, et audíto eo multa faciébat, et libénter eum audiébat. Et cum dies opportúnus accidísset, Heródes natális sui cœnam fecit princípibus, et tribúnis, et primis Galilǽæ. Cumque introísset fília ipsíus Herodíadis, et saltásset et placuísset Heródi, simúlque recumbéntibus: rex ait puéllæ: Pete a me quod vis, et dabo tibi. Et jurávit illi: Quia quidquid petíeris dabo tibi, licet dimídium regni mei. Quæ cum exísset, dixit matri suæ: Quid petam? At illa dixit: Caput Joánnis Baptístæ. Cumque introísset statim cum festinatióne ad regem, petívit dicens: Volo ut prótinus des mihi in disco caput Joánnis Baptístæ. Et contristátus est rex: propter jusjurándum, et propter simul discumbéntes nóluit eam contristáre: sed, misso spiculatóre, præcépit afférri caput ejus in disco. Et decollávit eum in cárcere. Et áttulit caput ejus in disco: et dedit illud puéllæ, et puélla dedit matri suæ. Quo audíto, discípuli ejus venérunt, et tulérunt corpus ejus: et posuérunt illud in monuménto.

Offertorium Marc. 6, 27 et 29 Misit rex spiculatórem, et præcépit amputáre caput Joánnis in cárcere: quo audíto, discípuli ejus venérunt, et sepeliérunt eum.

Secreta

Múnera, quæ tibi, Dómine, pro sancti Mártyris tui Joánnis Baptístæ passióne deférimus: quǽsumus: ut ejus obténtu nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Sabinæ.

Communio Luc. 7, 22-23 Ite, dícite Joánni: Cæci vident, surdi áudiunt, mórtui resúrgunt: et beátus est qui non fúerit scandalizátus in me.

Postcommunio

Cónferat nobis, Dómine, sancti Joánnis Baptístæ solémnitas: ut et magnífica sacraménta, quæ súmpsimus, significáta venerémur, et in nobis pótius édita gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Sabinæ.

Eadem die 29 Augusti
Pro S. Sabina Mart.

Missa Me exspectavérunt, de Communi non Virginum 1 loco, [45], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius: ut, qui beátæ Sabínæ Mártyris tuæ natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Sabínæ Mártyris tuæ dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue provenire subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Sabína Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 30 Augusti
S. Rosæ a S. Maria Virg. Limanæ

Missa Dilexísti, de Communi Virginum III loco, [41], præter Orationem sequentem:

Oratio

Bonórum ómnium largítor, omnípotens Deus, qui beátam Rosam, cæléstis grátiæ rore prævéntam, virginitátis et patiéntiæ decóre Indis floréscere voluísti: da nobis fámulis tuis; ut in odórem suavitátis ejus curréntes, Christi bonus odor éffici mereámur: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Ss. Felicis et Adaucti Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Felicis et Adaucti.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Felicis et Adaucti.

Eadem die 30 Augusti
Pro Ss. Felice et Adaucto Mm.

Introitus Eccli. 44, 15 et 14

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam.

Oratio

Majestátem tuam, Dómine, súpplices exorámus: ut, sicut nos júgiter Sanctórum tuórum commemoratióne lætíficas; ita semper supplicatióne deféndas. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 17-20

Réddidit Deus justis mercédem labórum suórum, et dedúxit illos in via mirábili: et fuit illis in velaménto diéi, et in luce stellárum per noctem: tránstulit illos per Mare Rubrum, et transvéxit illos per aquam nímiam. Inimícos autem illórum demérsit in mare, et ab altitúdine inferórum edúxit illos. Ideo justi tulérunt spólia impiórum, et decantavérunt, Dómine, nomen sanctum tuum, et victrícem manum tuam laudavérunt páriter, Dómine Deus noster.

Graduale Sap. 3, 1-2 et 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúja, allelúja. ℣. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 10, 16-20

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me. Revérsi sunt autem

septuaginta duo cum gáudio, dicéntes: Dómine, étiam dæmónia subjiciúntur nobis in nómine tuo. Et ait illis: Vidébam sátanam sicut fulgur de cælo cadéntem. Ecce dedi vobis potestátem calcándi supra serpéntes, et scorpiónes, et super omnem virtútem inimíci: et nihil vobis nocébit. Verúmtamen in hoc nolíte gaudére quia spíritus vobis subjiciúntur: gaudéte autem, quod nómina vestra scripta sunt in cælis.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Hóstias, Dómine, tuæ plebis inténde: et, quas in honóre Sanctórum tuórum devóta mente célebrat, profícere sibi séntiat ad salútem. Per Dóminum.

Communio Matth. 10, 27 Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine, dicit Dóminus: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta.

Postcommunio

Repléti, Dómine, munéribus sacris: quæsumus; ut, intercedéntibus Sanctis tuis, in gratiárum semper actióne maneámus. Per Dóminum.

Die 31 Augusti
S. Raymundi Nonnati Conf.

Missa **Os justi,** de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui in liberándis fidélibus tuis ab impiórum captivitáte beátum Raymúndum Confessórem tuum mirábilem effecísti: ejus nobis intercessióne concéde; ut, a peccatórum vínculis absolúti, quæ tibi sunt plácita, líberis méntibus exsequámur. Per Dóminum.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Reféctì cibo potúque cæléstì, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS

¶ Prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio **Fidélium.**

Die 1 Septembris
S. Ægidii Abbatis

Missa **Os justi,** de Communi Abbatum. [35].

Et fit Commemoratio Ss. duodecim Fratrum Martyrum, ut in Missa sequenti.

Eadem die 1 Septembris
Pro Ss. duodecim Fratribus Martyribus

Missa ut in Festo Ss. Symphorosæ et septem Filiorum ejus Martyrum.

die 18 Julii, 680, cum Orationibus ut infra:

Oratio

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fídei nostræ præbeat increménta virtútum, et multíplici nos suffrágio consolétur. Per Dóminum.

Secreta

Mystéria tua, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne devóta mente tractémus: quibus nobis et præsídium crescat, et gáudium. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiéndo sectémur. Per Dóminum.

Die 2 Septembris
S. Stephani Regis, Conf.

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Concéde, quǽsumus, Ecclésiæ tuæ, omnípotens Deus: ut beátum Stéphanum Confessórem tuum, quem regnántem in terris propagatórem hábuit, propugnatórem habére mereátur gloriósum in cælis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia sanctórum.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Jac. 1, 12 Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 19, 12-20

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo quidam nóbilis ábiit in regiónem longínquam accípere sibi regnum, et revérti. Vocátis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, et ait ad illos: Negotiámini dum vénio. Cives autem ejus óderant eum: et misérunt legatiónem post illum, dicéntes: Nólumus hunc regnáre super nos. Et factum est, ut rediret accépto regno: et jussit vocári servos, quibus dedit pecúniam, ut sciret quantum quisque negotiátus esset.

Venit autem primus, dicens: Dómine, mna tua decem mnas acquisívit. Et ait illi: Euge, bone serve, quia in módico fuísti fidélis, eris potestátem habens super decem civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, mna tua fecit quinque mnas. Et huic ait: Et tu esto super quinque civitátes. Et alter venit, dicens: Dómine, ecce mna tua, quam hábui repósitam in sudário: tímui enim te, quia homo austérus es: tollis quod non posuísti, et metis quod non semināsti. Dicit ei: De ore tuo te júdico, serve nequam. Sciébas quod ego homo austérus sum, tollens quod non pósui, et metens quod non seminávi: et quare non dedísti pecúniam meam ad mensam, ut ego véniens, cum usúris útique exegíssem illam? Et astántibus dixit: Auférte ab illo mnam, et date illi, qui decem mnas habet. Et dixérunt ei: Dómine, habet decem mnas. Dico autem vobis: Quia omni habénti dábitur, et abundábit: ab eo autem, qui non habet, et quod habet, auferétur ab eo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Réspice, quas offérimus, hóstias, omnípotens Deus: et præsta; ut, qui passiónis Domínicæ mystéria celebrámus, imitémur quod ágimus. Per eúmdem Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Stéphani Confessóris tui fidem cóngrua devotióne sectémur; qui pro ejúsdem fídei dilatatióne, de terréno regno ad cæléstis regni glóriam méruit perveníre. Per Dóminum.

Die 5 Septembris

S. Laurentii Justiniani Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, [25], præter Evangélium Homo péregre, ut in Missa S. Leonis II, 661, die 3 Julii.

Die 8 Septembris

IN NATIVITATE B. MARIÆ VIRG.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Maríæ Vírginis: de cujus Nativitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 47, 2 Magnus Dóminus, et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. Gaudeámus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Supplicatiónem servórum tuórum, Deus, miserátor exáudi: ut qui in Nativitáte Dei Genitrícis et Vírginis Maríæ congregámur; ejus intercessiónibus a te de instántibus perículis eruámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Hadriani Mart.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Hadriáni Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 8, 22-35

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram: necdum fontes aquárum erúperant: necdum montes gravi mole constíterant: ante colles ego parturiébar: adhuc terram non fécerat, et flúmina, et cárdines orbis terræ. Quando præparábat cælos, áderam: quando certa lege et gyro vallábat abýssos: quando æthera firmábat sursum, et librábat fontes aquárum: quando circúmdabat mari términum suum, et legem ponébat aquis, ne transírent fines suos: quando appendébat fundaménta terræ. Cum eo eram cuncta compónens: et delectábar per síngulos dies, ludens coram eo omni témpore: ludens in orbe terrárum: et delíciæ meæ esse cum fíliis hóminum. Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti, qui custódiunt vias

meas. Audite disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Natívitas tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium áttulit univérso mundo: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 1, 1-16

Liber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares, et Zaram de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínabad. Amínabad autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea, quæ fuit Uríæ. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechías autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Jechoníam, et fratres ejus in transmigratióne Babylónis. Et post transmigratiónem Babylónis: Jechonías génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abiud. Abiud autem génuit Elíacim. Elíacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Eliud. Eliud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Credo.

Offertorium Eccl. vox Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

Secreta

Unigéniti tui, Dómine, nobis succúrrat humánitas: ut, qui natus de Vírgine, matris integritátem non mínuit, sed sacrávit; in Nativitátis ejus solémniis, nostris nos piáculis éxuens, oblatiónem nostram tibi fáciat accéptam Jesus Christus Dóminus noster: Qui tecum.

Pro S. Hadriano Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda my-

stériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Nativitáte.

Communio Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, celebritátis ánnuæ votíva sacraménta: præsta, quǽsumus; ut, et temporális vitæ nobis remédia præbeant, et ætérnæ. Per Dóminum.

Pro S. Hadriano Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

¶ Infra Octavam nihil fit de ea; sed Missæ votivæ de beata Maria Virgine et Missa de Officio Canticorum, dicuntur ut in Festo, cum Glória in excélsis, additis 2ª Oratione de Spiritu Sancto, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, [57]-[58].

¶ Item si, ratione alterius Octavæ, alicubi celebratæ, dicenda sit 2ª vel 3ª Oratio de sancta Maria, dicitur de ejus Nativitate, ut supra.

Eadem die 8 Septembris

Pro S. Hadriano Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut in Missa præcedenti.

Die 9 Septembris

S. Gorgonii Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris V loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Sanctus tuus, Dómine, Gorgónius sua nos intercessióne lætíficet: et pia fáciat solemnitáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta

Grata tibi sit, Dómine, nostræ servitútis oblátio: pro qua sanctus Gorgónius Martyr intervéntor exsistat. Per Dóminum.

Postcommunio

Famíliam tuam, Deus, suávitas ætérna contíngat et végetet: quæ in Mártyre tuo Gorgónio Christi Fílii tui bono júgiter odóre pascátur: Qui tecum.

Die 10 Septembris

S. Nicolai a Tolentino Conf.

Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis II loco, [34].

Die 11 Septembris

Ss. Proti et Hyacinthi Martyrum

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum II loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacínthi nos, Dómine, fóveat pretiósa conféssio: et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Secreta

Pro sanctórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacinthi commemoratióne, múnera tibi, Dómine, quæ debémus, exsólvimus: præsta, quǽsumus; ut remédium nobis perpétuæ salútis operéntur. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut percépta nos, Dómine, tua sancta purificent: beatórum Mártyrum tuórum Proti et Hyacinthi, quǽsumus, implóret orátio. Per Dóminum.

Die 12 Septembris
Ssmi Nominis Mariæ

Introitus Ps. 44, 13, 15 et 16

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætitia et exsultatióne. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. ℣. Glória Patri. Vultum tuum.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ Nómine et protectióne lætántur; ejus pia intercessióne, a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cælis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24, 23-31

Ego quasi vitis fructificávi suavitátem odóris: et flores mei, fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatiónibus meis impleméni. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatiónes sæculórum. Qui edunt me, adhuc esúrient: et qui bibunt me, adhuc sítient. Qui audit me, non confundétur: et qui operántur in me, non peccábunt. Qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera, factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Post partum, Virgo, inviolâta permansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilǽæ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus: Quæ, cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit

tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. Credo.

Offertorium Luc. 1, 28 et 42 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Die 14 Septembris

In Exaltatione S. Crucis

Introitus Gal. 6, 14

Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti, et liberáti sumus. ℣. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri. Nos autem.

Oratio

Deus, qui unigéniti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, pretióso Sánguine humánum genus redímere dignátus es: concéde propítius; ut qui ad adorándam vivíficam Crucem advéniunt, a peccatórum suórum néxibus liberéntur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 2, 5-11

Fratres: Hoc enim sentíte in vobis, quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum: et donávit illi nomen, quod est super omne nomen: (hic genuflectitur) ut in nómine Jesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium, et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Graduale Ibid., 8-9 Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem Crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Allelúja, allelúja. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: quæ sola fuisti digna sustinére Regem cælórum et Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 12, 31-36

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Nunc judícium est mundi: nunc princeps hujus mundi ejiciétur foras. Et ego si exaltátus fúero a terra, ómnia traham ad meípsum. (Hoc autem dicébat, signíficans qua morte esset moritúrus). Respóndit ei turba: Nos audívimus ex lege, quia Christus manet in ætérnum: et quómodo tu dicis: Opórtet exaltári Fílium hóminis? Quis est iste Fílius hóminis? Dixit ergo eis Jesus: Adhuc módicum lumen in vobis est. Ambuláte dum lucem habétis, ut non vos ténebræ comprehéndant: et qui ámbulat in ténebris, nescit quo vadat. Dum lucem habétis, crédite in lucem, ut fílii lucis sitis. Credo.

Offertorium Prótege, Dómine, plebem tuam per signum sanctæ Crucis, ab insídiis inimicórum ómnium: ut tibi gratam exhibeámus servitútem, et acceptábile fiat sacrifícium nostrum, allelúja.

Secreta

Jesu Christi Dómini nostri córpore et sánguine saginándi, per quem Crucis est sanctificátum vexíllum: quǽsumus, Dómine Deus noster; ut, sicut illud adoráre merúimus, ita perénniter ejus glóriæ salutáris potiámur effectu. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

Postcommunio

Adésto nobis, Dómine Deus noster: et quos sanctæ Crucis lætári facis honóre, ejus quoque perpétuis defénde subsídiis. Per Dóminum,

¶ Pro Missa votiva de S. Cruce sumitur Missa Nos autem, quæ habetur inter votivas circa finem Missalis, [77].

Die 15 Septembris

Septem Dolorum B. Mariæ V.

¶ De die Octava Nativitatis B. Mariæ Virg. nihil fit in Missa Septem Dolorum. Sicubi tamen hac die celebretur aliquod Festum nobilius Solemne II ordinis, quod non sit B. Mariæ Virg., de ipsa die Octava, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio per Orationes diei Festi, ante Commemorationem S. Nicomedis, et dicitur Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Nativitáte, nisi ipsa Missa occurrens, aut Commemoratio prius habita, aliam Præfationem exigant, juxta Rubricas.

Introitus Joann. 19, 25

Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et Salóme, et María Magdaléne. ℣. Ibid., 26-27 Múlier, ecce fílius tuus: dixit Jesus; ad discípulum autem: Ecce mater tua. Stabant juxta crucem. ℣. Glória Patri. Stabant juxta crucem.

Oratio

Deus, in cujus passióne, secúndum Simeónis prophetíam, dulcíssimam ánimam gloriósæ Vírginis

et Matris Mariæ dolóris gládius pertransívit: concéde propítius; ut, qui dolóres ejus venerándo recólimus, passiónis tuæ efféctum felícem consequámur: Qui vivis.

Et. in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Nicomedis Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Judith.
Judith 13, 22 et 23-25

Benedíxit te Dóminus in virtúte sua, quia per te ad níhilum redégit inimícos nostros. Benedícta es tu fília a Dómino Deo excélso, præ ómnibus muliéribus super terram. Benedíctus Dóminus, qui creávit cælum et terram: quia hódie nomen tuum ita magnificávit, ut non recédat laus tua de ore hóminum, qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum, pro quibus non pepercísti ánimæ tuæ propter angústias et tribulatiónem géneris tui, sed subvenísti ruínæ ante conspéctum Dei nostri.

Graduale Dolorósa et lacrimábilis es, Virgo María, stans juxta crucem Dómini Jesu Fílii tui Redemptóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, hoc crucis fert supplícium, auctor vitæ factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Stabat sancta María, cæli Regína, et mundi Dómina, juxta crucem Dómini nostri Jesu Christi dolorósa.

Sequentia

Stabat Mater dolorósa
Juxta crucem lacrimósa,
Dum pendébat Fílius.

Cujus ánimam geméntem,
Contristátam et doléntem,
Pertransívit gládius.

O quam tristis et afflícta
Fuit illa benedícta
Mater Unigéniti!

Quæ mærébat, et dolébat,
Pia Mater, dum vidébat
Nati pœnas ínclyti.

Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si vidéret
In tanto supplício?

Quis non posset contristári,
Christi Matrem contemplári
Doléntem cum Fílio?

Pro peccátis suæ gentis
Vidit Jesum in torméntis,
Et flagéllis súbditum.

Vidit suum dulcem natum
Moriéndo desolátum,
Dum emísit spíritum.

Eja Mater, fons amóris,
Me sentíre vim dolóris
Fac, ut tecum lúgeam.

Fac, ut árdeat cor meum
In amándo Christum Deum,
Ut sibi compláceam.

Sancta Mater, istud agas,
Crucifíxi fige plagas
Cordi meo válide.

Tui nati vulneráti,
Tam dignáti pro me pati,
Pœnas mecum dívide.

Fac me tecum pie flere,
Crucifíxo condolére,
Donec ego víxero.

Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociáre
In planctu desídero.

Virgo vírginum præclára,
Mihi jam non sis amára:
Fac me tecum plángere.

Fac, ut portem Christi mortem,
Passiónis fac consórtem,
Et plagas recólere.

Fac me plagis vulnerári,
Fac me cruce inebriári,
Et cruóre Fílii.

Flammis ne urar succénsus,
Per te, Virgo, sim defénsus
In die judícii.

Christe, cum sit hinc exíre,
Da per Matrem me veníre
Ad palmam victóriæ.

Quando corpus moriétur,
Fac, ut ánimæ donétur
Paradísi glória. Amen. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Credo.

Offertorium Recordáre, Virgo Mater Dei, dum stéteris in conspéctu Dómini, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatiónem suam a nobis.

Secreta

Offérimus tibi preces et hóstias, Dómine Jesu Christe, humíliter supplicántes: ut, qui Transfixiónem dulcíssimi spíritus beátæ Maríæ Matris tuæ précibus recensémus; suo, suorúmque sub cruce Sanctórum consórtium multiplicáto piíssimo intervéntu, méritis mortis tuæ, méritum cum beátis habeámus: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Nicomedis, ut supra.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Transfixióne.

Communio Felíces sensus beátæ Maríæ Vírginis, qui sine morte meruérunt martýrii palmam sub cruce Dómini.

Postcommunio

Sacrifícia, quæ súmpsimus, Dómine Jesu Christe, Transfixiónem Matris tuæ et Vírginis devóte celebrántes: nobis ímpetrent apud cleméntiam tuam omnis boni salutáris effectum: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Nicomedis, ut supra.

¶ Si hodie aut sequentibus diebus occurrat Feria Quatuor Temporum, in omnibus Missis, præter conventualem de Festo, ante Commemorationem Simplicium quæ occurrant, fit Commemoratio Feriæ, et de ea legitur Evangelium in fine. Ubi adest obligatio Chori, post Tertiam extra Chorum legitur Missa de Festo, sine Commemoratione Feriæ, et in Choro post Nonam dicitur Missa de Feria, sine Commemoratione Festi occurrentis, sed tantum cum Commemoratione, si occurrat, Vigiliæ S. Matthæi, ut infra suo loco notatur. Missæ vero privatæ dici possunt, juxta Rubricas, etiam de Feria, cum Commemoratione Officii occurrentis, et ejus Præfatione, si propriam habeat. Hodie tamen, et aliis diebus in quibus Festum occurrens sit Solemne I vel II ordinis, in

Choro dicitur Missa conventualis de Festo post Tertiam, et extra Chorum post Nonam legitur Missa de Feria, quæ tamen in casu dici nequit ut privata.

Eadem die 15 Septembris

Pro S. Nicomede Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Mart. IV loco, [7], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Adésto, Dómine, pópulo tuo: ut, beáti Nicomédis Mártyris tui mérita præclára suscípiens, ad impetrándam misericórdiam tuam semper ejus patrocíniis adjuvétur. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera propítius obláta: quæ majestáti tuæ beáti Nicomédis Mártyris comméndet orátio. Per Dóminum.

Postcommunio

Puríficent nos, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus: et, intercedénte beáto Nicoméde Mártyre tuo, a cunctis effíciant vítiis absolútos. Per Dóminum.

Die 16 Septembris

Ss. Cornelii Papæ et Cypriani Ep., Mm.

Missa Sapiéntiam, de Communi plurimorum Martyrum I loco, [13], præter Orationem ut infra.

Oratio

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum Cornélii et Cypriáni nos, quǽsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Euphemiæ Virg., Luciæ et Geminiani Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte reddántur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Euphemiæ, Luciæ et Geminiani.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Cornélio et Cypriáno: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Euphemiæ, Luciæ et Geminiani.

Eadem die 16 Septembris

Pro Ss. Euphemia Virg., Lucia et Geminiano Mm.

Missa Multæ tribulatiónes, de Communi plurimorum Martyrum III loco, [15], præter Orationem ut infra:

Oratio

Præsta, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne provéntum: ut sanctórum Mártyrum Euphémiæ, Lúciæ et Geminiáni, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus, étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum.

Secreta

Vota pópuli tui, quǽsumus, Dómine, propítius inténde: et, quorum nos tríbuis solémnia celebráre, fac gaudére suffrágiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Exáudi, Dómine, preces nostras: et sanctórum Mártyrum tuórum Euphémiæ, Lúciæ et Geminiáni, quorum festa solémniter celebrámus, continuis foveámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 17 Septembris

In Impressione Ss. Stigmatum S. Francisci Conf.

Introitus Gal. 6, 14

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi, per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. ℣. Ps. 141, 2 Voce mea ad Dóminum clamávi: voce mea ad Dóminum deprecátus sum. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui, frigescénte mundo, ad inflammándum corda nostra tui amóris igne, in carne beatíssimi Francísci passiónis tuæ sacra stígmata renovásti: concéde propítius; ut ejus méritis et précibus crucem júgiter ferámus, et dignos fructus pœniténtiæ faciámus: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 6, 14-18

Fratres: Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit: ego enim stígmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Francíscus pauper et húmilis, cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Francísco, ab omni nos culpárum labe purífica. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Deus, qui mira crucis mystéria in beáto Francisco Confessóre tuo multifórmiter demonstrásti: da nobis, quǽsumus; devotiónis suæ semper exémpla sectári, et assídua ejúsdem crucis meditatióne muníri. Per Dóminum.

Die 18 Septembris

S. Josephi a Cupertino Conf.

Introitus Eccli. 1, 14-15

Diléctio Dei honorábilis sapiéntia: quibus autem apparúerit in visu, díligunt eam in visióne, et in agnitióne magnálium suórum. ℣. Ps. 83, 2 Quam dilécta tabernácula tua, Dómine virtútum! concupíscit, et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri. Diléctio Dei.

Oratio

Deus, qui ad unigénitum Fílium tuum exaltátum a terra ómnia tráhere disposuísti: pérfice propítius; ut, méritis et exémplo seráphici Confessóris tui Joséphi, supra terrénas omnes cupiditátes eleváti, ad eum perveníre mereámur: Qui tecum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios 1 Cor. 13, 1-8

Fratres: Si linguis hóminum loquar, et Angelórum, caritátem autem non hábeam, factus sum velut æs sonans, aut cýmbalum tínniens. Et si habúero prophetíam, et nóverim mystéria ómnia, et omnem sciéntiam: et si habúero omnem fidem, ita ut montes tránsferam, caritátem autem non habúero, nihil sum. Et si distribúero in cibos páuperum omnes facultátes meas, et si tradídero corpus meum, ita ut árdeam, caritátem autem non habúero, nihil mihi prodest. Cáritas pátiens est, benígna est: cáritas non æmulátur, non agit pérperam, non inflátur, non est ambitiósa, non quærit quæ sua sunt, non irritátur, non cógitat malum, non gaudet super iniquitáte, congáudet autem veritáti: ómnia suffert, ómnia credit, ómnia sperat, ómnia sústinet. Cáritas numquam éxcidit: sive prophetíæ evacuabúntur, sive linguæ cessábunt, sive sciéntia destruétur.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum, et in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 11, 13 Oculus Dei respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus. Allelúja.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja ℣. Eccli. 11, 13 Oculus Dei respéxit illum in bono, et eréxit eum ab humilitáte ipsíus, et exaltávit caput ejus. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 22, 1-14

In illo témpore: Loquebátur Jesus princípibus sacerdótum et pharisǽis in parábolis, dicens: Símile factum est regnum cælórum hómini regi, qui fecit núptias fílio suo. Et misit servos suos vocáre invitátos ad núptias, et nolébant veníre. Iterum misit álios servos, dicens: Dícite invitátis: Ecce prándium meum parávi, tauri mei, et altília occísa sunt, et ómnia paráta: veníte ad núptias. Illi autem neglexérunt: et abiérunt, álius in villam suam, álius vero ad negotiatiónem suam: réliqui vero tenuérunt servos ejus, et contuméliis affléctos occidérunt. Rex autem, cum audísset, irátus est: et, missis exercítibus suis, pérdidit homicídas illos, et civitátem illórum succéndit. Tunc ait servis suis: Núptiæ quidem parátæ sunt, sed qui invitáti erant, non fuérunt digni. Ite ergo ad éxitus viárum, et quoscúmque invenéritis, vocáte ad núptias. Et, egréssi servi ejus in vias, congregavérunt omnes, quos invenérunt, malos et bonos: et implétæ sunt núptiæ discumbéntium. Intrávit autem rex, ut vidéret discumbéntes, et vidit ibi hóminem non vestítum veste nuptiáli. Et ait illi: Amíce, quómodo huc intrásti non habens vestem nuptiálem? At ille obmútuit. Tunc dixit rex minístris: Ligátis mánibus et pédibus ejus, míttite eum in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Multi enim sunt vocáti, pauci vero elécti.

Offertorium Ps. 34, 13 Ego autem, cum mihi moléstí essent, induébar cilício. Humiliábam in jejúnio ánimam meam: et orátio mea in sinu meo convertétur.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio Ps. 68, 30-31 Ego sum pauper, et dolens: salus tua, Deus, suscépit me. Laudábo nomen Dei cum cántico: et magnificábo eum in laude.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Die 19 Septembris

Ss. Januarii Ep. et Sociorum Martyrum

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum 11 loco. [14], cum Evangelio ut infra.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 24, 3-13

In illo témpore: Sedénte Jesu super montem Olivéti, accessérunt ad eum discípuli secréto, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum advéntus tui, et consummatiónis sǽculi? Et respóndens Jesus, dixit eis: Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus:

et multos sedúcent. Auditúri enim estis prǽlia, et opiniónes præliórum. Vidéte, ne turbémini. Opórtet enim hæc fíeri, sed nondum est finis. Consúrget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestiléntiæ, et fames et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia, initia sunt dolórum. Tunc tradent vos in tribulatiónem, et occídent vos: et éritis ódio ómnibus géntibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabúntur multi, et ínvicem tradent, et ódio habébunt ínvicem. Et multi pseudoprophétæ surgent, et sedúcent multos. Et, quóniam abundábit iníquitas, refrigéscet cáritas multórum. Qui autem perseveráverit usque in finem, hic salvus erit.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, fit de Vigilia anticipata S. Matthæi Ap., ut die sequenti notatur.

Die 20 Septembris

Ss. Eustachii et Sociorum Martyrum

Missa Multæ tribulatiónes, de Communi plurimorum Martyrum III loco, [15], præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum, Eustáchii et Sociórum ejus, natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta

Vota pópuli tui, quǽsumus, Dómine, propitiátus inténde: et, quorum nos tríbuis solémnia celebráre, fac gaudére suffrágiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Exáudi, Dómine, preces nostras: et Sanctórum tuórum, quorum festa solémniter celebrámus, contínuis foveámur auxíliis. Per Dóminum.

¶ Et in omnibus Missis, præter conventualem de Festo, post Commemorationem Feriæ Quatuor Temporum, si occurrat, fit Commemoratio Vigiliæ S. Matthæi Ap., ut in Missa sequenti, et de ea, extra Quatuor Tempora, legitur Evangelium in fine. Item, extra Quatuor Tempora, ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia cum Orationibus infra assignatis, et de Vigilia item permittuntur Missæ privatæ cum Commemoratione Festi et sine 3ª Oratione de sancta Maria Concéde. In Feriis vero Quatuor Temporum non dicitur Missa conventualis de Vigilia, sed de ea fit Commemoratio in Missa de Feria, et additur 3ª Oratio de sancta Maria Concéde, [55]: Missæ tamen privatæ dici possunt vel de Festo cum Commemoratione Feriæ ac Vigiliæ et cum ultimo Evangelio Feriæ; vel de Feria cum Commemoratione Festi ac Vigiliæ et hujus Evangelio in fine; vel de Vigilia cum Commemoratione pariter Festi ac Feriæ et hujus Evangelio in fine.

Eadem die 20 Septembris

In Vigilia S. Matthæi Ap. et Ev.

Introitus — Ps. 51, 10 et 11

Ego autem sicut oliva fructífera in domo Dómini, sperávi in misericórdia Dei mei: et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est ante conspéctum sanctórum tuórum. ℣. Ps. ibid., 3

Quid gloriáris in malítia: qui potens es in iniquitáte? ℣. Glória Patri. Ego autem.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Matthǽi, Apóstoli tui et Evangelístæ, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 3, 13-20

Beátus homo, qui invénit sapiéntiam, et qui áffluit prudéntia. Mélior est acquisítio ejus negotiatióne auri et argénti: primi et puríssimi sunt fructus ejus. Pretiósior est cunctis ópibus: et ómnia, quæ desiderántur, huic non valent comparári. Longitúdo diérum in déxtera ejus: et in sinístra illíus divítiæ et glória. Viæ ejus viæ pulchræ: et omnes sémitæ illíus pacíficæ. Lignum vitæ est his, qui apprehénderint eam: et qui tenúerint eam, beáti. Dóminus fundávit terram: stabilívit cælos prudéntia. Sapiéntia illíus erupérunt abýssi, et nubes rore concréscunt.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 5, 27-32

In illo témpore: Vidit Jesus publicánum nómine Levi, sedéntem ad telónium, et ait illi: Séquere me. Et relíctis ómnibus, surgens secútus est eum. Et fecit ei convívium magnum Levi in domo sua: et erat turba multa publicanórum, et aliórum, qui cum illis erant discumbéntes. Et murmurábant pharisǽi, et scribæ eórum, dicéntes ad discípulos ejus: Quare cum publicánis, et peccatóribus manducátis et bíbitis? Et respóndens Jesus, dixit ad illos: Non egent qui sani sunt médico, sed qui male habent. Non veni vocáre justos, sed peccatóres ad pœniténtiam.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quǽsumus: ut beáti Matthǽi Apóstoli tui et Evangelístæ suffrágiis, cujus natalítia prævenímus; plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 6 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio

Sancti Apóstoli tui et Evangelístæ Matthǽi, quǽsumus, Dómine, supplicatióne placátus: et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Die 21 Septembris

S. Matthæi Ap. et Ev.

¶ Si hodie occurrat Feria Quatuor Temporum, in Choro post Tertiam di

...citur Missa conventualis de Festo, et extra Chorum post Nonam legitur Missa de Feria, de qua tamen prohibentur Missæ privatæ.

Introitus Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. In médio. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Beáti Apóstoli et Evangelístæ Matthǽi, Dómine, précibus adjuvémur: ut, quod possibílitas nostra non óbtinet, ejus nobis intercessióne donétur. Per Dóminum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 1, 10-14

Similitúdo vultus quátuor animálium: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat: ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur, nec revertebántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium, aspéctus eórum quasi carbónum ignis ardéntium, et quasi aspéctus lampadárum. Hæc erat vísio discúrrens in médio animálium, splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Graduale Ps. 111, 1-2 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo: ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 9, 9-13

In illo témpore: Cum transíret Jesus, vidit hóminem sedéntem in telónio, Matthǽum nómine. Et ait illi: Séquere me. Et surgens, secútus est eum. Et factum est, discumbénte eo in domo, ecce multi publicáni, et peccatóres veniéntes, discumbébant cum Jesu, et discípulis ejus. Et vidéntes pharisǽi, dicébant discípulis ejus: Quare cum publicánis, et peccatóribus mandúcat Magíster vester? At Jesus áudiens, ait: Non est opus valéntibus médicus, sed male habéntibus. Eúntes autem díscite quid est: Misericórdiam volo, et non sacrifícium. Non enim veni vocáre justos, sed peccatóres. Credo.

Offertorium Ps. 20, 4-5 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta

Supplicatiónibus beáti Matthǽi Apóstoli et Evangelístæ, quæ sumus, Dómine, Ecclésiæ tuæ commendétur oblátio: cujus magníficis prædicatiónibus erudítur. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Ps. 20, 6 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis, beáto Matthǽo Apóstolo tuo et Evangelísta interveniénte, deprecámur: ut, quæ pro ejus celebráta sunt glória, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omnia dicuntur ut supra, sed post Graduale, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali Missa Protexisti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus, Epistola et Evangelio ut supra.

Die 22 Septembris

S. Thomæ de Villanova Ep. et Conf.

Missa Sacerdótes Dei, de Communi Confessoris Pontificis III loco, [28], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui beátum Thomam Pontíficem insígnis in páuperes misericórdiæ virtúte decorásti: quǽsumus; ut, ejus intercessióne, in omnes, qui te deprecántur, divítias misericórdiæ tuæ benígnus effúndas. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Mauritii et Sociorum Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Sancti Thomæ, Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Mauritii et Sociorum Mm.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti Thomæ, Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Mauritii et Sociorum Mm.

Eadem die 22 Septembris

Pro Ss. Mauritio et Sociis Martyribus

Introitus Matth. 25, 34

Veníte, benedícti Patris mei: percípite regnum, quod vobis parátum est ab orígine mundi. ℣. Ps. 95, 1 Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri. Veníte, benedícti.

Oratio

Deus, qui es Sanctórum tuórum splendor mirábilis, quique hunc diem in honóre beatórum Mártyrum tuórum Mauritii, Sociorúmque ejus, martýrio consecrásti: da Ecclésiæ tuæ de eórum solemnitáte laetári; ut apud misericórdiam tuam exém-

plis eórum et méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7, 13-17

In diébus illis: Respóndit unus de senióribus, et dixit mihi: Hi, qui amícti sunt stolis albis, qui sunt? et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt, qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos: non esúrient, neque sítient ámplius, nec cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum: et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: dextéra manus tua confrégit inimícum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 4 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21, 9-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terroresque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad reges et prǽsides propter nomen meum: continget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdibus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis: et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium Sap. 3, 1-3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Secreta

Réspice, quǽsumus, Dómine, múnera, quæ in sanctórum Mártyrum tuórum Maurítii et Sociórum ejus commemoratióne deférimus: et præsta; ut, quorum honóre sunt grata, eórum nobis fiant intercessióne perpétua. Per Dóminum.

Communio Luc. 6, 17-19 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad eum, quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio

Cæléstibus reféeti sacraméntis et gáudiis: súpplices te rogámus, Dómine; ut, quorum gloriámur triúm-

phis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 23 Septembris

S. Lini Papæ et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], cum Orationibus ut infra et dicitur Evangelium Si quis venit, [7].

Oratio

Deus, qui nos beáti Lini, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Theclæ Virg. et Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Lino, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Theclæ.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Lino, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Theclæ.

Eadem die 23 Septembris

Pro S. Thecla Virg. et Mart.

Missa Loquébar, de Communi Virginum 1 loco, [37], præter Orationem sequentem:

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beátæ Theclæ, Vírginis et Mártyris tuæ, natalítia cólimus; et ánnua solemnitáte lætémur, et tantæ fídei proficiámus exémplo. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ Theclæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Thecla, Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 24 Septembris

B. Mariæ Virg. de Mercede

Missa Salve, de Communi Festorum B. Mariæ Virg., [51], præter Orationem sequentem, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui per gloriosíssimam Fílii tui Matrem, ad liberándos Christi fidéles a potestáte paganórum, nova Ecclésiam tuam prole amplificáre dignátus es: præsta, quǽsumus; ut, quam pie venerámur tanti óperis institutrícem, ejus páriter méritis et intercessióne, a peccátis ómnibus et captivitáte dǽmonis liberémur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Die 26 Septembris
Ss. Cypriani et Justinæ Virg., Martyrum

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum II loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Beatórum Mártyrum Cypriáni et Justínæ nos, Dómine, fóveant continuáta præsídia: quia non désinis propítius intuéri, quos tálibus auxíliis concésseris adjuvári. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Cypriáno et Justína; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 27 Septembris
Ss. Cosmæ et Damiani Mm.

Introitus Eccli. 44, 15 et 14

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sǽculum sǽculi. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Cosmæ et Damiáni natalítia cólimus, a cunctis malis imminéntibus, eórum intercessiónibus, liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 5, 16-20

Justi autem in perpétuum vivent et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem.

Graduale Ps. 33, 18-19 Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Juxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Allelúja, allelúja. ℣. Hæc est vera fratérnitas, quæ vicit mundi crímina: Christum secúta est, ínclyta tenens regna cæléstia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6, 17-23

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni

Judææa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Offertorium Ps. 5, 12-13 Gloriabúntur in te omnes, qui díligunt nomen tuum: quóniam tu, Dómine, benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta

Sanctórum tuórum nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Communio Ps. 78, 2 et 11 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli, carnes sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Prótegat, quæsumus, Dómine, pópulum tuum et participátio cæléstis indúlta convívii, et deprecátio colláta Sanctórum. Per Dóminum.

Die 28 Septembris

S. Wenceslai Ducis, Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut infra, et dicitur Evangelium Nolíte arbitrári, [12].

Oratio

Deus, qui beátum Wenceslaum per martýrii palmam a terréno principátu ad cæléstem glóriam transtulísti: ejus précibus nos ab omni adversitáte custódi, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut, tuórum commemoratióne Sanctórum temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Die 29 Septembris

In Dedicatione S. Michaëlis Archangeli

Introitus Ps. 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. ℣. Ps. ibid., 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. Benedícite Dóminum. ℣. Glória Patri. Benedícite Dóminum.

Oratio

Deus, qui, miro órdine, Angelórum ministéria hominúmque dispénsas: concéde propítius; ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum,

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 12, 7-12

In diébus illis: Factum est prælium magnum in cælo. Míchaël, et Angeli ejus, præliabántur cum dracóne, et draco pugnábat et ángeli ejus: et non valuérunt, neque locus invéntus est eórum ámplius in cælo. Et projéctus est draco ille magnus, serpens antíquus, qui vocátur diábolus, et sátanas, qui sedúcit univérsum orbem: et projéctus est in terram, et ángeli ejus cum illo missi sunt. Et audívi vocem magnam in cælo, dicéntem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potéstas Christi ejus: quia projéctus est accusátor fratrum nostrórum, qui accusábat illos ante conspéctum Dei nostri die atque nocte. Et ipsi vicérunt illum propter sánguinem Agni, et propter verbum testimónii sui: et non dilexérunt ánimas suas usque ad mortem. Proptérea lætámini, cæli, et qui habitátis in eis.

Graduale Ps. 103, 20 et 1 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dóminum: et, ómnia interióra mea, nomen sanctum ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Concússum est mare, et contrémuit terra: ubi Archángelus Michaël descendébat de cælo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 18, 1-10

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et, ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei, ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo a scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala: verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscíde eum, et prójice abs te: bonum tibi est ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habéntem mitti in ignem ætérnum. Et si óculus tuus scandalízat te, érue eum, et prójice abs te: bonum tibi est cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est.

Credo.

Offertorium Apoc. 8, 3 et 4 Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum áureum in manu sua, et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei, allelúja.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus, suppliciter deprecántes: ut eásdem, angélico pro nobis interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram proveníre concédas. Per Dóminum.

Communio Dan. 3, 58 Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula.

Postcommunio

Beáti Archángeli tui Michaélis intercessióne suffúlti: súpplices te, Dómine, deprecámur; ut, quod ore proséquimur, contingámus et mente. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra; sed, a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, dicitur:

Graduale Ps. 148, 1-2 Laudáte Dóminum de cælis: laudáte eum in excélsis. ℣. Laudáte eum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes virtútes ejus.

Tractus Ps. 102, 20 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus; poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus. ℣. Ibid., 21-22 Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus: minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. ℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Tempore autem Paschali Missa dicitur ut in ejus Apparitione, die 8 Maji, 593.

Die 30 Septembris
S. Hieronymi Presb., Conf. et Eccl. Doct.

Missa In médio, de Communi Doctorum, [30], cum Orationibus ut infra, et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui Ecclésiæ tuæ in exponéndis sacris Scriptúris beátum Hierónymum Confessórem tuum, Doctórem máximum providére dignátus es: præsta, quǽsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte, exercére valeámus. Per Dóminum.

Secreta

Donis cæléstibus da nobis, quǽsumus, Dómine, líbera tibi mente servíre: ut múnera quæ deférimus, interveniénte beáto Hierónymo Confessóre tuo, et medélam nobis operéntur, et glóriam. Per Dóminum.

Postcommunio

Repléti alimónia cælésti, quǽsumus, Dómine: ut, interveniénte beáto Hierónymo Confessóre tuo, misericórdiæ tuæ grátiam cónsequi mereámur. Per Dóminum.

FESTA OCTOBRIS

¶ Prima die mensis in qua fiat Officium de Feria communi, et primo resumenda non sit Missa præcedentis Dominicæ impedita, in Choro post Primam dicitur Missa conventualis pro Defunctis, juxta Rubricas, et in Missis privatis, quæ non sint Defunctorum, penultimo loco dicitur Oratio Fidélium.

Die 1 Octobris

S. Remigii Ep. et Conf.

Missa Státuit, de Communi Confessoris Pontificis 1 loco, [25].

Die 2 Octobris

Ss. Angelorum Custodum

Introitus Ps. 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. ℣. Ps. ibid., 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri. Benedícite Dóminum.

Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia sanctos Angelos tuos ad nostram custódiam míttere dignáris: largíre supplícibus tuis; et eórum semper protectióne deféndi, et ætérna societáte gaudére. Per Dóminum.

Léctio libri Exodi.
Exodi 23, 20-23

Hæc dicit Dóminus Deus: Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcédat te, et custódiat in via, et introdúcat in locum, quem parávi. Obsérva eum, et audi vocem ejus, nec contemnéndum putes: quia non dimíttet cum peccáveris, et est nomen meum in illo. Quod si audíeris vocem ejus, et féceris ómnia, quæ loquor, inimícus ero inimícis tuis, et afflígam affligéntes te: præcedétque te Angelus meus.

Graduale Ps. 90, 11-12 Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis. ℣. In mánibus portábunt te, ne umquam offéndas ad lápidem pedem tuum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 102, 21 Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus: minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 102, 20 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus. ℣. Ibid., 21-22 Benedícite Dómino, omnes virtútes ejus: minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus. ℣. Benedícite Dómino, ómnia ópera ejus: in omni loco dominatiónis ejus, bénedic, ánima mea, Dómino.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi: adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 18, 1-10

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno cælórum? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut

Die 3 Octobris

S. TERESIAE A JESU INFANTE

VIRGINIS

Duplex

Introitus Cant. 4, 8-9 Veni de Líbano, sponsa mea, veni de Líbano, veni: vulnerásti cor meum, soror mea sponsa, vulnerásti cor meum. Ps. 112, 1 Laudáte, púeri, Dóminum: laudáte nomen Dómini. ℣. Glória Patri. Veni de Líbano.

Oratio

Dómine, qui dixísti: Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum caelórum: da nobis, quáesumus; ita sanctae Terésiae Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut práemia consequámur aetérna: Qui vivis et regnas.

Léctio Isaíae Prophétae
Is. 66, 12-14

Haec dicit Dóminus: Ecce, ego declinábo super eam quasi flúvium pacis, et quasi torréntem inundántem glóriam géntium, quam sugétis: ad úbera portabímini, et super génua blandiéntur vobis. Quómodo si cui mater blandiátur, ita ego consolábor vos, et in Jerúsalem consolabímini. Vidébitis, et gaudébit cor vestrum, et ossa vestra quasi herba germinábunt, et cognoscétur manus Dómini servis ejus.

Graduale Matth. 11, 25 Confiteor tibi, Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus, et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. ℣. Ps. 70, 5 Dómine, spes mea a juventúte mea.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 39, 17-19 Quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte: quasi Líbanus odórem suavitátis habéte: floréte, flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Cant. 2, 11-12 Jam hiems tránsiit, imber ábiit, et recéssit. ℣. Flores apparuérunt in terra nostra, tempus putatiónis advénit: vox túrturis audíta est in terra nostra. ℣. Jer. 31, 3 In caritáte perpétua diléxi te: ídeo attráxi te, miserans tui.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 39, 17-19 Quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificáte: quasi Líbanus odórem suavitátis habéte: floréte, flores, quasi lílium, et date odórem, et frondéte in

grátiam, et collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis. Allelúja. ℣. Ps 33, 9; 99, 5 Gustáte, et vidéte quóniam suávis est Dóminus: in aetérnum misericórdia ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum

Matth. 18, 1-4

In illo témpore: Accessérunt discípuli ad Jesum, dicéntes: Quis, putas, major est in regno caelórum? Et ádvocans Jesus párvulum, státuit eum in médio eórum, et dixit: Amen, dico vobis, nisi convérsi fuéritis, et efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum caelórum. Quicúmque ergo humiliáverit se sicut párvulus iste, hic est major in regno caelórum.

Offertorium Luc. 1, 46-48 et 49 Magníficat ánima mea Dóminum: et exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo: quia respéxit humilitátem ancíllae suae: fecit mihi magna qui potens est.

Secreta

Sacrificium nostrum tibi, Dómine, quǽsumus, sanctae Terésiae Vírginis tuae precátio sancta concíliet: ut, in cujus honóre sollémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Communio Deut. 32, 10-12 Circumdúxit eam, et dócuit: et custodívit quasi pupíllam óculi sui. Sicut áquila expándit alas suas, et assúmpsit eam, atque portávit in húmeris suis. Dóminus solus dux ejus fuit.

Postcommunio

Illo nos, Dómine, amóris igne caeléste mystérium inflámmet: quo sancta Terésia Virgo tua se tibi pro homínibus caritátis víctimam devóvit. Per Dóminum.

Concordat cum Originali approbato. In fidem, etc.

E Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, die 17 Maji 1925

L. ✝ S. Alexander Verde, Secretarius

Imprimatur.

Bracaræ, die 3 Octobris 1928.

✝ Emmanuel, Arch. Prim.

BRACARÆ, TYPIS UNIVERSALE

párvulus iste, hic est major in regno cælórum. Et qui suscéperit unum párvulum talem in nómine meo, me súscipit. Qui autem scandalizáverit unum de pusíllis istis, qui in me credunt, éxpedit ei, ut suspendátur mola asinária in collo ejus, et demergátur in profúndum maris. Væ mundo a scándalis. Necésse est enim ut véniant scándala: verúmtamen væ hómini illi, per quem scándalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalízat te, abscíde eum, et prójice abs te: bonum tibi est ad vitam íngredi débilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habéntem mitti in ignem ætérnum. Et si óculus tuus scandalízat te, érue eum, et prójice abs te: bonum tibi est cum uno óculo in vitam intráre, quam duos óculos habéntem mitti in gehénnam ignis. Vidéte ne contemnátis unum ex his pusíllis: dico enim vobis, quia Angeli eórum in cælis semper vident fáciem Patris mei, qui in cælis est. Credo.

Offertorium Ps. 102, 20 et 21 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: minístri ejus, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ pro sanctórum Angelórum tuórum veneratióne deférimus: et concéde propítius; ut, perpétuis eórum præsídiis, a præséntibus perículis liberémur, et ad vitam perveniámus ætérnam. Per Dóminum.

Communio Dan. 3, 58 Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divína mystéria, sanctórum Angelórum tuórum festivitáte lætántes: quǽsumus; ut eórum protectióne ab hóstium júgiter liberémur insídiis, et contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 4 Octobris
S. Francisci Conf.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Francísci, de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam, beáti Francísci méritis fœtu novæ prolis amplíficas: tríbue nobis; ex ejus imitatióne, terréna despícere, et cæléstium donórum semper participatióne gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Gálatas. Gal. 6, 14-17

Fratres: Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. In Christo enim Jesu neque circumcísio áliquid valet, neque præpútium, sed nova creatúra. Et quicúmque hanc régulam secúti fúerint, pax super illos, et misericórdia, et super Israël Dei. De cétero nemo mihi moléstus sit:

ego enim stigmata Dómini Jesu in córpore meo porto. Grátia Dómini nostri Jesu Christi cum spíritu vestro, fratres. Amen.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Francíscus pauper et húmilis, cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confíteor tibi, Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me, omnes, qui laborátis, et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me, quia mitis sum, et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Francísco, ab omni nos culpárum labe purífica. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Ecclésiam tuam, quǽsumus, Dómine, grátia cæléstis amplíficet: quam beáti Francísci Confessóris tui illumináre voluísti gloriósis méritis, et exémplis. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra, præter Introitum, ut infra:

Introitus Gal. 6, 14

Mihi autem absit gloriári, nisi in cruce Dómini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifíxus est, et ego mundo. (T. P. Allelúja, allelúja). ℣. Ps. 141, 2 Voce mea ad Dóminum clamávi: voce mea ad Dóminum deprecátus sum. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. vox Francíscus pauper et húmilis, cælum dives ingréditur, hymnis cæléstibus honorátur. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

Die 5 Octobris

Ss. Placidi et Sociorum Martyrum

Missa Salus autem, de Communi plurimorum Martyrum 11 loco, [14], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum Plácidi et Sociórum ejus natalítia cólere:

da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Plácido et Sóciis ejus; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 6 Octobris

S. Brunonis Conf.

Missa **Os justi**, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, (32), cum Orationibus ut infra:

Oratio

Sancti Brunónis Confessóris tui, quǽsumus, Dómine, intercessiónibus adjuvémur: ut, qui majestátem tuam gráviter delinquéndo offéndimus, ejus méritis et précibus, nostrórum delictórum véniam consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Brunóne Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.



Die 7 Octobris

SACRATISSIMI ROSARII B. MARIÆ VIRG.

Introitus — Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea regi. Gaudeámus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Deus, cujus Unigénitus per vitam, mortem et resurrectiónem suam nobis salútis ætérnæ præmia comparávit: concéde, quǽsumus; ut, hæc mystéria sacratíssimo beátæ Maríæ Vírginis Rosário recoléntes, et imitémur quod cóntinent, et quod promíttunt, assequámur. Per eúmdem Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Marci Papæ et Conf.: deinde Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleji Mm., ut in respectiva Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 8, 22-24 et 32-35

Dóminus possédit me in inítio viárum suárum, ántequam quidquam fáceret a princípio. Ab ætérno ordináta sum, et ex antíquis, ántequam terra fíeret. Nondum erant abýssi, et ego jam concépta eram. Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti, qui custódiunt vias meas. Audíte disciplínam, et estóte sapiéntes, et nolíte abjícere eam. Beátus homo, qui audit me, et qui vígilat ad fores meas quotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Qui me invénerit, invéniet vitam, et háuriet salútem a Dómino.

Graduale Ps. 44. 5. 11 et 12 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justitiam: et dedúcet te mirabiliter déxtera tua. ℣. Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam: quia concupivit rex spéciem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Solémnitas gloriósæ Virginis Mariæ ex sémine Abrahæ, ortæ de tribu Juda, clara ex stirpe David. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 1, 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Credo.

Offertorium Eccli. 24. 25: 30. 17 In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis: ego quasi rosa plantáta super rivos aquárum fructificávi.

Secreta

Fac nos, quǽsumus, Dómine, his munéribus offeréndis conveniénter aptári: et per sacratíssimi Rosárii mystéria sic vitam, passiónem et glóriam Unigéniti tui recólere; ut ejus digni promissiónibus efficiámur: Qui tecum.

Et fit Commemoratio S. Marci: deinde Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleji, ut supra.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio Eccli. 39. 19 Floréte flores quasi lílium, et date odórem, et frondéte in grátiam, collaudáte cánticum, et benedícite Dóminum in opéribus suis.

Postcommunio

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ, cujus Rosárium celebrámus, quǽsumus, Dómine, précibus adjuvémur: ut et mysteriórum, quæ cólimus, virtus percipiátur; et sacramentórum, quæ súmpsimus, obtineátur efféctus: Qui vivis.

Et fit Commemoratio S. Marci: deinde Ss. Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleji, ut supra.

Eadem die 7 Octobris

Pro S. Marco Papa et Conf.

Missa **Sacerdótes tui**, de Communi Confessoris Pontificis II loco, [26], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Exáudi, Dómine, preces nostras: et, interveniénte beáto Marco, Confessóre tuo atque Pontífice, indulgéntiam nobis tríbue placátus et pacem. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine, fidélibus pópulis Sanctórum tuórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

Item eadem die 7 Octobris

Pro Ss. Sergio, Baccho, Marcello et Apulejo Mm.

Missa **Sapiéntiam**, de Communi plurimorum Martyrum I loco, [13], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Sanctórum Mártyrum tuórum nos, Dómine, Sérgii, Bacchi, Marcélli et Apuléji beáta mérita prosequántur: et tuo semper fáciant amóre fervéntes. Per Dóminum.

Secreta

Majestátem tuam nobis, Dómine, quǽsumus, hæc hóstia reddat immolánda placátam, tuórum digna postulatióne Sanctórum. Per Dóminum.

Postcommunio

Sacraméntis, Dómine, muniámur accéptis: et sanctórum Mártyrum tuórum Sérgii, Bacchi, Marcélli et Apuléji intercessióne, contra omnes nequítias irruéntes, armis cæléstibus protegámur. Per Dóminum.

Die 8 Octobris

S. Birgittæ Vid.

Missa **Cognóvi**, de Communi non Virginum III loco, [47], præter Orationem sequentem et Epistolam infra notatam.

Oratio

Dómine, Deus noster, qui beátæ Birgíttæ per Fílium tuum unigénitum secréta cæléstia revelásti: ipsíus pia intercessióne da nobis fámulis tuis; in revelatióne sempitérnæ glóriæ tuæ gaudére lætántes. Per eúmdem Dóminum.

Epistola **Caríssime: Víduas honóra**, ut in eodem Communi, [48].

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

S. JOANNIS LEONARDI

CONFESSORIS

Introitus Eccl. 42, 15-16

In sermónibus Dómini ópera ejus: sol illúminans per ómnia respéxit, et glória Dómini plenum est opus eius. Ps. 95, 1. Cantáte Dómino cánticum novum: cantáte Dómino, omnis terra. ℣. Glória Patri. In sermónibus.

Oratio

Deus qui beátum Joánnem Confessórem tuum, ad fidem in géntibus propagandam mirabiliter excitáre dignátus es, ac per eum in erudiéndis fidélibus novam in Ecclésia tua famíliam congregásti: da nobis fámulis tuis, ita ejus institútis profícere; ut præmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Commemoratio Ss. Dionysii, Ep., Rustici et Eleutherii Mm.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionysium, Mártirem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quæsumus, eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dominum.

Léctio Epistolae beáti Pauli Apóstoli ad Corinthios.

2 Cor. 4, 1-6 et 15-18

Fratres: Habéntes administratiónem juxta quod misericórdiam consecúti sumus, non defícimus, sed abdicámus occúlta dedécoris, non ambulántes in astútia, neque adulterántes verbum Dei, sed in manifestatióne veritátis commendántes nosmetípsos ad omnem consciéntiam hóminum coram Deo. Quod si étiam opértum est Evangélium nostrum: in iis, qui péreunt, est opértum: in quibus Deus hújus sæculi excæcávit mentes infidélium, ut non fúlgeat illis illuminátio Evangélii glóriæ Christi, qui est imágo Dei. Non enim nosmetípsos prædicámus, sed Jesum Christum Dóminum nostrum: nos autem servos vestros per Jesum: quóniam Deus, qui dixit de ténebris lucem splendéscere, ipse illúxit in córdibus nostris ad illuminatiónem sciéntiæ claritátis Dei, in fácie Christi Jesu. Omnia enim propter vos: ut grátia abúndans, per multos in gratiárum actióne, abúndet in glóriam Dei. Propter quod non defícimus: sed licet is, qui foris est, noster homo corrumpátur: tamen his, qui intus est, renovátur de die in diem. Id enim, quod in præsénti est momentáneum et leve tribulatiónis nostrae, supra modum in sublimitáte ætérnum glóriæ pondus operátur in nobis, non contemplántibus nobis quæ vidéntur, sed quæ non vidéntur. Quæ enim vidéntur, temporália sunt: quæ autem non vidéntur: ætérna sunt.

Graduale. Ps. 72, 21; 68, 10. Inflammátum est cor meum, et renes mei commutáti sunt: zelus domus tuæ comédit me. ℣. Isai. 49, 2. Pósuit os meum quasi gládium acútum; in umbra manus suæ protéxit me, et pósuit me sicut sagíttam eléctam.

Allelúja, allelúja, ℣. Ps. 70, 7. Tamquam prodígium factus sum multis: et tu adiútor fortis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et versu sequenti, dicitur:

Tractus. Ps. 54, 3-4 et 17. Contristátus sum in exercitatione mea: et conturbátus sum a voce inimíci, et a tribulatióne peccatóris. ℣. Quóniam declinavérunt in me iniquitátes: et in ira molésti erant mihi. ℣. Ego autem ad Deum clamávi: et Dóminus salvábit me.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:

Allelúja, ℣. Ps. 51, 10. Sicut olíva fructífera in domo Dei, sperávi in misericórdia Dei in ætérnum: et in sæculum sæculi. Allelúja. ℣. Ps. 61, 8 In Deo salutáre meum, et glória mea: Deus auxílii mei, et spes mea in Deo est. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quae apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte, quae apponúntur vobis: et curáte infírmos qui in illa sunt, e dícite illis: Appropinquávit in v regnum Dei.

Offertorium Col. 1, 25. Christi fa ctus sum ego minister secúndum di pensatiónem Dei, quae data est mihi, impleam verbum Dómini.

Secreta

Súscipe, Dómine, oblatiónem mu dam salutáris hóstiæ: et præsta; u intercedénte beáto Joánne Confesso tuo, ubíque géntium júgiter offerátu Per Dóminum.

Pro Ss. Martyribus

Secreta

Hóstia, quaesumus, Dómine, quam sanctórum tuórum Dionysii, Rústici e Eleuthérii natalítiis recenséntes, offer mus: et víncula nostrae pravitátis abso vat, et tuae nobis misericórdiae do concíliet. Per Dóminum.

Communio Philipp., 3, 7. Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus su propter Christum detriménta.

Postcommunio

Pretiósi córporis, et sánguinis tu sacris refécti mystériis, Dómine, adpre cámur: ut beáti Joánnis Confessór tui exémplo, studeámus confitéri quo crédidit, et ópere exercére quod dócu Qui vivis.

Pro Ss. Martyribus

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divína mystéri beatórum Mártyrum tuórum Diony Rústici et Eleuthérii festivitáte laet tes: quae, sicut tuis sanctis ad glória ita nobis, quaesumus, ad véniam pr désse perfícias. Per Dóminum.

IMPRIMATUR: — Bracarae, die 9 Octobris 1940. ✝ ANTONIUS, *Arch. Prim.*

Die 9 Octobris

Ss. Dionysii Ep., Rustici et Eleutherii Mm.

Introitus Eccli. 44. 15 et 14

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sǽculum sǽculi. ℣. Ps. 32. 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam.

Oratio

Deus, qui hodiérna die beátum Dionýsium, Mártyrem tuum atque Pontíficem, virtúte constántiæ in passióne roborásti, quique illi, ad prædicándum géntibus glóriam tuam, Rústicum et Eleuthérium sociáre dignátus es: tríbue nobis, quǽsumus; eórum imitatióne, pro amóre tuo próspera mundi despícere, et nulla ejus advérsa formidáre. Per Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 17. 22-34

In diebus illis: Stans Paulus in médio Areopági, ait: Viri Atheniénses, per ómnia quasi superstitiosióres vos vídeo. Prætériens enim, et videns simulácra vestra, invéni et aram, in qua scriptum erat: Ignóto Deo. Quod ergo ignorántes cólitis, hoc ego annúntio vobis. Deus, qui fecit mundum, et ómnia, quæ in eo sunt, hic cæli et terræ cum sit Dóminus, non in manufáctis templis hábitat, nec mánibus humánis cólitur indigens áliquo, cum ipse det ómnibus vitam, et inspiratiónem, et ómnia: fecítque ex uno omne genus hóminum inhabitáre super univérsam fáciem terræ, definiens statúta témpora, et términos habitatiónis eórum, quǽrere Deum, si forte attréctent eum, aut invéniant, quamvis non longe sit ab unoquóque nostrum. In ipso enim vívimus, et movémur, et sumus: sicut et quidam vestrórum poëtárum dixérunt: Ipsíus enim et genus sumus. Genus ergo cum simus Dei, non debémus æstimáre auro, aut argénto, aut lápidi, sculptúræ artis, et cogitatiónis hóminis, Divínum esse símile. Et témpora quidem hujus ignorántiæ despíciens Deus, nunc annúntiat homínibus ut omnes ubíque pœniténtiam agant, eo quod státuit diem, in quo judicatúrus est orbem in æquitáte, in viro, in quo státuit, fidem præbens ómnibus, súscitans eum a mórtuis. Cum audíssent autem resurrectiónem mortuórum, quidam quidem irridébant, quidam vero dixérunt: Audiémus te de hoc íterum. Sic Paulus exívit de médio eórum. Quidam vero viri adhæréntes ei, credidérunt: in quibus et Dionýsius Areopagita, et múlier nómine Dámaris, et álii cum eis.

Graduale Ps. 123. 7-8 Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contritus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67. 4 Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 1-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capílli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum, allelúja.

Secreta

Hóstia, quǽsumus, Dómine, quam, in sanctórum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii natalítiis recenséntes, offérimus: et víncula nostræ pravitátis absólvat, et tuæ nobis misericórdiæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divína mystéria, beatórum Mártyrum tuórum Dionýsii, Rústici et Eleuthérii festivitáte lætántes: quæ, sicut tuis sanctis ad glóriam, ita nobis, quǽsumus, ad véniam prodésse perfícias. Per Dóminum.

Die 10 Octobris

S. Francisci Borgiæ Conf.

Patroni princip. Regni

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35], cum repetitione Introitus ante et post Versum Glória Patri et cum Orationibus ut infra, et dicitur Credo per totam Octavam.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et prǽmium: quǽsumus; ut, sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Franciscus, quǽsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Franciscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 13 Octobris

S. Eduardi Regis, Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátum regem Eduárdum Confessórem tuum, ætérnitátis glória coronásti: fac nos, quǽsumus; ita eum venerári in terris, ut cum eo regnáre possímus in cælis. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Francisci Borgiæ.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et prǽmium: quǽsumus; ut, sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Franciscus, quǽsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cælésti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Franciscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 14 Octobris

S. Callisti I Papæ et Mart.

Introitus — Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde, laudáte Deum. ℣. Ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, qui nos cónspicis ex nostra infirmitáte defícere: ad amórem tuum nos misericórditer per Sanctórum tuórum exémpla restáura. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Francisci Borgiæ.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et prǽmium: quǽsumus; ut, sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 5, 1-4

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Mýstica nobis, Dómine, prosit oblátio: quæ nos et a reátibus nostris expédiat, et perpétua salvatióne confírmet. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Franciscus, quǽsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut reátus nostros múnera sacráta puríficent, et recte vivéndi nobis operéntur efféctum. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Francíscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 15 Octobris
S. Teresiæ Virg.

Missa Dilexisti, de Communi Virginum III loco. [41], præter Orationem sequentem:

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ Terésiæ Virginis tuæ festivitáte gaudémus; ita cæléstis ejus doctrínæ pábulo nutriámur, et piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ S. Francisci Borgiæ.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et præmium: quæsumus; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Francíscus, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Francíscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die 17 Octobris
In Translatione
S. Petri de Rates Ep. et Mart.
Patroni Princip. Archidiœcesis

Missa Sacerdótes Dei, de Communi unius Martyris II loco. [5], cum repetitione Introitus ante et post Versum Glória Patri, cum Orationibus sequentibus: et dicitur Credo.

Oratio

Deus, qui nobis beátum Petrum Mártyrem primum Pastórem mirabíliter tribuísti: concéde, quæsumus; ut, qui ejus Translatiónem festíva celebratióne recólimus, tanto digni parénte fílii efficiámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ S. Francisci Borgiæ.

Oratio

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémplar et præmium: quæsumus; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriæ tríbuas esse consórtes: (Qui vivis).

Deinde Commemoratio S. Hedwigis, ut in Missa sequenti.

Secreta

Réspice, quæsumus, Dómine, múnera quæ in sancti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, Transla-

tióne deférimus: ut, cujus grata tibi sunt mérita, ejus nobis intercessióne fiant salúbria. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Franciscus, quǽsumus, in salútem nobis provenire depóscat. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio S. Hedwigis.

Postcommunio

Beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, nos, quǽsumus, Dómine, continua oratióne custódi: ut, ejúsdem suffragántibus méritis, ecclésia dirigátur: quo patróno et prǽsule gloriátur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio diei Octavæ.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Franciscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio S. Hedwigis.

Eadem die 17 Octobris

S. Hedwigis Vid.

Missa Cognóvi, de Communi non Virginum III loco, [47], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátam Hedwígem a sǽculi pompa ad húmilem tuæ crucis sequélam toto corde transíre docuísti: concéde; ut ejus méritis et exémplo discámus peritúras mundi calcáre delícias, et in ampléxu tuæ crucis ómnia nobis adversántia superáre: Qui vivis.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 18 Octobris

S. Lucæ Evangelistæ

Introitus Eccli. 15. 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime. In médio. ℣. Gloria Patri. In médio.

Oratio

Intervéniat pro nobis, quǽsumus, Dómine, sanctus tuus Lucas Evangelísta: qui crucis mortificatiónem júgiter in suo córpore, pro tui nóminis honóre, portávit. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 8. 16-24

Fratres: Grátias ago Deo, qui dedit eámdem sollicitúdinem pro vobis in corde Titi, quóniam exhortatiónem quidem suscépit: sed cum sollicítior esset, sua voluntáte profectus est ad vos. Mísimus étiam cum illo fratrem, cujus laus est in

Evangélio per omnes ecclésias: non solum autem, sed et ordinátus est ab ecclésiis comes peregrinatiónis nostræ in hanc grátiam, quæ ministrátur a nobis ad Dómini glóriam, et destinátam voluntátem nostram: devitántes hoc, ne quis nos vitúperet in hac plenitúdine, quæ ministrátur a nobis. Providémus enim bona non solum coram Deo, sed étiam coram homínibus. Mísimus autem cum illis et fratrem nostrum, quem probávimus in multis sæpe sollicitum esse: nunc autem multo sollicitiórem, confidéntia multa in vos, sive pro Tito, qui est sócius meus, et in vos adjútor, sive fratres nostri, Apóstoli ecclesiárum, glória Christi. Ostensiónem ergo, quæ est caritátis vestræ, et nostræ glóriæ pro vobis, in illos osténdite in fáciem ecclesiárum.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 41, 27 Primus ad Sion dicet: Ecce adsum, et Jerúsalem evangelístam dabo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Dóminus et álios septuagínta duos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes, et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Credo.

Offertorium Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Donis cæléstibus da nobis, quǽsumus, Dómine, líbera tibi mente servíre: et múnera, quæ offérimus, interveniénte beáto Luca Evangelísta, nobis medélam operéntur et glóriam. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 25, 40 et 34 Amen dico vobis, quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte, benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut id quod de tuis donis percépimus: beáti Lucæ

Evangelístæ précibus, ad remédium animárum nostrárum profíciat, et tuis nos fáciat inhærére mandátis. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omnia dicuntur ut supra, sed post Graduale, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Tempore autem Paschali Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21], cum Orationibus, Epistola et Evangelio ut supra.

Die 19 Octobris

S. Petri de Alcantara Conf.

Introitus Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus.

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Confessórem tuum admirábilis pœniténtiæ et altíssimæ contemplatiónis múnere illustráre dignátus es: da nobis, quæsumus; ut, ejus suffragántibus méritis, carne mortificáti, facílius cæléstia capiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 3, 7-12

Fratres: Quæ mihi fuérunt lucra, hæc arbitrátus sum propter Christum detriménta. Verúmtamen exístimo ómnia detriméntum esse propter eminéntem sciéntiam Jesu Christi, Dómini mei: propter quem ómnia detriméntum feci, et árbitror ut stércora, ut Christum lucrifáciam, et invéniar in illo, non habens meam justítiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi Jesu: quæ ex Deo est justítia in fide, ad cognoscéndum illum, et virtútem resurrectiónis ejus, et societátem passiónum illíus: configurátus morti ejus: si quo modo occúrram ad resurrectiónem, quæ est ex mórtuis: non quod jam accéperim, aut jam perféctus sim: sequor autem, si quo modo comprehéndam, in quo et comprehénsus sum a Christo Jesu.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem

Die 16 Octobris

S. MARGARITAE MARIAE ALACOQUE

VIRGINIS

Introitus Cant. 2. 3 Sub umbra illius, quem desideráveram, sedi: et fructus ejus dulcis gútturi meo. Ps. 83, 2-3 Quam diléctа tabernácula tua, Dómine virtútum! concupiscit et déficit ánima mea in átria Dómini. ℣. Glória Patri. Sub umbra

Oratio

Dómine Jesu Christe, qui investigábiles divítias Cordis tui beátae Margaritae Maríae Vírgini mirabíliter revelásti: da nobis ejus méritis et imitatióne; ut te in ómnibus, et super ómnia diligéntes, jugem in eódem Corde tuo mansiónem habére mereámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Oct. S. Francisci Borgiae.

Oratio

Dómine Jesu Christe, verae humilitátis et exémplar et praemium: quaesumus; ut, sicut beátum Franciscum in terréni honóris contémptu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitatiónis et glóriae tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Lectio Epístolae beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios

Ephes. 3, 8-9 et 14-19

Fratres: Mihi ómnium sanctórum mínimo data est grátia haec, in géntibus evangelizáre investigábiles divítias Christi, et illumináre omnes, quae sit dispensátio sacraménti abscónditi a saeculis in Deo, qui ómnia creávit. Hujus rei grátia flecto génua mea ad Patrem Dómini nostri Jesu Christi, ex quo omnis patérnitas in caelis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriae suae, virtúte corroborári per Spíritum ejus in interiórem hóminem: Christum habitáre per fidem in córdibus vestris: in caritáte radicáti, et fundáti, ut possítis comprehéndere cum ómnibus sanctis, quae sit latitúdo, et longitúdo, et sublímitas, et profúndum; scire étiam supereminéntem sciéntiae caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Graduale Cant. 8, 7 Aquae multae non potuérunt exstínguere caritátem, nec flúmina óbruent illam. ℣. Ps. 72, 26 Defécit caro mea, et cor meum: Deus cordis mei, et pars mea Deus in ætérnum.

Allelúja, allelúja. ℣. Cant. 7, 10 Ego dilécto meo, et ad me convérsio ejus. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja, et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 83, 3-4 Cor meum, et caro mea exsultavérunt in Deum vivum. ℣. Etenim passer invénit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos. ℣. Altária tua, Dómine virtútum: Rex meus, et Deus meus.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Prov. 9, 5 Ve-

nite, comédite panem meum, et bíbite vinum quod miscui vobis. Allelúja ℣. Ps. 30, 20 Quam magna multitúdo dulcédinis tuae, Dómine, quam abscondísti timéntibus te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Matth. 11, 25-30

In illo témpore: Respóndens Jesus, dixit: Confiteor tibi, Pater, Dómine caeli et terrae, quia abscondísti haec a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. Ita Pater: quóniam sic fuit plácitum ante te. Omnia mihi trádita sunt a Patre meo. Et nemo novit Fílium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Fílius, et cui volúerit Fílius reveláre. Veníte ad me omnes, qui laborátis et oneráti estis, et ego refíciam vos. Tóllite jugum meum super vos, et díscite a me quia mitis sum et húmilis corde: et inveniétis réquiem animábus vestris. Jugum enim meum suáve est, et onus meum leve.

Credo, ratione Octavae.

Offertorium Zach. 9, 17 Quid bonum ejus est, et quid pulchrum ejus, nisi fruméntum electórum, et vinum gérminans vírgines?

Secreta

Accépta tibi sint, Dómine, plebis tuae múnera: et concéde; ut ignis ille divínus nos inflámmet, quo, e Corde Fílii tui émisso, beáta Margaríta María veheménter aestuávit per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavae.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Francíscus, quaesumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Communio Cant. 6, 2 Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília.

Postcommunio

Córporis et sánguinis tui, Dómine Jesu, sumptis mystériis: concéde nobis, quaesumus, beáta Margaríta María Vírgine intercedénte: ut, supérbiae saeculi vanitátibus exútis, mansuetúdinem et humilitátem Cordis tui índuere mereámur: Qui vivis.

Et fit Commemoratio Octavae.

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Francíscus, pro nobis intercedéndo: ut et insígnia conversatiónis ejus experiámur insígnia et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Concordat cum originali adprobato.
In fide: Taurini, die 14 Octobris 1929.
Sac. Augustinus Grogno, Rev. Archiep.

IMPRIMATUR
Emmanuel, Archiep. Bra.

1929 — Bracaræ, Tipis Universale

in cælis: quo fur non apprópiat, neque tinea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuisti ei.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio Matth. 19, 28 et 29 Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Petro Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 20 Octobris

S. Joannis Cantii Conf.

Introitus Eccli. 18, 12-13

Miserátio hóminis circa próximum: misericórdia autem Dei super omnem carnem. Qui misericórdiam habet, docet, et érudit quasi pastor gregem suum. ℣. Ps. 1, 1 Beátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stetit, et in cáthedra pestiléntiæ non sedit. ℣. Glória Patri. Miserátio.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, sancti Joánnis Confessóris exémplo in sciéntia Sanctórum proficiéntes, atque áliis misericórdiam exhibéntes; ejus méritis, indulgéntiam apud te consequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 2, 12-17

Sic loquímini, et sic fácite, sicut per legem libertátis incipiéntes judicári. Judícium enim sine misericórdia illi, qui non fecit misericórdiam: superexáltat autem misericórdia judícium. Quid próderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habére, ópera autem non hábeat? Numquid póterit fides salváre eum? Si autem frater, et soror nudi sint, et indígeant victu quotidiáno, dicat autem áliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacímini, et saturámini: non dedéritis autem eis, quæ necessária sunt córpori, quid próderit? Sic et fides, si non hábeat ópera, mórtua est in semetípsa.

Graduale Ps. 106, 8-9 Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus fíliis hóminum. ℣. Quia satiávit ánimam inánem: et ánimam esuriéntem satiávit bonis.

Allelúja, allelúja. ℣. Prov. 31, 20 Manum suam apéruit ínopi: et palmas suas exténdit ad páuperem. Allelúja.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja ℣. Prov. 31, 20 Manum suam apéruit ínopi: et palmas suas exténdit ad páuperem. Allelúja, alle-

lúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcinget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Job. 29, 14-16 Justítia indútus sum, et vestívi me, sicut vestiménto et diadémate, judício meo. Oculus fui cæco, et pes claudo: pater eram páuperum.

Secreta

Has, quǽsumus, Dómine, hóstias sancti Joánnis Confessóris tui méritis benígnus assúme: et præsta; ut te super ómnia, et omnes propter te diligéntes, corde tibi et ópere placeámus. Per Dóminum.

Communio Luc. 6, 38 Date, et dábitur vobis: mensúram bonam, et confértam, et coagitátam, et supereffluéntem dabunt in sinum vestrum.

Postcommunio

Pretiósi córporis et sánguinis tui, Dómine, pasti delíciis, tuam súpplices deprecámur cleméntiam: ut, sancti Joánnis Confessóris tui méritis et exémplis, ejúsdem caritátis imitatóres effécti, consórtes simus et glóriæ: Qui vivis.

Die 21 Octobris

S. Hilarionis Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35].

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti Hilariónis Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm., ut in Missa sequenti.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus Hilárion Abbas, quǽsumus, in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Ursulæ et Sociarum, ut infra.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne Sacraménti beátus Hilárion Abbas, pro nobis intercedéndo: ut, et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Ursulæ et Sociarum, ut infra.

Eadem die 21 Octobris

Ss. Ursulæ et Sociarum Vv. et Mm.

Missa Afferéntur, **de Communi Virginum v loco,** [44], **præter Orationem sequentem.**

Oratio

Deus, glória Vírginum, et virginitátis amátor: qui beátæ Ursulæ in palma martýrii contulísti úndecim míllium Vírginum comitátum; eárum intervéntu fídei nobis constántiam, et cordis puritátem concéde. Per Dóminum.

Secreta

Inténde, quǽsumus, Dómine, múnera, altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum Ursulæ et Sociárum festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti, ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis Ursula et Sóciis: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 22 Octobris

In Translatione S. Martini Dumiensis Ep. et Conf.

Missa In médio Ecclésiæ, **de Communi Doctorum,** [30], **præter Orationem sequentem.**

Oratio

Deus, qui Sanctórum tuórum festívis solemnitátibus gloriáris: concéde propítius; ut, qui beáti Martíni, Pontíficis nostri atque Doctóris, Translatiónem devótis méntibus celebrámus, ejus doctrínæ rádiis illustrémur, et intercessiónis auxília sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Sancti Martíni, Pontíficis tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet, et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus Martínus, Póntifex tuus et Doctor egrégius, quǽsumus, precátor accédat. Per Dóminum.

Die 23 Octobris

S. Irenæ Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, **de Communi Virginum II loco,** [39], **præter Orationem sequentem.**

Oratio

Deus, qui cæléstí judício beátam Irénam, Vírginem et Mártyrem tuam, ab infámia liberásti: concéde propítius; ut, ejus méritis et précibus, a peccatórum nostrórum máculis emundémur. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ Irénæ, Vírginis et Mártyris tuæ, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta Iréna,

Virgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

Die 24 Octobris

S. Raphaëlis Archangeli

Introitus Ps. 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. ℣. Ps. ibid., 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia, quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri. Benedícite.

Oratio

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ fámulo tuo cómitem dedísti in via: concéde nobis fámulis tuis; ut ejúsdem semper protegámur custódia, et muniámur auxílio. Per Dóminum.

Léctio libri Tobíæ.
Tob. 12, 1-15

In diébus illis: Dixit Angelus Ráphaël ad Tobíam: Sacraméntum regis abscóndere bonum est: ópera autem Dei reveláre et confitéri honoríficum est. Bona est orátio cum jejúnio, et eleemósyna magis quam thesáuros auri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est, quæ purgat peccáta, et facit invenire misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum, et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem tuam Dómino. Et, quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram uxórem fílii tui a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphaël Angelus, unus ex septem, qui astámus ante Dóminum.

Graduale Tob. 8, 3 Angelus Dómini Ráphaël apprehéndit, et ligávit dæmonem. ℣. Ps. 146, 5 Magnus Dóminus noster, et magna virtus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi: adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo, Dómine. Allelúja.

¶ In Missis votivis a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 148, 2 Laudáte Dóminum, omnes Angeli ejus: laudáte eum, omnes virtútes ejus. ℣. Ps. 102, 21 Benedícite Dóminum, omnes virtútes ejus: minístri ejus, qui fácitis voluntátem ejus.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 102, 1 Bénedic, ánima mea, Dóminum: et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus. Allelúja, allelúja. ℣. Tob. 3, 20 et 5, 11 Missus est Angelus Dómini, sanctus Ráphaël, a Deo ad Tobíam, et salutávit eum, et dixit: Gáudium sit tibi semper. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 5, 1-4

In illo témpore: Erat dies festus Judæórum, et ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis Probática piscína, quæ cognominátur hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum exspectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini descendébat secúndum tempus in piscínam, et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte.

Credo.

Offertorium Apoc. 8, 3 et 4 Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua, et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus, supplíciter deprecántes: ut eásdem, angélico pro nobis intercedénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram proveníre concédas. Per Dóminum.

Communio Dan. 3, 58 Benedícite, omnes Angeli Dómini, Dóminum: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula.

Postcommunio

Dirígere dignáre, Dómine Deus, in adjutórium nostrum sanctum Raphaélem Archángelum: et, quem tuæ majestáti semper assístere crédimus, tibi nostras exíguas preces benedicéndas assígnet. Per Dóminum.

Die 25 Octobris

Ss. Chrysanthi et Dariæ Mm.

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Beatórum Mártyrum tuórum, Dómine, Chrysánthi et Dariæ, quǽsumus, adsit nobis orátio: ut, quos venerámur obséquio, eórum pium júgiter experiámur auxílium. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios 2 Cor. 6, 4-10

Fratres: Exhibeámus nosmetípsos sicut Dei minístros in multa patiéntia, in tribulatiónibus, in necessitátibus, in angústiis, in plagis, in carcéribus, in seditiónibus, in labóribus, in vigíliis, in jejúniis, in castitáte, in sciéntia, in longanimitáte, in suavitáte, in Spíritu Sancto, in caritáte non ficta, in verbo veritátis, in virtúte Dei, per arma justítiæ a dextris, et a sinístris: per glóriam, et ignobilitátem: per infámiam, et bonam famam: ut seductóres, et veráces: sicut qui ignóti, et cógniti: quasi moriéntes, et ecce vívimus:

ut castigáti, et non mortificáti: quasi tristes, semper autem gaudéntes: sicut egéntes, multos autem locupletántes: tamquam nihil habéntes, et ómnia possidéntes.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. 44, 14 Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 11, 47-51

In illo témpore: Dicébat Jesus scribis et pharisǽis: Væ vobis, qui ædificátis monuménta prophetárum: patres autem vestri occidérunt illos. Profécto testificámini quod consentítis opéribus patrum vestrórum: quóniam ipsi quidem eos occidérunt, vos autem ædificátis eórum sepúlcra. Proptérea et sapiéntia Dei dixit: Mittam ad illos prophétas et apóstolos, et ex illis occídent, et persequéntur: ut inquirátur sanguis ómnium prophetárum, qui effúsus est a constitutióne mundi a generatióne ista, a sánguine Abel usque ad sánguinem Zacharíæ, qui périit inter altáre et ædem. Ita dico vobis, requirétur ab hac generatióne.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta

Pópuli tui, quǽsumus, Dómine, tibi grata sit hóstia, quæ in natalítiis sanctórum Mártyrum tuórum Chrysánthi et Daríæ solémniter immolátur. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 4, 5 et 6 Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio

Mýsticis, Dómine, repléti sumus votis et gáudiis: præsta, quǽsumus; ut, intercessiónibus sanctórum Mártyrum tuórum Chrysánthi et Daríæ, quæ temporáliter ágimus, spirituáliter consequámur. Per Dóminum.

Die 26 Octobris

S. Evaristi Papæ et Mart.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, dicitur post Tertiam extra Chorum Missa de Canticis Canticorum cum Commemoratione S. Evaristi; et post Nonam dicitur in Choro Missa de Vigilia anticipata Ss. Simonis et Judæ App., ut die sequenti notatur. Missæ autem privatæ dici possunt, vel de Canticis cum 2ª Oratione Vigiliæ, de qua dicitur ultimum Evangelium in fine, et 3ª de S. Evaristo; vel de Vigilia cum 2ª Oratione Officii de Canticis et 3ª item de S. Evaristo.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], præter Orationem sequentem.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Evarísti, Mártyris tui atque Pontíficis

intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta: et, beáti Evaristi Mártyris tui suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 27 Octobris

S. Gundisalvi de Lagos Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus virtútum, qui beátum Gundisálvum, Confessórem tuum, ánimi demissióne, morum candóre ac singulári caritáte mirábilem effecísti: concéde, quǽsumus; ut, ejus exémpla imitántes in terris, coronári cum ipso mereámur in cælis. Per Dóminum.

Et in Missis non conventualibus fit Commemoratio Vigiliæ Ss. Simonis et Judæ, ut in Missa sequenti.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos, et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Vigiliæ ut supra.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstì, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Vigiliæ ut supra, et de ea legitur ultimum Evangelium in fine.

¶ Ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia; de qua dici possunt etiam Missæ privatæ cum Commemoratione Festi.

Eadem die 27 Octobris

In Vigilia

Ss. Simonis et Judæ App.

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, sicut Apostolórum tuórum Simónis et Judæ gloriósa natalítia prævenímus; sic, ad tua benefícia promerénda, majestátem tuam pro nobis ipsi prævéniant. Per Dóminum.

Deinde dicitur 2ª Oratio de sancta Maria Concéde, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, 352.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 4, 9-14

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et ángelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris. Maledícimur, et benedícimus; persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus. Tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo: sed ut fílios meos caríssimos móneo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 78, 10 Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum qui effúsus est. ℣. Ibid. 2 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Et repetitur Graduale Víndica.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 15, 1-7

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me: et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi mán-serit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pal-mites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis petétis, et fiet vobis.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt Sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta

Munéribus nostris, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum Simónis et Judæ festa præcédimus te supplíciter deprecántes: ut, quæ consciéntiæ nostræ præpediúntur obstáculis, illórum méritis grata reddántur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra 352.
Præfatio communis.

Communio Ps. 78, 2 et 11 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli: carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ: secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Sumpto, Dómine, sacraménto, supplíciter deprecámur: ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis Simóne et Juda, quod temporáliter gérimus, ad vitam capiámus ætérnam. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra 352.

Die 28 Octobris
Ss. Simonis et Judæ App.

Introitus Ps. 138. 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amici tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid. 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. Mihi autem. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos Simónem et Judam ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis, quǽsumus, eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 4. 7-13

Fratres: Unicuíque nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi. Propter quod dicit: Ascéndens in altum, captívam duxit captivitátem: dedit dona homínibus. Quod autem ascéndit, quid est, nisi quia et descéndit primum in inferióres partes terræ? Qui descéndit, ipse est et qui ascéndit super omnes cælos, ut impléret ómnia. Et ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam autem prophétas, álios vero evangelístas, álios autem pastóres, et doctóres, ad consummatiónem sanctórum in opus ministérii, in ædificatiónem córporis Christi: donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

Graduale Ps. 44. 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 138. 17 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 15. 17-25

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit: scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis: mundus quod suum erat dilígeret: quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur: si sermónem meum servavérunt, et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum: quia nésciunt eum, qui misit me. Si non venissem, et locútus fuíssem eis, peccátum non habérent: nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. Qui me odit: et Patrem meum odit. Si ópera non fecíssem in eis, quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent: nunc autem et vidérunt, et odérunt et me, et Patrem meum. Sed ut adimpleátur sermo, qui in lege eórum scri-

ptus est: Quia ódio habuérunt me gratis.

Credo.

Offertorium Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum Simónis et Judæ perpétuam venerántes: quǽsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dignius celebrémus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis Simóne et Juda, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra, sed a Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore autem Paschali Missa Sancti tui, de Communi Martyrum II loco, [23], cum Orationibus, Epistola et Evangelio ut supra.

Die 29 Octobris

In Translatione S. Elisabeth Vid. Reginæ Portugaliæ

Missa Gaudeámus, ut in die 4 Julii 662, præter Orationem sequentem.

Oratio

Deus, ómnium largítor donórum, qui hunc diem beátæ Elísabeth veneránda Translatióne illustrásti: quǽsumus; ut, ejus précibus et intercessióne, nos de terrénis ad consórtia tránsferas Beatórum. Per Dóminum.

Secreta

Deus, qui in honórem beátæ Elisabeth Regínæ has tibi solémnes hóstias offérri voluísti: da nobis; ut, ejus vestígia secúti, et oratióne adjúti, tibi, cui servíre regnáre est, toto corde serviámus in terra, ac tecum regnémus in cælo. Per Dóminum.

Postcommunio

Regáli ac sacro convívio, Dómine Jesu Christe, in quo tu es ipse verus cibus et potus: nos, quǽsumus, dignos effíciat, et cáritas tua imménsa, et beátæ Elísabeth Regínæ intercéssio gloriósa: Qui vivis.

Die 30 Octobris

Pro Gratiarum actione ob victoriam de Saracenis relatam

Introitus Ps. 43, 9 et 8

In Deo laudábimur tota die, et in nómine tuo, Dómine, confitébimur in ætérnum: salvásti enim nos de inimícis no-

stris, et odiéntes nos confudisti. ℣. Ps. ibid., 2 Deus, áuribus nostris audívimus, patres nostri annuntiavérunt nobis: opus quod operátus es in diébus eórum, et in diébus antiquis. ℣. Glória Patri. In Deo laudábimur.

Oratio

Deus, qui per Crucem tuam pópulo in te credénti triúmphum contra inimícos concédere voluísti: quǽsumus; ut, pro tua pietáte, adorántibus Crucem semper victóriam tríbuas in terris, et gáudia ætérna in cælis: Qui vivis.

Si hodie fuerit Sabbatum, in Missis non conventualibus fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ Omnium Sanctorum, ut in Missa sequenti.

Léctio libri Machabæórum.
II Machab. 15, 7-36

In diébus illis: Machabǽus semper confidébat cum omni spe auxílium sibi a Deo adfutúrum. Et hortabátur suos, ne formidárent ad advéntum natiónum, sed in mente habérent adjutória sibi facta de cælo, et nunc sperárent ab Omnipoténte sibi adfutúram victóriam. Et, cum jam omnes sperárent judícium futúrum, hostésque adéssent, atque exércitus esset ordinátus, béstiæ equitésque opportúno in loco compósiti, considerans Machabǽus advéntum multitúdinis, et apparátum várium armórum, et ferocitátem bestiárum, exténdens manus in cælum, prodígia faciéntem Dóminum invocávit, qui non secúndum armórum poténtiam, sed prout ipsi placet, dat dignis victóriam. Dixit autem invocans hoc modo: Tu, Dómine, qui misísti Angelum tuum sub Ezechía, rege Juda, et interfecísti de castris Sennácherib centum octoginta quinque míllia: et nunc, Dominátor cælórum, mitte Angelum tuum bonum ante nos, in timóre et tremóre magnitúdinis bráchii tui, ut métuant qui cum blasphémia véniunt advérsus sanctum pópulum tuum. Judas vero, et qui cum eo erant, invocáto Deo, per oratiónes congréssi sunt: manu quidem pugnántes, sed Dóminum córdibus orántes, prostravérunt non minus triginta quinque míllia, præséntia Dei magnífice delectáti. Cumque cessássent, et cum gáudio redírent, cognovérunt Nicánorem ruísse cum armis suis. Facto ítaque clamóre, et perturbatióne excitáta, pátria voce omnipoténtem Dóminum benedicébant. Itaque omnes commúni consílio decrevérunt nullo modo diem istum absque celebritáte præteríre.

Graduale Ps. 117, 24 Hæc dies, quam fecit Dóminus: exsultémus, et lætémur in ea. ℣. Ps. 106, 2 Dicant nunc qui redémpti sunt a Dómino: quos redémit de manu inimíci.

Allelúja, allelúja. ℣. Exod. 15, 1 Cantémus Dómino: glorióse enim magnificátus est, équum et ascensórem dejécit in mare. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 3, 1-15

In illo témpore: Erat homo ex Pharisǽis, Nicodémus nómine, princeps Judæórum. Hic venit ad Jesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quia

a Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa fácere, quæ tu facis, nisi fúerit Deus cum eo. Respóndit Jesus, et dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit dénuo, non potest vidére regnum Dei. Dicit ad eum Nicodémus: Quómodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suæ iteráto introire, et renásci? Respóndit Jesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renátus fúerit ex aqua et Spíritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spíritu, spíritus est. Non miréris quia dixi tibi: Opórtet vos nasci dénuo. Spíritus ubi vult spirat; et vocem ejus audis, sed nescis unde véniat, aut quo vadat: sic est omnis, qui natus est ex spíritu. Respóndit Nicodémus, et dixit ei: Quómodo possunt hæc fíeri? Respóndit Jesus, et dixit ei: Tu es magíster in Israël, et hæc ignóras? Amen, amen dico tibi, quia quod scimus lóquimur, et quod vídimus testámur: et testimónium nostrum non accípitis. Si terréna dixi vobis, et non créditis, quómodo, si díxero vobis cæléstia, credétis? Et nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis: ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam.

Credo.

Offertorium Ps. 117, 16-17 Déxtera Dómini fecit virtútem, déxtera Dómini exaltávit me, déxtera Dómini fecit virtútem. Non móriar, sed vivam, et narrábo ópera Dómini, allelúja.

Secreta

Sacrifícium, Dómine, quod tibi immolámus, placátus inténde: ut ab omni nos éruat bellórum nequítia; et per vexíllum sanctæ Crucis Fílii tui, ad conteréndas adversariórum insídias nos in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per eúmdem Dóminum.

Si fuerit Sabbatum, fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ, ut supra.

Præfatio de Cruce.

Communio Exod. 15, 6 et 13 Déxtera tua, Dómine, magnificáta est in fortitúdine: déxtera tua, Dómine, percússit inimícum. Dux fuísti in misericórdia tua pópulo, quem redemísti: et portásti eum in fortitúdine tua ad habitáculum sanctum tuum, allelúja.

Postcommunio

Exáudi nos, Deus salutáris noster: et per triúmphum sanctæ Crucis a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Si fuerit Sabbatum, fit Commemoratio Vigiliæ anticipatæ, ut supra; et de ea legitur Evangelium in fine.

¶ Si hodie fuerit Sabbatum, ubi adest obligatio Chori, lecta post Tertiam extra Chorum Missa de Festo sine Commemoratione Vigiliæ, in Choro post Nonam dicitur Missa de Vigilia, ut infra, cum 2ª Oratione de Spiritu Sancto et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, [57]-[58]; et de Vigilia dici possunt etiam Missæ privatæ cum secunda tamen Oratione Festi, et sine 3ª Oratione.

Die 31 Octobris
In Vigilia
Omnium Sanctorum

Introitus Ps. 33, 10-11

Timéte Dóminum, omnes Sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum: dívites eguérunt et esuriérunt: inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono. ℣. Ps. ibid. 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Timéte.

Non dicitur Glória in excélsis.

Oratio

Dómine Deus noster, multíplica super nos grátiam tuam: et, quórum prævenímus gloriósa solémnia, tríbue súbsequi in sancta professióne lætítiam. Per Dóminum.

Et dicitur 2ª Oratio de Spiritu Sancto, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, [57]-[58].

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 5, 6-12

In diébus illis: Ecce ego Joánnes vidi in médio throni, et quátuor animálium, et in médio seniórum Agnum stantem tamquam occísum, habéntem córnua septem, et óculos septem: qui sunt septem spíritus Dei, missi in omnem terram. Et venit: et accépit de déxtera sedéntis in throno librum. Et cum aperuísset librum, quátuor animália et vigínti quátuor senióres cecidérunt coram Agno, habéntes sínguli cítharas, et phíalas áureas plenas odoramentórum, quæ sunt oratiónes sanctórum: et cantábant cánticum novum, dicéntes: Dignus es, Dómine, accípere librum, et aperíre signácula ejus: quóniam occísus es, et redemísti nos Deo in sánguine tuo ex omni tribu, et lingua, et pópulo, et natióne: et fecísti nos Deo nostro regnum, et sacerdótes: et regnábimus super terram. Et vidi, et audívi vocem Angelórum multórum in circúitu throni, et animálium, et seniórum: et erat númerus eórum míllia míllium, dicéntium voce magna: Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem, et glóriam, et benedictiónem, in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 149, 5 et 1 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus in ecclésia sanctórum.

Et repetitur Graduale Exsultábunt.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 6, 17-23

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia

saturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Altáre tuum, Dómine, munéribus cumulámus oblátis: da, quǽsumus: ut ad salútem nostram, ómnium Sanctórum tuórum precatióne, profíciant, quorum solémnia ventúra præcúrrimus. Per Dóminum.


Aliæ Secretæ, ut supra, [58].

Communio Matth. 25, 40 et 34 Amen dico vobis, quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte, benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum ab inítio sǽculi.

Postcommunio

Sacraméntis, Dómine, et gáudiis optátæ celebritátis explétis: quǽsumus; ut eórum précibus adjuvémur, quorum recordatiónibus exhibéntur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, [58].



DOMINICA ULTIMA OCTOBRIS

IN FESTO

D. NOSTRI JESU CHRISTI REGIS

Introitus Apoc. 5, 12; 1, 6

Dignus est Agnus, qui occísus est, accípere virtútem, et divinitátem, et sapiéntiam, et fortitúdinem, et honórem. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Ps. 71, 1 Deus, judícium tuum Regi da: et justítiam tuam Fílio Regis. ℣. Glória Patri.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui in dilécto Fílio tuo, universórum Rege, ómnia instauráre voluísti: concéde propítius; ut cunctæ famíliæ Géntium, peccáti vúlnere disgregátæ, ejus suavíssimo subdántur império: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Colossénses.

Coloss. 1, 12-20

Fratres: Grátias ágimus Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctórum in lúmine, qui erípuit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in

regnum Filii dilectiónis suæ, in quo habémus redemptiónem per sánguinem ejus, remissiónem peccatórum: qui est imágo Dei invisíbilis, primogénitus omnis creatúræ: quóniam in ipso cóndita sunt univérsa in cælis et in terra, visibília et invisibília, sive throni, sive dominatiónes, sive principátus, sive potestátes: ómnia per ipsum, et in ipso creáta sunt: et ipse est ante omnes, et ómnia in ipso constant. Et ipse est caput córporis Ecclésiæ, qui est princípium, primogénitus ex mórtuis: ut sit in ómnibus ipse primátum tenens; quia in ipso complácuit omnem plenitúdinem inhabitáre; et per eum reconciliáre ómnia in ipsum, pacíficans per sánguinem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 71, 8 et 11 Dominábitur a mari usque ad mare, et a flúmine usque ad términos orbis terrárum. ℣. Et adorábunt eum omnes reges terræ: omnes Gentes sérvient ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Dan. 7, 14 Potéstas ejus, potéstas ætérna, quæ non auferétur: et regnum ejus, quod non corrumpétur. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti dicitur

Tractus Ps. 88, 27-28 et 30 Ipse invocábit me: Pater meus es tu: Deus meus, et suscéptor salútis meæ. ℣. Et ego primogénitum ponam illum: excélsum præ régibus terræ. ℣. Et ponam in sæculum sæculi semen ejus: et thronum ejus sicut dies cæli.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Dan. 7, 14 Potéstas ejus, potéstas ætérna, quæ non auferétur: et regnum ejus quod non corrumpétur. Allelúja. ℣. Apoc. 19, 16 Habet in vestiménto et in fémore suo scriptum: Rex regum, et Dóminus dominántium. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joan. 18, 33-37

In illo témpore: Dixit Pilátus ad Jesum: Tu es Rex Judæórum? Respóndit Jesus: A temetípso hoc dicis, an álii dixérunt tibi de me? Respóndit Pilátus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua et pontífices tradidérunt te mihi; quid fecísti? Respóndit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, minístri mei útique decertárent, ut non tráderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit ítaque ei Pilátus: Ergo Rex es

tu? Respóndit Jesus: Tu dicis quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum et ad hoc veni in mundum, ut testimónium perhíbeam veritáti: omnis qui est ex veritáte, audit vocem meam.

Credo.


Offertorium Ps. 2, 8 Póstula a me, et dabo tibi Gentes hereditátem tuam, et possessiónem tuam términos terræ.


Secreta


Hóstiam tibi, Dómine, humánæ reconciliatiónis offérimus: præsta, quæsumus; ut Quem sacrifíciis præséntibus immolámus, Ipse cunctis Géntibus unitátis et pacis dona concédat, Jesus Christus Fílius tuus Dóminus noster: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis.

Præfatio




℟. Di-gnum et ju-stum est.
Ve-re dignum et ju-stum est, æquum et sa-lu-tá-re, nos
ti-bi semper, et ubíque grá-ti-as áge-re: Dómi-ne sancte,
Pa-ter omní-po-tens æ-térne De-us: Qui u-ni-gé-ni-tum Fi-
li-um tu-um Dóminum nostrum Je-sum Christum, Sa-cer-
dó-tem æ-térnum et u-ni-versó-rum Re-gem, ó-le-o exsulta-
ti-ó-nis unxísti: ut se-ípsum in a-ra crucis, hósti-am imma-
cu-lá-tam et pa-cí-fi-cam óf-fe-rens, re-dempti-ó-nis humá-næ
sacraménta per-á-ge-ret: et su-o sub-jéctis impé-ri-o ómni-
bus cre-a-tú-ris, æ-térnum et u-ni-versá-le regnum, im-



Communio Ps. 28, 10 et 11

Sedébit Dóminus Rex in ætérnum: Dóminus benedícet pópulo suo in pace.

Postcommunio

Immortalitátis alimóniam consecúti, quæsumus, Dómine: ut, qui sub Christi Regis vexíllis militáre gloriámur, cum Ipso, in cælésti sede, júgiter regnáre possímus: Qui tecum.

Et fit Commemoratio Dominicæ occurrentis, cujus Evangelium legitur in fine.



V. Concordat cum exemplaribus authenticis.

aurini, 7 Aprilis 1927.


Sac. AUGUSTINUS GROGNO, Rev. Archiep.

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, Prov. Gen.

TAURINI (Italia)
Ex Officina Libraria MARIETTI
S. Sedis Apostolicæ, S. Rituum Congr., et Archiep. Taurinensis Typographi.
1927

(30-XII-30).



FESTA NOVEMBRIS

Die 1 Novembris

IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

Introitus Eccl. vox.

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre Sanctórum ómnium: de quorum solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. Gaudeámus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quǽsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 7, 2-12

In diébus illis: Ecce ego Joánnes vidi álterum Angelum ascendéntem ab ortu solis, habéntem signum Dei vivi: et clamávit voce magna quátuor Angelis, quibus datum est nocére terræ, et mari, dicens: Nólite nocére terræ, et mari, neque arbóribus, quoadúsque signémus servos Dei nostri in fróntibus eórum. Et audívi númerum signatórum, centum quadragínta quátuor míllia signáti, ex omni tribu filiórum Israël. Ex tribu Juda duódecim míllia signáti. Ex tribu Ruben duódecim míllia signáti. Ex tribu Gad duódecim míllia signáti. Ex tribu Aser duódecim míllia signáti. Ex tribu Néphtali duódecim míllia signáti. Ex tribu Manásse duódecim míllia signáti. Ex tribu Símeon duódecim míllia signáti. Ex tribu Levi duódecim míllia signáti. Ex tribu Issáchar duódecim míllia signáti. Ex tribu Zábulon duódecim míllia signáti. Ex tribu Joseph duódecim míllia signáti. Ex tribu Bénjamin duódecim míllia signáti. Post hæc vidi turbam magnam, quam dinumeráre

nemo póterat, ex ómnibus géntibus, et tríbubus, et pópulis, et linguis: stantes ante thronum, et in conspéctu Agni, amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum: et clamábant voce magna, dicéntes: Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno. Et omnes Angeli stabant in circúitu throni, et seniórum, et quátuor animálium: et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas, et adoravérunt Deum, dicéntes: Amen. Benedíctio, et cláritas, et sapiéntia, et gratiárum áctio, honor, et virtus, et fortitúdo Deo nostro in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 33, 10 et 11 Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum. ℣. Inquiréntes autem Dóminum, non defícient omni bono.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 11, 28 Veníte ad me, omnes qui laborátis, et oneráti estis: et ego refíciam vos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem, et, cum sedísset, accessérunt ad eum discípuli ejus, et apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites: quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent: quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt et sítiunt justítiam: quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes: quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis cum maledíxerint vobis, et persecúti vos fúerint, et díxerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me: gaudéte, et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis. Credo.

Offertorium Sap. 3, 1-2 et 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace, allelúja.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio Matth. 5, 8-10 Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur: beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

¶ Infra Octavam Missa ut in Festo, et pro Orationibus juxta diversitatem Temporum assignatis, dicitur 2ª Oratio de Spiritu Sancto, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa. [57]-[58].

Missa votiva de Omnibus Sanctis

I

Extra Tempus Paschale:

Introitus Sap. 38

Júdicant sancti gentes, et dominántur pópulis: et regnábit Dóminus Deus illórum in perpétuum. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Júdicant.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut intercéssio sanctæ Dei Genitrícis Maríæ, sanctorúmque ómnium Apostolórum, Mártyrum, Confessórum atque Vírginum et ómnium electórum tuórum, nos ubíque lætíficet; ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

2ª Oratio de Spiritu Sancto, et 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa, [57]-[58].

Epistola Ecce ego Joánnes, ut in Missa de Festo, 797.

Graduale Ps. 33, 10 et 11 Timéte Dóminum, omnes sancti ejus: quóniam nihil deest timéntibus eum. ℣. Inquiréntes autem Dóminum non defícient omni bono.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 11, 28 Veníte ad me, omnes qui laborátis, et oneráti estis: et ego refíciam vos.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Evangelium Videns Jesus, ut in Missa de Festo, 798.

Offertorium Sap. 3, 1-2 et 3 Justórum ánimae in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace, allelúja.

Secreta

Oblátis, Dómine, placáre munéribus: et, intercedénte beáta María semper Vírgine, cum ómnibus Sanctis tuis, a cunctis non defénde perículis. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra, [58].

Communio Matth. 5, 8-10 Beáti mundo corde, quóniam ipsi Deum vidébunt: beáti pacífici, quóniam fílii Dei vocabúntur: beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam, quóniam ipsórum est regnum cælórum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum tuórum memóriam recoléntes, sacraménta cæléstia: præsta, quǽsumus; ut, quod temporáliter gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra, [58].

II

Tempore Paschali:

Introitus Ps. 144, 10-11

Sancti tui, Dómine, benedícent te: glóriam regni tui dicent, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid. 1 Exaltábo te, Deus meus Rex: et be-

nedicam nómini tuo in sǽculum, et in sǽculum sǽculi. ℣. Glória Patri. Sancti tui,

Oratio, Commemorationes et Epistola, ut in Missa praecedenti notatur; et, post Epistolam, dicitur:

Allelúja. ℣. Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 115, 15 Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Allelúja.


Evangelium ut in Missa præcedenti notatur.


Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde, allelúja, allelúja.

Secreta et Commemorationes, ut in Missa præcedenti notatur.

Communio Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino, allelúja: rectos decet collaudátio, allelúja.

Postcommunio et Commemorationes, ut in Missa præcedenti notatur.





Die 2 Novembris

vel, si in Dominicam inciderit, die 3 sequenti

IN COMMEMORATIONE

OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM

¶ Hac die quivis Sacerdos tres Missas celebrare potest. Qui unam dumtaxat Missam celebrat, primam legit: eamdem adhibet qui Missam cum cantu celebrat, facta ei potestate anticipandæ secundæ ac tertiæ.

Ad primam Missam

Introitus — Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Et absolute repetitur Réquiem ætérnam usque ad Psalmum.

Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 15, 51-57

Fratres: Ecce mystérium vobis dico: Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novíssima tuba: canet enim tuba, et mórtui resúrgent incorrúpti: et nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem: et mortále hoc indúere immortalitátem. Cum autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis pec-

cátum est: virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vinculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Sequentia

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favilla:
Teste David cum Sibýlla.

Quantus tremor est futúrus,
Quando judex est ventúrus,
Cuncta stricte discussúrus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepúlcra regiónum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupébit, et natúra,
Cum resúrget creatúra,
Judicánti responsúra.

Liber scriptus proferétur,
In quo totum continétur,
Unde mundus judicétur.

Judex ergo cum sedébit,
Quidquid latet, apparébit:
Nil inúltum remanébit.

Quid sum miser tunc dictúrus?
Quem patrónum rogatúrus,
Cum vix justus sit secúrus?

Rex treméndæ majestátis,
Qui salvándos salvas gratis,
Salva me, fons pietátis.

Recordáre, Jesu pie,
Quod sum causa tuæ viæ:
Ne me perdas illa die.

Quærens me, sedísti lassus:
Redemísti crucem passus:
Tantus labor non sit cassus!

Juste judex ultiónis,
Donum fac remissiónis
Ante diem ratiónis.

Ingemísco, tamquam reus:
Culpa rubet vultus meus:
Supplicánti parce, Deus.

Qui Maríam absolvísti,
Et latrónem exaudísti,
Mihi quoque spem dedísti.

Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benígne,
Ne perénni cremer igne.

Inter oves locum præsta,
Et ab hœdis me sequéstra,
Státuens in parte dextra.

Confutátis maledíctis,
Flammis ácribus addíctis,
Voca me cum benedíctis.

Oro supplex, et acclínis,
Cor contrítum quasi cinis:
Gere curam mei finis.

Lacrimósa dies illa,
Qua resúrget ex favílla,
Judicándus homo reus.

Huic ergo parce Deus:
Pie Jesu Dómine,
Dona eis réquiem. Amen.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Jo. 5, 25-29

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei: et qui audíerint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso, sic dedit et Fílio habére vitam in semetípso: et potestátem dedit ei judícium fácere, quia Fílius hóminis est. Nolíte mirári hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monuméntis sunt, áudient vocem Fílii Dei: et procédent, qui bona fecérunt, in resurrectiónem vitæ: qui vero mala egérunt, in resurrectiónem judícii.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Præfatio Defunctorum.

¶ In prima et secunda Missa, si Sacerdos aliam Missam sit celebraturus, sumpto divino Sanguine, non purificat neque abstergit Calicem, sed eum ponit super Corporale, et Palla tegit: dein, junctis manibus, dicit in medio Altaris: Quod ore súmpsimus, etc., et subinde in vase cum aqua parato digitos abluit, dicens: Corpus tuum, Dómine, etc., et abstergit. Hisce peractis, Calicem super Corporale adhuc manentem, deducta Palla, iterum disponit et cooperit, uti mos est, scilicet primum Purificatorio linteo, deinde Patena cum Hostia consecranda et Palla, ac demum velo.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

¶ In fine cujuslibet Missæ non datur benedictio: sed, dicto versus populum Dóminus vobíscum et versus Altare Requiéscant in pace, Sacerdos dicat secreto Pláceat tibi, sancta Trínitas, et, osculato Altari, legat Evangelium In princípio erat Verbum.

Ad secundam Missam

¶ Ante principium secundæ et tertiæ Missæ, Celebrans aufert Velum et Patenam cum Hostia consecranda et Palla, et Calicem parumper versus cornu Epistolæ collocat, sed non extra Corporale, eumque leviter elevans, vinum et aquam eidem caute infundit, et, quin eum intus ullo modo abstergat.

eum iterum in medio Corporalis reponit et reliqua more solito præparat. Quæ religiose fieri debent etiam in Missis cantatis, servato tamen tempore et loco juxta Rubricas.

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Oratio

Deus, indulgentiárum Dómine: da animábus famulórum, famularúmque tuárum refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Léctio libri Machabæórum.
2 Mach. 12, 43-46

In diébus illis: Vir fortíssimus Júdas, facta collatióne, duódecim míllia drachmas argénti misit Jerosólymam, offérri pro peccátis mortuórum sacrifícium, bene et religióse de resurrectióne cógitans (nisi enim eos, qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur, et vanum oráre pro mórtuis): et quia considerábat quod hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo, et salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut a peccátis solvántur.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Sequentia Dies iræ, dies illa, 802.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 6, 37-40

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet: et eum, qui venit ad me, non ejíciam foras: quia descéndi de cælo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus, qui misit me. Hæc est autem volúntas ejus, qui misit me Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die. Hæc est autem volúntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Fílium, et credit in eum, hábeat vitam ætérnam, et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro ani-

mábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

¶ In secunda et tertia Missa Sacerdos, si primam Missam celebraverit, ad Offertorium deveniens, ablato velo de Calice, hunc parumper versus cornu Epistolæ collocat, sed non extra Corporale, factaque Hostiæ oblatione, Calicem more solito offert.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, pro animábus famulórum, famularúmque tuárum, pro quibus tibi offérimus sacrifícium laudis: ut eas Sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris. Per Dóminum.

Præfatio Defunctorum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, Dómine: ut ánimæ famulórum, famularúmque tuárum, his purgátæ sacrifíciis, indulgéntiam páriter et réquiem cápiant sempitérnam. Per Dóminum.

Ad tertiam Missam

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Oratio

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus cleméntiam tuam; ut ánimas famulórum, famularúmque tuárum, quæ ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 14, 13

In diébus illis: Audívi vocem de cælo, dicéntem mihi: Scribe: Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur, Amodo jam dicit Spíritus, ut requiéscant a labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Sequentia Dies iræ, dies illa, 802.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 51-55

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætér-

num: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judǽi ad ínvicem, dicéntes: Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem; habet vitam ætérnam: et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus ómnium fidélium defunctórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum. Per Dóminum.

Præfatio Defunctorum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum Sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ famulórum, famularúmque tuárum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti; per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem. Per Dóminum.

Die 4 Novembris

S. Caroli Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, sancti Cároli, Confessóris tui atque Pontíficis, contínua protectióne custódi: ut, sicut illum pastorális sollicitúdo gloriósum réddidit; ita nos ejus intercéssio in tuo semper fáciat amóre ferventes. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quǽsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis

abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Ss. Vitalis et Agricolæ Mm., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44. 16-27; 45. 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui consérvávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44. 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109. 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25. 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et, accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 88. 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum
Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Ss. Vitalis et Agricolæ.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Cárolo, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum
Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. (Per Dóminum).

Deinde Commemoratio Ss. Vitalis et Agricolæ.

Eadem die 4 Novembris

Pro Ss. Vitale et Agricola Martyribus

Introitus Eccli. 44, 15 et 14

Sapiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui sanctórum Mártyrum tuórum Vitális et Agrícolæ solémnia cólimus, eórum apud te intercessiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebræos. Hebr. 10, 32-38

Fratres: Rememorámini pristínos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum: et in áltero quidem oppróbriis, et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem et manéntem substántiam. Nolíte itaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est: ut voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale Ps. 123, 7-8 Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contritus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 67, 4 Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delectántur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me venire, ábneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum, allelúja.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Vitále et Agrícola, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Vitále et Agrícola, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 5 Novembris

In Commemoratione Sanctorum, quorum Corpora et Reliquiæ in Ecclesiis Archidiœcesis Bracarensis asservantur

Introitus Ps. 33, 20-21

Multæ tribulatiónes justórum, et de his ómnibus liberábit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Multæ tribulatiónes.

Oratio

Auge in nobis, Dómine, resurrectiónis fidem, qui in Sanctórum tuórum relíquiis mirabília operáris: et fac nos immortális glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pígnora venerámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quǽsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccl. 44, 10-15

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietátes non defuérunt: cum sémine eórum pérmanent bona, heréditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et

filii eórum propter illos usque in ætérnum manent: semen eórum et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generatiónem et generatiónem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et laudem eórum núntiet ecclésia.

Graduale. Ps. 149, 5 Exsultábunt sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis. ℣. Ps. Ibid., 1. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum.

Allelúja, allelúja ℣. Ps. 67, 4 Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6, 17-23

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti qui nunc fletis: quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Credo, ratione Octavæ.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut Sanctórum tuórum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offérimus, nostrórum sit expiátio delictórum. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostrae devotiónis offérimus: quæ, et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Domino: rectos decet collaudátio.

Postcommunio

Multíplica super nos, quǽsumus, Dómine, per hæc sancta, quæ súmpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in tuórum solemnitáte Sanctórum, quorum relíquias cólimus, pia devotióne lætámur; ita eórum perpétua societáte, te largiénte, fruámur. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

Die 6 Novembris
B. Nonii Alvares Pereira Conf.

Introitus Ps. 91, 13-14 Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini, in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid., 2 Bonum est confitéri Dómino, et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus.

Oratio

Deus, qui Beáto Nónio bonum certámen certáre dedísti, eúmque sui ac mundi contemptórem exímium effecísti: concéde nobis fámulis tuis; ut, devíctis mundi cupiditátibus, in cælésti pátria perpétuo gaudeámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Octavæ Omnium Sanctorum

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui nos ómnium Sanctórum tuórum mérita sub una tribuísti celebritáte venerári: quæsumus; ut desiderátam nobis tuæ propitiatiónis abundántiam, multiplicátis intercessóribus, largiáris. Per Dóminum.

Léctio Libri Sapiéntiæ.
Eccli. 45, 1-6

Diléctus Deo, et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide et lenitáte ipsíus sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ.

Graduale Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ps. ibid., 3. Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium, et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit, sicut cedrus Líbani multiplicábitur.

Secreta

Tuórum mílitum, Rex omnípotens, virtútem corróbora: ut quos in hujus mortalitátis stádio,

Beáti Nónii Confessóris tui vita præclára lætíficat: consummáto cursu certáminis, per hæc, quæ offérimus, immortalitátis bravium comprehéndant. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum
Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro cunctórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, quos tuis réficis sacraméntis; intercedénte Beáto Nónio Confessóre tuo, tríbuas ab hóstium insídiis júgiter liberári, et contra ómnia advérsa contínua protectióne muníri. Per Dóminum.

Pro Octava Omnium Sanctorum
Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine, fidélibus pópulis ómnium Sanctórum semper veneratióne lætári: et eórum perpétua supplicatióne muníri. Per Dóminum.

Die 8 Novembris

In die Octava Omnium Sanctorum

Missa ut in Festo, 797, sed Introitus non duplicatur, et fit Commemoratio Ss. Quatuor Coronatorum Mm., ut in Missa sequenti.

Eadem die 8 Novembris

Pro Ss. Quatuor Coronatis Martyribus

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam: polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui gloriósos Mártyres fortes in sua confessióne cognóvimus, pios apud te in nostra intercessióne sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos: álii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem invenírent resurrectiónem: álii vero ludíbria, et vérbera expérti, ínsuper et víncula, et cárceres: lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt: circuiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflícti:

quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errántes, in móntibus, et spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes testimónio fidei probáti, invénti sunt in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: déxtera manus tua confrégit inimícos.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 44, 14 Córpora sanctórum in pace sepúlta sunt, et nómina eórum vivent in generatiónem et generatiónem. Alleluja.

Evangelium Videns Jesus, de Communi plurimorum Martyrum II loco [15].

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta

Benedíctio tua, Dómine, larga descéndat: quæ et múnera nostra, deprecántibus sanctis Martýribus tuis, tibi reddat accépta, et nobis sacraméntum redemptiónis effíciat. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 4, 5 et 6 Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio

Cæléstibus reféсti sacraméntis et gáudiis: súpplices te, Dómine, deprecámur; ut quorum gloriámur triúmphis, protegámur auxíliis. Per Dóminum.

Die 9 Novembris

In Dedicatione Archibasilicæ Ssmi Salvatoris

Missa Terríbilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ. [48]. Et, in Missis privatis tantum, fit Commemoratio S. Theodori Mart., ut in Missa sequenti; ac dicitur Credo.

Eadem die 9 Novembris

Pro S. Theodoro Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris v loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Deus, qui nos beáti Theodóri Mártyris tui confessióne gloriósa circúmdas et prótegis: præsta nobis ex ejus imitatióne profícere, et oratióne fulcíri. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, fidélium preces cum oblatiónibus hostiárum: ut, intercedénte beáto Theodóro Mártyre tuo, per hæc piæ devotiónis offícia ad cæléstem glóriam transeámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercédente beáto Theodóro Mártyre tuo; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 10 Novembris

S. Andreæ Avellini Conf.

Missa. Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis I loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui in corde beáti Andréæ Confessóris tui, per árduum quotídie in virtútibus proficiéndi vo-

tum, admirábiles ad te ascensiónes disposuísti: concéde nobis, ipsíus méritis et intercessióne, ita ejúsdem grátiæ partícipes fíeri; ut, perfectióra semper exsequéntes, ad glóriæ tuæ fastígium felíciter perducámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphæ Virg., Mm., ut in Missa sequenti:

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphæ.

Postcommunio

Reféci cibo potúque cæléstì, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio Ss. Tryphonis, Respicii et Nymphæ.

Eadem die 10 Novembris
Pro Ss. Tryphone, Respicio et Nympha Virg., Mm.

Introitus Ps. 33, 18

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Ps. ibid., 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Clamavérunt justi.

Oratio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Tryphónis, Respícii et Nymphæ semper festa sectári: quorum suffrágiis, protectiónis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 18-23

Fratres: Exístimo quod non sunt condígnæ passiónes hujus témporis ad futúram glóriam, quæ revelábitur in nobis. Nam exspectátio creatúræ, revelatiónem filiórum Dei exspéctat. Vanitáti enim creatúra subjécta est non volens, sed propter eum, qui subjécit eam in spe: quia et ipsa creatúra liberábitur a servitúte corruptiónis, in libertátem glóriæ filiórum Dei. Scimus enim quod omnis creatúra ingemíscit, et párturit usque adhuc. Non solum autem illa, sed et nos ipsi primítias spíritus habéntes: et ipsi intra nos gémimus adoptiónem filiórum Dei exspectántes, redemptiónem córporis nostri: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 78, 10 et 2 Víndica, Dómine, sánguinem sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cæli: carnes sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 115, 15 Pretiósa in conspéctu Dómini mors sanctórum ejus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 1-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in téne-

bris dixistis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui postquam occíderit, habet potestátem míttere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capilli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque conféssus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino, et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

Communio Matth. 12, 50 Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est: ipse meus frater, et soror, et mater est, dicit Dóminus.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis Tryphóne, Respício et Nympha; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Die 11 Novembris

S. Martini Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 44, 17

Ecce Sacérdos magnus Martínus, gemma sacerdótum, quem príncipem fecit Dóminus, ut sit nobis reconciliátio: et non est invéntus símilis habére laudem in omnes gentes. ℣. Ibid., 25 Benedictiónem ómnium géntium dedit illi Dóminus: et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. ℣. Glória Patri. Ecce Sacérdos.

Oratio

Deus, qui cónspicis, quia ex nulla nostra virtúte subsístimus: concéde propítius; ut, intercessióne beáti Martíni, Confessóris tui atque Pontíficis, contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Mennæ Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 50, 6-12

Ecce sacérdos magnus qui in fide sua probátus est, et cógnitus est in verbis suis fidélibus. Quasi stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis lucet. Et quasi sol refúlgens, sic ille refúlsit in templo Dei. Quasi arcus refúlgens inter nébulas glóriæ, et quasi flos rosárum in diébus vernis, et quasi lília quæ sunt in tránsitu aquæ, et quasi thus rédolens in diébus æstátis. Quasi ignis effúlgens, et thus ardens in igne. Quasi vas auri sólidum, ornátum omni lápide pretióso. Quasi olíva púllulans: et cypréssus in altitúdinem se extóllens, in accipiéndo ipsum stolam glóriæ, et ve-

stiri eum in consummatiónem virtútis. In ascénsu altáris sancti glóriam dedit sanctitátis amictum.

Graduale Eccl. prec. et laus Ora pro nobis, beáte Martíne: ut digni efficiámur promissiónibus Christi. ℣. Dum sacraménta offérret beátus Martínus, globus ígneus appáruit super caput ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Oculis ac mánibus in cælum semper inténtus, invíctum ab oratióne spíritum non relaxábat. Allelúja.

¶ In Missis votivis Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Beátus vir, sanctus Martínus, urbis Turónis Epíscopus, requiévit: quem suscepérunt Angeli atque Archángeli, Throni, Dominatiónes et Virtútes. Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 11, 33-36

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo lucérnam accéndit, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo, ne lumen, quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Offertorium Martínus ígitur óbitum suum longe ante præscivit, dixítque frátribus dissolutiónem sui córporis imminére, quia judicábat se jam resólvi.

Secreta

Sanctífica, quǽsumus, Dómine Deus, hæc múnera, quæ in solemnitáte sancti Antístitis tui Martíni offérimus: ut per ea, vita nostra inter advérsa et próspera ubíque dirigátur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Mennæ.

Communio Martínus Abrahæ sinu lætus excípitur: Martínus, hic pauper et húmilis, cælum dives ingréditur: hymnis cæléstibus honorátur.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quorum festivitáte votíva sunt sacraménta, eórum intercessióne salutária nobis reddántur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Mennæ.

Eadem die 11 Novembris

Pro S. Menna Mart.

Missa Lætábitur, de Communi unius Martyris V loco, [9], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti Mennæ Mártyris tui natalítia cólimus, intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur officio; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

Die 12 Novembris

S. Martini I Papæ et Mart.

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti, et húmiles corde, laudáte Deum. ℣. Ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, qui nos beáti Martíni, Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 4, 13-19

Caríssimi: Communicántes Christi passiónibus gaudéte, ut et in revelatióne glóriæ ejus gaudeátis exsultántes. Si exprobrámini in nómine Christi, beáti éritis: quóniam quod est honóris, glóriæ, et virtútis Dei, et qui est ejus Spíritus, super vos requiéscit. Nemo autem vestrum patiátur ut homicída, aut fur, aut maledícus, aut alienórum appetítor. Si autem ut christiánus, non erubéscat: gloríficet autem Deum in isto nómine. Quóniam tempus est, ut incípiat judícium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eórum, qui non credunt Dei Evangélio? Et, si justus vix salvábitur, ímpius et peccátor ubi parébunt? Itaque et hi, qui patiúntur secúndum voluntátem Dei, fidéli Creatóri comméndent ánimas suas in benefáctis.

Graduale Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 14, 26-33

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et fílios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum vigínti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non

renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto Martíno, Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto Martíno, Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

Die 13 Novembris

S. Didaci Conf.

Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [34], præter Orationem sequentem:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui dispositióne mirábili infírma mundi éligis, ut fórtia quæque confúndas: concéde propítius humilitáti nostræ; ut, piis beáti Dídaci Confessóris tui précibus, ad perénnem in cælis glóriam sublimári mereámur. Per Dóminum.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Dídaco Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 14 Novembris

S. Josaphat Ep. et Mart.

Introitus

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beáti Jósaphat Mártyris: de cujus passióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Excita, quǽsumus, Dómine, in Ecclésia tua Spíritum, quo replétus beátus Jósaphat, Martyr et Póntifex tuus, ánimam suam pro óvibus pósuit: ut, eo intercedénte, nos quoque, eódem Spíritu moti ac roboráti, ánimam nostram pro frátribus pónere non vereámur. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 5, 1-6

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum

Die 15 Novembris

S. ALBERTI MAGNI Ep., Conf. et Eccl. Doct.

Duplex

Introitus. Eccli. 15, 5

In medio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dominus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio.

Oratio

Deus, qui beátum Albértum Pontíficem tuum atque Doctórem in humána sapiéntia divínæ fídei subjiciénda magnum effecísti: da nobis, quǽsumus; ita ejus magistérii inhærére vestígiis, ut luce perfécta fruámur in cælis. Per Dóminum nostrum.

Et fit Commemoratio S. Gertrudis Virg. ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus et regnum ejus: prædica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia, et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus, et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem convertántur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple. Sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis, qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

In Missis votivis post Septuagesimam omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Temp. autem Pasch. usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriae índuit eum. Allelúja

℣. Osee 14, 9 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in aetérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum
Matth. 5, 13, 19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus, qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et glorífícent Patrem vestrum, qui in caelis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen, quippe dico vobis, donec tránseat caelum et terra, jota unum aut unus apex non praeteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno caelórum: ... autem fécerit et docúerit, hic ma... vocábitur in regno caelórum. Cr...

Offertorium Ps. 91, 13 Justus ... palma florébit: sicut cedrus, quae ... Líbano est, multiplicábitur.

Secreta

Sacrificiis praeséntibus, Dómine, qu... sumus, inténde placátus: ut q... passiónis Fílii tui, Dómini nostri, m... tério gérimus, beáti Albérti interce... ne et exémplo, pio consequámur af... ctu. Per eúmdem Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Gertrudis.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis ser... vus et prudens, quem constítuit dó... nus super famíliam suam: ut det il... in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Per haec sancta, quae súmpsimus ab hóstium nos, Dómine, impu... gnatióne defénde: et, intercedénte be... to Albérto Confessóre tuo atque Po... tífice, perpétua pace respiráre conced... Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Gertrudis.

Concordat cum originali.

Bracaræ, die 2 Octobris 1932.

IMPRIMATUR

ANTONIUS, Archiepiscopus Primas.

BRACARÆ — EX OFFICINA AUGUSTI COSTA & C.ª L.da, 1932

pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret: sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo, et fílius iniquitátis non nocébit ei.

Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 10, 11-16

In illo témpore: Dixit Jesus pharisǽis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor ánimam suam dat pro óvibus suis. Mercenárius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves própriæ, videt lupum veniéntem, et dimíttit oves, et fugit: et lupus rapit, et dispérgit oves: mercenárius autem fugit, quia mercenárius est, et non pértinet ad eum de óvibus. Ego sum pastor bonus: et cognósco meas, et cognóscunt me meæ. Sicut novit me Pater, et ego agnósco Patrem: et ánimam meam pono pro óvibus meis. Et álias oves hábeo, quæ non sunt ex hoc ovíli: et illas opórtet me addúcere, et vocem meam áudient, et fiet unum ovíle, et unus pastor.

Offertorium Joann. 15, 13 Majórem caritátem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis.

Secreta

Clementíssime Deus, múnera hæc tua benedictióne perfúnde, et nos in fide confírma: quam sanctus Jósaphat, Martyr et Póntifex tuus, effúso sánguine, asséruit. Per Dóminum.

Communio Joann., 10, 14 Ego sum pastor bonus, et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ.

Postcommunio

Spíritum, Dómine, fortitúdinis hæc nobis tríbuat mensa cæléstis: quæ sancti Jósaphat, Mártyris tui atque Pontíficis, vitam pro Ecclésiæ honóre júgiter áluit ad victóriam. Per Dóminum.

¶ In Missis votivis omnia dicuntur ut supra, cum Introitu tamen, et post Septuagesimam Tractu Desidérium, ex Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4]; Tempore autem Paschali omnia item ut supra, sed cum Introitu et Allelúja cum suis Versibus post Epistolam ex Missa Protexísti, de Communi Martyrum 1 loco, [21].

Die 15 Novembris

S. Gertrudis Virg.

Missa Dilexísti, de Communi Virginum III loco, [41], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui in corde beátæ Gertrúdis Vírginis jucúndam tibi mansiónem præparásti: ipsius mé-

ritis et intercessióne: cordis nostri máculas cleménter abstérge, et ejúsdem tríbue gaudére consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 16 Novembris
Patrocinii B. Mariæ Virg.

Missa Salve, sancta Parens, de Communi Festorum beatæ Mariæ Virginis, [51], præter Orationem ut infra, et dicitur Credo et Præfatio Et te in Patrocinio.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut fidéles tui, qui sub sanctíssimæ Vírginis Maríæ Patrocínio lætántur; ejus pia intercessióne a cunctis malis liberéntur in terris, et ad gáudia ætérna perveníre mereántur in cælis. Per Dóminum.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus; beátæ Maríæ semper Vírginis Patrocínio nos ubíque prótegi, in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Die 17 Novembris
S. Gregorii Thaumaturgi Ep. et Conf.

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti Gregórii, Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 10-27; 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: consevávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu

regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Ibid, 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 11, 22-24

In illo témpore: Respóndens Jesus discípulis suis, ait illis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti: Tóllere, et míttere in mare, et non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúmque díxerit, fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis: Omnia quæcúmque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et evénient vobis.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit Dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Gregório, Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Die 18 Novembris

In Dedicatione Basilicarum Ss. Petri et Pauli App.

Missa Terríbilis, de Communi Dedicationis Ecclesiæ, [48]. Et dicitur Credo.

Die 19 Novembris

S. Elisabeth Vid.

Missa Cognóvi, de Communi non Virginum III loco, [47], præter Orationem sequentem:

Oratio

Tuórum corda fidélium, Deus miserátor, illústra: et, beátæ Elísabeth précibus gloriósis; fac nos próspera mundi despícere, et cæésti semper consolatióne gaudére. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Pontiani Papæ et Mart.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Pontiáni, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis

de tribulatióne percepisse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Pro S. Pontiano Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Pontiáni, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Pontiano Postcommunio

Reflécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Pontiáno, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

Eadem die 19 Novembris

Pro S. Pontiano Papa et Mart.

Missa Státuit, de Communi unius Martyris 1 loco, [4], cum Orationibus ut in Missa præcedenti et Evangelio ut infra:

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil est opértum, quod non revelábitur: et occúltum, quod non sciétur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine; et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos, qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere; sed pótius timéte eum, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse véneunt: et unus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.

Die 20 Novembris

S. Felicis de Valois Conf.

Missa Justus, de Communi Confessoris non Pontificis 11 loco, [34], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui beátum Felícem Confessórem tuum ex erémo ad munus rediméndi captívos cǽlitus vocáre dignátus es: præsta, quǽsumus; ut per grátiam tuam ex peccatórum nostrórum captivitáte, ejus intercessióne, liberáti, ad cæléstem pátriam perducámur. Per Dóminum.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Felíce Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die 21 Novembris

In Præsentatione B. Mariæ V.

Introitus Eccl. vox

Gaudeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, sub honóre beátæ Maríæ Vírginis: de cujus Præsentatióne gaudent Angeli, et colláudant Fílium Dei. ℣. Ps. 47, 2 Magnus Dóminus, et laudábilis nimis in civitáte Dei nostri, in monte sancto ejus. ℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

Deus, qui beátam Maríam semper Vírginem, Spíritus Sancti habitáculum, hodiérna die in templo præsentári voluísti: præsta, quǽsumus; ut, ejus intercessióne, in templo glóriæ tuæ præsentári mereámur. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 24, 14-16

Ab inítio, et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Præsentátio tua, Dei Génitrix Virgo, gáudium áttulit univérso mundo: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit: Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Credo.

Offertorium Eccl. vox Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

Secreta

Hæc múnera, quǽsumus, Dómine, beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne sanctífica: quam in templo tuo munus tibi gratíssimum offérri paréntum mánibus voluísti. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Præsentatióne.

Communio Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Sacraménta quæ súmpsimus, Dómine: beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne nos salvent: quæ devotióne sui cordis piíssimi acceptábile tibi sacrifícium júgiter immolávit. Per Dóminum.

Die 22 Novembris
S. Cæciliæ Virg. et Mart.

Introitus Ps. 118, 46-47

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Loquébar.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beátæ Cæcíliæ, Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte lætíficas: da, ut quam venerámur offício, étiam piæ conversatiónis sequámur exémplo. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 51, 13-17

Dómine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 44, 11 et 12 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit rex spéciem tuam. ℣. Ibid., 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna.

Allelúja, allelúja. ℣. Cantántibus órganis, Cæcília virgo Dómino decantábat, dicens: Fiat cor meum, et corpus meum immaculátum, ut non confúndar. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium Ps. 44, 15 et 16 Afferéntur regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia

et exsultatióne: adducéntur in templum regi Dómino.

Secreta

Hæc hóstia, Dómine, placatiónis et laudis, quǽsumus: ut, intercedénte beáta Cæcília, Vírgine et Mártyre tua, nos propitiatióne tua dignos semper effíciat. Per Dóminum.

Communio Ps. 118, 78 et 80 Confundántur supérbi, quia injúste iniquitátem fecérunt in me: ego autem in mandátis tuis exercébor, in tuis justificatiónibus, ut non confúndar.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Die 23 Novembris

S. Clementis I Papæ et Mart.

Introitus Isai. 59, 21: 56, 7

Dicit Dóminus: Sermónes mei, quos dedi in os tuum, non defícient de ore tuo: et múnera tua accépta erunt super altáre meum. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Glória Patri. Dicit Dóminus.

Oratio

Deus, qui nos ánnua beáti Cleméntis, Mártyris tui atque Pontíficis, solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, virtútem quoque passiónis imitémur. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Felicitatis Mart., ut in Missa sequenti.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses.

Philipp. 3, 17-21: 4, 1-3

Fratres: Imitatóres mei estóte, et observáte eos qui ita ámbulant, sicut habétis formam nostram. Multi enim ámbulant, quos sæpe dicébam vobis (nunc autem et flens dico) inimícos crucis Christi: quorum finis intéritus: quorum Deus venter est: et glória in confusióne ipsórum, qui terréna sápiunt. Nostra autem conversátio in cælis est: unde étiam Salvatórem exspectámus Dóminum nostrum Jesum Christum, qui reformábit corpus humilitátis nostræ, configurátum córpori claritátis suæ, secúndum operatiónem, qua étiam possit subjícere sibi ómnia. Itaque, fratres mei caríssimi, et desideratíssimi, gáudium meum, et coróna mea: sic state in Dómino, caríssimi. Evódiam rogo, et Sýntychen déprecor idípsum sápere in Dómino. Etiam rogo et te, germáne compar, ádjuva illas, quæ mecum laboravérunt in Evangélio cum Cleménte, et céteris adjutóribus meis, quorum nómina sunt in libro vitæ.

Graduale Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Ibid., 1 Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 24, 42-47

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti; quia qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, obláta sanctífica: et, intercedénte beáto Cleménte, Mártyre tuo atque Pontífice, per hæc nos a peccatórum nostrórum máculis emúnda. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Felicitatis.

Communio Ps. 88, 36-38 Semel jurávi in sancto meo: Semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum: et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Córporis sacri, et pretiósi sánguinis repléti libámine, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, quod pia devotióne gérimus; intercedénte beáto Cleménte, Mártyre tuo atque Pontífice, certa redemptióne capiámus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Felicitatis.

Eadem die 23 Novembris

Pro S. Felicitate Mart.

Missa Me exspectavérunt, de Communi non Virginum 1 loco, [45], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, beátæ Felicitátis Mártyris tuæ solémnia recenséntes, méritis ipsíus protegámur et précibus. Per Dóminum.

Secreta

Vota pópuli tui, Dómine, propitiátus inténde: et, cujus nos tríbuis solémnia celebráre, fac gaudére suffrágiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus: ut, intercedéntibus Sanctis tuis, et tua in nobis dona multíplices, et témpora nostra dispónas. Per Dóminum.

Die 24 Novembris

S. Joannis a Cruce Conf.

Missa Os justi, de Communi Confessoris non Pontificis 1 loco, [32], præter Orationem sequentem:

Oratio

Deus, qui sanctum Joánnem Confessórem tuum, perféctæ sui abnegatiónis, et Crucis amatórem exímium effecísti: concéde; ut, ejus imitatióni júgiter inhæréntes, gló-

riam assequámur ætérnam. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Chrysogoni Mart., ut in Missa sequenti.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Chrysogoni.

Postcommunio

Refécti cibo potúque cæléstí, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Chrysogoni.

Eadem die 24 Novembris

Pro S. Chrysogono Mart.

Missa In virtúte, de Communi unius Martyris IV loco, [7], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: ut, qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Chrysógoni Mártyris tui intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedénte beáto Chrysógono Mártyre tuo, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio

Tui, Dómine, perceptióne sacraménti, et a nostris mundémur occúltis, et ab hóstium liberémur insídiis. Per Dóminum.

Die 25 Novembris

S. Catharinæ Virg. et Mart.

Missa Vultum tuum, de Communi Virginum II loco, [39], præter Orationes sequentes:

Oratio

Deus, qui dedísti legem Móysi in summitáte montis Sínai: et in eódem loco per Angelos tuos corpus beátæ Catharínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, mirabíliter collocásti; præsta, quǽsumus, ut ejus méritis et intercessióne, ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Múnera, Dómine, sacrifícii præséntis, quæ tibi offérimus in honóre sanctæ Catharínæ, Vírginis et Mártyris tuæ, fiant nobis, ejus précibus, vita perpétua, et, te donánte, salus infiníta. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ mystériis: te supplíciter deprecámur; ut, intercedénte beáta Catharína, Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

Die 26 Novembris

S. Silvestri Abbatis

Missa Os justi, de Communi Abbatum, [35], cum Orationibus ut infra:

Oratio

Clementíssime Deus, qui sanctum Silvéstrum Abbátem, sǽculi hujus vanitátem in apérto túmulo pie meditántem, ad erémum vocáre, et præcláris vitæ méritis decoráre dignátus es: te súpplices exorámus;

ut, ejus exémplo terréna despiciéntes, tui consórtio perfruámur ætérno. Per Dóminum.

Et fit Commemoratio S. Petri Alexandrini Ep. et Mart.

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnípotens Deus: et, quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum.

Secreta

Quæsumus, Dómine: ut, dum hæc múnera divínæ majestáti tuæ reverénter offérimus; pia mentis præparatióne et cordis puritáte, beáti Silvéstri Abbátis imitatóres effécti, corpus et sánguinem Fílii tui sancte percípere mereámur: Qui tecum.

Pro S. Petro Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti Petri, Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Postcommunio

Divína dape reféctis tríbue, quǽsumus, Dómine: sancti Silvéstri Abbátis vestígiis ita inhærére; ut copiósam mercédem in regno glóriæ tuæ cum Sanctis habeámus. Per Dóminum.

Pro S. Petro Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto Petro, Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus effléctum. Per Dóminum.

Eadem die 26 Novembris
Pro S. Petro Alexandrino Ep. et Mart.

Missa **Státuit**, de Communi unius Martyris I loco, [4], præter Orationes ut supra.

Die 27 Novembris
S. Jacobi Intercisi Mart.

Missa **Lætábitur**, de Communi unius Martyris V loco, [9], præter Orationes sequentes:

Oratio

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, nobis fámulis tuis: per sancti Jacóbi Intercísi Mártyris tui mérita gloriósa; ut, ejus pia intercessióne, ab ómnibus semper protegámur advérsis. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro cleméntia tua de mánibus nostris munus oblátum: et, per sancti Jacóbi Intercísi Mártyris tui oratiónes, ab ómnibus nos emúnda peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio

Divína libántes mystéria, quæ, pro sancti Jacóbi Intercísi Mártyris tui veneratióne, tuæ obtúlimus majestáti: præsta, quǽsumus, Dómine; ut per ea mereámur véniam peccatórum, et cæléstis grátiæ donis reficiámur. Per Dóminum.

AMEN

SACRA CONGREGATIO RITUUM

COMMUNE UNIUS AUT PLURIUM SUMMORUM PONTIFICUM

INSERENDUM
IN COMMUNI SANCTORUM, POST COMMUNE EVANGELISTARUM

Introitus Joann. 21, 15-17

Si diligis me, Simon Petre, pasce agnos meos, pasce oves meas. Ps. 29, 1. Exaltábo te, Dómine, quóniam suscepísti me, nec delectásti inimícos meos super me. ℣. Glória Patri. Si diligis me.

Oratio

Gregem tuum, Pastor ætérne, placátus inténde: et per beátum N... (Mártyrem tuum atque) Summum Pontíficem, perpétua protectióne custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Si vero agenda sit commemoratio alterius Summi Pontificis, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui Ecclésiam tuam in apostólicæ petræ soliditáte fundátam, ab infernárum éruis terróre portárum: præsta, quæsumus, ut intercedénte beáto N... (Mártyre tuo atque) Summo Pontífice, in tua veritáte persístens; contínua securitáte muniátur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

I Petr., 5, 1-4 et 10-11

Caríssimi: Senióres, qui in vobis sunt, óbsecro consénior et testis Christi passiónum, qui et ejus, quæ in futúro revelánda est, glóriæ communicátor: páscite qui in vobis est gregem Dei, providéntes non coácte, sed spontánee, secúndum Deum, neque turpis lucri grátia, sed voluntárie; neque ut dominántes in cleris, sed forma facti gregis ex ánimo. Et cum apparúerit princeps pastórum, percipiétis immarcescíbilem glóriæ corónam. Deus autem omnis grátiæ, qui vocábit nos in aetérnam suam glóriam in Christo Jesu, módicum passos ipse perfíciet, confirmábit solidabítque. Ipsi glória et impérium in sæcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 106, 32, 31. Exáltent eum in Ecclésia plebis: et in cáthedra seniórum laudent eum. ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus; et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelúja. Matth. 16, 18. Tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur.

Tractus Ps. 39, 10-11. Annuntiávi justítiam tuam in ecclésia magna, ecce lábia mea non prohibébo: Dómine tu scisti. ℣. Justítiam tuam non abscóndi in corde meo: veritátem tuam et salutáre tuum dixi. ℣. Non abscóndi misericórdiam tuam, et veritátem tuam a concílio multo.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur

Allelúja, allelúja. Matth. 16, 18. Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja. Ps. 44, 17. 18. Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philippi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptistam, alii autem Elíam, alii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificábo Ecclésiam meam, et portae ínferi non praevalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni caelórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Offertorium Jerem. 1, 9-10. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constítui te super gentes et super regna, ut evéllas et déstruas, et ædífices et plantes.

Secreta

Oblátis munéribus, quæsumus Dómine, Ecclésiam tuam benígnus illúmina: ut, et gregis tui profíciat ubíque succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubérnante, pastóres. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra:

Múnera, quæ tibi Dómine lætántes offérimus súscipe benígnus, et præsta: ut intercedénte beáto N... Ecclésia tua et fídei integritáte lætétur, et témporum tranquillitáte semper exúltet. Per Dóminum.

Præfatio Apostolorum.

Communio Matth. 16, 18.

Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Refectióne sancta enutrítam gubérna, quæsumus Dómine, tuam placátus Ecclésiam: ut poténti moderatióne dirécta, et increménta libertátis accípiat et in religiónis integritáte persístat. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra:

Multíplica, quæsumus Dómine, in Ecclésia tua spíritum grátiæ, quem dedísti: ut B... (Mártyris tui atque) Summi Pontíficis deprecatióne nec pastóri obediéntia gregis nec gregi desit cura pastóris. Per Dóminum.

Datum Romæ, die 9 Januarii 1942.
✠ C. Card. Salotti, Ep. Prænestinus, *Præfectus.*
L. ✠ S.
A. Carinci, *Secretarius.*
Acta Apostolicæ Sedis, 13 Aprilis 1942.

IMPRIMATUR
Bracaræ, die 24 Maii 1942.
✝ Antonius, *Arquiep. Prim.*



COMMUNE SANCTORUM

In Vigiliis Apostolorum

¶ In Vigiliis non dicitur Glória in excélsis neque Credo.

I
Pro uno Apostolo

Introitus — Ps. 51, 10 et 11

Ego autem sicut olíva fructificávi in domo Dómini: sperávi in misericórdia Dei mei: et exspectábo nomen tuum, quóniam bonum est ante conspéctum Sanctórum tuórum. ℣. Ps. ibid., 3 Quid gloriáris in malítia: qui potens es in iniquitáte? ℣. Glória Patri. Ego autem.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti N., Apóstoli tui, quam prævenímus, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat et salútem. Per Dóminum.

¶ Si tamen præcedens Oratio dicta jam fuerit in Missa vel Commemoratione de Communi Confessoris Pontificis, tunc dicatur sequens

Oratio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut beátus N. Apóstolus, cujus prævenímus festivitátem, tuum pro nobis implóret auxílium; ut a nostris reátibus absolúti, a cunctis étiam perículis eruámur. Per Dóminum.

Deinde dicuntur 2ª et 3ª Oratio pro Vigiliis assignatæ, juxta Rubricas.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 25-27 et 45, 2-4, 6-9

Benedíctio Dómini super caput justi. Ideo dedit illi Dóminus hereditátem, et divísit illi partem in tríbubus duódecim: et invénit grátiam in conspéctu omnis carnis. Et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide, et lenitáte ipsíus, sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ, et disciplínæ, et ex-

célsum fecit illum. Státuit ei testaméntum ætérnum, et circumcínxit eum zona justítiæ: et índuit eum Dóminus corónam glóriæ.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Et repetitur Graduale Justus.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 12-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Apostólici reveréntia cúlminis offeréntes tibi sacra mystéria, Dómine, quǽsumus: ut beáti N., Apóstoli tui, suffrágiis, cujus natalítia prævenímus; plebs tua semper et sua vota deprómat, et desideráta percípiat. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra notatur, [1].
Præfatio communis.

Communio Ps. 20, 6 Magna est glória ejus in salutári tuo: glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio

Sancti Apóstoli tui N., quǽsumus, Dómine, supplicatióne placátus: et véniam nobis tríbue, et remédia sempitérna concéde. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra notatur, [1].

¶ In singulis Communibus, Epistolæ et Evangelia quæ habentur, sive in ipsis Missis, sive ad calcem totius Communis, sumi possunt in qualibet Missa de eodem Communi, dummodo tamen certa Missa, dicenda in casu prouti jacet, vel certa Epistola aut certum Evangelium in Missali non fuerint assignata.

II

Pro duobus Apostolis

Introitus Ps. 78, 11, 12 et 10

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem Sanctórum qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus, venérunt gentes in hereditátem tuam, polluérunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus, ut sicut Apostolórum tuórum N. et N. gloriósa natalítia

prævenímus: sic ad tua benefícia promerénda majestátem tuam pro nobis ipsi prævéniant. Per Dñum.

Deinde dicuntur 2ª et 3ª Oratio pro Vigiliis assignatæ, ut supra, [1].

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 4, 9-14

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et ángelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris. Maledícimur, et benedícimus; persecutiónem pátimur, et sustinémus. Blasphemámur, et obsecrámus. Tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo: sed ut fílios meos caríssimos móneo, in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 78, 10 Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum qui effúsus est. ℣. Ibid. 2 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli: carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ.

Et repetitur Graduale Víndica.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 15, 17-25

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hæc mando vobis, ut diligátis ínvicem. Si mundus vos odit, scitóte quia me priórem vobis ódio hábuit. Si de mundo fuissétis, mundus quod suum erat dilígeret, quia vero de mundo non estis, sed ego elégi vos de mundo, proptérea odit vos mundus. Mementóte sermónis mei, quem ego dixi vobis: Non est servus major dómino suo. Si me persecúti sunt, et vos persequéntur: si sermónem meum servavérunt, et vestrum servábunt. Sed hæc ómnia fácient vobis propter nomen meum: quia nésciunt eum qui me misit. Si non venissem, et locútus eis fuíssem, peccátum non habérent: nunc autem excusatiónem non habent de peccáto suo. Qui me odit, et Patrem meum odit. Si ópera non fecíssem in eis quæ nemo álius fecit, peccátum non habérent: nunc autem et vidérunt, et odérunt et me et Patrem meum. Sed ut adimpleátur sermo, qui in lege eórum scriptus est: Quia ódio habuérunt me gratis.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt Sancti in glória: lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta

Munéribus nostris, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum N. et N. festa præcédimus, te supplíciter deprecántes: ut, quæ consciéntiæ nostræ præpediúntur obstáculis, illórum méritis grata reddántur. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut supra notatur, [1].
Præfatio communis.

Communio Ps. 78, 2 et 11 Posuérunt mortália servórum tuórum, Dómine, escas volatílibus cæli: carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ:

secúndum magnitúdinem bráchii tui pósside fílios morte punitórum.

Postcommunio

Sumpto, Dómine, sacraménto, supplíciter deprecámur: ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis N. et N., quod temporáliter gérimus, ad vitam capiámus ætérnam. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut supra notatur. [1].

Commune unius Martyris extra Tempus Paschale

I

Pro Martyre Pontifice

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 88, 21 Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Preces pópuli tui, quǽsumus, Dómine, cleménter exáudi: ut beáti N., Mártyris tui atque Pontíficis, méritis adjuvémur, cujus passióne lætámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula: et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus invéntus est: et erit illi glória ætérna. Qui pótuit tránsgredi, et non est trangréssus: et fácere mala, et non fecit. Ideo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis Ecclésia Sanctórum.

Graduale Eccli. 44, 16 et 20 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 24, 42-47

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia nescítis qua hora Fílius hóminis ventúrus est. Quis putas est fidélis servus, et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem:

amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium Ps. 20, 1-2 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, múnera dignánter obláta et beáti N., Mártyris tui, suffragántibus méritis: ad nostræ salútis auxílium proveníre concéde. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20-21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, supra multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

II
Pro Martyre Pontifice
Altera Missa

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

℣. Ibid., 57 Benedícite, ómnia ópera Dómini, Dómino: laudáte et superexaltáte eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, qui nos beáti N., Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 2 Cor. 1, 3-7

Fratres: Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, Pater misericordiárum, et Deus totíus consolatiónis, qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra: ut possímus et ipsi consolári eos, qui in omni pressúra sunt, per exhortatiónem, qua exhortámur et ipsi a Deo. Quóniam, sicut abúndant passiónes Christi in nobis, ita et per Christum abúndat consolátio nostra. Sive autem tribulámur pro vestra exhortatióne et salúte, sive consolámur pro vestra consolatióne, sive exhortámur pro vestra exhortatióne et salúte, quæ operátur toleránatiam earúmdem passiónum, quas et nos pátimur: ut spes nostra firma sit pro vobis: sciéntes quod sicut sócii passiónum estis, sic éritis et consolatiónis: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Allelúja, allelúja. ℣. Hic est sacérdos, quem coronávit Dóminus. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in

domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 16, 24-27

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur, ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicuíque secúndum ópera ejus.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David, servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto N., Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto N., Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

III

Pro Martyre non Pontifice

Introitus

Ps. 8, 6-7

Glória et honóre coronásti eum, et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. ℣. ibid. 1 Dómine, Dóminus noster, quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra! ℣. Glória Patri. Glória et honóre.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui beáti N., Mártyris tui, natalítia cólimus: a cunctis malis imminéntibus ejus intercessióne liberémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 14, 22; 15, 3, 4 et 6

Beátus vir, qui in sapiéntia morábitur, et qui in justítia meditábitur, et in sensu cogitábit circumspectiónem Dei. Cibábit illum pane vitæ et intelléctus, et aqua sapiéntiæ salutáris potábit illum: et firmábitur in illo, et non flectétur: et continébit illum, et non confundétur: et exaltábit illum apud próximos suos. Et nómine ætérno hereditábit illum Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 20, 4 et 3 Posuísti super caput ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Allelúja, allelúja. ℣. Beátus vir qui suffert tentatiónem, quóniam, cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Do-

minicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuisti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 14, 26-33

In illo témpore: Dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxórem, et filios, et fratres, et soróres, adhuc autem et ánimam suam, non potest meus esse discípulus. Et qui non bájulat crucem suam, et venit post me, non potest meus esse discípulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificáre, non prius sedens cómputat sumptus, qui necessárii sunt, si hábeat ad perficiéndum; ne, posteáquam posúerit fundaméntum, et non potúerit perfícere, omnes, qui vident, incípiant illúdere ei, dicéntes: Quia hic homo cœpit ædificáre, et non pótuit consummáre? Aut quis rex itúrus committere bellum advérsus álium regem, non sedens prius cógitat, si possit cum decem míllibus occúrrere ei, qui cum viginti míllibus venit ad se? Alióquin, adhuc illo longe agénte, legatiónem mittens, rogat ea, quæ pacis sunt. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renúntiat ómnibus, quæ póssidet, non potest meus esse discípulus.

Offertorium Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum, Dómine.

Secreta

Oblátis, Dómine, quæsumus, placáre munéribus: et intercedénte beáto N., Mártyre tuo, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio Ps. 20, 6 Magna est glória ejus in salutári tuo, glóriam et magnum decórem impónes super eum, Dómine.

Postcommunio

Sit nobis, Dómine, reparátio mentis et córporis cæléste mystérium: ut cujus exséquimur cultum, sentiámus auxílium. Per Dóminum.

IV
Pro Martyre non Pontifice
Altera Missa

Introitus Ps. 20, 2-3

In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei. ℣. Ps. ibid., 4 Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Glória Patri. In virtúte.

Oratio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beáti N., Mártyris tui, natalítia cólimus, intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiae

Sap. 4, 7-11 et 13-15

Justus si morte præoccupátus fúerit, in refrigério erit. Senéctus enim venerábilis est, non diutúrna,

neque número annórum computáta. Cani autem sunt sensus hóminis, et ætas senectútis vita immaculáta. Placens Deo factus diléctus, et vivens inter peccatóres translátus est: raptus est, ne malítia mutáret intelléctum ejus, aut ne fictio déciperet ánimam illíus. Consummátus in brevi, explévit témpora multa. Plácita enim erat Deo ánima ejus; propter hoc properávit edúcere illum de médio iniquitátum. Quóniam grátia Dei et misericórdia in Sanctos ejus, et respéctus in Eléctos illíus.

Graduale Ps. 36, 24 et 26 Justus non conturbábitur, quia Dóminus firmat manum ejus. ℣. Tota die miserétur et cómmodat, et semen ejus in benedictióne erit.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 8, 12 Qui séquitur me, non ámbulat in ténebris: sed habébit lumen vitæ ætérnæ. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 24-28

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis vult post me veníre, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me. Qui enim volúerit ánimam suam salvam fácere, perdet eam: qui autem perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Quid enim prodest hómini, si mundum univérsum lucrétur; ánimæ vero suæ detriméntum patiátur? Aut quam dabit homo commutatiónem pro ánima sua? Fílius enim hóminis ventúrus est in glória Patris sui cum Angelis suis: et tunc reddet unicúique secúndum ópera ejus. Amen dico vobis, sunt quidam de hic stántibus, qui non gustábunt mortem, donec videant Fílium hóminis veniéntem in regno suo.

Offertorium Ps. 20, 4-5 Posuísti, Dómine, in cápite ejus corónam de lápide pretióso: vitam pétiit a te, et tribuísti ei, allelúja.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio Matth. 16, 24 Qui vult veníre post me, ábneget semetípsum, et tollat crucem suam, et sequátur me.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto N., Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

V

Pro Martyre non Pontifice

Tertia Missa

Introitus Ps. 63, 11

Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo: et laudabúntur omnes recti corde. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi Deus oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Lætábitur.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto N., Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum.

2 Tim. 2, 8-10 et 3, 10-12

Caríssime: Memor esto, Dóminum Jesum Christum resurrexísse a mórtuis ex sémine David, secúndum Evangélium meum, in quo labóro usque ad víncula, quasi male óperans: sed verbum Dei non est alligátum. Ideo ómnia sustíneo propter eléctos, ut et ipsi salútem consequántur, quæ est in Christo Jesu, cum glória cæléstí. Tu autem assecútus es meam doctrínam, institutiónem, propósitum, fidem, longanimitátem, dilectiónem, patiéntiam, persecutiónes, passiónes: quália mihi facta sunt Antiochíæ, Icónii et Lystris: quales persecutiónes sustínui, et ex ómnibus erípuit me Dóminus. Et omnes, qui pie volunt vívere in Christo Jesu, persecutiónem patiéntur.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei: longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum, Dómine: et constituísti eum super ópera mánuum tuárum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem

Joan. 12, 24-26

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Amen, amen dico vobis: Nisi granum fruménti cadens in terram, mórtuum fúerit, ipsum solum manet; si autem mórtuum fúerit, multum fructum affert. Qui amat ánimam suam, perdet eam: et qui odit ánimam suam in hoc mundo, in vitam ætérnam custódit eam. Si quis mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit. Si quis mihi ministráverit, honorificábit eum Pater meus, qui est in cælis.

Offertorium Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum; posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio Joann. 12, 26 Qui mihi minístrat, me sequátur: et ubi sum ego, illic et miníster meus erit.

Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto N., Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

VI
Pro Martyre non Pontifice
Quarta Missa

Introitus Ps. 36, 24, 26 et 28

Justus non conturbábitur, cum Dóminus firmat manum ejus: tota die miserétur et cómmodat; et semen ejus in benedictióne erit: in ætérnum confirmábit. ℣. Ps. ibid. 1 Noli æmulári in malignántibus, neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Justus non conturbábitur.

Oratio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti N., Mártyris tui, natalítia cólimus; intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 13, 9-16

Fratres: Doctrínis váriis et peregrínis nolíte abdúci. Optimum est enim grátia stabilíre cor, non escis, quæ non profuérunt ambulántibus in eis. Habémus altáre, de quo édere non habent potestátem, qui tabernáculo desérviunt. Quorum enim animálium infértur sanguis pro peccáto in sancta per pontíficem: horum córpora cremántur extra castra. Propter quod et Jesus, ut sanctificáret per suum sánguinem pópulum, extra portam passus est. Exeámus ígitur ad eum extra castra, impropérium ejus portántes. Non enim habémus hic manéntem civitátem; sed futúram inquírimus. Per ipsum ergo offerámus hóstiam laudis semper Deo, id est fructum labiórum confiténtium nómini ejus. Beneficéntiæ autem et communiónis nolíte oblivísci. Tálibus enim hóstiis promerétur Deus.

Graduale Ps. 8, 6-7 Glória et honóre coronásti eum, Dómine. ℣. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti

eum. ℣. Quóniam prævenisti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 10, 26-32

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nihil opértum quod non revelétur: et occúltum, quod non sciátur. Quod dico vobis in ténebris, dícite in lúmine: et quod in aure audítis, prædicáte super tecta. Et nolíte timére eos qui occídunt corpus, ánimam autem non possunt occídere: sed pótius eum timéte, qui potest et ánimam et corpus pérdere in gehénnam. Nonne duo pásseres asse væneunt, et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? Vestri autem et capílli cápitis omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére: multis passéribus melióres estis vos. Omnis ergo, qui confitébitur me coram homínibus, confitébor et ego eum coram Patre meo, qui est in cælis.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus: et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

Communio Ps. 63, 11 Lætábitur justus in Dómino, et sperábit in eo, et laudabúntur omnes recti corde. Allelúja, allelúja.

Postcommunio

Da, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

¶ Aliæ Epistolæ et aliud Evangelium de Communi unius Martyris extra Tempus Paschale:

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli Jac. 1, 2-12

Caríssimi: Omne gáudium existimáte, cum in tentatiónes várias incidéritis: sciéntes, quod probátio fídei vestræ patiéntiam operátur. Patiéntia autem opus perféctum habet: ut sitis perfécti, et íntegri, in nullo deficiéntes. Si quis autem vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat: et dábitur ei. Póstulet autem in fide nihil hǽsitans: qui enim hǽsitat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur, et circumfértur. Non ergo ǽstimet homo ille, quod accípiat áliquid a Dómino. Vir duplex ánimo, incónstans est in ómnibus viis suis. Gloriétur autem frater húmilis in exaltatióne sua: dives autem in humilitáte sua, quóniam sicut flos fœni transíbit: exórtus est enim sol cum ardóre, et arefécit fœnum, et flos ejus décidit, et decor vultus ejus depériit: ita et dives in itinéribus suis marcéscet. Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam, cum probátus fúerit, accípiet

corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli.
Jac. 1, 12-18

Caríssimi: Beátus vir, qui suffert tentatiónem: quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. Nemo cum tentátur, dicat, quóniam a Deo tentátur: Deus enim intentátor malórum est: ipse autem néminem tentat. Unusquísque vero tentátur a concupiscéntia sua abstráctus, et illéctus. Deinde concupiscéntia cum concéperit, parit peccátum: peccátum vero cum consummátum fúerit, génerat mortem. Nolíte ítaque erráre, fratres mei dilectíssimi. Omne datum óptimum, et omne donum perféctum desúrsum est, descéndens a Patre lúminum, apud quem non est transmutátio, nec vicissitúdinis obumbrátio. Voluntárie enim génuit nos verbo veritátis, ut simus inítium áliquod creatúræ ejus.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium illum áffuit illi, et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum, et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret, quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non derelíquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descendítque cum illo in fóveam, et in vínculis non derelíquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et poténtiam advérsus eos, qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum; et dedit illi claritátem ætérnam, Dóminus Deus noster.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 10, 34-42

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte arbitrári quia pacem vénerim míttere in terram: non veni pacem míttere, sed gládium. Veni enim separáre hóminem advérsus patrem suum, et fíliam advérsus matrem suam, et nurum advérsus socrum suam: et inimíci hóminis, domésticí ejus. Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus: et qui amat fílium aut fíliam super me, non est me dignus. Et qui non áccipit crucem suam, et séquitur me, non est me dignus. Qui invénit ánimam suam, perdet illam: et qui perdíderit ánimam suam propter me, invéniet eam. Qui récipit vos, me récipit: et qui me récipit, récipit eum, qui me misit. Qui récipit prophétam in nómine prophétæ, mercédem prophétæ accípiet: et qui récipit justum in nómine justi, mercédem justi accípiet. Et quicúmque potum déderit uni ex mínimis istis cálicem aquæ frígidæ tantum in nómine discípuli: amen dico vobis, non perdet mercédem suam.

Commune plurimorum Martyrum
extra Tempus Paschale

I
Pro pluribus Martyribus

Introitus Eccli. 44, 15 et 14

Sapiéntiam Sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum núntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sǽculum sǽculi. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Sapiéntiam Sanctórum.

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 11, 33-39

Fratres: Sancti per fidem vicérunt regna, operáti sunt justítiam, adépti sunt repromissiónes, obturavérunt ora leónum, exstinxérunt ímpetum ignis, effugavérunt áciem gládii, convaluérunt de infirmitáte, fortes facti sunt in bello, castra vertérunt exterórum: accepérunt mulíeres de resurrectióne mórtuos suos. Alii autem disténti sunt, non suscipiéntes redemptiónem, ut meliórem inveníreut resurrectiónem. Alii vero ludíbria et vérbera expérti: ínsuper et víncula et cárceres. Lapidáti sunt, secti sunt, tentáti sunt, in occisióne gládii mórtui sunt. Circumiérunt in melótis, in péllibus caprínis, egéntes, angustiáti, afflicti: quibus dignus non erat mundus: in solitudínibus errántes, in móntibus, et in spelúncis, et in cavérnis terræ. Et hi omnes, testimónio fídei probáti, invénti sunt in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Exodi 15, 11 Gloriósus Deus in Sanctis suis: mirábilis in majestáte, fáciens prodígia. ℣. Ibid., 6 Déxtera tua, Dómine, glorificáta est in virtúte: dextéra manus tua confrégit inimícum.

Allelúja, allelúja, ℣. Ps. 67, 4 Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei, et delecténtur in lætítia. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21, 9-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum audiéritis prǽlia et seditiónes, nolíte terréri: opórtet primum hæc fíeri, sed nondum statim finis. Tunc dicébat illis: Surget gens contra gentem, et regnum advérsus regnum: et terræmótus magni erunt per loca, et pestiléntiæ, et fames, terrorésque de cælo, et signa magna erunt. Sed ante hæc ómnia injícient vobis manus suas, et persequéntur tradéntes in synagógas et custódias, trahéntes ad réges et prǽsides propter nomen meum: contínget autem vobis in testimónium. Pónite ergo in córdi-

bus vestris non præmeditári quemádmodum respondeátis. Ego enim dabo vobis os, et sapiéntiam, cui non póterunt resístere, et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis, et morte affícient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium Sap. 3, 1-3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ, et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária te miseránte reddántur. Per Dóminum.

Communio Luc. 6, 17-19 Multitúdo languéntium et qui vexabántur a spirítibus immúndis veniébant ad eum, quia virtus de illo exíbat et sanábat omnes.

Postcommunio

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N.; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

II

Pro pluribus Martyribus

Altera Missa

Introitus Ps. 36, 39

Salus autem justórum a Dómino: et protéctor eórum est in témpore tribulatiónis. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Salus autem.

Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 3, 1-8

Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum mortis. Visi sunt óculis insipiéntium mori: et æstimáta est afflíctio éxitus illórum: et quod a nobis est iter, extermínium: illi autem sunt in pace. Et, si coram homínibus torménta passi sunt, spes illórum immortalitáte plena est. In paucis vexáti, in multis bene disponéntur: quóniam Deus tentávit eos, et invénit illos dignos se. Tamquam aurum in fornáce probávit illos, et quasi holocáusti hóstiam accépit illos, et in témpore erit respéctus illórum. Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent. Judicábunt natiónes, et dominabúntur pópulis, et regnábit Dóminus illórum in perpétuum.

Graduale Ps. 33, 18-19 Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Juxta est Dóminus his, qui tribuláto sunt corde: et húmiles spíritu salvábit.

Allelúja, allelúja. ℣. Apoc. 7, 14 Isti sunt qui venérunt ex magna tribulatióne, et lavérunt stolas suas:

et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 5, 1-12

In illo témpore: Videns Jesus turbas, ascéndit in montem. Et, cum sedisset, accessérunt ad eum discípuli ejus. Et, apériens os suum, docébat eos, dicens: Beáti páuperes spíritu; quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti mites; quóniam ipsi possidébunt terram. Beáti qui lugent; quóniam ipsi consolabúntur. Beáti qui esúriunt, et sítiunt justítiam; quóniam ipsi saturabúntur. Beáti misericórdes; quóniam ipsi misericórdiam consequéntur. Beáti mundo corde: quóniam ipsi Deum vidébunt. Beáti pacífici: quóniam fílii Dei vocabúntur. Beáti qui persecutiónem patiúntur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cælórum. Beáti estis, cum maledíxerint vobis hómines, et persecúti vos fúerint, et dixerint omne malum advérsum vos, mentiéntes, propter me. Gaudéte et exsultáte, quóniam merces vestra copiósa est in cælis.

Offertorium Ps. 67, 36 Mirábilis Deus in Sanctis suis: Deus Israël, ipse dabit virtútem, et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus, allelúja.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N., a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 4, 5 et 6 Et si coram homínibus torménta passi sunt, Deus tentávit eos: tamquam aurum in fornáce probávit eos, et quasi holocáusta accépit eos.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N., cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

III
Pro pluribus Martyribus
Tertia Missa

Introitus Ps. 33, 20-22

Multæ tribulatiónes justórum, et de ómnibus his liberávit eos Dóminus: Dóminus custódit ómnia ossa eórum: unum ex his non conterétur. ℣. Ps. ibid. 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Multæ tribulatiónes justórum.

Oratio

Præsta, quǽsumus, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne provéntum: ut quorum diem passiónis, ánnua devotióne recólimus: étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 5, 16-20 et 22

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eórum, et cogitátio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam déxtera sua teget eos, et bráchio sancto suo defféndet illos. Accípiet armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípiet pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem: ibunt dirécte promissiónes, et ad certum locum dedúcet illos Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 149, 5 Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis. ℣. ibid. 1 Cantáte Dómino cánticum novum, laus ejus in Ecclésia Sanctórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Sap. 3, 7 Fulgébunt justi, et tamquam scintíllæ in arundinéto discúrrent in ætérnum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5.6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 6, 17-23

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri, et turba discipulórum ejus, et multitúdo copiósa plebis ab omni Judǽa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant, ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis; quia ridébitis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim merces vestra multa est in cælo.

Offertorium Ps. 127, 7 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium: láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus.

Secreta

Vota pópuli tui, quǽsumus, Dómine, propitiátus inténde: et quorum nos tribuis solémnia celebráre, fac gáudere suffrágiis. Per Dóminum.

Communio Sap. 3, 1-3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt, et non tanget illos torméntum malítiæ: visi sunt óculis insipiéntium mori, illi autem sunt in pace.

Postcommunio

Exáudi, Dómine, preces nostras: et Sanctórum tuórum, quorum festa solémniter celebrámus, contínuis foveámur auxíliis. Per Dóminum.

IV

Pro pluribus Martyribus

Quarta Missa

Introitus Ps. 33, 18-19

Clamavérunt justi, et Dóminus exaudívit eos: et ex ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos. ℣. Ps. ibid. 2 Benedícam Dóminum in omni témpore, semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Præsta, quǽsumus, Dómine, précibus nostris cum exsultatióne provéntum: ut, quorum diem passiónis ánnua devotióne recólimus; étiam fídei constántiam subsequámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 10, 32-38

Fratres: Rememorámini pristinos dies, in quibus illumináti, magnum certámen sustinuístis passiónum: et in áltero quidem opprobriis, et tribulatiónibus spectáculum facti: in áltero autem sócii táliter conversántium effécti. Nam et vinctis compássi estis, et rapínam bonórum vestrórum cum gáudio suscepístis, cognoscéntes vos habére meliórem, et manéntem substántiam. Nolíte ítaque amíttere confidéntiam vestram, quæ magnam habet remuneratiónem. Patiéntia enim vobis necessária est: ut, voluntátem Dei faciéntes, reportétis promissiónem. Adhuc enim módicum aliquántulum, qui ventúrus est, véniet, et non tardábit. Justus autem meus ex fide vivit.

Graduale Ps. 123, 7-8 Anima nostra sicut passer erépta est de láqueo venántium. ℣. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 31, 11 Lætámini in Dómino et exsultáte, justi: et gloriámini, omnes recti corde. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 21, 14-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Pónite ergo in córdibus vestris, non præmeditári, quemádmodum respondeátis: ego enim dabo vobis os et sapiéntiam, cui non póterunt resístere et contradícere omnes adversárii vestri. Tradémini autem a paréntibus, et frátribus, et cognátis, et amícis: et morte affícient ex vobis. Et éritis ódio ómnibus homínibus propter nomen meum: et capíllus de cápite vestro non períbit. In patiéntia vestra possidébitis ánimas vestras.

Offertorium Sap. 3, 7-8 Fulgébunt justi, et támquam scintíllæ in arundinéto discúrrent: judicábunt gentes, et regnábunt in ætérnum. Allelúja.

Secreta

Vota pópuli tui, quǽsumus, Dómine, propitiátus inténde: et, quorum nos tríbuis solémnia celebráre, fac gaudére suffrágiis. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 4 Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his qui vos persequúntur.

Postcommunio

Exáudi, Dómine, preces nostras: et Sanctórum tuórum, quorum festa solémniter celebrámus, contínuis foveámur auxíliis. Per Dóminum.

V

Pro pluribus Martyribus

Quinta Missa

Introitus **Ps. 78, 11, 12 et 10**

Intret in conspéctu tuo, Dómine, gémitus compeditórum: redde vicínis nostris séptuplum in sinu eórum: víndica sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid., 1 Deus venérunt Gentes in hereditátem tuam: pollúerunt templum sanctum tuum: posuérunt Jerúsalem in pomórum custódiam. ℣. Glória Patri. Intret.

Oratio

Beatórum Mártyrum tuórum N. et N., quǽsumus, Dómine, nos fóveat pretiósa conféssio: et pia júgiter intercéssio tueátur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. **Apoc. 7, 13-17**

In diébus illis: Respóndens unus de senióribus, dixit mihi: Hi qui amícti sunt stolis albis, qui sunt et unde venérunt? Et dixi illi: Dómine mi, tu scis. Et dixit mihi: Hi sunt qui venérunt de tribulatióne magna, et lavérunt stolas suas, et dealbavérunt eas in sánguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et sérviunt ei die ac nocte in templo ejus: et qui sedet in throno, habitábit super illos. Non esúrient, neque sítient ámplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus: quóniam Agnus, qui in médio throni est, reget illos, et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum: et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum.

Graduale Ps. 78, 10 Víndica, Dómine, sánguinem Sanctórum tuórum, qui effúsus est. ℣. Ps. ibid. 2 Posuérunt mortália servórum tuórum escas volatílibus cæli: carnes Sanctórum tuórum béstiis terræ.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 144, 10-11 Sancti tui, Dómine, benedícent te, glóriam regni tui dicent. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. **Luc. 12, 1-9**

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite a ferménto pharisæórum, quod est hypócrisis. Nihil autem opértum est, quod non

revelétur: neque abscónditum, quod non sciátur. Quóniam, quæ in ténebris dixístis, in lúmine dicéntur: et quod in aurem locúti estis in cubículis, prædicábitur in tectis. Dico autem vobis amícis meis: Ne terreámini ab his, qui occídunt corpus, et post hæc non habent ámplius quid fáciant. Osténdam autem vobis quem timeátis: timéte eum, qui, postquam occíderit, habet potestátem mittere in gehénnam. Ita dico vobis: hunc timéte. Nonne quinque pásseres véneunt dipóndio, et unus ex illis non est in oblivióne coram Deo? Sed et capilli cápitis vestri omnes numeráti sunt. Nolíte ergo timére; multis passéribus pluris estis vos. Dico autem vobis: Omnis quicúmque confessus fúerit me coram homínibus, et Fílius hóminis confitébitur illum coram Angelis Dei: qui autem negáverit me coram homínibus, denegábitur coram Angelis Dei.

Offertorium Ps. 5, 12-13 Gloriabúntur in te omnes qui díligunt nomen tuum: quóniam tu benedíces justo: Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti nos.

Secreta

Pro Sanctórum tuórum N. et N. commemoratióne, múnera tibi, Dómine, quæ debémus exsólvimus: præsta, quæsumus; ut remédium nobis perpétuæ salútis operéntur. Per Dóminum.

Communio Matth. 12, 50 Quicúmque fécerit voluntátem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater et soror et mater est, dicit Dóminus.

Postcommunio

Ut percépta nos, Dómine, tua sancta puríficent: beatórum N. et N., quæsumus, implóret orátio. Per Dóminum.

VI
Pro pluribus Martyribus
Sexta Missa

Introitus Ps. 67, 4

Justi epuléntur et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. ℣. Ps. ibid. 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant qui odérunt eum a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Justi.

Oratio

Semper nos, Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum N. et N., fóveat, quæsumus, beáta solémnitas: et tuo dignos reddat obséquio. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ
Prov. 10, 28-32; 11, 3-4, 6 et 8-11

Exspectátio justórum lætítia: spes autem impiórum períbit. Fortitúdo símplicis via Dómini: et pavor his qui operántur malum. Justus in ætérnum non commovébitur: ímpii autem non habitábunt super terram. Os justi partúriet sapiéntiam: lingua pravórum períbit. Lábia justi considérant plácita: et os impiórum pervérsa. Simplícitas justórum díriget eos: et supplantátio perversórum vastábit illos. Non próderunt divítiæ in die ultiónis. Justítia rectórum liberábit eos: et in insídiis suis capiéntur iníqui. Justus de angústia liberátus est: et tradétur ímpius

pro eo. Simulátor ore décipit amícum suum: justi autem liberabúntur sciéntia. In bonis justórum exaltábitur cívitas: et in perditióne impiórum erit laudátio. Benedictióne justórum exaltábit cívitas.

Graduale Sap. 1, 3 Justórum ánimæ in manu Dei sunt: et non tanget illos torméntum malítiæ. ℣. Visi sunt óculis insipiéntium mori: illi autem sunt in pace.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 112, 1-2 Laudáte, púeri, Dóminum: laudáte nomen Dómini. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 13, 1-13

In illo témpore: Egrediénte Jesu de templo, ait illi unus ex discípulis suis: Magister, áspice quales lápides, et quales structúræ. Et respóndens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas ædificatiónes? Non relinquétur lapis super lápidem, qui non destruátur. Et cum sedéret in monte olivárum contra templum, interrogábant eum separátim Petrus, et Jacóbus, et Joánnes, et Andréas: Dic nobis, quándo ista fient, et quod signum erit, quando hæc ómnia incípient consummári? Et respóndens Jesus, cœpit illis dícere: Vidéte ne quis vos sedúcat: multi enim vénient in nómine meo dicéntes, quia ego sum: et multos sedúcent. Cum audiéritis autem bella et opiniónes bellórum, ne timuéritis: opórtet enim hæc fíeri: sed nondum finis. Exsúrget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terræmótus per loca et fames. Inítium dolórum hæc. Vidéte autem vosmetípsos. Tradent enim vos in concíliis, et in synagógis vapulábitis: et ante reges et præsides stábitis propter me in testimónium illis. Et in omnes gentes primum opórtet prædicári evangélium. Et cum dúxerint vos tradéntes, nolíte præcogitáre quid loquámini: sed quod datum fúerit vobis in illa hora, id loquímini: non enim vos estis loquéntes, sed Spíritus Sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater fílium: et consúrgent fílii in paréntes, et morte affícient eos. Et éritis ódio ómnibus propter nomen meum. Qui autem sustinúerit in finem, hic salvus erit.

Offertorium Ps. 149, 5-6 Exsultábunt Sancti in glória, lætabúntur in cubílibus suis: exaltatiónes Dei in fáucibus eórum.

Secreta

Sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. tibi grata sit conféssio: et múnera nostra comméndet, et tuam nobis indulgéntiam semper implóret. Per Dóminum.

Communio Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, ut eátis et fructum afferátis: et fructus vester máneat.

Postcommunio

Quæsumus, Dómine, ut beatórum Mártyrum tuórum N. et N. deprecatiónibus: Sacraménta sancta quæ súmpsimus; ad tuæ nobis proficiant placatiónis augméntum. Per Dóminum.

Commune Martyrum Tempore Paschali

1

Pro uno Martyre

Introitus Ps. 63, 3

Protexisti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexisti.

1 Pro Martyre Pontifice

Oratio

Infirmitátem nostram réspice, omnipotens Deus: et, quia pondus próprіæ actiónis gravat, beáti N., Mártyris tui atque Pontíficis, intercéssio gloriósa nos prótegat. Per Dóminum,

2 Item alia Oratio

Deus, qui nos beáti N., Mártyris tui atque Pontíficis, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius: ut, cujus natalítia cólimus, de ejúsdem étiam protectióne gaudeámus. Per Dóminum.

3 Pro Martyre tantum

Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui beáti N., Mártyris tui, natalítia cólimus, intercessióne ejus, in tui nóminis amóre roborémur. Per Dóminum.

4 Item alia Oratio

Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut, intercedénte beáto N., Mártyre tuo, et a cunctis adversitátibus liberémur in córpore, et a pravis cogitatiónibus mundémur in mente. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Sap. 5, 1-5

Stabunt justi in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunt, et qui abstulérunt labóres eórum. Vidéntes turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: Hi sunt, quos habúimus aliquándo in derísum, et in similitúdinem impropérii. Nos insensáti vitam illórum æstimabámus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter Sanctos sors illórum est.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 20, 4 Posuísti, Dómine, super caput ejus corónam de lápide pretióso. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 15, 1-7

In illo tempóre: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis vera: et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem in me non feréntem fructum, tollet eum: et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus ásferat. Jam vos mundi estis propter sermónem, quem locútus sum vobis. Manéte in me, et ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum a semetípso, nisi mánserit in vite: sic nec vos, nisi in me manséritis. Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittent, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis.

Offertorium Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: et veritátem tuam in ecclésia Sanctórum, allelúja, allelúja.

1 Pro Martyre Pontifice
Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beáti N., Mártyris tui atque Pontíficis, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

2 Item alia Secreta

Múnera tibi, Dómine, dicáta sanctífica: et, intercedénte beáto N., Mártyre tuo atque Pontífice, per éadem nos placátus inténde. Per Dóminum.

3 Pro Martyre tantum
Secreta

Munéribus nostris, quǽsumus, Dómine, precibúsque suscéptis: et cæléstibus nos munda mystériis, et cleménter exáudi. Per Dóminum.

4 Item alia Secreta

Accépta sit in conspéctu tuo, Dómine, nostra devótio: et ejus nobis fiat supplicatióne salutáris, pro cujus solemnitáte defértur. Per Dóminum.

Communio Joann. 15, 1 et 5 Ego sum vitis vera, et vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. Allelúja, allelúja.

1 Pro Martyre Pontifice
Postcommunio

Reficti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine, Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto N., Mártyre tuo atque Pontífice, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

2 Item alia Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáto N., Mártyre tuo atque Pontífice, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per Dóminum.

3 Pro Martyre tantum
Postcommunio

Da, quǽsumus, Dómine, Deus noster: ut, sicut tuórum commemoratióne Sanctórum, temporáli

gratulámur offício; ita perpétuo lætémur aspéctu. Per Dóminum.

4 Item alia Postcommunio

Refécti participatióne múneris sacri, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, cujus exséquimur cultum, intercedénte beáto N., Mártyre tuo, sentiámus efféctum. Per Dóminum.

¶ Epistola prima et Evangelium quæ pro uno Martyre Tempore Paschali habentur, dici possunt etiam pro pluribus Martyribus, et vicissim; dummodo tamen certa Missa vel certa Epistola aut Evangelium in Missali non fuerint assignata.

II

Pro pluribus Martyribus

Introitus Ps. 144, 10-11

Sancti tui, Dómine, benedicent te: glóriam regni tui dicent, allelúja, allelúja. ℣. Ps. ibid., 1 Exaltábo te, Deus meus Rex: et benedícam nómini tuo in sǽculum, et in sǽculum sǽculi. ℣. Glória Patri. Sancti tui.

1 Pro pluribus Martyribus Pontificibus

Oratio

Beatórum Mártyrum paritérque Pontíficum N. et N. nos, quǽsumus, Dómine, festa tueántur: et eórum comméndet orátio veneránda. Per Dóminum.

2 Pro pluribus Martyribus tantum

Oratio

Deus, qui nos concédis sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. natalítia cólere: da nobis in ætérna beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

3 Pro pluribus Martyribus

Alia Oratio

Deus, qui nos ánnua sanctórum Mártyrum tuórum N. et N. solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut, quorum gaudémus méritis, accendámur exémplis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.

1 Petr. 1, 3-7

Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem, et incontaminátam, et immarcescíbilem, conservátam in cælis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam reveláti in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem, in revelatióne Jesu Christi Dómini nostri.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 5 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox

Sancti tui, Dómine, florébunt sicut lílium: et sicut odor bálsami erunt ante te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 5-11

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Ego sum vitis, vos pálmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potéstis fácere. Si quis in me non mánserit, mittétur foras sicut palmes, et aréscet, et cólligent eum, et in ignem mittént, et ardet. Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánserint: quodcúmque voluéritis, petétis, et fiet vobis. In hoc clarificátus est Pater meus, ut fructum plúrimum afferátis, et efficiámini mei discípuli. Sicut diléxit me Pater, et ego diléxi vos. Manéte in dilectióne mea. Si præcépta mea servavéritis, manébitis in dilectióne mea, sicut et ego Patris mei præcépta servávi, et máneo in ejus dilectióne. Hæc locútus sum vobis, ut gáudium meum in vobis sit, et gáudium vestrum impleátur.

Offertorium Ps. 89, 14 Repléti sumus mane misericórdia tua: exsultávimus et lætáti sumus, allelúja.

1 Pro pluribus Martyribus Pontificibus

Secreta

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in Sanctórum tuórum commemoratióne deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, eórum qui tibi placuérunt, méritis adjuvémur. Per Dóminum.

2 Pro pluribus Martyribus tantum

Secreta

Múnera tibi, Dómine, nostræ devotiónis offérimus: quæ et pro tuórum tibi grata sint honóre justórum, et nobis salutária, te miseránte, reddántur. Per Dóminum.

3 Pro pluribus Martyribus

Alia Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N., a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Communio Ps. 32, 1 Gaudéte, justi, in Dómino, allelúja: rectos decet collaudátio, allelúja.

1 Pro pluribus Martyribus Pontificibus

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine, salutáribus repléti mystériis: ut, quorum solémnia celebrámus, eórum oratiónibus adjuvémur. Per Dóminum.

2 Pro pluribus Martyribus tantum

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N., ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

3 Pro pluribus Martyribus

Alia Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N., cæléstis remédii fáciat esse consortes. Per Dóminum.

¶ Pro Communi Confessorum Pontificum et non Pontificum, Doctorum, Abbatum, Virginum et non Virginum, Dedicationis Ecclesiæ, et Festorum beatæ Mariæ Virginis, necnon in omnibus Missis votivis, nisi aliter suo loco notetur. Tempore Paschali omnia dicuntur ut reliquo anni tempore, addito tamen duplici Allelúja ad Antiphonam Introitus et uno Allelúja in fine Offertorii et Communionis, ubi non habetur. Post Epistolam vero omittitur Graduale, et, ejus loco, dicuntur Allelúja cum suis Versibus, ut singulis locis notatur. In Missis autem Confessorum Temporis Paschalis, nisi adsit proprium, dicitur, etiam in votivis, Evangelium Ego sum vitis vera, ut supra in Missa Protexísti, [22].

Commune Confessoris Pontificis

I

Pro Confessore Pontifice

Introitus Eccli. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 88, 21. Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Da, quǽsumus, omnípotens Deus: ut beáti N., Confessóris tui atque Pontíficis, veneránda solémnitas, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 44, 16-27 et 45, 3-20

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis; conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in conspéctu regum; et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nómine ipsíus, et offérre illi incénsum dignum in odórem suavitátis.

Graduale Eccli. 44, 16 Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo. ℣. ibid., 20 Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Alleluja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus Dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit et pulsavérit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit Dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcínget se et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti: quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti tui, quǽsumus, Dómine, nos ubique lætíficent: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto N., Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

II

Pro Confessore Pontifice

Altera Missa

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, preces nostras, quas in beáti N. Confessóris tui atque Pontíficis solemnitáte deférimus: et, qui tibi digne méruit famulári, ejus intercedéntibus méritis, ab ómnibus nos absólve peccátis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 7, 23-27

Fratres: Plures facti sunt sacerdótes, idcírco quod morte prohiberéntur permanére: Jesus autem, eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Unde et salváre in perpétuum potest accedéntes per semetípsum ad Deum: semper vivens ad interpellándum pro nobis. Talis enim decébat, ut nobis esset póntifex, sanctus, ínnocens, impollútus, segregátus a peccatóribus, et excélsior cælis factus: qui non habet necessitátem quotídie, quemádmodum sacerdótes, prius pro suis delíctis hóstias offérre, deinde pro pópuli: hoc enim fecit semel, seípsum offeréndo, Jesus Christus Dóminus noster.

Graduale Ps. 109, 4 et 1 Jurávit Dóminus et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. ℣. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 21. Invéni David servum meum: óleo sancto meo unxi eum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et ejus loco, dicitur:

Allelúja. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 24, 42-48

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vigiláte, quia nescítis qua hora Dóminus vester ventúrus sit. Illud autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur ventúrus esset, vigiláret útique, et non síneret pérfodi domum suam. Ideo et vos estóte paráti: quia, qua nescítis hora, Fílius hóminis ventúrus est. Quis, putas, est fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus suus super famíliam suam, ut det illis cibum in témpore? Beátus ille servus, quem, cum vénerit dóminus ejus, invénerit sic faciéntem. Amen dico vobis, quóniam super ómnia bona sua constítuet eum.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Sancti N., Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos

reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20-21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti N., Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

III

Pro Confessore Pontifice

Tertia Missa

Introitus Dan. 3, 84 et 87

Sacerdótes Dei, benedícite Dóminum: sancti et húmiles corde, laudáte Deum.

℣. ibid. 84, 85 Benedícite, sacerdótes Dómini, Dómino: benedícite, servi Dómini, Dómino. ℣. Glória Patri. Sacerdótes Dei.

Oratio

Deus, qui hodiérnam diem nobis in beáti N., Confessóris tui atque Pontíficis, solemnitáte tribuísti: adésto propítius Ecclésiæ tuæ précibus; ut, cujus gloriátur méritis, muniátur suffrágiis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum ipsíus, et regnum ejus: prǽdica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, íncrepa in omni patiéntia et doctrína. Erit enim tempus, cum sanam doctrínam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magístros, pruriéntes áuribus: et a veritáte quidem audítum avértent, ad fábulas autem converténtur. Tu vero vígila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple: sóbrius esto. Ego enim jam delíbor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui díligunt advéntum ejus.

Graduale Ps. 88, 21-23 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum. ℣. Nihil profíciet inimícus in eo.

Allelúja, allelúja. ℣. Elégit te Dóminus sibi sacerdótem magnum in pópulo tuo. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo; et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25, 14-23

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone, et fidélis, quia super pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium dómini tui.

Offertorium Ps. 88, 21-22 Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et bráchium meum confortábit eum.

Secreta

Sancti N., Confessóris tui atque Pontíficis, quǽsumus, Dómine, ánnua solémnitas pietáti tuæ nos reddat accéptos: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, et illum beáta retribútio comitétur, et nobis grátiæ tuæ dona concíliet. Per Dóminum.

Communio Ps. 88, 36-38 Semel jurávi in sancto meo: Semen ejus in ætérnum manébit, et sedes ejus sicut sol in conspéctu meo, et sicut luna perfécta in ætérnum: et testis in cælo fidélis.

Postcommunio

Deus, fidélium remunerátor animárum: præsta; ut beáti N., Confessóris tui atque Pontíficis, cujus venerándam celebrámus festivitátem, précibus, indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

Commune Doctorum

Introitus Eccli. 15. 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus: et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. ibid. 6 Jucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum ℣. Glória Patri. In médio.

Pro Doctore Pontifice
Oratio

Ecclésiam tuam, Dómine, benígnus illústra: ut beáti N., Pontíficis tui atque Doctóris, illumináta doctrínis: ad dona pervéniat sempitérna. Per Dóminum.

Pro Doctore non Pontifice
Oratio

Deus, qui pópulo tuo ætérnæ salútis beátum N. minístrum tribuísti: præsta, quǽsumus: ut, quem Doctórem vitæ habúimus in terris, intercessórem habére mereámur in cælis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ
Sap. 7. 7-13

Optávi, et datus est mihi sensus: et invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ. Et præpósui illam regnis et sédibus, et divítias nihil esse duxi in comparatióne illíus. Nec comparávi illi lápidem pretiósum: quóniam omne aurum in comparatióne illíus aréna est exígua, et tamquam lutum æstimábitur argéntum in conspéctu illíus. Super salútem et spéciem diléxi eam, et propósui pro luce habére illam: quóniam inexstinguíbile est lumen illíus. Venérunt autem mihi ómnia bona páriter cum illa, et innumerábilis honéstas per manus illíus, et lætátus sum in ómnibus: quóniam antecedébat me ista sapiéntia, et ignorábam quóniam bonórum ómnium mater est. Quam sine fictióne dídici, et sine invídia commúnico, et honestátem illíus non abscóndo.

Graduale Ps. 36. 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 15. 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111. 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28. 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja.

℣. Osee 14. 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 5, 13-19

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vos estis sal terræ. Quod si sal evanúerit, in quo saliétur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittátur foras, et conculcétur ab homínibus. Vos estis lux mundi. Non potest cívitas abscóndi supra montem pósita. Neque accéndunt lucérnam, et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Sic lúceat lux vestra coram homínibus, ut vídeant ópera vestra bona, et gloríficent Patrem vestrum, qui in cælis est. Nolíte putáre, quóniam veni sólvere legem, aut prophétas: non veni sólvere, sed adimplére. Amen quippe dico vobis, donec tránseat cælum et terra, jota unum, aut unus apex non præteríbit a lege, donec ómnia fiant. Qui ergo sólverit unum de mandátis istis mínimis, et docúerit sic hómines, mínimus vocábitur in regno cælórum: qui autem fécerit, et docúerit, hic magnus vocábitur in regno cælórum. Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Pro Doctore Pontifice

Secreta

Sancti N., Pontíficis tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Pro Doctore non Pontifice

Secreta

Sancti N., Confessóris tui atque Doctóris, nobis, Dómine, pia non desit orátio: quæ, et múnera nostra concíliet; et tuam nobis indulgéntiam semper obtíneat. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 20-21 Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum: euge, serve bone et fidélis, quia in pauca fuísti fidélis, super multa te constítuam: intra in gáudium Dómini tui.

Pro Doctore Pontifice

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus N., Póntifex tuus et Doctor egrégius, quǽsumus, precátor accédat. Per Dñm.

Pro Doctore non Pontifice

Postcommunio

Ut nobis, Dómine, tua sacrifícia dent salútem: beátus N., Conféssor tuus et Doctor egrégius, quǽsumus, precátor accédat. Per Dñm.

¶ Aliæ Epistolæ pro Doctoribus

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 2 Tim. 4, 1-8

Caríssime: Testíficor coram Deo, et Jesu Christo, qui judicatúrus est vivos et mórtuos, per advéntum

ipsius, et regnum ejus: prædica verbum, insta opportúne, importúne: árgue, óbsecra, increpa in omni patiéntia et doctrina. Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinébunt, sed ad sua desidéria coacervábunt sibi magistros, pruriéntes áuribus: et a veritáte quidem auditum avértent, ad fábulas autem convertentur. Tu vero vigila, in ómnibus labóra, opus fac Evangelístæ, ministérium tuum imple: sóbrius esto. Ego enim jam delibor, et tempus resolutiónis meæ instat. Bonum certámen certávi, cursum consummávi, fidem servávi. In réliquo repósita est mihi coróna justítiæ, quam reddet mihi Dóminus in illa die, justus judex: non solum autem mihi, sed et iis qui díligunt advéntum ejus.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 39, 6-14

Justus cor suum tradet ad vigilándum dilúculo ad Dóminum, qui fecit illum, et in conspéctu Altíssimi deprecábitur. Apériet os suum in oratióne, et pro delíctis suis deprecábitur. Si enim Dóminus magnus volúerit, spíritu intelligéntiæ replébit illum: et ipse tamquam imbres mittet elóquia sapiéntiæ suæ, et in oratióne confitébitur Dómino: et ipse díriget consílium ejus et disciplínam, et in abscónditis suis consiliábitur. Ipse palam fáciet disciplínam doctrínæ suæ, et in lege testaménti Dómini gloriábitur. Collaudábunt multi sapiéntiam ejus, et usque in sæculum non delébitur. Non recédet memória ejus, et nomen ejus requirétur a generatióne in generatiónem. Sapiéntiam ejus enarrábunt gentes, et laudem ejus enuntiábit ecclésia.

Commune Confessoris non Pontificis

I

Pro Confessore non Pontifice

Introitus Ps. 36, 30-31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps ibid., 1 Noli æmulári in malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Deus, qui nos beáti N., Confessóris tui, ánnua solemnitáte lætíficas: concéde propítius; ut cujus natalítia cólimus, étiam actiónes imitémur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Sap. 10, 10-14

Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei, et dedit illi sciéntiam sanctórum: honestávit illum in labóribus, et complévit labóres illíus. In fraude circumveniéntium, illi áffuit: et honéstum fecit illum. Custodívit illum ab inimícis, et a seductóribus tutávit illum: et certámen forte dedit illi, ut vínceret, et sciret quóniam ómnium poténtior est sapiéntia. Hæc vénditum justum non dereliquit, sed a peccatóribus liberávit eum: descenditque cum illo in fóveam, et in vínculis non dereliquit illum, donec afférret illi sceptrum regni, et

poténtiam advérsus eos qui eum deprimébant: et mendáces osténdit, qui maculavérunt illum, et dedit illi claritátem ætérnam Dóminus Deus noster.

Graduale Ps. 91, 13 et 14 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur in domo Dómini. ℣. Ibid., 3 Ad annuntiándum mane misericórdiam tuam, et veritátem tuam per noctem.

Allelúja, allelúja. ℣. Sap. 10, 10 Justum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ induit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 12, 35-40

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Sint lumbi vestri præcíncti, et lucérnæ ardéntes in mánibus vestris, et vos símiles homínibus exspectántibus dóminum suum, quando revertátur a núptiis: ut, cum vénerit, et pulsáverit, conféstim apériant ei. Beáti servi illi, quos, cum vénerit dóminus, invénerit vigilántes: amen dico vobis, quod præcinget se, et fáciet illos discúmbere, et tránsiens ministrábit illis. Et si vénerit in secúnda vigília, et si in tértia vigília vénerit, et ita invénerit, beáti sunt servi illi. Hoc autem scitóte, quóniam si sciret paterfamílias, qua hora fur veníret, vigiláret útique, et non sineret pérfodi domum suam. Et vos estóte paráti, quia, qua hora non putátis, Fílius hóminis véniet.

Offertorium Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commemoratióne Sanctórum: quibus nos et præséntibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóminum.

Communio Ps. 10, 8 Justus Dóminus et justítiam diléxit: æquitátem vidit vultus ejus.

Postcommunio

Reformation: Reſécti cibo, potúque cæléšti, Deus noster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratióne percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

II

Pro Confessore non Pontifice

Altera Missa

Introitus Ps. 91, 13-14

Justus ut palma florébit; sicut cedrus Líbani multiplicábitur: plantátus in domo Dómini: in átriis domus Dei nostri. ℣. Ps. ibid.: 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. Justus.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, quas in beáti N., Confessóris tui, solemnitáte deférimus: ut, qui nostræ justítiæ fidúciam non habémus, ejus qui tibi plácuit, précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthos. 1 Cor. 4, 9-14

Fratres: Spectáculum facti sumus mundo, et Angelis, et homínibus. Nos stulti propter Christum, vos autem prudéntes in Christo: nos infírmi, vos autem fortes: vos nóbiles, nos autem ignóbiles. Usque in hanc horam et esurímus, et sitímus, et nudi sumus, et cólaphis cædimur, et instábiles sumus, et laborámus operántes mánibus nostris: maledícimur, et benedícimus: persecutiónem pátimur, et sustinémus: blasphemámur, et obsecrámus: tamquam purgaménta hujus mundi facti sumus, ómnium peripséma usque adhuc. Non ut confúndam vos, hæc scribo, sed ut fílios meos caríssimos móneo: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 36, 30-31 Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium. ℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus: et non supplantabúntur gressus ejus.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 111, 1 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Osee. 14, 6

Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 12, 32-34

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nolíte timére, pusíllus grex, quia complácuit Patri vestro dare vobis regnum. Véndite quæ possidétis, et date eleemósynam. Fácite vobis sácculos, qui non veteráscunt, thesáurum non deficiéntem in cælis: quo fur non apprópiat, neque tínea corrúmpit. Ubi enim thesáurus vester est, ibi et cor vestrum erit.

Offertorium Ps. 20, 2-3 In virtúte tua, Dómine, lætábitur justus, et super salutáre tuum exsultábit veheménter: desidérium ánimæ ejus tribuísti ei.

Secreta

Præsta nobis, quǽsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi gráta sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum.

Communio Matth. 19, 28 et 29 Amen dico vobis: quod vos, qui reliquístis ómnia, et secúti estis me, céntuplum accipiétis, et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto N., Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

¶ Item alia Epistola et Evangelium pro Confessore non Pontifice:

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli. 31, 8-11

Beátus vir, qui invéntus est sine mácula, et qui post aurum non ábiit, nec sperávit in pecúnia et thesáuris. Quis est hic, et laudábimus eum? fecit enim mirabília in vita sua. Qui probátus est in illo, et perféctus est, erit illi glória ætérna: qui pótuit tránsgredi, et non est transgréssus: fácere mala, et non fecit: ídeo stabilíta sunt bona illíus in Dómino, et eleemósynas illíus enarrábit omnis ecclésia Sanctórum.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 11, 33-36

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Nemo accéndit lucérnam, et in abscóndito ponit, neque sub módio: sed supra candelábrum, ut, qui ingrediúntur, lumen vídeant. Lucérna córporis tui, est óculus tuus. Si óculus tuus fúerit simplex, totum corpus tuum lúcidum erit: si autem nequam fúerit, étiam corpus tuum tenebrósum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, ténebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lúcidum fúerit, non habens áliquam partem tenebrárum, erit lúcidum totum, et sicut lucérna fulgóris illuminábit te.

Commune Abbatum

Introitus Ps. 36, 30 et 31

Os justi meditábitur sapiéntiam, et lingua ejus loquétur judícium: lex Dei ejus in corde ipsíus. ℣. Ps. ibid., 1 Noli æmulári in

malignántibus: neque zeláveris faciéntes iniquitátem. ℣. Glória Patri. Os justi.

Oratio

Intercéssio nos, quǽsumus, Dómine, beáti N. Abbátis comméndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 45, 1-6

Diléctus Deo et homínibus, cujus memória in benedictióne est. Símilem illum fecit in glória Sanctórum, et magnificávit eum in timóre inimicórum, et in verbis suis monstra placávit. Glorificávit illum in conspéctu regum, et jussit illi coram pópulo suo, et osténdit illi glóriam suam. In fide, et lenitáte ipsíus, sanctum fecit illum, et elégit eum ex omni carne. Audívit enim eum, et vocem ipsíus, et indúxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcépta, et legem vitæ et disciplínæ.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 91, 13 Justus ut palma florébit: sicut cedrus Líbani multiplicábitur. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum.

Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Osee 14, 6 Justus germinábit sicut lílium: et florébit in ætérnum ante Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter

nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Ps. 20, 3 et 4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei, Dómine, et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Secreta

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas sanctus N. Abbas, quǽsumus, in salútem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

Communio Luc. 12, 42 Fidélis servus et prudens, quem constítuit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne Sacraménti beátus N. Abbas, pro nobis intercedéndo: ut, et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Commune Virginum

I

Pro Virgine et Martyre

Introitus Ps. 118, 46-47

Loquébar de testimóniis tuis in conspéctu regum, et non confundébar: et meditábar in mandátis tuis, quæ diléxi nimis. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Loquébar.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ N. Vírginis et Mártyris tuae, natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 51, 1-8 et 12

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa: laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 44, 5 Spécie tua et pulchritúdine tua: inténde, próspere procéde, et regna. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum, quia concupívit Rex spéciem tuam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illíus vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quæréntí bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sǽculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Ps. 44, 10 Fíliæ regum in honóre tuo; ástitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ N., Vírginis et Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio Matth. 13, 45-46 Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri quæréntí bonas margarítas: invénta una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua et comparávit eam.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta N., Vírgine et Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

II

Pro Virgine et Martyre

Altera Missa

Introitus Ps. 44, 13 et 15-16

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus adducéntur tibi in lætitia et exsultatióne. ℣. Ibid. 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Vultum tuum.

Oratio

Indulgéntiam nobis, quæsumus, Dómine, beáta N., Virgo et Martyr, implóret: quæ tibi grata semper éxstitit, et mérito castitátis, et tuæ professióne virtútis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 51, 13-17

Dómine Deus meus, exaltásti super terram habitatiónem meam, et pro morte defluénte deprecáta sum. Invocávi Dóminum, patrem Dómini mei, ut non derelínquat me in die tribulatiónis meæ, et in témpore superbórum sine adjutório. Laudábo nomen tuum assídue, et collaudábo illud in confessióne, et exaudíta est orátio mea. Et liberásti me de perditióne, et eripuísti me de témpore iníquo. Proptérea confitébor, et laudem dicam tibi: et benedícam nomen tuum, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 44, 3 et 5 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, sponsa Christi, áccipe corónam, quam tibi Dóminus præparávit in ætérnum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem vírgi-

nibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non suffíciat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium Ps. 44, 10 Fíliæ regum in honóre tuo; ástitit Regína a dextris tuis in vestítu deauráto, circúmdata varietáte.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, beátæ N., Vírginis et Mártyris tuæ, dicátas méritis, benígnus assúme: et ad perpétuum nobis tríbue proveníre subsídium. Per Dóminum.

Communio Ps. 118, 121, et 128 Feci judícium et justítiam, Dómine, non calumniéntur mihi supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar, omnem viam iniquitátis ódio hábui.

Postcommunio

Divíni múneris largitáte satiáti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, intercedénte beáta N., Vírgine et Mártyre tua, in ejus semper participatióne vivámus. Per Dóminum.

¶ **Item aliud Evangelium**

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 19, 3-12

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisǽi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia, qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet. Dicunt illi: Quid ergo Móyses mandávit dare libéllum repúdii, et dimíttere? Ait illis: Quóniam Móyses ad durítiam cordis vestri permísit vobis dimíttere uxóres vestras: ab inítio autem non fuit sic. Dico autem vobis, quia quicúmque dimíserit uxórem suam, nisi ob fornicatiónem, et áliam dúxerit, mœchátur: et qui dimíssam dúxerit, mœchátur. Dicunt ei discípuli ejus: Si ita est causa hóminis cum uxóre, non éxpedit núbere. Qui dixit illis: Non omnes cápiunt verbum istud, sed quibus datum est. Sunt enim

eunúchi, qui de matris útero sic nati sunt: et sunt eunúchi, qui facti sunt ab homínibus: et sunt eunúchi, qui seípsos castravérunt propter regnum cælórum. Qui potest cápere, cápiat.

III

Pro Virgine tantum

Introitus Ps. 44, 8

Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Dilexísti.

Oratio

Exáudi nos, Deus salutáris noster: ut, sicut de beátæ N., Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

2 Cor. 10, 17-18; 11, 1-2

Fratres: Qui gloriátur, in Dómino gloriétur. Non enim qui seípsum comméndat, ille probátus est; sed quem Deus comméndat. Utinam sustinerétis módicum quid insipiéntiæ meæ, sed et supportáte me: æmulor enim vos Dei æmulatióne. Despóndi enim vos uni viro vírginem castam exhibére Christo.

Graduale Ps. 44, 5 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. ibid., 11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 5 Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 25, 1-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile erit regnum cælórum decem virgínibus: quæ, accipiéntes lámpades suas, exiérunt óbviam sponso

et sponsæ. Quinque autem ex eis erant fátuæ, et quinque prudéntes: sed quinque fátuæ, accéptis lampádibus, non sumpsérunt óleum secum: prudéntes vero accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus. Moram autem faciénte sponso, dormitavérunt omnes, et dormiérunt. Média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exíte óbviam ei. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas. Fátuæ autem sapiéntibus dixérunt: Date nobis de óleo vestro: quia lámpades nostræ exstinguúntur. Respondérunt prudéntes, dicéntes: Ne forte non sufficiat nobis, et vobis, ite pótius ad vendéntes, et émite vobis. Dum autem irent émere, venit sponsus: et, quæ parátæ erant, intravérunt cum eo ad núptias, et clausa est jánua. Novíssime vero véniunt et réliquæ vírgines, dicéntes: Dómine, Dómine, áperi nobis. At ille respóndens, ait: Amen dico vobis, néscio vos. Vigiláte ítaque, quia nescítis diem, neque horam.

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedixit te Deus in ætérnum, et in sæculum sæculi.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis, de tribulatióne percepisse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

IV

Pro Virgine tantum

Altera Missa

Introitus Ps. 44, 13, 15 et 16

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. ℣. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Vultum tuum.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ N., Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 7, 25-34

Fratres: De virgínibus præcéptum Dómini non hábeo: consílium autem do, tamquam misericórdiam consecútus a Dómino, ut sim fidélis. Exístimo ergo hoc bonum esse propter instántem necessitátem, quóniam bonum est hómini sic esse. Alligátus es uxóri? noli quærere solutiónem. Solútus es ab uxóre? noli quærere uxórem. Si autem accéperis uxórem, non peccásti. Et si núpserit virgo, non peccávit: tri-

bulatiónem tamen carnis habébunt hujúsmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres: Tempus breve est: réliquum est, ut et qui habent uxóres, tamquam non habéntes sint: et qui flent, tamquam non flentes: et qui gaudent, tamquam non gaudéntes: et qui emunt, tamquam non possidéntes: et qui utúntur hoc mundo, tamquam non utántur: prǽterit enim figúra hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitúdine esse. Qui sine uxóre est, sollícitus est, quæ Dómini sunt, quómodo pláceat Deo. Qui autem cum uxóre est, sollícitus est, quæ sunt mundi, quómodo pláceat uxóri, et divísus est. Et múlier innúpta, et virgo, cógitat quæ Dómini sunt, ut sit sancta córpore et spíritu: in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 44, 12 Concupívit Rex decórem tuum, quóniam ipse est Dóminus Deus tuus. ℣. Ibid., 11 Audi, fília, et vide, et inclína aurem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Hæc est virgo sápiens, et una de número prudéntum. Allelúja.

Evangelium Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito, ut infra, [46] vel Evangelium Símile erit regnum cælórum decem virgínibus, ut supra, [41].

Offertorium Ps. 44, 15-16 Afferéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia, et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis, de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio Matth. 13, 45-46 Símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas: invénta autem una pretiósa margaríta, dedit ómnia sua, et comparávit eam.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

V

Pro pluribus Virginibus et Martyribus

Introitus Ps. 44, 15-16

Afferéntur Regi Vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino. ℣. Ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Afferéntur.

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine Deus noster, sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári: ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Epistola De Virgínibus ex Missa Vultum tuum, ut supra, [42].

Graduale Matth. 25, 6-7 et 1 Média nocte clamor factus est: Ecce spónsus venit, exíte óbviam ei. ℣. Tunc surrexérunt omnes vírgines illæ, et ornavérunt lámpades suas: et exiérunt óbviam sponso et sponsæ.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 15 Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ eius afferéntur tibi. Allelúia.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 15 Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 15 Afferéntur Regi vírgines post eam, próximæ ejus afferéntur tibi. Allelúja.

Evangelium Símile est ex Missa Dilexísti, ut supra III loco, [41].

Offertorium Ps. 44, 15-16 Afferéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus afferéntur tibi in lætítia et exsultatióne: adducéntur in templum Regi Dómino.

Secreta

Inténde, quǽsumus, Dómine, múnera, altáribus tuis pro sanctárum Vírginum et Mártyrum tuárum N. et N. festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti; ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Communio Matth. 25, 4 et 6 Quinque prudéntes vírgines accepérunt óleum in vasis suis cum lampádibus: média autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit: exíte óbviam Christo Dómino.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Virgínibus et Martýribus tuis N. et N.: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Commune non Virginum

I

Pro Martyre non Virgine

Introitus Ps. 118, 95-96

Me exspectavérunt peccatóres, ut pérderent me: testimónia tua, Dómine, intelléxi: omnis consummatiónis vidi finem: latum mandátum tuum nimis. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Me exspectavérunt.

Oratio

Deus, qui inter cétera poténtiæ tuæ mirácula étiam in sexu frágili victóriam martýrii contulísti: concéde propítius; ut, qui beátæ N., Mártyris tuæ, natalítia cólimus, per ejus ad te exémpla gradiámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 51, 1-8 et 12

Confitébor tibi, Dómine rex, et collaudábo te Deum salvatórem meum. Confitébor nómini tuo: quóniam adjútor, et protéctor factus es mihi, et liberásti corpus meum a perditióne, a láqueo linguæ iníquæ, et a lábiis operántium mendácium, et in conspéctu astántium factus es mihi adjútor. Et liberásti me secúndum multitúdinem misericórdiæ nóminis tui a rugiéntibus, præparátis ad escam, de mánibus quæréntium ánimam meam, et de portis tribulatiónum, quæ circumdedérunt me: a pressúra flammæ, quæ circúmdedit me, et in médio ignis non sum æstuáta: de altitúdine ventris ínferi, et a lingua coinquináta, et a verbo mendácii, a rege iníquo, et a lingua injústa: laudábit usque ad mortem ánima mea Dóminum: quóniam éruis sustinéntes te, et líberas eos de mánibus géntium, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 44, 5 et 11-12 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua. ℣. Audi, fília, et vide et inclína aurem tuam: quia concupívit Rex spéciem tuam.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Veni, elécta mea, et ponam in te thronum meum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 13, 44-52

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Símile est regnum cælórum thesáuro abscóndito in agro: quem qui invénit homo, abscóndit, et præ gáudio illius vadit, et vendit univérsa, quæ habet, et emit agrum illum. Iterum símile est regnum cælórum hómini negotiatóri, quærénti bonas margarítas. Invénta autem una pretiósa margaríta, ábiit, et véndidit ómnia, quæ hábuit, et emit eam. Iterum símile est regnum cælórum sagénæ missæ in mare, et ex omni génere píscium congregánti. Quam, cum impléta esset, educéntes, et secus littus sedéntes, elegérunt bonos in vasa, malos autem foras misérunt. Sic erit in consummatióne sæculi: exíbunt Angeli, et separábunt malos de médio justórum, et mittent eos in camínum ignis: ibi erit fletus, et stridor déntium. Intellexístis hæc ómnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælórum símilis est hómini patrifamílias, qui profert de thesáuro suo nova et vétera.

Offertorium Ps. 118, 121-122 et 128 Feci judícium et justítiam, Dómine: non calumniéntur me supérbi: ad ómnia mandáta tua dirigébar: omnem viam iníquam ódio hábui.

Secreta

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in beátæ N., Mártyris tuæ, solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. Per Dóminum.

Communio Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

Postcommunio

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta N., Mártyre tua, sempitérna fáciant protectióne gaudére. Per Dóminum.

¶ Pro pluribus Martyribus, quæ non sint Virgines, dicatur Missa ut supra, cum Orationibus sequentibus:

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, Deus noster, sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. palmas incessábili devotióne venerári: ut, quas digna mente non póssumus celebráre, humílibus saltem frequentémus obséquiis. Per Dóminum.

Secreta

Inténde, quǽsumus, Dómine, múnera altáribus tuis pro sanctárum Mártyrum tuárum N. et N. festivitáte propósita: ut, sicut per hæc beáta mystéria illis glóriam contulísti: ita nobis indulgéntiam largiáris. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta nobis, quǽsumus, Dómine, intercedéntibus sanctis Martýribus tuis N. et N.: ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

III

Pro nec Virgine nec Martyre

Introitus Ps. 118, 75 et 120

Cognóvi, Dómine, quia æquitas judícia tua, et in veritáte tua humiliásti me: confíge timóre tuo carnes meas, a mandátis tuis timui. ℣. Ps. ibid., 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Cognóvi.

Oratio

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, sicut de beátæ N. festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Prov. 31, 10-31

Mulíerem fortem quis invéniet? Procul, et de últimis fínibus prétium ejus. Confídit in ea cor viri sui, et spóliis non indigébit. Reddet ei bonum, et non malum ómnibus diébus vitæ suæ. Quæsívit lanam et linum, et operáta est consílio mánuum suárum. Facta est quasi navis institóris, de longe portans panem suum. Et de nocte surréxit, ditque prædam domésticis suis, et cibária ancíllis suis. Considerávit agrum, et emit eum: de fructu mánuum suárum plantávit víneam. Accínxit fortitúdine lumbos suos, et roborávit bráchium suum. Gustávit et vidit, quia bona est negotiátio ejus: non exstinguétur in nocte lucérna ejus. Manum suam misit ad fórtia, et dígiti ejus apprehendérunt fusum. Manum suam apéruit ínopi, et palmas suas exténdit ad páuperem. Non timébit dómui suæ a frigóribus nivis: omnes enim doméstici ejus vestíti sunt duplícibus. Stragulátam vestem fecit sibi: byssus, et púrpura induméntum ejus. Nóbilis in portis vir ejus, quando séderit cum senatóribus terræ. Síndonem fecit, et véndidit, et cíngulum trádidit Chananǽo. Fortitúdo et decor induméntum ejus, et ridébit in die novíssimo. Os suum apéruit sapiéntiæ, et lex cleméntiæ in lingua ejus. Considerávit sémitas domus suæ, et panem otiósa non comédit. Surrexérunt fílii ejus, et beatíssimam prædicavérunt: vir ejus, et laudávit eam. Multæ fíliæ congregavérunt divítias: tu supergréssa es univérsas. Fallax grátia, et vana est pulchritúdo: múlier timens Dóminum, ipsa laudábitur. Date ei de fructu mánuum suárum: et laudent eam in portis ópera ejus.

Graduale Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Ibid., 5 Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter dextéra tua,

Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 5 Spécie tua, et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 5 Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 44, 5 Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere procéde, et regna. Allelúja.

Evangelium Símile est, de Missa Me exspectavérunt, ut supra, [46].

Offertorium Ps. 44, 3 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum, et in sǽculum sǽculi.

Secreta

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quorum se méritis, de tribulatióne percepísse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Communio Ps. 44, 8 Dilexísti justítiam, et odísti iniquitátem: proptérea unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ præ consórtibus tuis.

Postcommunio

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quǽsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

¶ Item alia Epistola pro Vidua.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 5, 3-10

Caríssime: Víduas honóra, quæ vere víduæ sunt. Si qua autem vídua fílios, aut nepótes habet, discat primum domum suam régere, et mútuam vicem réddere paréntibus: hoc enim accéptum est coram Deo. Quæ autem vere vídua est, et desoláta, speret in Deum, et instet obsecratiónibus, et oratiónibus nocte, ac die. Nam quæ in delíciis est, vivens mórtua est. Et hoc prǽcipe, ut irreprehensíbiles sint. Si quis autem suórum, et máxime domesticórum curam non habet, fidem negávit, et est infidéli detérior. Vídua eligátur non minus sexagínta annórum, quæ fúerit uníus viri uxor, in opéribus bonis testimónium habens, si fílios educávit, si hospítio recépit, si Sanctórum pedes lavit, si tribulatiónem patiéntibus subministrávit, si omne opus bonum subsecúta est.

Commune Dedicationis Ecclesiæ

Introitus Gen. 28, 17

Terríbilis est locus iste: hic domus Dei est, et porta cæli: et vocábitur aula Dei. ℣. Ps. 86, 1-2 Fundaménta ejus in móntibus sanctis: díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. ℣. Glória Patri. Terríbilis.

Oratio

Deus, qui nobis per síngulos annos hujus sancti templi tui consecratiónis réparas diem, et sacris semper mystériis repræséntas in-

cólumes: exáudi preces pópuli tui, et præsta: ut, quisquis hoc templum benefícia petitúrus ingréditur, cuncta se impetrásse lætétur. Per Dóminum.

In ipsa die Dedicationis Ecclesiæ et per Octavam, et quando varianda est Oratio, dicitur sequens

Oratio

Deus, qui invisibíliter ómnia cóntines, et tamen pro salúte géneris humáni signa tuæ poténtiæ visibíliter osténdis: templum hoc poténtia tuæ inhabitatiónis illústra, et concéde; ut, omnes, qui huc deprecatúri convéniunt, ex quacúmque tribulatióne ad te clamáverint, consolatiónis tuæ benefícia consequántur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 21, 2-5

In diébus illis: Vidi sanctam civitátem Jerúsalem novam descendéntem de cælo a Deo, parátam sicut sponsam ornátam viro suo. Et audívi vocem magnam de throno dicéntem: Ecce tabernáculum Dei cum homínibus, et habitábit cum eis. Et ipsi pópulus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eórum Deus: et abstérget Deus omnem lácrimam ab óculis eórum: et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abiérunt. Et dixit qui sedébat in throno: Ecce nova fácio ómnia.

Graduale Eccl. laus Locus iste a Deo factus est, inæstimábile sacraméntum, irreprehensíbilis est. ℣. Deus, cui astat Angelórum chorus, exáudi preces servórum tuórum.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 137, 2 Adorábo ad templum sanctum tuum: et confitébor nómini tuo. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Matth. 21, 13 Domus mea domus oratiónis vocábitur. ℣. ibid. 7, 7 In ea omnis qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit: et pulsánti aperiétur. ℣. Hæc est domus Dómini, fírmiter ædificáta, bene fundáta supra firmam petram.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 137, 2 Adorábo ad templum sanctum tuum: et confitébor nómini tuo. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 137, 2 Adorábo ad templum sanctum tuum: et confitébor nómini tuo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 19, 1-10

In illo témpore: Ingréssus Jesus perambulábat Jéricho. Et ecce vir nómine Zachæus: et hic princeps erat publicanórum, et ipse dives: et quærébat vidére Jesum, quis esset: et non póterat præ turba, quia statúra pusíllus erat. Et præcúrrens

ascéndit in árborem sycómorum, ut vidéret eum; quia inde erat transitúrus. Et cum venísset ad locum, suspiciens Jesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachæe, festínans descénde; quia hódie in domo tua opórtet me manére. Et festínans descéndit, et excépit illum gaudens. Et cum vidérent omnes, murmurábant, dicéntes, quod ad hóminem peccatórem divertísset. Stans autem Zachæus, dixit ad Dóminum: Ecce dimídium bonórum meórum, Dómine, do paupéribus: et si quid áliquem defraudávi, reddo quádruplum. Ait Jesus ad eum: Quia hódie salus dómui huic facta est: eo quod et ipse fílius sit Abrahæ. Venit enim fílius hóminis quærere, et salvum fácere quod períerat.

Credo.

Offertorium 1 Paral. 29, 17 et 18 Dómine Deus, in simplicitáte cordis mei lætus óbtuli univérsa; et pópulum tuum, qui repértus est, vidi cum ingénti gáudio: Deus Israël, custódi hanc voluntátem, Dómine Deus.

¶ In sequenti Secreta, extra Ecclesiam ipsam dedicatam omittitur tota parenthesis.

Secreta

Annue, quæsumus, Dómine, précibus nostris: (ut quicúmque intra templi hujus, cujus anniversárium dedicatiónis diem celebrámus, ámbitum continémur, plena tibi, atque perfécta córporis et ánimæ devotióne placeámus;) ut, dum hæc vota præséntia réddimus, ad ætérna prǽmia, te adjuvánte, pervenire mereámur. Per Dóminum.

Alia Secreta, ut supra

Deus, qui sacrandórum tibi auctor es múnerum, effúnde super hanc oratiónis domum benedictiónem tuam: ut ab ómnibus in ea invocántibus nomen tuum, defensiónis tuæ auxílium sentiátur. Per Dñum.

Præfatio Communis, quæ dicitur etiam Tempore Quadragesimæ, etsi occurrat, sive Commemoratio aliqua, sive Octava communis, Præfationem propriam habentes, quæ non sint de aliquo Mysterio Domini.

Communio Matth. 21, 13 Domus mea, domus oratiónis vocábitur, dicit Dóminus: in ea omnis, qui petit, áccipit: et qui quærit, invenit: et pulsánti aperiétur.

Postcommunio

Deus, qui de vivis et eléctis lapídibus ætérnum majestáti tuæ prǽparas habitáculum: auxiliáre pópulo tuo supplicánti; ut, quod Ecclésiæ tuæ corporálibus próficit spátiis, spirituálibus amplificétur augméntis. Per Dóminum.

Alia Postcommunio, ut supra

Quǽsumus, omnípotens Deus: ut in hoc loco, quem nómini tuo indígni dedicávimus, cunctis peténtibus aures tuæ pietátis accómmodes. Per Dóminum.

¶ In ipsa Dedicatione Ecclesiæ dicitur præcedens Missa cum Oratione Deus, qui invisibiliter cum respectiva Secreta et Postcommunione, ut supra: et sub unica Conclusione, cui prima additur Oratio Mysterii vel Sancti, in cujus honorem Ecclesia dedicatur.

¶ Per Octavam Missa dicitur ut in Festo, sed infra Octavam adduntur, juxta Rubricas, Orationes pro Tempo-

rum diversitate assignatæ, nempe 2ª de sancta Maria ex Missa votiva de Tempore currenti, 3ª contra persecutores Ecclesiæ, vel pro Papa.

¶ In die Dedicationis Altaris dicitur Missa ut in Dedicatione Ecclesiæ, præter Orationes sequentes: quibus similiter, si agatur de Altari fixo, adduntur sub unica Conclusione Orationes de Mysterio vel Sancto, in cujus honorem Altare dedicatur.

Oratio

Deus, qui ex omni coaptatióne Sanctórum, ætérnum tibi condis habitáculum: da ædificatióni tuæ increménta cæléstia: ut, quorum hic relíquias pio amóre compléctimur, eórum semper méritis adjuvémur. Per Dóminum.

Secreta

Descéndat, quæsumus, Dómine Deus noster, Spíritus tuus Sanctus super hoc altáre: qui, et pópuli tui dona sanctíficet, et suméntium corda dignánter emúndet. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Postcommunio

Omnípotens sempitérne Deus, altáre hoc nómini tuo dedicátum, cæléstis virtútis benedictióne sanctífica: et ómnibus in te sperántibus auxílii tui munus osténde: ut et hic sacramentórum virtus, et votórum obtineátur efféctus. Per Dóminum.

Commune Festorum B. Mariæ Virg.

Introitus — Sedulius

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem: qui cælum, terrámque regit in sæcula sæculórum. ℣. Ps. 44, 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Salve, sancta Parens.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quæsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 24, 14-16

Ab inítio, et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam, et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúja.

In Adventu, loco Versus præcedentis, dicitur:

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Allelúja.

A Feria II post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Do-

minicam in Palmis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Gaude, Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidisti. ℣. Dum virgo, Deum et hóminem genuísti: et post partum virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

Tempore Paschali usque ad Ascensionem omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in mulieribus. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 1, 28 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in mulieribus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter qui te portávit, et úbera quæ suxísti. At ille dixit: Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Credo.

Offertorium Luc. 1, 28 et 42 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in mulieribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Festivitáte.

Communio Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Missæ de sancta Maria

quæ, pro Temporum diversitate, dici debent cum Glória in excélsis, quando celebratur Officium de Canticis Canticorum, et cum Glória et Credo, si ut votivæ in Sabbato pro re gravi et publica simul causa solemniter celebrantur.

I

Per Adventum usque ad Nativitatem Domini.

Introitus Isai. 45, 8

Roráte, cæli, désuper, et nubes pluant Justum: aperiátur terra, et gérminet Salvatórem. ℣. Et justítia oriátur simul: Ego Dóminus creávi eum. ℣. Glória Patri. Roráte, cæli.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere

voluisti: præsta supplicibus tuis: ut, qui vere eam Genitricem Dei crédimus, ejus apud te intercessiónibus adjuvémur. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Orationes, ut infra. [57]-[58].

Léctio Isaiæ Prophétæ.
Isai. 7. 10-15

In diébus illis: Locútus est Dóminus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum a Dómino Deo tuo in profúndum inférni, sive in excélsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, et non tentábo Dóminum. Et dixit: Audite ergo, domus David: Numquid parum vobis est moléstos esse hominibus, quia molésti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dóminus ipse vobis signum. Ecce virgo concípiet et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel. Butýrum et mel cómedet, ut sciat reprobáre malum, et elígere bonum.

Graduale Ps. 23. 7 Tóllite portas, príncipes, vestras: et elevámini, portæ æternáles: et introíbit Rex glóriæ. ℣. Ibid., 3-4 Quis ascéndet in montem Dómini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens mánibus, et mundo corde.

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 7. 14 Ecce Virgo concípiet et páriet Fílium, Jesum Christum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.
Luc. 1. 26-38

In illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Virginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et, ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedicta tu in muliéribus. Quæ, cum audisset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David, patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem María ad Angelum: Quómodo fiet istud, quóniam virum non cognósco? Et respóndens Angelus, dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. Ideóque et quod nascétur ex te Sanctum, vocábitur Fílius Dei. Et ecce Elísabeth, cognáta tua, et ipsa concépit fílium in senectúte sua: et hic mensis sextus est illi, quæ vocátur stérilis: quia non erit impossíbile apud Deum omne verbum. Dixit autem María: Ecce ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

Offertorium Luc. 1, 28 et 42 Ave, María, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Secreta

In méntibus nostris, quæsumus, Dómine, veræ fidei sacraménta confírma: ut, qui concéptum de Vírgine Deum verum et hóminem confitémur: per ejus salutíferæ resurrectiónis poténtiam, ad ætérnam

mereámur pervenire lætitiam. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut infra, [58].

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Veneratióne.

Communio Is. 7, 14 Ecce virgo concípiet, et páriet filium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel.

Postcommunio

Grátiam tuam, quǽsumus, Dómine, méntibus nostris infúnde: ut qui, Angelo nuntiánte, Christi Filii tui incarnatiónem cognóvimus: per passiónem ejus et crucem, ad resurrectiónis glóriam perducámur. Per eúmdem Dñum.

Aliæ Postcommuniones, ut infra, [58].

II

A Nativitate Domini usque ad festum Purificationis beatæ Mariæ Virginis.

Introitus Ps. 44, 13 et 15-16

Vultum tuum deprecabúntur omnes dívites plebis: adducéntur Regi vírgines post eam: próximæ ejus adducéntur tibi in lætítia et exsultatióne. Ps. ibid., 2 Eructávit cor meum verbum bonum: dico ego ópera mea Regi. ℣. Glória Patri. Vultum tuum.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui salútis ætérnæ, beátæ Maríæ virginitáte fœcúnda, humáno géneri prǽmia præstitísti: tríbue, quǽsumus; ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus, per quam merúimus auctórem vitæ suscípere, Dóminum nostrum Jesum Christum, Filium tuum: Qui tecum.

Aliæ Orationes ut infra, [57]-[58].

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Titum. Tit. 3, 4-7

Caríssime: Appáruit benígnitas et humánitas Salvatóris nostri Dei: non ex opéribus justítiæ, quæ fécimus nos, sed secúndum suam misericórdiam salvos nos fecit, per lavácrum regeneratiónis et renovatiónis Spíritus Sancti, quem effúdit in nos abúnde per Jesum Christum, Salvatórem nostrum: ut, justificáti grátia ipsíus, herédes simus secúndum spem vitæ ætérnæ: in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 44, 3 et 5 Diffúsa est grátia in lábiis tuis: proptérea benedíxit te Deus in ætérnum. ℣. Propter veritátem, et mansuetúdinem, et justítiam: et dedúcet te mirabíliter déxtera tua.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Post partum, Virgo, invioláta permansísti: Dei Génitrix, intercéde pro nobis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Eccl. laus Gaude, María Virgo, cunctas hǽreses sola interemísti. ℣. Quae Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 15-20

In illo témpore: Pastóres loquebántur ad ínvicem: Transeámus usque Béthlehem, et videámus hoc

verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis. Et venérunt festinántes, et invenérunt Mariam, et Joseph, et Infántem pósitum in præsépio. Vidéntes autem cognovérunt de verbo, quod dictum erat illis de púero hoc. Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt: et de his, quæ dicta erant a pastóribus ad ipsos. María autem conservábat ómnia verba hæc, cónferens in corde suo. Et revérsi sunt pastóres glorificántes, et laudántes Deum in ómnibus, quæ audíerant, et víderant, sicut dictum est ad illos.

Offertorium Eccl. vox Felix namque es, sacra Virgo María, et omni laude digníssima: quia ex te ortus est sol justítiæ, Christus Deus noster.

Secreta

Munéribus nostris, quæsumus, Dómine, precibúsque suscéptis, et cæléstibus nos munda mystériis, et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cleménter exáudi. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Secretæ ut infra, [58].

Præfatio de Nativitate Domini.

Communio Eccl. vox Beáta víscera Maríæ Vírginis, quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, purget a crímine: et, intercedénte beáta Dei Genitríce María, cæléstis remédii fáciat esse consórtes. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut infra, [58].

III

A Purificatione beatæ Mariæ Virginis usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, et a Festo Ssmæ Trinitatis usque ad Adventum Domini.

Introitus Sedulius

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem: qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis: in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Glória Patri. Salve, sancta Parens.

Glória in excélsis.

Oratio

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus, perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére: et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, a præsénti liberári tristítia, et ætérna pérfrui lætítia. Per Dóminum.

Aliæ Orationes, ut infra, [57]-[58].

Léctio libri Sapiéntiæ
Eccli. 24, 14-16

Ab inítio, et ante sǽcula creáta sum, et usque ad futúrum sǽculum non désinam et in habitatióne sancta coram ipso ministrávi. Et sic in Sion firmáta sum, et in civitáte sanctificáta simíliter requiévi, et in Jerúsalem potéstas mea. Et radicávi in pópulo honorificáto, et in parte Dei mei heréditas illíus, et in plenitúdine Sanctórum deténtio mea.

Graduale Benedícta et venerábilis es, Virgo María: quæ sine tactu pudóris invénta es mater Salvatóris. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus

non capit orbis, in tua se clausit víscera factus homo.

Allelúja, allelúja. ℣. Num. 17, 8 Virga Jesse flóruit: Virgo Deum et hóminem génuit: pacem Deus réddidit, in se reconcílians ima summis. Allelúja.

A Septuagesima usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Eccl. laus Gaude, María Virgo, cunctas hǽreses sola interemísti. ℣. Quæ Gabriélis Archángeli dictis credidísti. ℣. Dum virgo Deum et hóminem genuísti: et post partum virgo invioláta permansísti. ℣. Dei Génitrix, intercéde pro nobis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 27-28

In illo témpore: Loquénte Jesu ad turbas, extóllens vocem quædam múlier de turba, dixit illi: Beátus venter, qui te portávit, et úbera, quæ suxísti. At ille dixit: Quinímo beáti, qui áudiunt verbum Dei, et custódiunt illud.

Offertorium Eccl. precatio ex Jer. 18, 20 Recordáre, Virgo Mater, dum stéteris in conspéctu Dei: ut loquáris pro nobis bonum: et, ut avertat indignatiónem suam ab hac família, tu propítia. Mater exímia, pelle vítia, fer remédia reis in via, dans in pátria vitæ gáudia, pro quibus dúlcia tu præcónia laudes cum grátia súscipe, pia Virgo María a nobis. Amen.

Secreta

Tua, Dómine, propitiatióne, et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne, ad perpétuam atque præséntem hæc oblátio nobis profíciat prosperitátem et pacem. Per Dóminum.

Aliæ Secretæ, ut infra, [58].

Præfatio de B. Mariæ Virg. Et te in Veneratióne.

Communio Eccl. laus Ave, Regina cælórum, Mater Regis Angelórum: o María, flos vírginum, velut rosa vel lílium: funde preces ad Fílium pro salúte fidélium.

Postcommunio

Sumptis, Dómine, salútis nostræ subsídiis: da, quǽsumus, beátæ Maríæ semper Vírginis patrocíniis nos ubíque prótegi; in cujus veneratióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

Aliæ Postcommuniones, ut infra, [58].

IV

Tempore Paschali

Introitus Sedulius

Salve, sancta Parens, eníxa puérpera Regem: qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum, allelúja. ℣. Virgo Dei Génitrix, quem totus non capit orbis: in tua se clausit víscera factus homo. ℣. Glória Patri. Salve, sancta Parens.

Glória in excélsis.

Oratio

Prosit nobis semper, quǽsumus, omnípotens Pater, et præcípue inter hæc paschália Fílii tui solémnia, continuáta Dei Genitrícis Maríæ memória: quæ, et ástitit vulneráta caritáte in cruce pendénti, et astat a dextris Regína in cælo regnánti. Per eúmdem Dóminum.

Aliæ Orationes, ut infra, [57]-[58].

Léctio Ezechiélis Prophétæ
Ezech. 44, 1-3

In diébus illis: Convértit me ad viam portæ sanctuárii exterióris, quæ respiciébat ad oriéntem: et erat clausa. Et dixit Dóminus ad me: Porta hæc clausa erit: et non aperiétur, et vir non tránsiet per eam, quóniam Dóminus Deus Israël ingréssus est per eam, eritque clausa Príncipi. Princeps ipse sedébit in ea: ut cómedat panem coram Dómino. Per viam vestíbuli portæ ingrediétur: et per viam ejus egrediétur.

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. ibid. 9 Surréxit Dóminus et occúrrens muliéribus, ait: Avéte. Tunc accessérunt, et tenuérunt pedes ejus, et adoravérunt eum. Allelúja.

In Feria autem VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6 Ascéndit Deus in jubilatióne, et Dóminus in voce tubæ. Allelúja, allelúja. ℣. Cantic. 6, 9 Quæ est ista tam formósa, pulchra ut luna, elécta ut sol, terríbilis ut castrórum ácies ordináta? Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deinde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Offertorium Matth. 28, 2 et 5-6 Angelus Dómini descéndit de cælo, et dixit muliéribus: Quem quǽritis, surréxit, sicut dixit vobis, allelúja.

Secreta

Propitiétur nobis, quǽsumus, Dómine, illíus Agni paschális oblátio acceptíssima: cum beátæ Dei Genitrícis Maríæ pia interventióne, quem ipsa génuit perpétua virginitáte: Qui tecum.

Aliæ Secretæ, ut infra [58].

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in Veneratióne.

Communio Eccl. precatio Beáta es, Virgo María, quæ Dóminum portásti Creatórem mundi: intercéde pro nobis, allelúja.

Postcommunio

Per hæc sacraménta paschália nos tibi, clementíssime Deus, beátæ semper Vírginis Maríæ orátio concíliet: quæ nobis Panem Angelórum et cæléstem alimóniam generávit, Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum.

Aliæ Postcommuniones, ut infra [58].

¶ Præcedentes Missæ de Sancta Maria dicuntur ut supra cum [illegible] commemorationibus occurrentibus, juxta rubricas, et fieri debet 2ª Commemoratio de Spiritu Sancto et 3ª contra persecutores Ecclesiæ vel pro Papa, ut sequitur:

Orationes

2ª de Spiritu Sancto

Oratio

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta

sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Vel 3ª pro Papa

Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Secretæ

2ª de Spiritu Sancto

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica: et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur et mente. Per Dóminum.

Vel 3ª pro Papa

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommuniones

2ª de Spiritu Sancto

Postcommunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio: et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem.

3ª contra persecutores Ecclesiæ

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

Vel 3ª pro Papa

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni Sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper et múniat. Per Dóminum.

¶ Quando Missa de Sancta Maria dici debeat infra Octavas ejusdem beatæ Mariæ Virginis, dicitur ut in Festo respectivo, servata norma præcedentis Rubricæ.

MISSÆ VOTIVÆ

1 Sequentes Missæ votivæ in duas classes dividuntur, ad primam pertinent Missæ, pro singulis Hebdomadæ diebus assignatæ, ad secundam pertinent Missæ votivæ ad diversa, quæ diem assignatum non habent.

2 Missæ votivæ primæ classis, loco conventualis de Feria communi, in Choro suffici possunt singulis per hebdomadam diebus, quando fit Officium de Feria (exceptis Feriis Adventus, Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum), et primo resumenda non sit Missa Dominicæ præcedentis impeditæ, neque dicenda Missa conventualis Defunctorum, juxta Rubricas; pro Missa conventuali dici potest una ex sequentibus Missis votivis, prout per hebdomadam disponuntur, et in eis fit Commemoratio Feriæ de qua factum est Officium, et additur Oratio pro diversitate Temporum assignata, juxta Rubricas.

3 Extra Missam conventualem, qualibet die non impedita juxta Rubricas, dici possunt Missæ votivæ, quæ pro singulis hebdomadæ diebus loco Missæ conventualis assignantur, ut infra. Item dici possunt Missæ votivæ de Conceptione immaculata, de Septem Doloribus B. Mariæ, de Planctu Virginis et de Pietate, necnon de omnibus Sanctis canonizatis, in Martyrologio Romano et in appendice Bracarensi descriptis, pro quibus Missa sumitur, sive propria, si habeatur, sive de Communi, mutatis mutandis, ut in Proprio Sanctorum assignatur. Quod si in Kalendario Bracarensi non inscribantur, omnia dicuntur de Communi ad libitum Sacerdotis.

4 Votivæ secundæ classis, quæ sunt Missæ votivæ ad diversa, dici possunt, ut infra, juxta diversitatem casuum, cauto tamen quod Missæ in die Creationis et Coronationis Summi Pontificis et in eorum dierum Anniversario, nec non in Anniversario Electionis et Consecrationis Domini Archiepiscopi, uti privatæ, celebrari nequeunt.

5 In Missis votivis, quæ pro re gravi et publica simul causa solemniter celebrantur, et in omnibus votivis privilegiatis in Rubrica generali de Symbolo recensitis, semper dicitur Credo; et dicitur etiam Glória in excélsis, dummodo colore violaceo non celebrentur.

6 In aliis Missis votivis numquam dicitur nec Glória nec Credo; excipiuntur: a) Missæ de Angelis, sive sint de aliquo sancto Angelo in particulari, sive de sanctis Angelis Custodibus, sive de sanctis Angelis generatim, quocumque die celebrentur; b) Missa de beata Maria Virgine, quando fit Officium de Canticis Canticorum; c) Missæ votivæ, quæ celebrantur de Sancto vel de aliquo Mysterio, infra Octavam quamvis simplicem eorum Festi, in quibus semper dicitur Glória in excélsis. Reliqua de Missis votivis, in Liturgia Bracarensi, sect. V de Rubricis Generalibus, notantur.

I
Missæ Votivæ
quæ loco conventualis de Feria communi in Choro suffici possunt

Feria II

Missa de Ssma Trinitate

Introitus Tob. 12, 6

Benedicta sit sancta Trínitas, atque indivisa únitas: confitébimur ei, quia fecit nobiscum misericórdiam suam. ℣. Eccl.

laus Benedicámus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu: laudémus et superexaltémus eum in sǽcula. ℣. Glória Patri. Benedícta sit.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, qui dedísti fámulis tuis in confessióne veræ fídei, ætérnæ Trinitátis glóriam agnóscere, et in poténtia majestátis adoráre Unitátem: quǽsumus; ut ejúsdem fídei firmitáte, ab ómnibus semper muniámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios 2 Cor. 13, 11-13

Fratres: In Dómino gaudéte: perfécti estóte, exhortámini, idem sápite, pacem habéte: et Deus pacis et dilectiónis erit vobíscum. Salutáte ínvicem in ósculo sancto. Salútant vos omnes sancti. Grátia Dómini nostri Jesu Christi, et cáritas Dei, et communicátio Sancti Spíritus sit cum ómnibus vobis. Amen, in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Dan. 3, 55-56 Benedíctus es, Dómine, qui intuéris abýssos, et sedes super Chérubim. ℣. Tob. 12, 6 Benedícite Deum cæli: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Allelúja, allelúja. ℣. Symb. Athan. Qualis Pater, talis Fílius, talis Spíritus Sanctus. Allelúja.

In Feriis II post Dominicas Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Eccl. vox O adoránda Trínitas, o veneránda Unitas, o perfécta Déitas, o cláritas lúminis. ℣. Dan. 3, 52, 56 Benedíctus es, Dómine Deus patrum nostrórum, et laudábilis in sǽcula. ℣. Benedíctus es, Dómine, in firmaménto cæli et laudábilis in sǽcula.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja ℣. Tob. 12, 6 Benedícite Deum cæli: quia fecit nobíscum misericórdiam suam. Allelúja, allelúja. ℣. Symb. Athan. Qualis Pater, talis Fílius, talis Spíritus Sanctus. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 26-27 et 16, 1-4

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Cum vénerit Paráclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spíritum veritátis, qui a Patre procédit, ille testimónium perhibébit de me: et vos testimónium perhibébitis, quia ab inítio mecum estis. Hæc locútus sum vobis, ut non scandalizémini. Absque synagógis fácient vos: sed venit hora, ut omnis, qui intérficit vos, arbitrétur obséquium se præstáre Deo. Et hæc fácient vobis, quia non novérunt Patrem, neque me. Sed hæc locútus sum vobis, ut, cum vénerit hora eórum, reminiscámini, quia ego dixi vobis.

Offertorium Eccl. vox Benedíctus sit Deus Pater, unigenitúsque Dei Fílius, Sanctus quoque Spíritus: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Secreta

Sanctífica, quǽsumus, Dómine Deus noster, per tui sancti nóminis invocatiónem, hujus oblatiónis hóstiam: et per eam nosmetípsos

tibi pérfice munus ætérnum. Per Dóminum.

Præfatio de Ssma Trinitate.

Communio Tob. 12, 6 Benedícimus Deum cæli, et coram ómnibus vivéntibus confitébimur ei: quia fecit nobíscum misericórdiam suam.

Postcommunio

Profíciat nobis ad salútem córporis et ánimæ, Dómine Deus noster, hujus sacraménti suscéptio: et sempitérnæ sanctæ Trinitátis, ejusdémque indivíduæ unitátis conféssio. Per Dóminum.

Feria III

Missa de Angelis

Introitus Ps. 102, 20

Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus, ad audiéndam vocem sermónum ejus. Ps. ibid., 1 Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia quæ intra me sunt, nómini sancto ejus. ℣. Glória Patri. Benedícite.

Glória in excélsis.

Oratio

Deus, qui miro órdine Angelórum ministéria hominúmque dispénsas: concéde propítius: ut, a quibus tibi ministrántibus in cælo semper assístitur, ab his in terra vita nostra muniátur. Per Dóminum.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 19, 9-10

In diébus illis: Dixit mihi Angelus: Scribe: Beáti qui ad cœnam nuptiárum Agni vocáti sunt. Et dixit mihi: Hæc verba Dei vera sunt. Et cécidi ante pedes ejus, ut adorárem eum. Et dixit mihi: Vide ne féceris: consérvus tuus sum, et fratrum tuórum, habéntium testimónium Jesu. Deum adóra.

Graduale Ps. 102, 20 et 1 Benedícite Dóminum, omnes Angeli ejus: poténtes virtúte, qui fácitis verbum ejus. ℣. Bénedic, ánima mea, Dómino: et ómnia interióra mea nomen sanctum ejus.

Allelúja. ℣. Eccl. precatio Sancte Míchaël Archángele, defénde nos in prælio: ut non pereámus in treméndo judício. Allelúja.

In Feriis III post Dominicas Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus ℣. Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi, Dómine: et adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. ℣. Apoc. 8, 1, 3 et 4 Factum est siléntium in cælo: et accépit Angelus thuríbulum, et implévit illud de igne altáris. ℣. Et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi: adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 5, 1-4

In illo tèmpore: Ascéndit Jesus Jerosólymam. Est autem Jerosólymis in Probática, piscína, quæ cognominátur hebráice Bethsáida, quinque pórticus habens. In his jacébat multitúdo magna languéntium, cæcórum, claudórum, aridórum, expectántium aquæ motum. Angelus autem Dómini secúndum tempus descendébat in piscínam: et movebátur aqua. Et qui prior descendísset in piscínam post motiónem aquæ, sanus fiébat a quacúmque detinebátur infirmitáte.

Offertorium Apoc. 8, 3 et 4 Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuríbulum áureum in manu sua: et data sunt ei incénsa multa: et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dei, allelúja, allelúja.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, laudis offérimus, supplíciter deprecántes: ut eásdem, angélico pro nobis interveniénte suffrágio, et placátus accípias, et ad salútem nostram proveníre concédas. Per Dóminum.

Communio Dan. 3, 58 Benedícite, Angeli Dómini, Dómino: hymnum dícite, et superexaltáte eum in sǽcula.

Postcommunio

Repléti, Dómine, benedictióne cæléstí, supplíciter implorámus: ut, quod frágili celebrámus officio, sanctórum Angelórum atque Archangelórum nobis prodésse sentiámus auxílio. Per Dóminum.

Item Feria III

Missa de S. Raphaële Archangelo

Omnia ut supra in Missa Benedicite Dóminum, [61], præter sequentia:

Oratio

Deus, qui beátum Raphaélem Archángelum Tobíæ, fámulo tuo, properántem prǽvium direxísti, et inter hujus viæ ac vitæ varietátes atque discrímina donásti custódem: da quǽsumus; ut ejúsdem protegámur auxílio, quátenus et vitæ præséntis vitémus perícula, et ad gáudia valeámus perveníre cæléstia. Per Dóminum.

Léctio libri Tobíæ

Tob. 12, 7-20

Dixit Angelus Raphaël ad Tobíam: Sacraméntum regis abscóndere bonum est: ópera autem Dei reveláre et confitéri, honorifícum est. Bona est orátio cum jejúnio et eleemósyna, magis quam thesáuros auri recóndere: quóniam eleemósyna a morte líberat, et ipsa est quæ purgat peccáta, et facit inveníre misericórdiam et vitam ætérnam. Qui autem fáciunt peccátum, et iniquitátem, hostes sunt ánimæ suæ. Manifésto ergo vobis veritátem, et non abscóndam a vobis occúltum sermónem. Quando orábas cum lácrimis, et sepeliébas mórtuos, et derelinquébas prándium tuum, et mórtuos abscondébas per diem in domo tua, et nocte sepeliébas eos, ego óbtuli oratiónem

tuam Dómino. Et, quia accéptus eras Deo, necésse fuit ut tentátio probáret te. Et nunc misit me Dóminus ut curárem te, et Saram, uxórem filii tui, a dæmónio liberárem. Ego enim sum Ráphaël Angelus, unus ex septem qui astámus ante Dóminum. Cumque hoc audíssent, turbáti sunt, et treméntes cecidérunt super terram in fáciem suam. Dixítque eis Angelus: Pax vobis: nolíte timére. Etenim cum essem vobíscum, per voluntátem Dei eram: ipsum benedícite, et cantáte illi. Vidébar quidem vobíscum manducáre et bíbere: sed ego cibo invisíbili et potu, qui ab homínibus vidéri non potest, utor. Tempus est ergo, ut revértar ad eum qui me misit: vos autem benedícite Deum, et narráte ómnia mirabília ejus: ipsum benedícite et cantáte illi.

Secreta

Mitte, Deus, Archángelum tuum Raphaélem cum medicámine opíficem, qui sanitátem mentis repórtet et córporis, misericordiǽque cæléstis donum infúndat, et quæ in nobis sunt advérsa depónat: ut, qui nostra iniquitáte tabéscimus, de tua, quam non merémur, pietáte nos lætári concédas. Per Dóminum.

Postcommunio

Dirígere dignáre, Dómine Deus, in adjutórium nostrum Raphaélem Archángelum: et, quem tuæ majestáti semper assístere crédimus, tibi nostras exíguas preces benedicéndas assígnet. Per Dóminum.

Item Feria III

Missa
de S. Angelo Custode

Introitus — Ps. 90, 11-12

Angelis suis Deus mandávit de te, ut custódiant te in ómnibus viis tuis: in mánibus portábunt te, ne forte offéndas ad lápidem pedem tuum. ℣. Ps. ibid. 1 Qui hábitat in adjutório Altíssimi: in protectióne Dei cæli commorábitur. ℣. Glória Patri. Angelis suis.

Glória in excélsis.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui angélicam custódiam hómini et hóminum regnis, provínciis, et civitátibus contulísti: concéde propítius; ut nostri regni ac civitátis præsul et custos, Angelus tuus sanctus ipsum totum regnum ac cives ab instántibus perículis córporis et ánimæ et ab ómnibus adversitátibus prótegat et defféndat. Per Dóminum.

Léctio libri Regum.
4 Reg. 19, 32-36

In diébus illis: Misit Isaías, fílius Amos, ad Ezechíam, dicens: Hæc dicit Dóminus de rege Assyriórum: Non ingrediétur urbem hanc, neque mittet in eam sagíttam, neque occupábit eam clýpeus, nec circúmdabit eam munítio. Per viam, qua venit, revertétur: et civitátem hanc non ingrediétur, dicit Dóminus. Protegámque urbem hanc, et salvábo eam propter me, et propter David servum meum. Factum est ígitur in nocte illa, venit Angelus Dómini, et

percússit in castris Assyriórum centum octoginta quinque millia. Cumque dilúculo surrexisset Sennácherib, vidit ómnia córpora mortuórum: et recédens ábiit.

Graduale Ps. 33, 8 Immíttet Angelum suum Dóminus in circúitu timéntium eum et erípiet eos. ℣. Ps. ibid. 18 Clamavérunt justi: et Dóminus exaudívit eos, et de ómnibus tribulatiónibus eórum liberávit eos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 96, 7 et 10 Adoráte Dóminum, omnes Angeli ejus: quóniam custódiet Dóminus ánimas servórum suórum: et de manu peccatóris liberábit eos. Allelúja.

In Feriis III post Dominicas Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus ℣. Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi, Dómine: et adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. ℣. Apoc. 8, 1, 5 et 4 Factum est siléntium in cælo: et accépit Angelus thuríbulum, et implévit illud de igne altáris. ℣. Et ascéndit fumus arómatum in conspéctu Dómini de manu Angeli.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 137, 1-2 In conspéctu Angelórum psallam tibi: adorábo ad templum sanctum tuum, et confitébor nómini tuo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 2, 19-23

In illo témpore: Defúncto Heróde, ecce Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph in Ægýpto, dicens: Surge, et áccipe Púerum, et matrem ejus, et vade in terram Israël: defúncti sunt enim, qui quærébant ánimam Púeri. Qui consúrgens, accépit Púerum, et matrem ejus, et venit in terram Israël. Audiens autem, quod Archeláus regnáret in Judǽa pro Heróde patre suo, tímuit illo ire: et, admónitus in somnis, secéssit in partes Galilǽæ. Et véniens habitávit in civitáte, quæ vocátur Názareth: ut adimplerétur quod dictum est per Prophétas: Quóniam Nazarǽus vocábitur.

Offertorium Ps. 28 1-2 Afférte Dómino, omnes Angeli ejus, afférte Dómino glóriam et honórem, adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Secreta

Súscipe, Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus, hæc múnera, quæ tibi supplicántes offérimus: ut, Angelo nostro suffragánte Custóde, a cunctis muniámur advérsis. Per Dóminum.

Communio Ps. 77, 24-25 Pluit Dóminus de cælo manna ad manducándum: panem cæli dedit eis, panem Angelórum manducávit homo, allelúja.

Postcommunio

Profíciant nobis, Dómine, ad salútem córporis et ánimæ sacraménta quæ súmpsimus: ut, angélica

opitulánte custódia, a cunctis periculis liberáti, cæléstium donórum mereámur esse partícipes. Per Dñum.

Feria IV

Missa de S. Joseph

Introitus Ps. 32, 20-21

Adjútor, et protéctor noster est Dóminus: in eo lætábitur cor nostrum, et in nómine sancto ejus sperávimus. ℣. Ps. 79, 2 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. ℣. Glória Patri. Adjútor.

Oratio

Deus, qui ineffábili providéntia beátum Joseph sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsum elígere dignátus es: præsta, quǽsumus; ut, quem protectórem venerámur in terris, intercessórem habére mereámur in cælis: Qui vivis.

¶ Si dicenda sit Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, in Oratione et Postcommunione omittantur verba beáto Joseph.

Léctio libri Génesis.

Gen. 49, 22-26

Fílius accréscens Joseph, fílius accréscens, et decórus aspéctu: fíliæ discurrérunt super murum. Sed exasperavérunt eum, et jurgáti sunt, invidérúntque illi habéntes jácula. Sedit in forti arcus ejus, et dissolúta sunt víncula brachiórum, et mánuum illíus per manus poténtis Jacob: inde pastor egréssus est, lapis Israël. Deus patris tui erit adjútor tuus, et Omnípotens benedícet tibi benedictiónibus cæli désuper, benedictiónibus abýssi jacéntis deórsum, benedictiónibus úberum et vulvæ. Benedictiónes patris tui confortátæ sunt benedictiónibus patrum ejus, donec veníret Desidérium cóllium æternórum: fiant in cápite Joseph, et in vértice Nazarǽi inter fratres suos.

Graduale Ps. 20, 4-5 Dómine, prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso. ℣. Vitam pétiit a te, et tribuísti ei longitúdinem diérum in sǽculum sǽculi.

Allelúja, allelúja. ℣. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

In Feriis IV post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. De quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero protéctor eórum semper. Allelúja, allelúja. ℣. Fac nos innócuam, Joseph, decúrrere vitam: sitque tuo semper tuta patrocínio. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 3, 21-23

In illo témpore: Factum est autem cum baptizarétur omnis pópulus, et, Jesu baptizáto et oránte, apértum

est cælum: et descéndit Spíritus Sanctus corpórali spécie sicut co- lúmba in ipsum: et vox de cælo facta est: Tu es Fílius meus dilé- ctus, in te complácui mihi. Et ipse Jesus erat incípiens quasi annórum trigínta, ut putabátur, fílius Joseph.

Offertorium Ps. 147, 12 et 13 Lauda, Jerúsalem, Dóminum: quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fíliis tuis in te.

Secreta

Sanctíssimæ Genitrícis tuæ Sponsi patrocínio suffúlti, rogámus, Dómine, cleméntiam tuam: ut corda nostra fácias terréna cuncta despícere, ac te verum Deum perfécta caritáte dilígere: Qui vivis.

Præfatio de S. Joseph.

Communio Matth. 1, 16 Jacob autem génuit Joseph, virum Maríæ, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

Postcommunio

Divíni múneris fonte reflécti, quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, sicut nos facis beáti Joseph protectióne gaudére; ita, ejus méritis et intercessióne, cæléstis glóriæ fácias esse partícipes. Per Dóminum.

Item Feria IV

Missa
de Ss. Petro et Paulo App.

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Deus, cujus déxtera beátum Petrum ambulántem in flúctibus, ne mergerétur, eréxit, et coapóstolum ejus Paulum, tértio naufragántem, de profúndo pélagi liberávit: exáudi nos propítius, et concéde; ut, ambórum méritis, æternitátis glóriam consequámur: Qui vivis.

¶ Si dicenda sit Oratio ad poscenda suffragia Sanctorum, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 5, 12-16

In diébus illis: Per manus Apostolórum fiébant signa, et prodígia multa in plebe. Et erant unanímiter omnes in pórticu Salomónis. Ceterórum autem nemo audébat se conjúngere illis: sed magnificábat eos pópulus. Magis autem augebátur credéntium in Dómino multitúdo virórum, ac mulíerum, ita ut in platéas ejícerent infírmos, et pónerent in léctulis ac grabátis, ut, veniénte Petro, saltem umbra illíus obumbráret quemquam illórum, et liberaréntur ab infirmitátibus suis. Concurrébat autem et multitúdo vicinárum civitátum Jerúsalem, afferéntes ægros, et vexátos a spirítibus immúndis: qui curabántur omnes.

Graduale Ps. 44, 17 et 18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 138, 17 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. Allelúja.

In Feriis IV post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 19, 27-29

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cum séderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Et omnis, qui relíquerit domum, vel fratres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxórem, aut fílios, aut agros, propter nomen meum, céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit.

Offertorium Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Offérimus tibi, Dómine, preces et múnera: quæ, ut suo sint digna conspéctu, Apostolórum tuórum Petri et Pauli précibus adjuvémur. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 Vos, qui secúti estis me, sedébitis super sedes, judicántes duódecim tribus Israël.

Postcommunio

Prótege, Dómine, pópulum tuum: et Apostolórum tuórum Petri et Pauli patrocínio confidéntem, perpétua defensióne consérva. Per Dóminum.

¶ Tempore Paschali dicitur Missa, ut in Festo S. Marci, diei 25 Aprilis, præter Orationes, Epistolam et Evangelium, quæ dicuntur ut supra.

Similiter Feria IV

Missa de Ss. Apostolis et Evangelistis

Extra Tempus Paschale

I

Missa de uno S. Apostolo

Introitus Ps. 138, 17

Mihi autem nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Ps. ibid., 1-2 Dómine, probásti me, et cognovísti me: tu cognovísti sessiónem meam, et resurrectiónem meam. ℣. Glória Patri. Mihi autem.

Oratio

Majestátem tuam, Dómine, supplíciter exorámus: ut, sicut Ecclésiæ tuæ beátus N. Apóstolus éxstitit prædicátor et rector; ita apud te sit pro nobis perpétuus intercéssor. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios. Ephes. 2, 19-22

Fratres: Jam non estis hóspites, et ádvenæ: sed estis cives Sanctórum, et doméstici Dei: superæ-

dificáti super fundaméntum Apostolórum et Prophetárum, ipso summo angulári lápide Christo Jesu: in quo omnis ædificátio constrúcta crescit in templum sanctum in Dómino: in quo et vos coædificámini in habitáculum Dei in Spíritu Sancto.

Graduale Ps. 44, 17 et 18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine. ℣. Pro pátribus tuis nati sunt tibi fílii: proptérea pópuli confitebúntur tibi.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 19 et 16 Ego vos elégi de mundo, dicit Dóminus: ut eátis et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Allelúja.

In Feriis IV post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 15, 12-16

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Hoc est præcéptum meum, ut diligátis ínvicem, sicut diléxi vos. Majórem hac dilectiónem nemo habet, ut ánimam suam ponat quis pro amícis suis. Vos amíci mei estis, si fecéritis quæ ego præcípio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit quid fáciat dóminus ejus. Vos autem dixi amícos: quia ómnia quæcúmque audívi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegístis: sed ego elégi vos, et pósui vos, ut eátis, et fructum afferátis: et fructus vester máneat: ut quodcúmque petiéritis Patrem in nómine meo, det vobis.

Offertorium. Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Sacrifícium nostrum tibi, Dómine, quǽsumus, beáti N. Apóstoli precátio sancta concíliet: ut, in cujus honóre solémniter exhibétur, ejus méritis efficiátur accéptum. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28 Vos, qui secúti estis me, in regeneratióne cum séderit Fílius hóminis, sedébitis et vos super duódecim sedes, judicántes Israël.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, divína mystéria, beáti N. memória lætántes: quæ, sicut tuis Sanctis ad glóriam, ita nobis, quǽsumus, ad véniam prodésse perfícias. Per Dóminum.

II

Missa de omnibus Ss. Apostolis

Introitus Neh. vel 2 Esdr. 9, 27 Clamavérunt ad te, Dómine, in témpore afflictiónis suæ: et tu de cælo exaudísti eos. ℣. Ps. 32, 1 Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio. ℣. Glória Patri. Clamavérunt.

Oratio

Deus, qui nos per beátos Apóstolos tuos ad agnitiónem tui nóminis veníre tribuísti: da nobis; eórum glóriam sempitérnam et proficiéndo celebráre, et celebrándo profícere. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 8, 28-39

Fratres: Scimus quóniam diligéntibus Deum ómnia cooperántur in bonum, iis qui secúndum propósitum vocáti sunt sancti. Nam quos præscívit, et prædestinávit confórmes fíeri imáginis Fílii sui, ut sit ipse primogénitus in multis frátribus. Quos autem prædestinávit, hos et vocávit: et quos vocávit, hos et justificávit: quos autem justificávit, ipsos et magnificávit. Quid ergo dicémus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui étiam próprio Fílio suo non pepércit, sed pro nobis ómnibus trádidit illum: quómodo non étiam cum illo ómnia nobis donávit? Quis accusábit advérsus eléctos Dei? Deus qui justíficat. Quis est qui condémnet? Christus Jesus, qui mórtuus est, immo qui et resurréxit, qui est ad déxteram Dei, qui étiam interpéllat pro nobis. Quis ergo separábit nos a caritáte Christi? Tribulátio? an angústia? an fames? an núditas? an perículum? an persecútio? an gládius? Sicut scriptum est: Quia propter te mortificámur tota die: æstimáti sumus sicut oves occisiónis. Sed in his ómnibus superámus, propter eum qui diléxit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque ángeli, neque principátus, neque virtútes, neque instántia, neque futúra, neque fortitúdo, neque altitúdo, neque profúndum, neque creatúra áliqua póterit nos separáre a caritáte Dei, quæ est in Christo Jesu, Dómino nostro.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 22, 28 et 27 Vos estis, qui permansístis mecum in tentatiónibus meis: ego autem in médio vestrum sum, sicut qui minístrat. Allelúja.

In Feriis IV post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant, et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum. Matth. 10, 5-15

In illo témpore: Misit Jesus duódecim discípulos suos, præcípiens eis, et dicens: In viam géntium ne abiéritis, et in civitátes Samaritanórum ne intravéritis: sed pótius ite ad oves quæ periérunt domus Israël. Eúntes autem prædicáte, dicéntes: Quia appropinquávit regnum cælórum. Infírmos curáte, mórtuos suscitáte, leprósos mundáte, dæmones ejícite: gratis accépite, gratis date. Nolíte possidére aurum, neque

argéntum, neque pecúniam in zonis vestris: non peram in via, neque duas túnicas, neque calceaménta, neque virgam: dignus est enim operárius cibo suo. In quamcúmque autem civitátem aut castéllum intravéritis, interrogáte, quis in ea dignus sit: et ibi manéte, donec exeátis. Intrántes autem in domum, salutáte eam, dicéntes: Pax huic dómui. Et, si quidem fuérit domus illa digna, véniet pax vestra super eam: si autem non fúerit digna, pax vestra ad vos revertétur. Et quicúmque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros: exeúntes foras de domo vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabílius erit terræ Sodomórum et Gomorrhæórum in die judícii, quam illi civitáti.

Offertorium Ps. 44, 17-18 Constítues eos príncipes super omnem terram: mémores erunt nóminis tui, Dómine, in omni progénie et generatióne.

Secreta

Glóriam, Dómine, sanctórum Apostolórum tuórum perpétuam venerántes: quǽsumus; ut eam, sacris mystériis expiáti, dígnius celebrémus. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 19, 28-29 Amen dico vobis, quod vos, qui reliquístis ómnia et sécuti estis me, céntuplum accipiétis et vitam ætérnam possidébitis.

Postcommunio

Percéptis, Dómine, sacraméntis, supplíciter exorámus: ut, intercedéntibus beátis Apóstolis tuis, quæ pro illórum veneránda gérimus passióne, nobis profíciant ad medélam. Per Dóminum.

III
Missa de Ss. Evangelistis.

Introitus — Eccli. 15, 5

In médio Ecclésiæ apéruit os ejus, et implévit eum Dóminus spíritu sapiéntiæ et intelléctus: stolam glóriæ índuit eum. ℣. Ps. 91, 2 Bonum est confitéri Dómino: et psállere nómini tuo, Altíssime. ℣. Glória Patri. In médio Ecclésiæ.

Oratio

Deus, qui beátos Evangelístas tuos evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti: tríbue, quǽsumus, eórum nos semper et eruditióne profícere, et oratióne deféndi. Per Dóminum.

Léctio Ezechiélis Prophétæ.
Ezech. 1, 10-14

Similitúdo vultus quátuor animálium: fácies hóminis, et fácies leónis a dextris ipsórum quátuor: fácies autem bovis, a sinístris ipsórum quátuor, et fácies áquilæ désuper ipsórum quátuor. Fácies eórum, et pennæ eórum exténtæ désuper: duæ pennæ singulórum jungebántur, et duæ tegébant córpora eórum: et unumquódque eórum coram fácie sua ambulábat. Ubi erat ímpetus spíritus, illuc gradiebántur: neque revertebántur cum ambulárent. Et similitúdo animálium, et aspéctus eórum, quasi carbónum ignis arden-

tium, et quasi aspéctus lampadárum. Haec erat vísio discúrrens in médio animálium: splendor ignis, et de igne fulgur egrédiens. Et animália ibant, et revertebántur in similitúdinem fúlguris coruscántis.

Graduale Ps. 138, 17-18 Nimis honoráti sunt amíci tui, Deus: nimis confortátus est principátus eórum. ℣. Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur.

Allelúja, allelúja. ℣. Isai. 41, 27 Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt, et Jerúsalem evangelístam dabo. Allelúja.

In Feriis IV post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 20, 3-4 Desidérium ánimæ ejus tribuísti ei: et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum. ℣. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis. ℣. Posuísti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 10, 1-9

In illo témpore: Designávit Jesus et álios septuagínta duos discípulos: et misit illos binos ante fáciem suam in omnem civitátem et locum, quo erat ipse ventúrus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolíte ergo portáre sácculum, neque peram, neque calceaménta: et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: et, si ibi fúerit fílius pacis, requiéscet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes quæ apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolíte transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitátem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quæ apponúntur vobis: et curáte infírmos qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

Offertorium Ps. 18, 5 In omnem terram exívit sonus eórum: et in fines orbis terræ verba eórum.

Secreta

Beatórum Evangelistárum veneratióne tibi múnera deferéntes: quǽsumus, Dómine; ut, sicut illos prædicátio evangélica fecit gloriósos, ita nos eórum intercessióne et verbo et ópere tibi reddat accéptos. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 25, 40 et 34 Amen dico vobis, quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis: veníte, benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum.

Postcommunio

Tribuant nobis, quǽsumus, Dómine, contínuum tua sancta præsídium: quo, beatórum Evangelistárum tuórum précibus, nos ab ómnibus semper tueántur advérsis. Per Dóminum.

Tempore Paschali

I

Missa de uno S. Apostolo

Omnia dicuntur ut supra, in Missa Mihi autem nimis, [67], præter sequentia:

Introitus Ps. 63, 3

Protexísti me, Deus, a convéntu malignántium, allelúja: a multitúdine operántium iniquitátem, allelúja, allelúja. Ps. ibid., 2 Exáudi, Deus, oratiónem meam cum déprecor: a timóre inimíci éripe ánimam meam. ℣. Glória Patri. Protexísti.

Post Epistolam, dicitur:

Allelúja ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 15, 16 Ego vos elégi de mundo, dicit Dóminus, ut eátis, et fructum afferátis, et fructus vester máneat. Allelúja.

Post Offertorium et Communio, additur duplex Allelúja.

II

Missa de omnibus Ss. Apostolis

Dicitur Missa Clamavérunt, ut supra, [68]; sed ad Introitum additur triplex Allelúja, et post Epistolam dicitur:

Allelúja ℣. Sap. 5, 1 Stabunt justi in magna constántia advérsus eos qui se angustiavérunt. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia Sanctórum. Allelúja.

Post Offertorium et Communio, additur duplex Allelúja.

III

Missa de Ss. Evangelistis

Missa In médio Ecclésiæ, ut supra, [70]; sed Introitus Protexísti, ut supra in Missa de uno Apostolo, et, post Epistolam, dicitur:

Allelúja. ℣. Isai. 41, 27 Primus ad Sion dicet: Ecce, adsunt, et Jerúsalem evangelístam dabo. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 88, 6 Confitebúntur cæli mirabília tua, Dómine: étenim veritátem tuam in ecclésia Sanctórum. Allelúja.

Post Offertorium et Communio, additur duplex Allelúja.

¶ Similiter Feria IV dici potest Missa conventualis de Patrono principali Oppidi vel Civitatis, Archidiœcesis, Provinciæ et totius Lusitaniæ, vel etiam de Titulari Ecclesiæ propriæ, et de Titulo vel Sancto Fundatore Ordinis seu Congregationis.

Feria V

Missa de Spiritu Sancto

Introitus Sap. 1, 7

Spíritus Dómini replévit orbem terrárum: et hoc, quod cóntinet ómnia, sciéntiam habet vocis. ℣. Ps. 67, 2 Exsúrgat Deus, et dissipéntur inimíci ejus: et fúgiant, qui odérunt eum, a fácie ejus. ℣. Glória Patri. Spíritus Dómini.

¶ In Feriis autem V post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ dicitur:

Introitus Ezech. 36, 23-26

Cum sanctificátus fúero in vobis, congregábo vos de univérsis terris, et effúndam super vos aquam mundam, et mundabímini ab ómnibus inquinaméntis

vestris: et dabo vobis spíritum novum. ℣. Ps. 33, 2 Benedícam Dóminum in omni témpore: semper laus ejus in ore meo. ℣. Glória Patri. Cum sanctificátus fúero.

Oratio

Deus, qui corda fidélium Sancti Spíritus illustratióne docuísti: da nobis in eódem Spíritu recta sápere; et de ejus semper consolatióne gaudére. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Léctio Actuum Apostolórum.
Act. 8, 14-17

In diébus illis: Cum audíssent Apóstoli, qui erant Jerosólymis, quod recepísset Samaría verbum Dei, misérunt ad eos Petrum et Joánnem. Qui cum veníssent, oravérunt pro ipsis ut accíperent Spíritum Sanctum. Nondum enim in quemquam illórum vénerat, sed baptizáti tantum erant in nómine Dómini Jesu. Tunc imponébant manus super illos et accipiébant Spíritum Sanctum.

Graduale Ps. 32, 12 Beáta gens, cujus est Dóminus Deus eórum: pópulus, quem elégit Dóminus in hereditátem sibi. ℣. Ibid., 6 Verbo Dómini cæli firmáti sunt: et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum.

Allelúja, allelúja. ℣. (Hic genuflectitur). Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde. Allelúja.

In Feriis V post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: et collaudáte eum, omnes pópuli. ℣. Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: et véritas Dómini manet in ætérnum. ℣. (Hic genuflectitur). Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 32, 6 Verbo Dómini cæli firmáti sunt: et Spíritu oris ejus omnis virtus eórum. Allelúja, allelúja. ℣. (Hic genuflectitur). Veni, Sancte Spíritus, reple tuórum corda fidélium: et tui amóris in eis ignem accénde. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 14, 23-31

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si quis díligit me, sermónem meum servábit, et Pater meus díliget eum, et ad eum veniémus, et mansiónem apud eum faciémus: qui non díligit me, sermónes meos non servat. Et sermónem quem audístis, non est meus: sed ejus, qui misit me, Patris. Hæc locútus sum vobis, apud vos manens. Paráclitus autem Spíritus Sanctus, quem mittet Pater in nómine meo, ille vos docébit ómnia, et súggeret vobis ómnia, quæcúmque díxero vobis. Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis: non quómodo mundus dat, ego do vobis. Non turbétur cor vestrum, neque formídet. Audístis quia ego dixi vobis: Vado, et vénio ad vos. Si diligerétis me, gauderétis útique, quia vado ad Patrem: quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priúsquam fiat: ut, cum

factum fúerit, credátis. Jam non multa loquar vobíscum. Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognóscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandátum dedit mihi Pater, sic fácio.

Offertorium Ps. 67, 29-30 Confírma hoc, Deus, quod operátus es in nobis: a templo tuo, quod est in Jerúsalem, tibi ófferent reges múnera, allelúja.

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, obláta sanctífica: et corda nostra Sancti Spíritus illustratióne emúnda. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Præfatio de Spiritu Sancto.

Communio Act. 2, 2 et 4 Factus est repénte de cælo sonus tamquam adveniéntis spíritus veheméntis, ubi erant sedéntes: et repléti sunt omnes Spíritu Sancto, loquéntes magnália Dei, allelúja, allelúja.

Postcommunio

Sancti Spíritus, Dómine, corda nostra mundet infúsio: et sui roris íntima aspersióne fœcúndet. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Item Feria V
Missa ad postulandam gratiam Spiritus Sancti

Missa, juxta diversitatem Temporum, Spiritus Dómini vel Cum santificátus fúero, ut supra [72], præter Orationes sequentes.

Oratio

Deus, cui omne cor patet et omnis volúntas lóquitur, et quem nullum latet secrétum: purífica per infusiónem Sancti Spíritus cogitatiónes cordis nostri; ut te perfécte dilígere et digne laudáre mereámur. Per Dóminum... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Secreta

Hæc oblátio, Dómine, quǽsumus, cordis nostri máculas emúndet: ut Sancti Spíritus digna efficiátur habitátio. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Postcommunio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus, Sanctum nos Spíritum votis promeréri sédulis: quátenus ejus grátia et ab ómnibus liberémur tentatiónibus, et peccatórum nostrórum indulgéntiam mereámur accípere. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Item Feria V
Missa de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento

Introitus Ps. 80, 17

Cibávit eos ex ádipe fruménti: et de petra, melle saturávit eos. Ps. ibid., 2 Exsultáte Deo adjutóri nostro: jubiláte Deo Jacob. ℣. Glória Patri. Cibávit.

Oratio

Deus, qui nobis sub Sacraménto mirábili passiónis tuæ memóriam reliquísti: tríbue, quǽsumus, ita nos córporis et sánguinis tui sacra mystéria venerári; ut redemptiónis tuæ fructum in nobis júgiter sentiámus: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 11, 23-29

Fratres: Ego enim accépi a Dómino quod et trádidi vobis, quóniam Dóminus Jesus in qua nocte tradebátur, accépit panem, et grátias agens fregit, et dixit: Accípite, et manducáte: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradétur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic calix novum testaméntum est in meo Sánguine. Hoc fácite, quotiescúmque bibétis, in meam commemoratiónem. Quotiescúmque enim manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat. Itaque quicúmque manducáverit panem hunc, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini. Probet autem seípsum homo: et sic de pane illo edat, et de cálice bibat. Qui enim mandúcat, et bibit indígne, judícium sibi mandúcat, et bibit: non dijúdicans corpus Dómini.

Graduale Ps. 144, 15-16 Oculi ómnium in te sperant, Dómine: et tu das illis escam in témpore opportúno. ℣. Aperis tu manum tuam: et imples omne ánimal benedictióne.

Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 6, 56-57 Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo. Allelúja.

In Feriis V post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Malach. 1, 11 Ab ortu solis usque ad occásum, magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Et in omni loco sacrificátur, et offértur nómini meo oblátio munda: quia magnum est nomen meum in géntibus. ℣. Prov. 9, 5 Veníte, comédite panem meum: et bíbite vinum, quod míscui vobis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Luc. 24, 35 Cognovérunt discípuli Dóminum Jesum in fractióne panis. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 6, 56-57 Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus: qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in eo. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 6, 56-59

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: et qui mandúcat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de cælo descéndit. Non sicut manducavérunt patres vestri manna, et mórtui sunt. Qui mandúcat hunc panem, vivet in ætérnum.

Offertorium Levit. 21, 6 Sacerdótes Dómini incénsum et panes ófferunt Deo: et ideo sancti erunt Deo suo, et non pólluent nomen ejus.

Secreta

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, unitátis et pacis propítius dona concéde: quæ sub oblátis munéri-

bus mýstice designántur. Per Dóminum.

Præfatio de Nativitate.

Communio 1 Cor. 11, 26-27 Quotiescúmque manducábitis panem hunc, et cálicem bibétis, mortem Dómini annuntiábitis, donec véniat: ítaque quicúmque manducáverit panem, vel bíberit cálicem Dómini indígne, reus erit córporis et sánguinis Dómini.

Postcommunio

Fac nos, quǽsumus, Dómine, divinitátis tuæ sempitérna fruitióne repléri: quam pretiósi córporis et sánguinis tui temporális percéptio præfigúrat: Qui vivis.

Item Feria V

Missa de dulcissimo Nomine Jesu

Introitus Philipp. 2, 10-11

In nómine Jesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus noster Jesus Christus in glória est Dei Patris. ℣. Ps. 134, 3 Laudáte Dóminum quóniam bonus est Dóminus: psállite nómini ejus quóniam suáve est. ℣. Glória Patri. In nómine Jesu.

Oratio

Deus, qui gloriosíssimum Nomen Jesu Christi, unigéniti Fílii tui Dómini nostri, fecísti fidélibus tuis sanctíssimæ suavitátis afféctu amábile, et malígnis spirítibus treméndum atque terríbile: concéde propítius; ut omnes qui hoc Nomen Jesu devóte venerántur in terris, sanctæ consolatiónis dulcédinem in præsénti percípiant, et in futúro gáudium exsultatiónis et interminábilis beatitúdinis obtíneant in cælis. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Actuum Apostolórum. Act. 4, 8-12

In diébus illis: Petrus, replétus Spíritu Sancto, dixit: Príncipes pópuli et senióres, audíte: Si nos hódie dijudicámur in benefácto hóminis infírmi, in quo iste salvus factus est, notum sit ómnibus vobis et omni plebi Israël, quia in Nómine Dómini nostri Jesu Christi Nazaréni, quem vos crucifixístis, quem Deus suscitávit a mórtuis: in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis qui reprobátus est a vobis ædificántibus, qui factus est in caput ánguli: et non est in álio áliquo salus. Nec enim nomen áliud est sub cælo datum homínibus, in quo opórteat nos salvos fíeri.

Graduale Ephes. 1, 20-22 Constítuit Deus Pater ad déxteram suam Jesum Christum in cæléstibus supra omnem potestátem, principátum, et virtútem, et dominatiónem, et omne nomen, quod nominátur, non solum in hoc sǽculo, sed étiam in futúro: et ómnia subjécit sub pédibus ejus. ℣. Ps. 78, 9 Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris propter nomen tuum.

Allelúja, allelúja. ℣. Dulce Nomen Dómini nostri, Jesu Christi, melos auri, mel in esu: cordis verum júbilum fugat mundi síbilum. Allelúja.

Missa votiva D. N. Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis

quae in locum conventualis de feria V communi in choro sufflci potest

Introitus Ps. CIX, 4

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Ps. ibid. 1. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis. ℣. Glória Patri. Jurávit Dóminus.

Oratio

Deus, qui ad majestátis tuæ glóriam et géneris humáni salútem, Unigénitum tuum summum atque ætérnum constituísti Sacerdótem: præsta; ut quos minístros et mysteriórum suórum dispensatóres elégit, in accépto ministério adimpléndo fidéles inveniántur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Hebrǽos.

Hebr. V, 1-11

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces supplicatiónésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei dídicit ex iis, quæ passus est obediéntiam: et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi, causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex juxta órdinem Melchísedech. De quo nobis grandis sermo, et ininterpretábilis ad dicéndum.

Graduale. Luc. IV, 18. Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me: ℣. Evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde.

Allelúja, Allelúja. ℣. Hebr. VII, 24. Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja et ℣. seq., dicitur:

Tractus. Ps. IX, 34-36. Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: ne obliviscáris páuperum. ℣. Vide quóniam tu labórem et dolórem consíderas: ℣. Tibi derelíctus est pauper: órphano tu eris adjútor.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur:

Allelúja, Allelúja. ℣. Hebr. VII, 24. Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Allelúja. ℣. Luc. IV, 18. Spíritus Dómini super me; propter quod unxit me, evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam

Luc. XXII, 14-20

In illo témpore: Discúbuit Jesus, et duódecim Apóstoli cum eo. Et ait illis: Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. Et accépto cálice, grátias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. Et accépto pane, grátias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Simíliter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic est calix novum testaméntum in sánguine meo, qui pro vobis fundétur.

Offertorium. Hebr. X, 12-14. Christus unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempitérnum sedet in déxtera Dei: una enim oblatióne consummávit in ætérnum sanctificátos.

Secreta

Haec múnera, Dómine, mediátor noster Jesus Christus Tibi reddat accépta; et nos, una secum, hóstias tibi gratas exhíbeat: Qui tecum.

Praefatio de Cruce.

Communio. I Cor. XI, 24-25. Hoc corpus, quod pro vobis tradétur: hic calix novi testaménti est in meo sánguine, dicit Dóminus: hoc fácite, quotiescúmque súmitis, in meam commemoratiónem.

Postcommunio

Vivíficet nos, quaesumus Dómine, divína quam obtúlimus et sumpsimus hóstia; ut perpétua Tibi caritáte conjúncti, fructum, qui semper máneat, afferámus. Per Dóminum.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

Missam votivam D. N. I. C. Summi et Aeterni Sacerdotis, de mandato Ssmi D. N. Pii Papæ XI ab hac Sacra Congregatione concinnatam, Eadem Sanctitas Sua iuxta præsens exemplar approbavit, atque inter missas votivas Missalis Romani inseri iussit.

Romæ, die 24 Decembris 1935.

C. Card. Laurenti, Præfectus.

A. Carinci, Secretarius.

Concordat cum originali adprobato.

Bracaræ, die 3 Aprilis 1936.

IMPRIMATUR.

† Antonius, Archiep Prim

BRACARÆ — Sumptibus ex Typis Universalis — 1936

In Feriis V post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Eccl. jubilatio Dulce Nomen Jesu Christi omnem áuferens tristítiam, jucúndans mentem júbilo. ℣. Tollit luctum, affert fructum, et obdúctum et sedúctum purgat cor a núbilo. ℣. Nos defféndit, nos accéndit, nos inténdit, et exténdit Nomen hoc in gáudium.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Joann. 16, 24 Usque modo non petístis quidquam in Nómine meo: pétite, et accipiétis. Allelúja, allelúja. ℣. Luc. 24, 36 Surgens Jesus, Dóminus noster, stetit in médio discipulórum suórum, et dixit: Pax vobis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 1, 20-23

In illo témpore: Angelus Dómini appáruit in somnis Joseph, dicens: Joseph, fili David, noli timére accípere Maríam cónjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spíritu Sancto est. Páriet autem fílium: et vocábis Nomen ejus Jesum: ipse enim salvum fáciet pópulum suum a peccátis eórum. Hoc autem totum factum est, ut adimplerétur quod dictum est per Prophétam, dicéntem: Ecce virgo in útero habébit, et páriet fílium: et vocábitur nomen ejus Emmánuel, quod interpretátur Nobíscum Deus.

Offertorium Marc. 16, 17-18 In nómine meo dæmónia ejícient: linguis loquéntur novis: serpéntes tollent: et, si mortíferum quid bíberint, non eis nocébit: super ægros manus impónent, et bene habébunt. Allelúja.

Secreta

In veneratióne Nóminis dilécti Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, tibi, Deus, Pater misericordiárum, devótis méntibus, hóstias immolámus: supplíciter deprecántes; ut, eárum virtúte, cunctis géntibus præstétur auxílium, et, in eódem Nómine delectántes, salutárem sui propósiti consequántur efféctum. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Nativitate.

Communio Apoc. 2, 17 Vincénti dabo manna abscónditum, et dabo illi cálculum cándidum: et in cálculo nomen scriptum, quod nemo scit, nisi qui áccipit.

Postcommunio

Sacrosáncta mystéria, quæ súmpsimus, Dómine, in honórem Nóminis complacentíssimi Fílii tui, Dómini nostri Jesu Christi, devótis præcórdiis recoléntes: quǽsumus; ut increménta nobis spirituális exsultatiónis accúmulent, et afféctum nostrum ad hoc salutíferum Nomen Jesu nobis impriméndum accéndant, et ad jubilándum in Jesu, Salutári nostro dulcíssimo, tota mentis attentióne promóveant. Per eúmdem Dóminum.

Feria VI

Missa de S. Cruce

Introitus Gal. 6, 14

Nos autem glóriari opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita et resurréctio nostra: per quem sal-

váti, et liberáti sumus. ℣. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.
℣. Glória Patri. Nos autem.

Extra Tempus Paschale
Oratio

Deus, qui, unigéniti Fílii tui pretióso sánguine, vivíficæ Crucis vexíllum sanctificáre voluísti: concéde, quǽsumus; eos, qui ejúsdem sanctæ Crucis gaudent honóre, tua quoque ubíque protectióne gaudére. Per eúmdem Dóminum.

Tempore Paschali
Oratio

Deus, qui pro nobis Fílium tuum Crucis patíbulum subíre voluísti, ut inimíci a nobis expélleres potestátem: concéde nobis, fámulis tuis; ut resurrectiónis grátiam consequámur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 2, 8-11

Fratres: Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen (hic genuflectitur): ut in nómine Jesu omne genu flectátur, cæléstium, terréstrium, et infernórum, et omnis lingua confiteătur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Graduale Ibid., 8-9 Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Allelúja, allelúja. ℣. Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: quæ sola fuísti digna sustinére Regem cælórum, et Dóminum. Allelúja.

In Feriis VI post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Eccl. vox et precat. Adorámus te, Christe, et benedícimus tibi: quia per Crucem tuam redemísti mundum. ℣. Tuam Crucem adorámus, Dómine, tuam gloriósam recólimus passiónem: miserére nostri, qui passus es pro nobis. ℣. O Crux benedícta, quæ sola fuísti digna portáre Regem cælórum, et Dóminum.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 95, 10 Dícite in géntibus, quia Dóminus regnávit a ligno. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Dulce lignum, dulces clavos, dúlcia ferens póndera: quæ sola fuísti digna sustinére Regem cælórum, et Dóminum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.
Matth. 20, 17-19

In illo témpore: Assúmpsit Jesus duódecim discípulos secréto, et ait illis: Ecce ascéndimus Jerosólymam, et Fílius hóminis tradétur princípibus sacerdótum, et scribis, et condemnábunt eum morte, et tradent eum géntibus ad illudéndum, et flagellándum, et crucifigéndum, et tértia die resúrget.

Offertorium Eccl. precatio Prótege, Dómine, plebem tuam, per

signum sanctæ Crucis, ab ómnibus insídiis inimicórum ómnium: ut tibi gratam exhibeámus servitútem, et acceptábile fiat sacrifícium nostrum, allelúja.

Secreta

Hæc oblátio, Dómine, quǽsumus, ab ómnibus nos purget offénsis: quæ in ara Crucis étiam totíus mundi tulit offénsam. Per eúmdem Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio Per signum Crucis de inimícis nostris líbera nos, Deus noster.

Postcommunio

Adésto nobis, Dómine Deus noster: et quos sanctæ Crucis lætári facis honóre, ejus quoque perpétuis defénde subsídiis. Per Dóminum.

Item Feria VI
Missa
de quinque Plagis Christi

Introitus Phil. 2, 8-9

Humiliávit semetípsum Dóminus Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen, quod est super omne nomen. Ps. 88, 2 Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatiónem et generatiónem. ℣. Glória Patri. Humiliávit.

Oratio

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui de cælis ad terram de sinu Patris descendísti, et in ligno crucis quinque plagas sustinuísti, et sánguinem tuum pretiósum in remissiónem peccatórum nostrórum effudísti: te humíliter deprecámur; ut in die judícii ad déxteram tuam audíre mereámur: Veníte, benedícti Patris mei: Qui cum eódem Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas.

Léctio Zacharíæ Prophétæ.
Zach. 12, 10-11 et 13, 6-7

Hæc dicit Dóminus: Effúndam super domum David, et super habitatóres Jerúsalem spíritum grátiæ et precum: et aspícient ad me, quem confixérunt: et plangent eum planctu quasi super unigénitum, et dolébunt super eum, ut doléri solet in morte primogéniti. In die illa magnus erit planctus in Jerúsalem, et dicétur: Quid sunt plagæ istæ in médio mánuum tuárum? Et dicet: His plagátus sum in domo eórum, qui diligébant me. Frámea suscitáre super pastórem meum, et super virum cohæréntem mihi, dicit Dóminus exercítuum: pércute pastórem, et dispergéntur oves, ait Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 68, 21-22 Impropérium exspectávit cor meum, et misériam: et sustínui, qui simul mecum contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni. ℣. Dedérunt in escam meam fel, et in siti mea potavérunt me acéto.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. vox Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad Crucem, mansuétus ut agnus ad occisiónem: tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

In Feriis VI post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Philipp. 2, 7-9 Christus semetipsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. ℣. Factus est pro nobis obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. vox Christus surréxit a mórtuis: redémit nos sánguine suo, adorémns eum in glória.

Allelúja, allelúja. ℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucem, mansuétus ut agnus ad occisiónem: tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 19, 28-35

In illo témpore: Sciens Jesus, quia ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo erat pósitum acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et inclináto cápite trádidit spíritum. Judǽi ergo, quóniam Parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura, sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Offertorium Insurrexérunt in me viri iníqui: absque misericórdia quæsiérunt me interfícere: et non pepercérunt in fáciem meam spúere: lánceis suis vulneravérunt me, et concússa sunt ómnia ossa mea.

Secreta

Ipse tibi, quǽsumus, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, sacrifícium nostrum reddat accéptum, qui pro nobis peccatóribus super lignum sanctæ crucis in suo pretiosíssimo córpore quinque vúlnera pati dignátus est, Jesus Christus Dóminus noster. Qui tecum.

Præfatio de Cruce.

Communio Ps. 21, 17-18 Fodérunt manus meas, et pedes meos: dinumeravérunt ómnia ossa mea.

Postcommunio

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui hora sexta pro redemptióne mundi crucis patíbulum ascendísti, et sánguinem tuum pretiósum in remissiónem peccatórum nostrórum fudísti: te humíliter deprecámur; ut post óbitum nostrum, paradísi jánuam nos introíre mereámur. Qui vivis.

Item Feria VI
Missa de Passione Domini

Introitus Gal. 6, 14

Nos autem gloriári opórtet in Cruce Dómini nostri Jesu Christi: in quo est salus, vita, et resurréctio nostra: per quem salváti, et liberáti sumus. ℣. Ps. 66, 2 Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri. ℣. Glória Patri. Nos autem.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui humáno géneri ad imitándum humilitátis exémplum Salvatórem nostrum carnem súmere, et crucem subíre fecísti: concéde propítius; ut et patiéntiæ ipsíus habére documénta, et resurrectiónis consórtia mereámur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Philippénses. Philipp. 2, 5-11

Fratres: Hoc enim sentíte in vobis, quod in Christo Jesu. Qui, cum in forma Dei esset, non rapínam arbitrátus est esse se æquálem Deo: sed semetípsum exinanívit, formam servi accípiens, in similitúdinem hóminum factus, et hábitu invéntus ut homo. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod et Deus exaltávit illum, et donávit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nómine Jesu omne genu flectátur cæléstium, terréstrium et infernórum: et omnis lingua confiteátur, quia Dóminus Jesus Christus in glória est Dei Patris.

Graduale Ps. 139, 3-5 Cogitavérunt malítias in corde, tota die constituébant prælia: acuérunt linguas suas sicut serpéntes, venénum áspidum sub lábiis eórum. ℣. Custódi me, Dómine, de manu peccatóris: et ab homínibus iníquis éripe me.

Allelúja, allelúja. Eccl. vox Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucem mansuétus, ut agnus ad occisiónem: tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

In Feriis VI post Dominicas Septuagesimæ et Sexagesimæ, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus Philipp. 2, 6-9 Christus, cum in forma Dei esset, semetípsum exinanívit formam servi accípiens. ℣. Humiliávit semetípsum, factus obédiens usque ad mortem, mortem autem crucis. ℣. Propter quod et Deus exaltávit illum: et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Eccl. vox Christus surréxit a mórtuis: redémit nos Sánguine suo, adorémus eum in glória. Allelúja, allelúja. ℣. Ave, Rex noster: tu solus nostros es miserátus erróres: Patri obédiens, ductus es ad crucem mansuétus, ut agnus ad occisiónem: tibi glória, hosánna: tibi triúmphus et victória: tibi summæ laudis et honóris coróna. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 19, 28-35

In illo témpore: Sciens Jesus quóniam ómnia consummáta sunt, ut consummarétur Scriptúra, dixit: Sítio. Vas ergo pósitum erat acéto plenum. Illi autem spóngiam plenam acéto, hyssópo circumponéntes, obtulérunt ori ejus. Cum ergo accepísset Jesus acétum, dixit: Consummátum est. Et, inclináto cápite, trádidit spíritum. Judæi ergo, quóniam parascéve erat, ut non remanérent in cruce córpora sábbato (erat enim magnus dies ille sábbati), rogavérunt Pilátum, ut frangeréntur eórum crura, et tolleréntur. Venérunt ergo mílites: et primi quidem fregérunt crura, et altérius, qui crucifíxus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura: sed unus mílitum láncea latus ejus apéruit, et contínuo exívit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimónium perhíbuit: et verum est testimónium ejus.

Offertorium Ps. 68. 21-22 Impropérium expectávit cor meum, et misériam: et sustínui qui simul contristarétur, et non fuit: consolántem me quæsívi, et non invéni. Et dedérunt in escam meam fel: et in siti mea potavérunt me acéto.

Secreta

Concéde, quæsumus, Dómine, ut óculis tuæ majestátis munus oblátum, et grátiam nobis devotiónis obtíneat, et efféctum beátæ perennitátis acquírat. Per Dóminum.

Præfatio de Cruce.

Communio Matth. 26, 42 Pater, si non potest hic calix transíre nisi bibam illum, fiat volúntas tua.

Postcommunio

Per hujus, Dómine, operatiónem mystérii, et vítia nostra purgéntur, et justa desidéria compleántur. Per Dóminum.

Sabbato

Dicitur, pro Temporum diversitate, Missa de sancta Maria, ut supra, [52]-[58], post Commune Festorum ejusdem B. M. V. habetur.

Item Sabbato
Missa
de Planctu Virginis Mariæ

Introitus Eccl. vox

Ecce vidi Fílium meum, non habéntem spéciem neque decórem: aspéctus ejus in eo non est: hic peccáta peccatórum portávit: et pro eis dolens, vulnerátus est propter iniquitátes illórum: cujus livóre sanáti sumus. ℣. Matth. 26, 24 Fílius quidem meus vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem hómini illi, per quem tradétur. ℣. Glória Patri. Ecce vidi.

Glória, quando Sabbato celebratur.

Oratio

Intervéniat pro nobis, Dómine Jesu Christe, apud tuam cleméntiam, nunc et in hora mortis, gloriósa Virgo María, mater tua, cujus ánimam, in hora passiónis tuæ, dolóris gládius pertransívit: Qui vivis.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Cant. 3. 2: 5. 8-10 et 16-17: 7. 8

Vadam et circuíbo civitátem: per vicos et platéas quæram quem díligit ánima mea: quæsívi, non invéni illum. Adjúro vos, fíliæ Jerúsalem, si invenéritis diléctum meum, ut nuntiétis ei, quia amóre lángueo. Qualis est diléctus tuus ex diiécto, o pulchérrima mulíerum? qualis est diléctus tuus ex diiécto, quia sic adjurásti nos? Diléctus meus cándidus et rubícundus, eléctus ex míllibus. Talis est diléctus meus, et ipse est amícus meus, fíliæ Jerúsalem. Quo ábiit diléctus tuus, o pulchérrima mulíerum: quo declinávit diléctus tuus et quærémus eum tecum? Ascéndit in palmam: et apprehéndit fructus ejus.

Graduale Jer. Thren. 1, 12 et 17 O vos omnes, qui transítis per viam, atténdite et vidéte, si est dolor, sicut dolor meus. ℣. Expándit Virgo dolorosíssima manus suas, et non est qui consolétur eam.

Allelúja, allelúja. ℣. Jer. Thren. 2, 13 Cui comparábo te? vel cui assimilábo te, fília Jerúsalem? cui exæquábo te, et consolábor te, virgo fília Sion? Magna est velut mare contrítio tua: quis medébitur tui? Allelúja.

In Sabbatis post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 21, 2-4 Deus, Deus meus, réspice in me: quare me dereliquísti? longe a salúte mea verba lamentatiónum meárum. ℣. Deus meus, clamábo per diem, et non exáudies: et nocte et non ad insipiéntiam mihi. ℣. Tu autem in sancto hábitas, laus Israël.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Jer. Thren. 1, 2 Plorans plorávit in nocte, et lácrimæ ejus in maxíllis ejus: non est qui consolétur eam ex ómnibus caris ejus. Allelúja, allelúja. ℣. Quiéscat, Virgo dolorosíssima, vox tua a planctu, et óculi tui a lácrimis: quia surréxit Fílius tuus, sicut dixit. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.
Joann. 19, 25-27

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, María Cléophæ, et María Magdaléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua.

Offertorium Caligavérunt óculi mei a fletu meo, quia elongátus est a me qui consolabátur me: vidéte, omnes pópuli, si est dolor sicut dolor meus.

Secreta

Deus, cui in Crucis ara Dóminus noster Jesus Christus seípsum pro nobis hóstiam immolávit, et piíssimam matrem suam, præ dolóribus deficiéntem, diiécto discípulo suo commendávit: concéde nobis; ita utriúsque dolóres devóta mente

recólere, ut gaudiórum quoque mereámur esse partícipes. Per Dóminum.

Præfatio de Beata Maria Virgine Et te in Planctu.

Communio Jerúsalem, luge et exúere véstibus jucunditátis, indúere cínere et cilício: quia in te occísus est Fílius meus, Salvátor Israël.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, Dómine Jesu Christe: ut, qui amaríssimas mæstíssimæ matris tuæ angústias de tua horríbili morte meditámur; ejus quoque solátiis de triumphánti resurrectióne et ætérna glória tua perfruámur: Qui vivis.

Item Sabbato

Missa de Pietate Dominæ nostræ

Introitus Joann. 19, 26

Cum vidísset Jesus matrem, et discípulum stantem, quem diligébat, dixit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. ℣. Ibid. 25 Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus, María Cleóphæ, et María Magdaléne. ℣. Glória Patri. Cum vidísset Jesus.

Glória, quando Sabbato celebratur.

Oratio

Intervéniat pro nobis, quǽsumus, Dómine Jesu Christe, apud tuam sanctam cleméntiam, nunc et in hora mortis nostræ, piíssima Virgo María, mater tua, cujus sacratíssimam ánimam, in hora benedíctæ passiónis tuæ, dolóris gládius pertransívit, et in gloriosíssima resurrectióne tua ingens gáudium lætificávit: Qui vivis.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.

Thren. 1, 20-22

Vide, Dómine, quóniam tríbulor: conturbátus est venter meus: subvérsum est cor meum in memetípsa, quóniam amaritúdine plena sum: foris intérficit gládius, et domi mors símilis est. Audiérunt quia ingemísco ego, et non est qui consolétur me: omnes inimíci mei audiérunt malum meum: lætáti sunt, quóniam tu fecísti. Adduxísti diem consolatiónis, et fient símiles mei: multi enim gémitus mei, et cor meum mærens.

Graduale Ps. 55, 9 Deus, vitam meam annuntiávi tibi, et posuísti lácrimas meas in conspéctu tuo. ℣. Ps. 6, 10 Et audívit Dóminus vocem fletus mei: Dóminus oratiónem meam suscépit.

Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. precatio Ante thronum Trinitátis, miserórum miseráta, pia mater Pietátis, sis pro nobis advocáta: causam nostræ paupertátis coram Deo sústine, et véniam de peccátis servis tuis óbtine. Allelúja.

In Sabbatis post Dominicam Septuagesimæ usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Eccl. vox et precatio Stabat Mater dolorósa, juxta crucem lacrimósa, dum pendébat Fílius. Cujus ánimam geméntem, contristátam et doléntem, pertransívit gládius. ℣. Pro peccátis suæ gentis

Jesum vidit in torméntis, et flagéllis súbditum. Vidit suum dulcem natum, moriéntem desolátum, cum emísit spíritum. ℣. Fac nos, Virgo, custodíri, cruce Christi præmuníri, confovéri grátia. Quando corpus moriétur, fac ut ánimæ donétur paradísi glória. Amen.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Dulcis Mater dulci Nato dúlcia ferens póndera: quæ sola fuísti digna sustinére Regem cælórum et Dóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Eccl. precatio Ante thronum Trinitátis miserórum miseráta, pia Mater Pietátis, sis pro nobis advocáta: causam nostræ paupertátis coram Deo sústine, et véniam de peccátis servis tuis óbtine. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 2, 33-35

In illo témpore: Erant pater et mater Jesu mirántes super his quæ dicebántur de illo. Et benedíxit illis Símeon, et dixit ad Maríam, matrem ejus: Ecce pósitus est hic in ruínam et in resurrectiónem multórum in Israël, et in signum cui contradicétur: et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius, ut reveléntur ex multis córdibus cogitatiónes.

Offertorium Ps. 38, 18 Exáudi oratiónem meam, Dómine, et deprecatiónem meam: áuribus pércipe lácrimas meas.

Secreta

Dómine Jesu Christe, qui, pendens in cruce, de custóde Matri providísti mitíssimæ, ex qua humánam sumpsísti natúram: præsta, quǽsumus; ut, interveniénte mérito cruciátus ánimi ejúsdem Vírginis Matris, ipsa humánitas tua, sub sacraménto intellécta, sit contra quæcúmque mala nobis in præsídium, in augméntum grátiæ et vitæ ætérnæ prǽmium: Qui vivis.

Præfatio de Beata Maria Virgine Et te in Pietáte.

Communio Ps. 58, 17-18 Factus es, Dómine, refúgium meum, in die tribulatiónis meæ: adjútor meus, tibi psallam, quia Deus suscéptor meus es: Deus meus, misericórdia mea.

Postcommunio

Dómine Jesu Christe, fons pietátis, qui, móriens in Cruce, acérrimo dolóri cordis tuæ mitíssimæ Genitrícis multo plus fuísti compássus quam soróribus fléntibus, quarum dilectióne motus fudísti lácrimas: exáudi propítius preces nostras, et præsta; ut, qui ejúsdem Matris tuæ piíssimæ tristem cruciátum recólimus, méritis illíus valeámus perpétua mentis et córporis salúte gaudére, ab omníque dolóre et tristítia liberári: Qui vivis.

II

Missæ Votivæ ad diversa

Missa pro eligendo Summo Pontifice

Dicitur Missa de Spiritu Sancto ut supra, [72], vel ut sequitur.

Introitus 1 Reg. 2, 35

Suscitábo mihi sacerdótem fidélem, qui juxta cor meum et ánimam meam fáciet: et ædificábo ei domum fidélem, et am-

bulábit coram Christo meo cunctis diébus. ℣. Ps, 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Suscitábo.

Oratio

Súpplici, Dómine, humilitáte depóscimus: ut sacrosánctæ Románæ Ecclésiæ concédat Pontíficem illum tua imménsa píetas; qui et pio in nos stúdio semper tibi plácitus, et tuo pópulo pro salúbri regímine sit assídue ad glóriam tui nóminis reveréndus. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 4, 16 et 5 1-7

Fratres: Adeámus cum fidúcia ad thronum grátiæ, ut misericórdiam consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno. Omnis namque póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant, quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit, ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu, ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces, supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrimis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia.

Graduale Levit. 21, 10 Póntifex sacérdos magnus inter fratres suos, super cujus caput fusum est unctiónis óleum, et cujus manus in sacerdótio consecrátæ sunt, vestitúsque est sanctis véstibus: débuit per ómnia frátribus similári. ℣. Hebr. 2, 17 Ut miséricors fíeret, et fidélis póntifex ad Deum: ut repropitiáret delícta pópuli.

Allelúja, allelúja. ℣. Levit. 21, 8 Sacérdos sit sanctus, sicut et ego sanctus sum, Dóminus qui sanctífico vos. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 131, 8-10 Surge, Dómine, in réquiem tuam: tu et arca sanctificatiónis tuæ. ℣. Sacerdótes tui induántur justítiam, et sancti tui exsúltent. ℣. Propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. 21, 8 Sacérdos sit sanctus, sicut et ego sanctus sum, Dóminus qui sanctífico vos. Allelúja, allelúja. ℣. Joann. 10, 14 Ego sum pastor bonus: et cognósco oves meas, et cognóscunt me meæ. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 14, 15-21

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Si dilígitis me, mandáta mea serváte. Et ego rogábo Patrem, et álium Paráclitum dabit vobis, ut máneat vobíscum in ætér-

num, Spíritum veritátis, quem mundus non potest accípere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscétis eum; quia apud vos manébit, et in vobis erit. Non relínquam vos órphanos: véniam ad vos. Adhuc módicum; et mundus me jam non videt. Vos autem vidétis me, quia ego vivo, et vos vivétis. In illo die vos cognoscétis quia ego sum in Patre meo, et vos in me, et ego in vobis. Qui habet mandáta mea, et servat ea: ille est, qui díligit me. Qui autem díligit me, diligétur a Patre meo; et ego díligam eum, et manifestábo ei meípsum.

Offertorium 3 Esdræ 5, 40 Non participéntur sancta, donec exsúrgat póntifex in ostensiónem, et veritátem.

Secreta

Tuæ nobis, Dómine, abundántia pietátis indúlgeat: ut per sacra múnera, quæ tibi reverénter offérimus, gratum majestáti tuæ Pontíficem sanctæ matris Ecclésiæ regímini præésse gaudeámus. Per Dñum.

Communio Exod 29, 29-30 Veste sancta utétur póntifex, qui fúerit constitútus, et ingrediétur tabernáculum testimónii, ut minístret in sanctuário.

Postcommunio

Pretiósi córporis et sánguinis tui nos, Dómine, sacraménto refectos, mirífica tuæ majestátis grátia de illíus summi Pontíficis concessióne lætíficet: qui et plebem tuam virtútibus ínstruat, et fidélium mentes spirituálium arómatum odóre perfúndat: Qui vivis.

In die Creationis et Coronationis Papæ

et in eorum dierum Anniversario

In die Creationis et Coronationis Summi Pontificis et in eorum dierum Anniversario, canitur, ad modum votivæ solemnis juxta Rubricas, sequens Missa.

Introitus Ecc. 45, 30

Státuit ei Dóminus testaméntum pacis, et príncipem fecit eum: ut sit illi sacerdótii dígnitas in ætérnum. ℣. Ps. 131, 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Státuit.

Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Petri Apóstoli.
1 Petr. 1, 1-7

Petrus Apóstolus Jesu Christi, eléctis ádvenis dispersiónis Ponti, Galátiæ, Cappadóciæ, Asiæ et Bithýniæ, secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatiónem Spíritus, in obediéntiam, et aspersiónem sánguinis Jesu Christi: grátia vobis, et pax multiplicétur. Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui secúndum misericórdiam suam magnam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectiónem Jesu

Christi ex mórtuis, in hereditátem incorruptíbilem, et incontaminátam, et immarcescíbilem, conservátam in cælis in vobis, qui in virtúte Dei custodímini per fidem in salútem, parátam revelári in témpore novíssimo. In quo exsultábitis, módicum nunc si opórtet contristári in váriis tentatiónibus: ut probátio vestræ fídei multo pretiósior auro (quod per ignem probátur) inveniátur in laudem, et glóriam, et honórem, in revelatióne Jesu Christi Dómini nostri.

Graduale Ps. 106, 32 Exáltent eum in ecclésia plebis: et in cáthedra seniórum laudent eum. ℣. Ibid., 31 Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Matth. 16, 18-19 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. ℣. Et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cælórum. ℣. Quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis. ℣. Et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 106, 8 Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum. Allelúja, allelúja. ℣. Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 16, 13-19

In illo témpore: Venit Jesus in partes Cæsaréæ Philíppi, et interrogábat discípulos suos, dicens: Quem dicunt hómines esse Fílium hóminis? At illi dixérunt: Alii Joánnem Baptístam, álii autem Elíam, álii vero Jeremíam, aut unum ex prophétis. Dicit illis Jesus: Vos autem quem me esse dícitis? Respóndens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Fílius Dei vivi. Respóndens autem Jesus, dixit ei: Beátus es, Simon Bar Jona: quia caro et sanguis non revelávit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam, et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam. Et tibi dabo claves regni cælórum. Et quodcúmque ligáveris super terram, erit ligátum et in cælis: et quodcúmque sólveris super terram, erit solútum et in cælis.

Credo.

Offertorium Matth. 16, 18-19 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam: et portæ ínferi non prævalébunt advérsus eam: et tibi dabo claves regni cælórum.

Secreta

Oblátis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ

tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Præfatio de Apostolis.

Communio Matth. 16, 18 Tu es Petrus, et super hanc petram ædificábo Ecclésiam meam.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper, et múniat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium túum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus, per ómnia sǽcula sæculórum.

In Consecratione Episcopi

Missa dicitur de Officio diei, sed sub unica conclusione cum 1ª Oratione adduntur sequentes Orationes: et infra Actionem dicitur Hanc ígitur, ut infra.

Oratio

Adésto supplicatiónibus nostris, omnípotens Deus: ut, quod humilitátis nostræ geréndum est ministério, tuæ virtútis impleátur effectu. Per Dóminum.

Secreta

Consecrator dicit:

Súscipe, Dómine, múnera, quæ tibi offérimus pro hoc fámulo tuo: ut propítius in eo tua dona custódias. Per Dóminum.

Consecratus dicit:

Súscipe, Dómine, múnera, quæ tibi offérimus pro me fámulo tuo: ut propítius in me tua dona custódias. Per Dóminum.

Infra Actionem

Consecrator dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus étiam pro hoc fámulo tuo, quem ad Episcopátus órdinem promovére dignátus es, quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias, et propítius in eo tua dona custódias: ut, quod divíno múnere consecútus est, divínis efféctibus exsequátur: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Consecratus dicit:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ, sed et cunctæ famíliæ tuæ, quam tibi offérimus étiam pro me fámulo tuo, quem ad Episcopátus órdinem promovére dignátus es, quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias, et propítius in me tua dona custódias: ut, quod divíno múnere consecútus sum, divínis efféctibus éxsequar: diésque nostros in tua pace dispónas, atque ab ætérna damnatióne nos éripi, et in electórum tuórum júbeas grege numerári. Per Christum Dóminum nostrum. Amen.

Postcommunio

Plenum, quǽsumus, Dómine, in nobis remédium tuæ miseratiónis operáre: ac tales nos esse pérfice propítius, et sic fovéri, ut tibi in ómnibus placére valeámus. Per Dóminum.

In Anniversario Electionis et Consecrationis Domini Archiepiscopi

In anniversario Electionis Domini Archiepiscopi, vel, si Dominus Archiepiscopus ex alia sede translatus fuerit, Translationis, necnon in Anniversario Consecrationis ejusdem, in ecclesiis Primatiali et Collegiatis, accedente Domini Archiepiscopi mandato, dicitur ad modum votivæ solemnis, juxta Rubricas, sequens Missa.

Introitus Ps. 131, 9-10

Sacerdótes tui, Dómine, índuant justítiam, et sancti tui exsúltent: propter David servum tuum, non avértas fáciem Christi tui. ℣. Ps. ibid., 1 Meménto, Dómine, David: et omnis mansuetúdinis ejus. ℣. Glória Patri. Sacerdótes tui.

Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., quem pastórem ecclésiæ N. præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest, profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Hebrǽos. Hebr. 5, 1-4

Fratres: Omnis póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron.

Graduale Ps. 131, 16-17 Sacerdótes ejus índuam salutári: et sancti ejus exsultatióne exsultábunt. ℣. Illuc prodúcam cornu David: parávi lucérnam Christo meo.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 111, 1-3 Beátus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis. ℣. Potens in terra erit semen ejus: generátio rectórum benedicétur. ℣. Glória et divítiæ in domo ejus: et justítia ejus manet in sǽculum sǽculi.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 109, 4 Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum órdinem Melchísedech. Allelúja, allelúja. ℣. Eccli. 45, 9 Amávit eum Dóminus, et ornávit eum: stolam glóriæ índuit eum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum. Marc. 12, 33-37

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Vidéte, vigiláte, et oráte: nescítis enim quando tempus sit. Sicut homo, qui péregre profèctus relíquit domum suam, et dedit servis suis potestátem cujúsque óperis, et janitóri præcépit, ut vígilet. Vigiláte ergo (nescítis enim, quando dóminus domus véniat:

sero, an média nocte, an galli cantu, an mane) ne, cum vénerit repénte, invéniat vos dormiéntes. Quod autem vobis dico, ómnibus dico: Vigiláte.

Credo.

Offertorium Ps. 88, 25 Véritas mea, et misericórdia mea cum ipso: et in nómine meo exaltábitur cornu ejus.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N. quem pastórem ecclésiæ N. prææsse voluisti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Communio Matth. 24, 46-47 Beátus servus, quem cum vénerit dóminus, invénerit vigilántem: amen dico vobis, super ómnia bona sua constítuet eum.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., quem pastórem ecclésiæ N. prææsse voluísti; una cum commísso sibi grege, salvet semper, et múniat. Per Dóminum.

In Collatione sacrorum Ordinum

In Sabbatis Quatuor Temporum et in Sabbato infra Hebdomadam IV Quadragesimæ, Missa dicitur de Sabbato, in reliquis diebus de Officio diei; sed sub unica conclusione cum 1ª Oratione adduntur sequentes:

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, súpplicum preces, et devóto tibi péctore famulántes, perpétua defensióne custódi: ut, nullis perturbatiónibus impedíti, líberam servitútem tuis semper exhibeámus offíciis. Per Dóminum.

Secreta

Tuis, quǽsumus, Dómine, operáre mystériis: ut hæc tibi múnera dignis méntibus offerámus. Per Dóminum.

Postcommunio

Quos tuis, Dómine, réficis sacraméntis, contínuis attólle benígnus auxíliis: ut tuæ redemptiónis efféctum, et mystériis capiámus, et móribus: Qui vivis.

Missa pro Sponso et Sponsa

¶ Si solemnis benedictio Nuptiarum, intra Missam facienda sit die Dominica, vel alio die festo, sive de præcepto, licet suppresso, sive Solemni I vel II ordinis aut in Vigilia Pentecostes, vel in Octavis Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes aut Corporis Christi, dicatur Missa de Officio occurrenti, cum Glória in excélsis et Credo, si illa Missa id requirat, et cum Commemoratione sequentis Missæ pro Sponso et Sponsa, et reliquis, quæ pro Communione, et complemento benedictionis in ea habentur. Si autem solemnis benedictio Nuptiarum, intra Missam, facienda sit aliis diebus, etiamsi in iis occurrat Festum Duplex majus vel minus, dicatur sequens Missa votiva pro Sponso et Sponsa, præterquam in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum, in qua et Missa votiva et solemnis benedictio Nuptialis prohibentur.

Introitus Tob. 7, 15 et 8, 10

Deus Israël conjúngat vos: et ipse sit vobíscum, qui misértus est duóbus únicis: et nunc, Dómine, fac eos plénius bene-

dicere te. ℣. Ps. 127, 1 Beáti omnes qui timent Dóminum: qui ámbulant in viis ejus. ℣. Glória Patri. Deus Israël.

Oratio

Deus, qui, tam excellénti mystério, conjugálem cópulam consecrásti, ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum praesignáres in fœdere nuptiárum: præsta, quǽsumus; ut, quod nostro ministrátur offício, tua benedictióne pótius impleátur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor 6, 15-20

Fratres: Nescítis quóniam córpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, fáciam membra meretrícis? Absit. An nescítis quóniam qui adhǽret meretríci, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhǽret Dómino, unus spíritus est. Fúgite fornicatiónem. Omne peccátum, quodcúmque fécerit homo, extra corpus est: qui autem fornicátur, in corpus suum peccat. An nescítis quóniam membra vestra templum sunt Spíritus Sancti qui in vobis est, quem habétis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis prétio magno. Glorificáte et portáte Deum in córpore vestro.

Graduale Ps. 127, 3 Uxor tua sicut vitis abúndans in latéribus domus tuæ. ℣. Fílii tui sicut novéllæ olivárum in circúitu mensæ tuæ.

Allelúja, allelúja. ℣. 19, 3 Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto: et de Sion tueátur vos. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 127, 4-6 Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum. ℣. Benedícat tibi Dóminus ex Sion: et vídeas bona Jerúsalem ómnibus diébus vitæ tuæ. ℣. Et vídeas fílios filiórum tuórum: pax super Israël.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps 19, 3 Mittat vobis Dóminus auxílium de sancto: et de Sion tueátur vos. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 133, 3 Benedícat vobis Dóminus ex Sion: qui fecit cælum et terram. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum. Matth. 19, 3-6

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum pharisǽi tentántes eum, et dicéntes: Si licet hómini dimíttere uxórem suam quacúmque ex causa? Qui respóndens, ait eis: Non legístis, quia qui fecit hóminem ab inítio, másculum et féminam fecit eos? et dixit: Propter hoc dimíttet homo patrem, et matrem, et adhærébit uxóri suæ, et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjúnxit, homo non séparet.

Offertorium Ps. 30, 15-16 In te sperávi, Dómine: dixi: Tu es Deus meus: in mánibus tuis témpora mea.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, pro sacra connúbii lege munus oblátum: et, cujus largítor es óperis, esto dispósitor. Per Dóminum.

¶ Dicta autem post Pater noster Oratione Líbera nos, quǽsumus usque ad et ab omni perturbatióne secúri, et, relicta Hostia cooperta super Patenam, non disjunctis digitis quibus tangit Ssmum Sacramentum, et facta genuflexione eidem Ssmo Sacramento, Celebrans, stans in cornu Epistolæ versus nubentes, in infimo Altaris gradu genuflexos, dicit super eos Benedictionem et Preces sequentes:

In nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti. Amen.

℣. Salvum fac servum tuum et ancíllam tuam. ℟. Deus meus, sperántes in te.

℣. Osténde eis, Dómine, misericórdiam tuam. ℟. Et salutáre tuum da eis.

℣. Mitte eis, Dómine, auxílium de sancto. ℟. Et de Sion tuére eos.

℣. Exsúrge, Dómine, ádjuva eos. ℟. Et líbera eos propter nomen tuum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et institútis tuis, quibus propagatiónem humáni géneris ordinásti, benígnus assíste: ut, quod te auctóre júngitur, te auxiliánte servétur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus •

Per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda. ℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro. ℟. Dignum et justum est.

Vere dignum et justum est, æquum et salutáre: nos tibi semper et ubíque grátias ágere, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: qui potestáte virtútis tuæ de níhilo cuncta fecísti: qui dispósitis universitátis exórdiis, hómini ad imáginem Dei facto, ídeo inseparábile mulíeris adjutórium condidísti, ut femíneo córpori de viríli dares carne princípium, docens quod ex uno placuísset institúi, numquam licére disjúngi: Deus, qui tam excellénti mystério conjugálem cópulam consecrásti, ut Christi et Ecclésiæ sacraméntum præsignáres in fœdere nuptiárum: Deus, per quem múlier júngitur viro, et societas principáliter ordináta, ea bene ✠ dictióne donátur, quæ sola nec per originális peccáti pœnam, nec per dilúvii est abláta senténtiam: réspice, Dómine, propítius super hanc fámulam tuam, quæ maritáli jungénda est consórtio, tuáque se éxpetit protectióne muníri: sit in ea jugum dilectiónis et pacis: fidélis et casta nubat in Christo, imitatríxque sanctárum permáneat feminárum. Sit amábilis viro suo, ut Rachel: sápiens, ut Rebécca: longǽva et fidélis, ut Sara. Nihil in ea ex áctibus

suis ille auctor prævaricatiónis usúrpet: nexa fidei, mandatísque permáneat. Uni thoro juncta, contáctus illícitos fúgiat: muniátque infirmitátem suam róbore disciplínæ. Sit verecúndia gravis, pudóre venerábilis, doctrínis cæléstibus erudíta. Sit fœcúnda in sóbole, sit probáta et ínnocens: et ad beatórum réquiem, atque ad cæléstia regna pervéniat: et vídeant ambo fílios filiórum suórum, usque in tértiam et quartam progéniem, et ad optátam pervéniant senectútem.

Deinde Celebrans revertitur ad medium Altaris, et, facta genuflexione, prosequitur Missæ celebrationem et frangit Hostiam, dicens: Per eúmdem Dóminum, etc.

Communio Ps. 127, 4 et 6 Ecce sic benedicétur omnis homo, qui timet Dóminum; et vídeas fílios filiórum tuórum: pax super Israël.

Postcommunio

Quæsumus, omnípotens Deus: institúta providéntiæ tuæ pio favóre comitáre; ut, quos legítima societáte connéctis, longæva pace custódias. Per Dóminum.

¶ Dicto Benedicámus Dómino, vel, si Missæ illius diei conveniat, Ite, missa est, Sacerdos antequam populo benedicat, ad nubentes conversus, dicat:

Deus Abraham, Deus Isaac, et Deus Jacob sit vobíscum: et ipse adímpleat benedictiónem suam in vobis: ut videátis fílios filiórum vestrórum usque ad tértiam et quartam generatiónem, et póstea vitam ætérnam habeátis sine fine: adjuvánte Dómino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat Deus, per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde accipiat sponsam per manum dexteram et tradat eam sponso, dicens:

Frater, áccipe cónjugem tuam, et dílige eam ut carnem tuam. Et trado tibi uxórem et non ancillam: tu autem custódi et dílige eam sicut Christus Ecclésiam: et ambuláte in pace. In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti. Amen.

¶ Moneat eos Sacerdos sermone gravi, ut sibi invicem servent fidem: orationis tempore, et præsertim jejuniorum ac solemnitatum, casti maneant: et vir uxorem, atque uxor virum diligat: et in timore Dei permaneant. Postea eos aspergat aqua benedicta, det benedictionem, et, dicto Pláceat tibi, sancta Trínitas, legat, ut solitum est, Evangelium S. Joannis, In princípio erat Verbum, vel aliud juxta Rubricas.

Missa pro Fidei Propagatione

Introitus Ps. 66, 2-3

Deus misereátur nostri, et benedícat nobis: illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri: ut cognoscámus in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum. ℣. Ps. ibid., 4 Confiteántur tibi pópuli, Deus: confiteántur tibi pópuli omnes. ℣. Glória Patri. Deus misereátur.

Oratio

Deus, qui omnes hómines vis salvos fieri, et ad agnitiónem veritátis veníre: mitte, quæsumus, operários in messem tuam, et da eis cum omni fidúcia loqui verbum

tuum; ut sermo tuus currat et clarificétur, et omnes gentes cognóscant te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum Fílium tuum, Dóminum nostrum: Qui tecum.

Léctio libri Sapiéntiæ.
Eccli. 36, 1-10 et 17-19

Miserére nostri, Deus ómnium, et réspice nos, et osténde nobis lucem miseratiónum tuárum: et immitte timórem tuum super gentes, quæ non exquisiérunt te, ut cognóscant quia non est Deus nisi tu, et enárrent magnália tua. Alleva manum tuam super gentes aliénas, ut vídeant poténtiam tuam. Sicut enim in conspéctu eórum sanctificátus es in nobis, sic in conspéctu nostro magnificáberis in eis, ut cognóscant te, sicut et nos cognóvimus, quóniam non est Deus præter te, Dómine. Innova signa, et immúta mirabília. Glorífica manum, et bráchium dextrum. Excita furórem, et effúnde iram. Tolle adversárium, et afflíge inimícum. Festína tempus, et meménto finis, ut enárrent mirabília tua. Da testimónium his, qui ab inítio creatúræ tuæ sunt, et súscita prædicatiónes, quas locúti sunt in nómine tuo prophétæ prióres. Da mercédem sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur: et exáudi oratiónes servórum tuórum, secúndum benedictiónem Aaron de pópulo tuo, et dírige nos in viam justítiæ, et sciant omnes, qui hábitant terram, quia tu es Deus conspéctor sæculórum.

Graduale Ps. 66, 6-8 Confiteántur tibi pópuli, Deus: confiteántur tibi pópuli omnes: terra dedit fructum suum. ℣. Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: et métuant eum omnes fines terræ.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 99, 1 Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia: introíte in conspéctu ejus, in exsultatióne. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 95, 3-5 Annuntiáte inter gentes glóriam Dómini, in ómnibus pópulis mirabília ejus. ℣. Quóniam magnus Dóminus, et laudábilis nimis: terríbilis est super omnes deos. ℣. Quóniam omnes dii géntium dæmónia: Dóminus autem cælos fecit.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 99, 1-2 Jubiláte Deo, omnis terra: servíte Dómino in lætítia: introíte in conspéctu ejus, in exsultatióne. Allelúja, allelúja. ℣. Scitóte quóniam Dóminus ipse est Deus: ipse fecit nos, et non ipsi nos. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.
Matth. 9, 35-38

In illo témpore: Circuíbat Jesus omnes civitátes, et castélla, docens in synagógis eórum, et prædicans Evangélium regni, et curans omnem languórem, et omnem infirmitátem. Videns autem turbas, misértus est eis: quia erant vexáti, et jacéntes sicut oves non habéntes pastórem. Tunc dicit discípulis suis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam.

Offertorium Ps. 95, 7-9 Afférte Dómino, pátriæ géntium, afférte Dómino glóriam et honórem, afférte Dómino glóriam nómini ejus: tóllite hóstias, et introíte in átria ejus: adoráte Dóminum in átrio sancto ejus.

Secreta

Protéctor noster áspice Deus, et réspice in fáciem Christi tui, qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus: et fac; ut ab ortu solis usque ad occásum magnificétur nomen tuum in géntibus, ac in omni loco sacrificétur et offerátur nómini tuo oblátio munda. Per eúmdem Dóminum.

Communio Ps. 116, 1-2 Laudáte Dóminum, omnes gentes: laudáte eum, omnes pópuli: quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus, et véritas Dómini manet in ætérnum.

Postcommunio

Redemptiónis nostræ múnere vegetáti: quæsumus, Dómine; ut hoc perpétuæ salútis auxílio, fides semper vera profíciat. Per Dóminum.

Alia Epistola

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Tim. 2, 1-7

Obsecro primum ómnium fíeri obsecratiónes, oratiónes, postulatiónes, gratiárum actiónes, pro ómnibus homínibus: pro régibus et ómnibus, qui in sublimitáte sunt, ut quiétam et tranquíllam vitam agámus, in omni pietáte, et castitáte; hoc enim bonum est, et accéptum coram Salvatóre nostro Deo, qui omnes hómines vult salvos fíeri, et ad agnitiónem veritátis veníre. Unus enim Deus, unus et mediátor Dei et hóminum, homo Christus Jesus: qui dedit redemptiónem semetípsum pro ómnibus, testimónium tempóribus suis: in quo pósitus sum ego prædicátor et apóstolus (veritátem dico, non méntior), doctor géntium in fide et veritáte.

Missa contra paganos

Introitus Ps. 43, 23-24 et 25-26

Exsúrge, quare obdórmis, Dómine? exsúrge, et ne repéllas in finem: quare fáciem tuam avértis? oblivísceris tribulatiónem nostram? Adhæsit in terra venter noster: exsúrge, Dómine, ádjuva nos, et líbera nos. ℣. Ps. ibid., 2 Deus, áuribus nostris audívimus: patres nostri annuntiavérunt nobis. ℣. Glória Patri. Exsúrge.

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, in cujus manu sunt ómnium potestátes et ómnium jura regnórum: réspice in auxílium Christianórum: ut gentes paganórum, quæ in sua feritáte confídunt, déxteræ tuæ poténtia conterántur. Per Dóminum.

Léctio libri Esther.
Esth. 13, 8-11 et 15-17

In diébus illis: Orávit Mardochæus ad Dóminum, dicens: Dómine, Dómine Rex omnípotens, in ditióne enim tua cuncta sunt pósita, et non est qui possit tuæ resístere voluntáti, si decréveris salváre Israël. Tu fecísti cælum et terram, et quidquid

Missa votiva D. N. Iesu Christi Summi et Aeterni Sacerdotis

quae in locum conventualis de feria V communi in choro sufiici potest

Introitus Ps. cix, 4

Jurávit Dóminus, et non pœnitébit eum: Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Ps. ibid. 1. Dixit Dóminus Dómino meo: Sede a dextris meis. ℣. Glória Patri. Jurávit Dóminus.

Oratio

Deus, qui ad majestátis tuæ glóriam et géneris humáni salútem, Unigénitum tuum summum atque ætérnum constituísti Sacerdótem: præsta; ut quos minístros et mysteriórum suórum dispensatóres elégit, in accépto ministério adimpléndo fidéles inveniántur. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Hebræos.

Hebr. V, 1-11

Fratres: Omnis Póntifex ex homínibus assúmptus, pro homínibus constitúitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut ófferat dona, et sacrifícia pro peccátis: qui condolére possit iis, qui ignórant, et errant: quóniam et ipse circúmdatus est infirmitáte: et proptérea debet, quemádmodum pro pópulo, ita étiam et pro semetípso offérre pro peccátis. Nec quisquam sumit sibi honórem, sed qui vocátur a Deo, tamquam Aaron. Sic et Christus non semetípsum clarificávit ut póntifex fíeret, sed qui locútus est ad eum: Fílius meus es tu; ego hódie génui te. Quemádmodum et in álio loco dicit: Tu es Sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech. Qui in diébus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum salvum fácere a morte, cum clamóre válido et lácrymis ófferens, exaudítus est pro sua reveréntia. Et quidem cum esset Fílius Dei dídicit ex iis, quæ passus est obediéntiam; et consummátus, factus est ómnibus obtemperántibus sibi, causa salútis ætérnæ, appellátus a Deo póntifex juxta órdinem Melchísedech. De quo nobis grandis sermo, et ininterpretábilis ad dicéndum.

Graduale. Luc. IV, 18. Spíritus Dómini super me, propter quod unxit me: ℣. Evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde.

Allelúja, Allelúja. ℣. Hebr. VII, 24. Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja et ℣ seq., dicitur:

Tractus. Ps. IX, 34-36. Exúrge, Dómine Deus, exaltétur manus tua: ne oblivíscáris páuperum. ℣. Vide quóniam tu labórem et dolórem consíderas: ℣. Tibi derelíctus est pauper: órphano tu eris adjútor.

Tempore autem Paschali omittitur Graduale et ejus loco dicitur:

Allelúja, Allelúja. ℣. Hebr. VII, 24. Jesus autem eo quod máneat in ætérnum, sempitérnum habet sacerdótium. Allelúja. ℣. Luc. IV, 18. Spíritus Dómini super me; propter quod unxit me, evangelizáre paupéribus misit me, sanáre contrítos corde. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. XXII, 14-20

In illo témpore: Discúbuit Jesus, et duódecim Apóstoli cum eo. Et ait illis: Desidério desiderávi hoc Pascha manducáre vobíscum, ántequam pátiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducábo illud, donec impleátur in regno Dei. Et accépto cálice, grátias egit, et dixit: Accípite, et divídite inter vos. Dico enim vobis quod non bibam de generatióne vitis, donec regnum Dei véniat. Et accépto pane, grátias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc fácite in meam commemoratiónem. Similiter et cálicem, postquam cœnávit, dicens: Hic est calix novum testaméntum in sánguine meo, qui pro vobis fundétur.

Offertorium. Hebr. X, 12-14. Christus unam pro peccátis ófferens hóstiam, in sempitérnum sedet in déxtera Dei: una enim oblatióne consummávit in ætérnum sanctificátos.

Secreta

Haec múnera, Dómine, mediátor noster Jesus Christus Tibi reddat accépta; et nos, una secum, hóstias tibi gratas exhíbeat: Qui tecum.

Praefatio de Cruce.

Communio. I Cor. XI, 24-25. Hoc corpus, quod pro vobis tradétur: hic calix novi testaménti est in meo sánguine, dicit Dóminus: hoc fácite, quotiescúmque súmitis, in meam commemoratiónem.

Postcommunio

Vivíficet nos, quaesumus Dómine, divína quam obtúlimus et súmpsimus hóstia; ut perpétua Tibi caritáte conjúncti, fructum, qui semper máneat, afferámus. Per Dóminum.

URBIS ET ORBIS

DECRETUM

Missam votivam D. N. I. C. Summi et Aeterni Sacerdotis, de mandato Ssmi D. N. Pii Papæ XI ab hac Sacra Congregatione concinnatam, Eadem Sanctitas Sua iuxta præsens exemplar approbavit, atque inter missas votivas Missalis Romani inseri iussit.

Romæ, die 24 Decembris 1935.

C. Card. Laurenti, Præfectus.

A. Carinci, Secretarius.

Concordat cum originali adprobato.

Bracaræ, die 3 Aprilis 1936.

IMPRIMATUR.

† Antonius, Archiep. Prim.

BRACARÆ — [illegible]

cæli ámbitu continétur. Dóminus ómnium es, nec est qui resístat majestáti tuæ. Et nunc, Dómine Rex Deus Abraham, miserére pópuli tui, quia volunt nos inimíci nostri pérdere, et hereditátem tuam delére. Ne despícias partem tuam, quam redemísti tibi de Ægýpto. Exáudi deprecatiónem meam, et propítius esto sorti et funículo tuo, et convérte luctum nostrum in gáudium, ut vivéntes laudémus nomen tuum, Dómine, et ne claudas ora te canéntium, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 82, 19 Sciant gentes, quóniam nomen tibi Deus: tu solus Altíssimus super omnem terram. ℣. Ibid., 14 Deus meus, pone illos ut rotam, et sicut stípulam ante fáciem venti.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 79, 3 Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut salvos fácias nos. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 78, 9-11 Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos: et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum. ℣. Ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? et innotéscat in natiónibus coram óculis nostris. ℣. Víndica sánguinem servórum tuórum, qui effúsus est: intret in conspéctu tuo gémitus compeditórum.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 79, 3 Excita, Dómine, poténtiam tuam, et veni: ut salvos fácias nos. Allelúja, allelúja. ℣. Ibid., 15-16 Deus virtútum convértere, réspice de cælo, et vide, et vísita víneam istam: et pérfice eam, quam plantávit déxtera tua. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 11, 5-13

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Quis vestrum habébit amícum, et ibit ad illum média nocte, et dicet illi: Amíce, cómmoda mihi tres panes, quóniam amícus meus venit de via ad me, et non hábeo, quod ponam ante illum: et ille deíntus respóndens, dicat: Noli mihi moléstus esse, jam óstium clausum est, et púeri mei mecum sunt in cubíli, non possum súrgere, et dare tibi. Et si ille perseveráverit pulsans: dico vobis, et si non dabit illi surgens eo quod amícus ejus sit, propter improbitátem tamen ejus surget, et dabit illi quotquot habet necessários. Et ego dico vobis: Pétite, et dábitur vobis: quǽrite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis. Omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit, ínvenit: et pulsánti aperiétur. Quis autem ex vobis patrem petit panem: numquid lápidem dabit illi? Aut piscem: numquid pro pisce serpéntem dabit illi? Aut si petíerit ovum: numquid pórriget illi scorpiónem? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare fíliis vestris: quanto magis Pater vester de cælo dabit spíritum bonum peténtibus se?

Offertorium Ps. 17, 28 et 32 Pópulum húmilem salvum fácies: et óculos superbórum humiliábis: quóniam quis Deus præter te, Dómine?

Secreta

Sacrificium, Dómine, quod immolámus, inténde: ut propugnatóres tuos ab omni éruas paganórum nequítia, et in tuæ protectiónis securitáte constítuas. Per Dóminum.

Communio Ps. 118, 81, 84 et 86 In salutári tuo ánima mea, et in verbum tuum sperávi: quando fácies de persequéntibus me judícium? Iníqui persecúti sunt me, ádjuva me, Dómine Deus meus.

Postcommunio

Protéctor noster áspice Deus: et propugnatóres tuos a paganórum defénde perículis; ut, omni perturbatióne submóta, líberis tibi méntibus desérviant. Per Dóminum.

Missa ad tollendum schisma

Introitus Ps. 105, 47

Salvos nos fac, Dómine Deus noster, et cóngrega nos de natiónibus: ut confiteámur nómini sancto tuo, et gloriémur in laude tua. ℣. Ps. ibid., 1 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri. Salvos nos fac.

Oratio

Deus, qui erráta córrigis, et dispérsa cóngregas, et congregáta consérvas: quæsumus, super pópulum christiánum tuæ uniónis grátiam cleménter infúnde; ut, divisióne rejécta, vero pastóri Ecclésiæ tuæ se úniens, tibi digne váleat famulári. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Ephésios.

Ephes. 4, 1-7 et 13-21

Fratres: Obsecro vos, ut digne ambulétis vocatióne qua vocáti estis, cum omni humilitáte, et mansuetúdine, cum patiéntia, supportántes ínvicem in caritáte, sollíciti serváre unitátem spíritus in vínculo pacis. Unum corpus, et unus spíritus, sicut vocáti estis in una spe vocatiónis vestræ. Unus Dóminus, una fides, unum baptísma. Unus Deus, et Pater ómnium, qui est super omnes, et per ómnia, et in ómnibus nobis. Unicuíque autem nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi: donec occurrámus omnes in unitátem fídei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi: ut jam non simus párvuli fluctuántes, et circumferámur omni vento doctrínæ in nequítia hóminum, in astútia ad circumventiónem erróris. Veritátem autem faciéntes in caritáte, crescámus in illo per ómnia, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compáctum et connéxum per omnem junctúram subministratiónis, secúndum operatiónem in mensúram uniuscujúsque membri, augméntum córporis facit in ædificatiónem sui in caritáte. Hoc ígitur dico, et testíficor in Dómino, ut jam non ambulétis, sicut et gentes ámbulant in vanitáte sensus sui, ténebris obscurátum habéntes intelléctum, alienáti a vita Dei per ignorántiam quæ est in illis, propter cæcitátem cordis ipsórum, qui desperántes, semetípsos

tradidérunt impudicítiæ, in operatiónem immundítiæ omnis, in avarítiam. Vos autem non ita didicístis Christum: si tamen illum audístis, et in ipso edócti estis, sicut est véritas in Christo Jesu Dómino nostro.

Graduale Ps. 121, 6-7 ℟ Rogáte quæ ad pacem sunt Jerúsalem: et abundántia diligéntibus te. ℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 147, 12 Lauda, Jerúsalem, Dóminum: lauda Deum tuum, Sion. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 75, 2-5 Notus in Judǽa Deus, in Israël magnum nomen ejus. ℣. Et factus est in pace locus ejus, et habitátio ejus in Sion. ℣. Ibi confrégit poténtias árcuum, scutum, gládium, et bellum.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 147, 12 Lauda, Jerúsalem, Dóminum: lauda Deum tuum, Sion. Allelúja, allelúja ℣. Ibid., 14 Qui pósuit fines tuos pacem, et ádipe fruménti sátiat te. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 17, 1 et 11-23

In illo témpore: Sublevátis Jesus óculis in cælum, dixit: Pater sancte, serva eos in nómine tuo, quos dedísti mihi: ut sint unum, sicut et nos. Cum essem cum eis, ego servábam eos in nómine tuo. Quos dedísti mihi, custodívi: et nemo ex eis périit, nisi fílius perditiónis, ut Scriptúra impleátur. Nunc autem ad te vénio: et hæc loquor in mundo, ut hábeant gáudium meum implétum in semetípsis. Ego dedi eis sermónem tuum, et mundus eos ódio hábuit, quia non sunt de mundo, sicut et ego non sum de mundo. Non rogo, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo. De mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo. Sanctífica eos in veritáte. Sermo tuus véritas est. Sicut tu me misísti in mundum, et ego misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctífico meípsum, ut sint et ipsi sanctificáti in veritáte. Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis, qui creditúri sunt per verbum eórum in me: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misísti. Et ego claritátem, quam dedísti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Ego in eis, et tu in me, ut sint consummáti in unum.

Offertorium Rom. 15, 5-6 Det vobis Deus idípsum sápere in altérutrum: ut unánimes uno ore honorificétis Deum nostrum.

Secreta

Múnera hæc pro unióne pópuli christiáni tibi, Dómine, obláta sanctífica: per quæ unitátis et pacis in Ecclésia tua nobis dona concédas. Per Dóminum.

Communio 1 Cor. 10, 17 Unus panis, et unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane, et de uno cálice participámus.

Postcommunio

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra commúnio: sicut fidélium in te uniónem præsignat; sic in tua Ecclésia unitátis, quǽsumus, operétur effectum. Per Dóminum.

Missa pro vitanda mortalitate

¶ Hanc Missam, pro salute hominum tempore pestis, instituit Clemens Papa VI cum Collegio Cardinalium, concedens omnibus dicentibus, vel cum accensis candelis audientibus CCLX dies indulgentiarum.

Introitus 2 Reg. 24, 16

Recordáre, Dómine, testaménti tui, et dic Angelo percutiénti: Cesset jam manus tua, ut non desolétur terra: et ne perdas omnem ánimam vivéntem. ℣. Ps. 79, 2 Qui regis Israël, inténde: qui dedúcis, velut ovem, Joseph. ℣. Glória Patri. Recordáre.

Oratio

Deus, qui non mortem, sed pœniténtiam desíderas peccatórum: pópulum tuum, quǽsumus, Dómine, ad te convérte propítius; ut, dum tibi devótus exsístit, iracúndiæ tuæ flagélla ab eo cleménter amóveas. Per Dóminum.

Léctio libri Regum.
2 Reg. 24, 15-19 et 25

In diébus illis: Immísit Dóminus pestiléntiam in Israël, de mane usque ad tempus constitútum, et mórtui sunt ex pópulo, a Dan usque ad Bersabée, septuagínta míllia virórum. Cumque extendísset manum suam Angelus Dómini super Jerúsalem, ut dispérderet eam, misértus est Dóminus super afflictióne, et ait Angelo percutiénti pópulum: Súfficit: nunc cóntine manum tuam. Erat autem Angelus Dómini juxta áream Aréuna Jebusǽi. Dixítque David ad Dóminum, cum vidísset Angelum cædéntem pópulum: Ego sum qui peccávi, ego iníque egi: isti, qui oves sunt, quid fecérunt? Vertátur, óbsecro, manus tua contra me, et contra domum patris mei. Venit autem Gad prophéta ad David in die illa, et dixit ei: Ascénde, et constítue altáre Dómino in área Aréuna Jebusǽi. Et ascéndit David juxta sermónem Gad, quem præcéperat ei Dóminus. Et ædificávit altáre Dómino, et óbtulit holocáusta et pacífica: et propitiátus est Dóminus terræ, et cohíbita est plaga ab Israël.

Graduale Ps. 106, 20-21 Misit Dóminus verbum suum, et sanávit eos: et erípuit eos de morte eórum. ℣. Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus: et mirabília ejus fíliis hóminum.

Allelúja, allelúja. ℣. Zach. 8, 7-8 Salvábo pópulum meum in médio Jerúsalem: et ero eis in Deum in veritáte et justítia.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 102, 10 Dómine, non secúndum peccáta nostra, quæ fécimus nos: neque secúndum iniquitátes nostras retríbuas nobis. ℣. Ps. 78, 8-9 Dómine, ne memíneris iniquitátum nostrárum antiquárum: cito antícipent nos misericórdiæ tuæ, quia páuperes facti

sumus nimis. ℣. Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter glóriam nóminis tui, Dómine, líbera nos, et propítius esto peccátis nostris, propter nomen tuum.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. Zach. 8, 7-8 Salvábo pópulum meum in médio Jerúsalem: et ero eis in Deum in veritáte et justítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 4, 38-44

In illo tempore: Surgens Jesus de synagóga, introívit in domum Simónis. Socrus autem Simónis tenebátur magnis fébribus: et rogavérunt illum pro ea. Et stans super illam, imperávit febri: et dimísit illam. Et contínuo surgens, ministrábat illis. Cum autem sol occidísset, omnes qui habébant infírmos váriis languóribus, ducébant illos ad eum. At ille síngulis manus impónens, curábat eos. Exíbant autem dæmónia a multis, clamántia, et dicéntia: Quia tu es Fílius Dei: et íncrepans non sinébat ea loqui, quia sciébant ipsum esse Christum. Facta autem die, egréssus ibat in desértum locum, et turbæ requirébant eum, et venérunt usque ad ipsum: et detinébant illum ne discéderet ab eis. Quibus ille ait: Quia et áliis civitátibus opórtet me evangelizáre regnum Dei: quia ídeo missus sum. Et erat prædicans in synagógis Galilææ.

Offertorium Num. 16, 48 Stetit póntifex inter mórtuos et vivos, habens thuríbulum áureum in manu sua: et ófferens incénsi sacrifícium, placávit iram Dei, et cessávit quassátio a Dómino.

Secreta

Subvéniat nobis, quæsumus, Dómine, sacrifícii præséntis oblátio: quæ nos et ab erróribus univérsis poténter absólvat, et a totíus erípiat perditiónis incúrsu. Per Dóminum.

Communio Luc. 6, 17, 18 et 19 Multitúdo languéntium, et qui vexabántur a spirítibus immúndis, veniébant ad eum: quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes.

Postcommunio

Exáudi nos, Deus salutáris noster: et, intercedénte beáta Dei Genitríce sempérque Vírgine María cum ómnibus Sanctis, pópulum tuum ab iracúndiæ tuæ terróribus líberum, et misericórdiæ tuæ fac largitáte secúrum. Per Dóminum.

Missa pro remissione peccatorum

Introitus Dan. 3, 31, 29, 34 et 35

Omnia quæ fecísti nobis, Dómine, in vero judício fecísti: quia peccávimus tibi et mandátis tuis non obedívimus: sed da glóriam nómini tuo, et fac nobíscum secúndum multitúdinem misericórdiæ tuæ. ℣. Ps. 118, 1 Beáti immaculáti in via: qui ámbulant in lege Dómini. ℣. Glória Patri. Omnia.

Oratio

Exáudi, quǽsumus, Dómine, súpplicum preces, et confiténtium tibi parce peccátis: ut páriter nobis indulgéntiam tríbuas benígnus, et pacem. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 14, 7-9

Si iniquitátes nostræ conténderint contra nos: Dómine, líbera nos. Quǽsumus, fac propter nomen tuum: quóniam multæ sunt aversiónes nostræ. Tibi peccávimus, Expectátio Israël, Salvátor noster in témpore tribulatiónis. Tu autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 78, 9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris, ne quando dicant gentes: ubi est Deus eórum? ℣. Ibid., 9 Adjuva nos, Deus salutáris noster: et propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúja, allelúja. Ps. 84, 8 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 129, 1-4 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. ℣. Fiant aures tuæ intendéntes in oratiónem servi tui. ℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit? ℣. Quia apud te propitiátio est: et propter legem tuam sustínui te, Dómine.

Tempore Paschali, omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. Ps. 7, 12 Deus judex justus, fortis et pátiens: numquid irascétur per síngulos dies? Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 50, 10 Audítui meo dabis gáudium, et lætítiam: et exsultábunt ossa humiliáta. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.
Marc. 11, 22-25

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti: Tóllere, et míttere in mare, et non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit, quia quodcúmque díxerit fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis, ómnia quæcúmque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et evénient vobis. Et, cum stábitis ad orándum, dimíttite si quid habétis advérsus áliquem: ut et Pater vester, qui in cælis est, dimíttat vobis peccáta vestra.

Offertorium Ps. 50, 3 Miserére mihi, Dómine, secúndum magnam misericórdiam tuam: dele, Dómine, iniquitátem meam.

Secreta

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis et laudis offérimus: ut et delícta nostra miserátus absólvas, et nutántia corda tu dírigas. Per Dñum.

Communio Ps. 30, 3 Inclína aurem tuam: accélera ut éruas nos, Dómine.

Postcommunio

Præsta nobis, ætérne Salvátor: ut percipiéntes hoc múnere véniam peccatórum, deínceps peccáta vitémus. Per Dóminum.

Missa pro pace

Introitus Eccli. 36,18

Da pacem, Dómine, sustinéntibus te, ut prophétæ tui fidéles inveniántur: exáudi preces servi tui, et plebis tuæ Israël. ℣. Ps. 121, 1 Lætátus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Glória Patri. Da pacem.

Oratio

Deus, a quo sancta desidéria, recta consília et justa sunt ópera: da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandátis tuis dédita, et, hóstium subláta formídine, témpora sint, tua protectióne, tranquílla. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 12, 16-21

Fratres: Nolíte esse prudéntes apud vosmetípsos: nulli malum pro malo reddéntes: providéntes bona, non tantum coram Deo, sed étiam coram ómnibus homínibus. Si fíeri potest, quod ex vobis est, cum ómnibus homínibus pacem habéntes. Non vosmetípsos defendéntes, caríssimi, sed date locum iræ: scriptum est enim: Mihi vindícta: ego retríbuam, dicit Dóminus. Sed, et si esuríerit inimícus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim fáciéns, carbónes ignis cóngeres super caput ejus. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum.

Graduale Ps. 121, 1 et 7 Lætátus sum in iis, quæ dicta sunt mihi: in domum Dómini íbimus. ℣. Fiat pax in virtúte tua: et abundántia in túrribus tuis.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 147, 3 Qui pósuit fines tuos pacem: et ádipe fruménti sátiat te.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Tua est poténtia, tuum regnum, Dómine, tu es super omnes gentes: da pacem, Dómine, in diébus nostris. ℣. Creátor ómnium, Deus terríbilis, fortis, justus et miséricors: da pacem in diébus nostris.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. Zach. 8, 7-8 Salvábo pópulum meum in médio Jerúsalem: et ero eis in Deum in veritáte et justítia. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 18, 1-8

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis parábolam hanc: Opórtet semper oráre, et non defícere. Judex quidam erat in quadam civitáte, qui Deum non timébat, et hóminem non reverebátur. Vídua autem quædam erat in civitáte illa, et veniébat ad eum, dicens: Víndica me de adversário meo. Et nolébat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se: Etsi Deum non tímeo, nec hóminem revéreor: tamen, quia moléstą est mihi hæc vídua, vindicábo illam, ne in novíssimo véniens sugíllet me. Ait autem Dóminus: Audíte quid judex iniquitátis dicit:

Deus autem non fáciet vindíctam electórum suórum, clamántium ad se die ac nocte, et patiéntiam habébit in illis? Dico autem vobis, quia cito fáciet vindíctam illórum.

Offertorium Ps. 33, 8-9 Immítet Angelum Dóminus in circúitu timéntium eum, et erípiet eos: gustáte et vidéte, quóniam suávis est Dóminus.

Secreta

Deus, qui credéntes in te pópulos nullis sinis cóncuti terróribus: dignáre preces et hóstias dicátæ tibi plebis suscípere; ut pax a tua pietáte concéssa, christianórum fines ab omni hoste fáciat esse secúros. Per Dóminum.

Communio Ps. 11, 8. Tu, Dómine, servábis nos: et custódies nos a generatióne hac in ætérnum.

Postcommunio

Deus, auctor pacis et amátor, quem nosse, vívere, cui servíre, regnáre est: prótege ab ómnibus impugnatiónibus súpplices tuos; ut, qui in defensióne tua confídimus, nullíus hostilitátis arma timeámus. Per Dóminum.

Missa tempore belli

Introitus Ps. 24, 6, 3 et 22

Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, et misericórdiæ tuæ, quæ a sǽculo sunt: ne umquam dominéntur nobis inimíci nostri: líbera nos, Deus Israël, ex ómnibus tribulatiónibus nostris. ℣. Ps. ibid., 1-2 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam. ℣. Glória Patri. Reminíscere.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus: a bellórum nos, quǽsumus, túrbine fac quiétos; quia nobis bona cuncta præstábis, si pacem déderis ánimæ et córporis. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jerem. 42, 1-2 et 7-12

In diébus illis: Accessérunt omnes príncipes bellatórum: dixerúntque ad Jeremíam prophétam: Ora pro nobis ad Dóminum Deum tuum. Et factum est verbum Dómini ad Jeremíam. Vocavítque omnes príncipes bellatórum, et univérsum pópulum a mínimo usque ad magnum. Et dixit ad eos: Hæc dicit Dóminus Deus Israël, ad quem misístis me, ut prostérnerem preces vestras in conspéctu ejus: Si quiescéntes manséritis in terra hac, ædificábo vos, et non déstruam; plantábo, et non evéllam: jam enim placátus sum super malo, quod feci vobis. Nolíte timére a fácie regis Babylónis, quem vos pávidi formidátis; nolíte metúere eum, dicit Dóminus: quia vobíscum sum ego, ut salvos vos fáciam, et éruam de manu ejus. Et dabo vobis misericórdias, et miserébor vestri, et habitáre vos fáciam in terra vestra: dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 76, 15-16 Tu es Deus, qui facis mirabília solus: notam fecísti in géntibus virtútem tuam. ℣. Liberásti in bráchio tuo pópulum tuum, fílios Israël et Joseph.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 58, 2 Eripe me de inimícis meis, Deus meus:

et ab insurgéntibus in me líbera me. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Jer. 42, 11 et 10 Nolíte timére a fácie regis Babylónis, quem vos pávidi formidátis. ℣. Jam enim placátus sum, super malo quod feci vobis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 58, 2 Eripe me de inimícis meis, Deus meus: et ab insurgéntibus in me líbera me. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthǽum.

Matth. 24, 3-8

In illo témpore: Accessérunt ad Jesum discípuli secréto, dicéntes: Dic nobis, quando hæc erunt? et quod signum advéntus tui, et consummatiónis sǽculi? Et respóndens Jesus, dixit eis: Vidéte, ne quis vos sedúcat. Multi enim vénient in nómine meo, dicéntes: Ego sum Christus: et multos sedúcent. Auditúri enim estis prǽlia, et opiniónes præliórum. Vidéte ne turbémini. Opórtet enim hæc fíeri, sed nondum est finis. Consúrget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestiléntiæ, et fames, et terræmótus per loca. Hæc autem ómnia, inítia sunt dolórum.

Offertorium Ps. 17, 28 et 32 Pópulum húmilem salvum fácies, Dómine, et óculos superbórum humiliábis: quóniam quis Deus præter te, Dómine?

Secreta

Sacrifícium, Dómine, quod immolámus, inténde placátus: ut ab omni nos éruat bellórum nequítia, et in tuæ protectiónis securitáte constítuat. Per Dóminum.

Communio Ps. 30 3 Inclína aurem tuam: accélera, ut erípias nos.

Postcommunio

Sacrosáncti córporis et sánguinis Dómini nostri Jesu Christi refectióne vegetáti: súpplices te rogámus, omnípotens Deus; ut, hoc remédio singulári, ab omni peccatórum nos contagióne purífices, et a periculórum múnias incursióne cunctórum. Per eúmdem Dóminum.

Missa ad poscendam pluviam

Introitus Ps. 73, 20, 19, 22 et 23

Réspice, Dómine, in testaméntum tuum, et ánimas páuperum tuórum ne derelínquas in finem: exsúrge, Dómine, et júdica causam tuam: et ne obliviscáris voces quæréntium te. ℣. Ps. ibid., 1 Ut quid, Deus, repulísti nos in finem: irátus est furor tuus super oves páscuæ tuæ? ℣. Glória Patri. Réspice.

Oratio

Deus, in quo vívimus, movémur et sumus: plúviam nobis tríbue congruéntem; ut, præséntibus subsídiis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus. Per Dóminum.

Léctio libri Levítici.
Lev. 26, 3-12

In diébus illis: Dixit Dóminus ad Móysen: Lóquere fíliis Israël: Si in præcéptis meis ambulavéritis, et mandáta mea custodiéritis, et fecéritis ea, dabo vobis plúvias tempóribus suis, et terra gignet germen suum, et pomis árbores replebúntur. Apprehéndet méssium tritúra vindémiam, et vindémia occupábit seméntem: et comedétis panem vestrum in saturitáte, et absque pavóre habitábitis in terra vestra. Dabo pacem in fínibus vestris: dormiétis, et non erit qui extérreat. Auferam malas béstias: et gládius non transíbit términos vestros. Persequémini inimícos vestros, et córruent coram vobis: persequéntur quinque de vestris centum aliénos, et centum ex vobis decem míllia: cadent inimíci vestri gládio in conspéctu vestro. Respíciam vos, et créscere fáciam: multiplicabímini, et firmábo pactum meum vobíscum. Comedétis vetustíssima véterum, et vétera novis superveniéntibus projiciétis. Ponam tabernáculum meum in médio vestri: et non abjíciet vos ánima mea. Ambulábo inter vos, et ero Deus vester, vosque éritis pópulus meus, dicit Dóminus omnípotens.

Graduale Ps. 89, 13 et 1 Convértere, Dómine, aliquántulum, et deprecáre super servos tuos. ℣. Dómine, refúgium factus es nobis a generatióne et progénie.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Jac. 5, 17-18 Elías homo erat símilis nobis passíbilis: et oratióne orávit ut plúeret super terram. ℣. Et cælum dedit plúviam, et terra dedit fructum suum.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja, ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.
Marc. 8, 1-9

In illo témpore: Cum turba multa esset cum Jesu, nec habérent quod manducárent, convocátis discípulis, ait illis: Miséreor super turbam: quia ecce jam tríduo sústinent me, nec habent quod mandúcent: et, si dimísero eos jejúnos in domum suam, defícient in via: quidam enim ex eis de longe venérunt. Et respondérunt ei discípuli sui: Unde illos quis póterit hic saturáre pánibus in solitúdine? Et interrogávit eos: Quot panes habétis? Qui dixérunt: Septem. Et præcépit turbæ discúmbere super terram. Et accípiens septem panes, grátias agens fregit, et dabat discípulis suis, ut apponérent, et apposuérunt turbæ. Et habébant pisciculos paucos: et ipsos benedíxit, et jussit appóni. Et manducavérunt, et saturáti sunt, et sustulérunt quod superáverat de fragméntis, septem sportas. Erant autem qui mandu-

cáverant, quasi quátuor míllia: et dimísit eos.

Offertorium Sicut in holocáustum aríetum et taurórum et sicut in míllibus agnórum pínguium, sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie, ut pláceat tibi: quia non est confúsio confidéntibus in te, Dómine.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et opportúnum nobis tríbue plúviæ sufficiéntis auxílium. Per Dóminum.

Communio Luc. 11, 9-10 Pétite, et accipiétis: quǽrite, et inveniétis: pulsáte, et aperiétur vobis: omnis enim qui petit, áccipit: et qui quærit, invenit: et pulsánti aperiétur.

Postcommunio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, plúviam salutárem: et áridam terræ fáciem fluéntis cæléstibus dignánter infúnde. Per Dóminum.

Missa pro serenitate

Introitus Sap. 11, 24-27

Miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti: dissímulans peccáta hóminum propter pœniténtiam: et parcens illis, quia tu es Dóminus Deus noster. ℣. Ps. 56, 2 Miserére mei, Deus, miserére mei: quóniam in te confídit ánima mea. ℣. Glória Patri. Miseréris.

Oratio

Ad te nos, Dómine, clamántes exáudi: et äëris serenitátem nobis tríbue supplicántibus; ut qui juste pro peccátis nostris afflígimur, misericórdia tua præveniénte, cleméntiam sentiámus. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 14, 7-8 et 9

Si iniquitátes nostræ conténderint contra nos, Dómine, líbera nos. Quǽsumus, fac propter nomen tuum: quóniam multæ sunt aversiónes nostræ. Tibi peccávimus, exspectátio Israël, salvátor noster in témpore tribulatiónis. Tu autem in nobis es, Dómine, et nomen sanctum tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 78, 9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris, ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et, propter honórem nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus Qui cognóscis, Dómine, occúlta cordis, noli cláudere aures tuas ad preces nostras. ℣. Adjútor esto in tribulatiónibus quæ invenérunt nos nimis.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 129, 1 De profúndis clamávi

ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam. Luc. 8, 22-25

In illo témpore: Factum est in una diérum: et Jesus ascéndit in navículam, et discípuli ejus, et ait ad illos: Transfretémus trans stagnum. Et ascendérunt. Navigántibus autem illis, obdormívit: et descéndit procélla venti in stagnum, et complebántur, et periclitabántur. Accedéntes autem suscitavérunt eum, dicéntes: Præcéptor, perímus. At ille surgens, increpávit ventum et tempestátem aquæ: et cessávit, et facta est tranquíllitas. Dixit autem illis: Ubi est fides vestra? Qui timéntes, miráti sunt ad ínvicem, dicéntes: Quis, putas, hic est, quia et ventis ímperat et mari, et obédiunt ei?

Offertorium Ps. 9, 11-13 Sperent in te omnes qui novérunt nomen tuum, Dómine: quóniam non derelínquis quæréntes te: psállite Deo, qui hábitat in Sion, quóniam non est oblítus oratiónes páuperum.

Secreta

Prævéniat nos, quǽsumus, Dómine, grátia tua semper et subsequátur: et has oblatiónes, quas pro peccátis nostris nómini tuo consecrándas deférimus, benígnus assúme; ut, per intercessiónem Sanctórum tuórum, cunctis nobis profíciant ad salútem.

Communio Ps. 118, 4-5 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus, cleméntiam tuam: ut inundántiam coérceas ímbrium et hilaritátem vultus tui nobis impertíri dignéris. Per Dóminum.

Missa pro navigantibus

Introitus Ps. 106, 22-23

Sacríficent Dómino sacrifícium laudis, et annúntient ópera ejus in exsultatióne: qui descéndunt mare in návibus, faciéntes operatiónem in aquis multis. ℣. Ps. ibid. 1 Confitémini Dómino quóniam bonus, quóniam in sǽculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri. Sacríficent.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui beátum Petrum Apóstolum, super mare ambulántem, ad te veníre jussísti: intercedénte beáta et gloriósa semper vírgine Genitríce María cum ómnibus Sanctis tuis, adésto fámulis tuis super mare navigántibus, et in tua misericórdia confidéntibus; ut, ope misericórdiæ tuæ adjúti, ad loca destináta et ad salútis portum sine impediménto sani et incólumes váleant perveníre: Qui vivis.

Léctio Jonæ Prophétæ.
Jonæ 2, 2-10

In illis diébus: Orávit Jonas ad Dóminum Deum suum de ventre piscis, et dixit: Clamávi de tribulatióne mea ad Dóminum, et exaudívit me. De ventre ínferi clamávi, et exaudísti vocem meam. Et projecísti

me in profúndum in corde maris, et flumen circúmdedit me: omnes gúrgites tui, et fluctus tui super me transiérunt. Et ego dixi: Abjéctus sum a conspéctu oculórum tuórum: verúmtamen rursus vidébo templum sanctum tuum. Circumdedérunt me aquæ usque ad ánimam: abýssus vallávit me, pélagus opéruit caput meum. Ad extréma móntium descéndi: terræ vectes conclusérunt me in ætérnum et sublevábis de corruptióne vitam meam, Dómine Deus meus. Cum angustiarétur in me ánima mea, Dómini recordátus sum: ut véniat ad te orátio mea ad templum sanctum tuum. Qui custódiunt vanitátes frustra, misericórdiam suam derelínquunt. Ego autem in voce laudis immolábo tibi: quæcúmque vovi, reddam pro salúte mea, Dómine Deus meus.

Graduale Ps. 68, 17 et 16 Exáudi me, Dómine, quóniam benígna est misericórdia tua: secúndum multitúdinem miseratiónum tuárum réspice in me. ℣. Ut non me demérgat tempéstas aquæ: neque absórbeat me profúndum, neque úrgeat super me púteus os suum.

Allelúja, allelúja. ℣. 106, 29-30 Státuit Dóminus procéllam ejus in auram, et siluérunt fluctus ejus: et lætáti sunt quia siluérunt, et dedúxit eos in portum voluntátis eórum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 76, 17-19 Vidérunt te aquæ Deus, vidérunt te aquæ: et timuérunt, et turbátæ sunt abýssi. ℣. Multitúdo sónitus aquárum: vocem dedérunt nubes, étenim sagittæ tuæ tránseunt: vox tonítrui tui in rota.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 106, 29-30 Státuit Dóminus procéllam ejus in auram, et siluérunt fluctus ejus: et lætáti sunt quia siluérunt, et dedúxit eos in portum voluntátis eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.

Marc. 4, 35-40

In illo témpore: Una die cum sero esset factum, dixit Jesus discípulis suis: Transeámus contra. Et, dimitténtes turbam, assúmunt eum, ita ut erat in navi: et áliæ naves erant cum illo. Et facta est procélla magna venti, et fluctus mittébat in navim, ita ut implerétur navis. Et erat ipse in puppi super cervícal dórmiens: et éxcitant eum, et dicunt illi: Magíster, non ad te pértinet, quia perímus? Et exsúrgens comminátus est vento, et dixit mari: Tace, obmutésce. Et cessávit ventus: et facta est tranquíllitas magna. Et ait illis: Quid tímidi estis? necdum habétis fidem? Et timuérunt timóre magno, et dicébant ad altérutrum: Quis, putas, est iste, quia et ventus et mare obédiunt ei?

Offertorium Ps. 106, 25 et 28 Dixit Dóminus, et stetit spíritus procéllæ: et exaltáti sunt fluctus ejus: et cla-

mavérunt ad Dóminum cum tribularéntur, et de necessitátibus eórum edúxit eos.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, preces et oblatiónes, quas tibi offérimus pro fámulis tuis super mare navigántibus: et præsta; ut Angelus tuus sanctus per omnem viam aquárum eis occúrrat, qui in eúndo et redeúndo dux eis et comes mitíssimus efficiátur. Per Dóminum.

Communio Ps. 68, 35 et 88, 10 Laudent Dóminum cæli et terra, mare et ómnia reptília in eis: quóniam tu domináris potestáti maris, motum autem flúctuum ejus tu mítigas.

Postcommunio

Per hujus, Dómine, Sacraménti perceptiónem fámulos tuos navigántes, et in tua misericórdia sperántes, ab omni perículo liberáre dignéris: adsit Spíritus Sanctus, qui eos sanos et incólumes custódiat, atque ad locum destinátum et ad salútis portum cum gáudio et prosperitáte fáciat perveníre. Per Dóminum ... in unitáte.

Missa pro peregrinantibus et iter agentibus

Introitus Ps. 30, 3-4

Esto mihi in Deum protectórem et in locum refúgii, ut salvum me fácias: quóniam firmaméntum meum et refúgium meum es tu: et propter nomen tuum dux mihi eris, et enútries me. ℣. Ps. ibid. 2 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me. ℣. Glória Patri. Esto mihi.

Oratio

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris: et viam famulórum tuórum in salútis tuæ prosperitáte dispóne; ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietátes, tuo semper protegántur auxílio. Per Dóminum.

Léctio libri Génesis.

Gen. 46, 1-4

In diébus illis: Proféctus Israël, cum ómnibus quæ habébat, venit ad púteum juraménti: et, mactátis ibi víctimis Deo patris sui Isaac, audívit eum per visiónem, nocte vocántem se et dicéntem sibi: Jacob, Jacob. Cui respóndit: Ecce adsum. Ait illi Deus: Ego sum fortíssimus Deus patris tui: noli timére et descénde in Aegýptum, faciámque te ibi in gentem magnam. Ego descéndam tecum illuc, et ego inde edúcam te reverténtem.

Graduale Ps. 24, 3-4 Univérsi, qui te expéctant, non confundéntur, Dómine. ℣. Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: et sémitas tuas édoce me.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 84, 8 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 24, 4-5 et 5, 9 Vias tuas, Dómine, demónstra mihi: et sémitas tuas édoce me. ℣. Dírige me in veritáte tua: quia tu es Deus salvátor meus. ℣. Dírige, Dómine Deus meus, in conspéctu tuo viam meam.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 84, 8 Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam: et salutáre tuum da nobis. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 10, 7 et 11-15

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Eúntes prædicáte, dicéntes: Quia appropinquávit regnum cælórum. In quamcúmque civitátem aut castéllum intravéritis, interrogáte, quis in ea dignus sit, et ibi manéte donec exeátis. Intrántes autem in domum, salutáte eam, dicéntes: Pax huic dómui. Et, si quidem fúerit domus illa digna, véniet pax vestra super eam: si autem non fúerit digna, pax vestra ad vos revertétur. Et quicúmque non recéperit vos, neque audíerit sermónes vestros: exeúntes foras de domo vel civitáte, excútite púlverem de pédibus vestris. Amen dico vobis: Tolerabílius erit terræ Sodomórum et Gomorrhæórum in die judícii, quam illi civitáti.

Offertorium Ps. 118, 133 Gressus meos dírige secúndum elóquium tuum: ut non dominétur mei omnis injustítia.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes, quas tibi offérimus pro fámulis tuis, benígnus assúme: ut viam illórum et præcedénte grátia tua dírigas, et subsequénte comitári dignéris; ut de actu atque incolumitáte eórum, secúndum misericórdiæ tuæ præsídia gaudeámus. Per Dóminum.

Communio Ps. 118, 4-5 Tu mandásti mandáta tua custodíri nimis: útinam dirigántur viæ meæ, ad custodiéndas justificatiónes tuas.

Postcommunio

Tua, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus, fámulos tuos in te sperántes custódiant: et contra omnes advérsos tueántur incúrsus. Per Dóminum.

Missa pro seipso Sacerdote

Introitus Ps. 37, 22-23

Ne derelínquas me, Dómine Deus meus, ne discésseris a me: inténde in adjutórium, Dómine, virtus salútis meæ. ℣. Ps. ibid. 2 Dómine, ne in furóre tuo árguas me, neque in ira tua corrípias me. ℣. Glória Patri. Ne derelínquas.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, tuæ grátiæ pietátem súpplici devotióne depósco, ut ómnium malórum meórum víncula solvas, cunctísque meis crimínibus et peccátis clementer ignóscas: et quia me indígnum et peccatórem ad ministérium tuum vocáre dignátus es: sic me idóneum tibi minístrum effícias, ut sacrifícium de mánibus meis plácide ac benígne suscípias, electorúmque sacerdótum me partícipem fácias, et de præcéptis tuis in nullo me erráre permíttas. Per Dóminum.

Léctio Epistolæ beáti Pauli Apóstoli ad Timótheum. 1 Timoth. 1, 15-17

Carissime: Fidélis sermo, et omni acceptióne dignus: quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatóres salvos fácere, quorum primus ego sum. Sed ideo misericórdiam consecútus sum, ut in me osténderet Christus Jesus omnem patiéntiam, ad informatiónem eórum qui creditúri sunt illi, in vitam ætérnam. Regi autem sæculórum immortáli, invisíbili, soli Deo, honor et glória in sǽcula sæculórum. Amen.

Graduale Ps. 58, 2; 142, 10; 17, 48-49 Eripe me de inimícis meis: doce me fácere voluntátem tuam. ℣. Liberátor meus, Dómine: de géntibus iracúndis et ab insurgéntibus in me exaltábis me: a viro iníquo erípies me.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 30, 2-3 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in tua justítia líbera me et éripe me: inclína ad me aurem tuam, accélera ut erípias me. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 37, 2; 30, 4 Dómine, ne in furóre tuo árguas me, neque in ira tua corrípias me. ℣. Quóniam firmaméntum meum et refúgium meum est tu.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et accédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 30, 2-3 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in tua justítia líbera me et éripe me: inclína ad me aurem tuam, accélera ut erípias me. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 18, 35-43

In illo témpore: Factum est autem, cum appropinquáret Jesus Jéricho, cæcus quidam sedébat secus viam, mendícans. Et, cum audísset turbam prætereúntem, interrogábat quid hoc esset. Dixérunt autem ei quod Jesus Nazarénus transíret. Et clamávit, dicens: Jesu, fili David, miserére mei. Et qui præíbant increpábant eum, ut tacéret. Ipse vero multo magis clamábat: Fili David, miserére mei. Stans autem Jesus, jussit illum addúci ad se. Et, cum appropinquásset, interrogávit illum, dicens: Quid tibi vis fáciam? At ille dixit: Dómine, ut vídeam. Et Jesus dixit illi: Réspice: fides tua te salvum fecit. Et conféstim vidit, et sequebátur illum magníficans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.

Offertorium Ps. 16, 5-7 Pérfice gressus meos in sémitis tuis, ut non moveántur vestígia mea: inclína aurem tuam, et exáudi verba mea: mirífica misericórdias tuas, qui salvos facis sperántes in te, Dómine.

Secreta

Deus misericórdiæ, Deus pietátis, Deus indulgéntiæ: indúlge, quæso, et miserére mihi servo tuo, et sacrifícium, quod humíliter pietáti tuæ pro peccátis meis óffero, benígne suscípere dignéris, et peccáta, quæ labéntibus vítiis per igno-

rántiam contráxi, propítius ac miserátus indúlge; ut, loco pœniténtiæ ac flúmine lacrimárum óculis meis concésso, véniam a te mérear accípere ómnium delictórum. Per Dóminum.

Communio Ps. 70, 16-18 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus: Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque ad senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio

Deus, vivórum Salvátor ómnium, qui non vis mortem peccatórum, nec lætáris in perditióne moriéntium, sed ut convertántur et vivant: te supplíciter déprecor, ut concédas mihi véniam delictórum meórum, ut et admíssa défleam, et ea póstmodum non admíttam; ut, cum mihi extréma dies finísque vitæ meæ advénerit, emundátum a delíctis ómnibus me Angelus sanctitátis suscípiat, et ad gáudia ætérna perdúcat. Per Dóminum.

Missa pro infirmo

Introitus Eccl. vox

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Salus pópuli.

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, salus ætérna credéntium: exáudi nos pro fámulo tuo N., pro quo misericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut, rédditа sibi sanitáte, gratiárum tibi in Ecclésia tua réferat actiónes. Per Dóminum.

¶ Si fuerit pro pluribus infirmis, loco verborum: fámulo tuo N. ... quo ... réferat, dicatur in plurali: fámulis tuis infírmis ... quibus ... réferant.

Léctio Epístolæ beáti Jacóbi Apóstoli. Jac. 5, 13-16

Fratres: Tristátur áliquis vestrum? oret. Æquo ánimo est? psallat. Infirmátur quis in vobis? indúcat presbýteros Ecclésiæ, ut orent super eum, ungéntes eum óleo in nómine Dómini: et orátio fídei salvábit infírmum, et alleviábit eum Dóminus: et, si in peccátis sit, remitténtur ei. Confitémini ergo altérutrum peccáta vestra, et oráte pro ínvicem, ut salvémini: multum enim valet deprecátio justi assídua.

Graduale Ps. 6, 3-4 Miserére mihi, Dómine, quóniam infírmus sum: sana me, Dómine. ℣. Conturbáta sunt ómnia ossa mea: et ánima mea turbáta est valde.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 146, 3 Qui sanat contrítos corde: et álligat contritiónes eórum. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 78, 9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: nequándo dicant gentes: Ubi est Deus eórum? ℣. Adjuva nos, Deus, salutáris noster: et pro honóre nóminis tui, Dómine, líbera nos.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Matth. 28, 2 Angelus Dómini descéndit de cælo: et ac-

cédens revólvit lápidem, et sedébat super eum. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 146, 3 Qui sanat contrítos corde: et álligat contritiónes eórum. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Matthæum.

Matth. 8, 5-13

In illo témpore: Cum introísset Jesus Caphárnaum, accéssit ad eum centúrio, rogans eum, et dicens: Dómine, puer meus jacet in domo paralýticus, et male torquétur. Et ait illi Jesus: Ego véniam, et curábo eum. Et respóndens centúrio, ait: Dómine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanábitur puer meus. Nam et ego homo sum sub potestáte constitútus, habens sub me mílites, et dico huic: Vade, et vadit; et álii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. Audiens autem Jesus, mirátus est, et sequéntibus se dixit: Amen dico vobis, non invéni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriénte et Occidénte vénient, et recúmbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno cælórum: fílii autem regni ejiciéntur in ténebras exterióres: ibi erit fletus, et stridor déntium. Et dixit Jesus centurióni: Vade, et sicut credidísti, fiat tibi. Et sanátus est puer in illa hora.

Offertorium Ps. 137, 7 Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum extendísti manum tuam: et salvum me fecit déxtera tua.

Secreta

Deus, cujus nútibus vitæ nostræ moménta decúrrunt: súscipe preces et hóstias pro fámulo tuo ægrotánte, pro quo misericórdiæ tuæ implorámus auxílium; ut, de cujus perículo metúimus, de ejúsdem salúte lætémur. Per Dóminum.

¶ Si fuerit pro pluribus infirmis, loco verborum: pro fámulo tuo ægrotánte... quo ... cujus ... ejúsdem, dicatur in plurali: pro fámulis tuis ægrotántibus... quibus: quorum ... eorúmdem.

Communio Ps. 30, 3 Inclína aurem tuam, accélera ut éruas me, Dómine.

Postcommunio

Deus, infirmitátis humánæ singuláre præsídium: auxílii tui super infírmum nostrum osténde virtútem; ut, ope misericórdiæ tuæ adjútus, Ecclésiæ tuæ sanctæ incólumis repræsentári mereátur. Per Dóminum.

¶ Si fuerit pro pluribus infirmis, loco verborum: infírmum nostrum... adjútus ... incólumis ... mereátur, dicatur in plurali: infírmos nostros... adjúti... incólumes ... mereántur.

¶ Pro infirmo qui proximus est morti, dicuntur sequentes Orationes:

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, conservátor animárum, qui quos díligis córripis, et quos récipis pie ad emendatiónem coérces, te, Dómine, deprecámur: ut medélam tuam conférre dignéris in ánimam fámuli tui, qui in córpore pátitur membrórum debilitátem, vim labóris, stímulos infirmitátum; da ei, Dómine, grátiam et misericórdiam

tuam, ut in hora éxitus illíus de córpore, absque peccáti mácula Creatóri suo, per manus sanctórum Angelórum, ejus ánima repræsentári mereátur. Per Dóminum.

Secreta

Adésto, Dómine, supplicatiónibus nostris, et súscipe hóstiam, quam tibi offérimus pro fámulo tuo, jacénte in grabáto, salútem non solum córporis sed et ánimæ suæ peténti: præsta ei, omnípotens Deus, indulgéntiam ómnium iniquitátum suárum, per imménsam cleméntiam tuam et per intercessiónem ómnium Sanctórum tuórum; ut, per hæc quæ sústinet flagélla, a sanctis Angelis tuis suscéptus, perveníre mereátur ad glóriæ tuæ regna. Per Dóminum.

Postcommunio

Grátias ágimus tibi, Dómine, de multiplícibus largitátibus tuis, ex quibus ánimas in te sperántium sanáre consuevísti: et, confísi de tua pietáte, precámur; ut miseréri dignéris fámulo tuo, ne præváleat advérsus eum adversárius in hora éxitus illíus de córpore, sed tránsitum habére mereátur ad vitam perpétuam. Per Dóminum.

Missa
ad postulandam gratiam bene moriendi

Introitus Ps. 12, 4

Illúmina óculos meos, ne umquam obdórmiam in morte, ne quando dicat inimícus meus: Præválui advérsus eum. ℣. Ps. ibid., 1 Usquequo, Dómine, obliviscéris me in finem? úsquequo avértis fáciem tuam a me? ℣. Glória Patri. Illúmina.

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus, qui humáno géneri et salútis remédia, et vitæ ætérnæ múnera contulísti: réspice propítius nos fámulos tuos, et ánimas réfove, quas creásti; ut in hora éxitus eárum, absque peccáti mácula tibi Creatóri suo, per manus sanctórum Angelórum repræsentári mereántur. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Romános. Rom. 14, 7-12

Fratres: Nemo nostrum sibi vivit, et nemo sibi móritur. Sive enim vívimus, Dómino vívimus: sive mórimur, Dómino mórimur. Sive ergo vívimus, sive mórimur, Dómini sumus. In hoc enim Christus mórtuus est, et resurréxit: ut et mortuórum, et vivórum dominétur. Tu autem quid júdicas fratrem tuum? aut tu quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stábimus ante tribúnal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dóminus, quóniam mihi flectétur omne genu: et omnis lingua confitébitur Deo. Itaque unusquísque nostrum pro se ratiónem reddet Deo.

Graduale Ps. 22, 4 Si ámbulem in médio umbræ mortis, non timébo mala: quóniam tu mecum es, Dómine. ℣. Virga tua, et báculus tuus, ipsa me consoláta sunt.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 30, 2-3 In te, Dómine, sperávi, non confúndar in ætérnum: in justítia tua líbera me et éripe me: inclína ad me

aurem tuam, accélera, ut erípias me. Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 24, 17-18 De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam, et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea. ℣. Ibid., 1-4 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei. ℣. Etenim univérsi qui te exspéctant, non confundéntur: confundántur omnes faciéntes vana.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 113, 1 In éxitu Israël de Ægýpto, domus Jacob de pópulo bárbaro. Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 107, 2 Parátum cor meum, Deus, parátum cor meum: cantábo, et psallam tibi, glória mea. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 21, 34-36

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis: Atténdite vobis, ne forte gravéntur corda vestra in crápula, et ebrietáte, et curis hujus vitæ: et supervéniat in vos repentína dies illa: tamquam láqueus enim supervéniet in omnes, qui sedent super fáciem omnis terræ. Vigiláte ítaque, omni témpore orántes, ut digni habeámini fúgere ista ómnia, quæ futúra sunt, et stare ante Fílium hóminis.

Offertorium Ps. 30, 15-16 In te sperávi, Dómine; dixi: Tu es Deus meus, in mánibus tuis témpora mea.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, Dómine, hóstiam, quam tibi offérimus pro extrémo vitæ nostræ, et concéde: ut per eam univérsa nostra purgéntur delícta; ut, qui tuæ dispositiónis flagéllis in hac vita attérimur, in futúra réquiem consequámur ætérnam. Per Dóminum.

Communio Ps. 70, 16-17 et 18 Dómine, memorábor justítiæ tuæ solíus: Deus, docuísti me a juventúte mea: et usque in senéctam et sénium, Deus, ne derelínquas me.

Postcommunio

Quǽsumus cleméntiam tuam, omnípotens Deus, ut per hujus virtútem sacraménti nos fámulos tuos grátia tua confirmáre dignéris: ut in hora mortis nostræ non præváleat contra nos adversárius; sed cum Angelis tuis tránsitum habére mereámur ad vitam. Per Dóminum.

Missa pro quacumque necessitate

Introitus

Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me, exáudiam eos: et ero illórum Dóminus in perpétuum. ℣. Ps. 77, 1 Atténdite, pópule meus, legem meam: inclináte aurem vestram in verba oris mei. ℣. Glória Patri. Salus pópuli.

Oratio

Ineffábilem misericórdiam tuam, Dómine, nobis cleménter osténde, ut simul nos et a peccátis ómnibus

éxuas: et a pœnis, quas pro his merémur, erípias. Per Dóminum.

Léctio Jeremíæ Prophétæ.
Jer. 14, 7-8 et 9

Si iniquitátes nostræ conténderint contra nos, Dómine, líbera nos. Quǽsumus, fac propter nomen tuum: quóniam multæ sunt aversiónes nostræ. Tibi peccávimus, exspectátio Israël, salvátor ejus in témpore tribulatiónis. Tu autem in nobis es, Dómine, et nomen tuum invocátum est super nos: ne derelínquas nos, Dómine Deus noster.

Graduale Ps. 43, 8-9 Liberásti nos, Dómine, ex affligéntibus nos: et eos, qui nos odérunt, confudísti. ℣. In Deo laudábimur tota die: et in nómine tuo confitébimur in sǽcula.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 78, 9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? Allelúja.

Post Septuagesimam, omissis Allelúja et Versu sequenti, dicitur:

Tractus Ps. 24, 17-18 De necessitátibus meis éripe me, Dómine: vide humilitátem meam, et labórem meum: et dimítte ómnia peccáta mea. ℣. Ibid., 1-4 Ad te, Dómine, levávi ánimam meam: Deus meus, in te confído, non erubéscam: neque irrídeant me inimíci mei. ℣. Etenim univérsi, qui te exspéctant, non confundéntur: confundántur omnes faciéntes vana.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et, ejus loco, dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 78,9-10 Propítius esto, Dómine, peccátis nostris: ne quando dicant gentes: Ubi est Deus eórum? Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 30, 8. Exsultábo et lætábor in misericórdia tua, quóniam respexísti humilitátem meam: salvásti de necessitátibus ánimam meam. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Marcum.
Marc. 11, 22-26

In illo témpore: dixit Jesus discípulis suis: Habéte fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicúmque díxerit huic monti: Tóllere, et míttere in mare, et non hæsitáverit in corde suo, sed credíderit quia quodcúmque díxerit, fiat, fiet ei. Proptérea dico vobis: Omnia quæcúmque orántes pétitis, crédite quia accipiétis, et evénient vobis. Et cum stábitis ad orándum, dimíttite, si quid habétis advérsus áliquem: ut et Pater vester, qui in cælis est, dimíttat vobis peccáta vestra. Quod si vos non dimiséritis: nec Pater vester, qui in cælis est, dimíttet vobis peccáta vestra.

Offertorium Ps. 137, 7 Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me, Dómine: et super iram inimicórum meórum exténdes manum tuam, et salvum me fáciet déxtera tua.

Secreta

Puríficet nos, Dómine, quǽsumus, múneris præséntis oblátio: et dignos sacra participatióne perfíciat. Per Dóminum.

Communio Ps. 118, 49-50 Meménto verbi tui servo tuo, Dómine, in quo mihi spem dedísti: hæc me consoláta est in humilitáte mea.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, Dómine: ut, terrénis afféctibus expiáti, ad supérni plenitúdinem sacraménti, cujus libávimus sancta, tendámus. Per Dóminum.

Missa pro gratiarum actione

Dicitur Missa de Ssma Trinitate, vel de Spiritu Sancto, vel de beata Maria Virgine, aut de aliquo Sancto canonizato, in Martyrologio Romano descripto, additis, sub unica conclusione, etiam in Missis privatis, sequentibus Orationibus.

Oratio

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, et bonitátis infinítus est thesáurus: piíssimæ majestáti tuæ pro collátis donis grátias ágimus, tuam semper cleméntiam exorántes; ut qui peténtibus postuláta concédis, eósdem non déserens, ad prǽmia futúra dispónas. Per Dóminum.

Secreta

Odórem, Dómine, sacrifícii hujus cum gratiárum actiónibus súscipe, et præsta: ut quos exaudíre, et incólumes serváre dignátus es, ab omni in pósterum adversitáte custódias; et in tuo servítio, et amóre concréscant. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus, qui néminem in te sperántem, nímium afflígi permíttis, sed pium précibus præstas audítum: pro postulatiónibus nostris votísque suscéptis grátias ágimus, te piíssime deprecántes; ut per hæc quæ súmpsimus, a cunctis éripi mereámur advérsis. Per Dóminum.

ORATIONES DIVERSÆ

DICENDÆ AD LIBITUM JUXTA RUBRICAS

1 Ad poscenda suffragia Sanctorum

Oratio

Concéde, quǽsumus, omnípotens Deus: ut intercéssio sanctæ Dei Genitrícis Maríæ, sanctorúmque ómnium Apostolórum, Mártyrum, Confessórum, atque Vírginum, et ómnium electórum tuórum, nos ubíque lætíficet; ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Oblátis, Dómine, placáre munéribus: et, intercedénte beáta María semper Vírgine, cum ómnibus Sanctis tuis, a cunctis nos defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, beátæ Maríæ semper Vírginis et ómnium Sanctórum tuórum memóriam recoléntes, sacraménta cæléstia: præsta, quǽsumus; ut, quod temporáliter

gérimus, ætérnis gáudiis consequámur. Per Dóminum.

2 Alia Oratio ut supra

Oratio

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis: et, intercedénte beáta et gloriósa semper Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per eúmdem Dóminum.

¶ In præfata Oratione A cunctis, sicut et in ejus Postcommunione ad litteram N. exprimitur nomen Titularis propriæ Ecclesiæ, dummodo Titulus non sit Persona divina, vel Mysterium Domini, aut de ipso Titulo non dicatur Missa, aut facta non sit Commemoratio, aut illius nomen non sit in eadem Oratione A cunctis expressum; ac nomina sanctorum Angelorum et sancti Joannis Baptistæ, si Titulares fuerint, præponuntur nomini sancti Joseph. In hisce autem omnibus casibus omittuntur verba atque beáto N. Si vero Missa, vel Commemoratio fuerit de sancto Joseph, aut de sanctis Apostolis Petro et Paulo, in Oratione et Postcommunione omittuntur verba quæ eos respiciunt.

Secreta

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris; grátiam tríbuens in præsénti, et glóriam in futúro. Per Dóminum.

Postcommunio

Mundet et múniat nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti munus oblátum: et, intercedénte beáta Vírgine Dei Genitríce María, cum beáto Joseph, beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis; a cunctis nos reddat et perversitátibus expiátos, et adversitátibus expedítos. Per eúmdem Dóminum.

¶ Vel, si Missa aut Commemoratio fuerit de sancta Maria:

Oratio

A cunctis nos, quǽsumus, Dómine, mentis et córporis defénde perículis: et, intercedénte beáto Joseph, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis, salútem nobis tríbue benígnus et pacem; ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, Ecclésia tua secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Secreta

Exáudi nos, Deus, salutáris noster: ut, per hujus sacraménti virtútem, a cunctis nos mentis et córporis hóstibus tueáris: grátiam tríbuens in præsénti, et glóriam in futúro. Per Dóminum.

Postcommunio

Mundet et múniat nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti munus oblátum: et, intercedénte beáto Joseph, cum beátis Apóstolis tuis Petro et Paulo, atque beáto N. et ómnibus Sanctis; a cunctis nos reddat et perversitátibus expiátos, et adversitátibus expedítos. Per Dóminum.

3 **Pro omni gradu Ecclesiæ**

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, cujus spíritu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur: exáudi nos pro univérsis ordínibus supplicántes; ut, grátiæ tuæ múnere, ab ómnibus tibi grádibus fidéliter serviátur. Per Dóminum.

Secreta

Da fámulis tuis, Dómine, indulgéntiam peccatórum, consolatiónem vitæ, gubernatiónem perpétuam: ut, tibi serviéntes, ad tuam júgiter misericórdiam pervenire mereántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Líbera, quǽsumus, Dómine, a peccátis et hóstibus fámulos tuos, tibi supplicántes: ut, in sancta conversatióne vivéntes, nullis afficiántur advérsis. Per Dóminum.

4 **Pro Papa**

Oratio

Deus, ómnium fidélium pastor et rector, fámulum tuum N., Pontíficem nostrum, quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, propítius réspice: da ei, quǽsumus, verbo et exémplo, quibus præest profícere; ut ad vitam, una cum grege sibi crédito, pervéniat sempitérnam. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, placáre munéribus: et fámulum tuum N., Pontíficem nostrum, quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti, assídua protectióne gubérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos, quǽsumus, Dómine, divíni sacraménti percéptio prótegat: et fámulum tuum N., Pontíficem nostrum, quem pastórem Ecclésiæ tuæ præésse voluísti; una cum commísso sibi grege salvet semper, et múniat. Per Dóminum.

5 **Pro unione Ecclesiæ**

Oratio

Deus, qui erráta córrigis, dispérsa cóngregas et congregáta consérvas: quǽsumus super pópulum Christiánum tuæ uniónis grátiam cleménter infúnde; ut, divisióne rejécta, vero Pastóri Ecclésiæ tuæ se úniens, tibi digne váleat famulári. Per Dóminum.

Secreta

Múnera hæc pro unióne pópuli Christiáni tibi, Dómine, obláta sanctífica, per quæ unitátis et pacis in Ecclésia tua nobis bona concéde. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc tua, Dómine, sumpta sacra Commúnio, sicut fidélium in te uniónem præsígnat, sic in tua Ecclésia unitátis, quǽsumus, operétur effféctum. Per Dóminum.

6 **Pro Imperatore**

Oratio

Deus, regnórum ómnium, et christiáni máxime protéctor impérii: da servo tuo imperatóri nostro N. triúmphum virtútis tuæ sciénter excólere; ut, qui tua institutióne est princeps, tuo semper múnere sit potens. Per Dóminum.

¶ *Si non est coronatus, dicatur:* elécto imperatóri.

Secreta

Súscipe, Dómine preces et hóstias Ecclésiæ tuæ, pro salúte fámuli tui supplicántis: et in protectióne fidélium populórum, antíqua bráchii tui operáre mirácula; ut, superátis pacis inimícis, secúra tibi sérviat christiána libértas. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus, qui ad prædicándum ætérni Regis Evangélium, Románum impérium præparásti: prætende fámulo tuo imperatóri nostro N. arma cæléstia; ut pax ecclesiárum nulla turbétur tempestáte bellórum. Per Dóminum.

7 **Pro Rege**

Oratio

Quæsumus, omnípotens Deus: ut fámulus tuus N. rex noster, qui tua miseratióne suscépit regni gubernácula, virtútum étiam ómnium percípiat increménta; quibus decénter ornátus, et vitiórum monstra devitáre, et ad te, qui via, véritas, et vita es, gratiósus váleat pervenire. Per Dóminum.

Secreta

Múnera, Dómine, quæsumus, obláta sanctífica: ut et nobis Unigéniti tui corpus et sanguis fiant; et regi nostro ad obtinéndam ánimæ, corporísque salútem, et peragéndum injúnctum offícium, te largiénte, usquequáque profíciant. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio

Hæc, Dómine, oblátio salutáris fámulum tuum N. regem nostrum ab ómnibus tueátur advérsis: quátenus et ecclesiásticæ pacis obtíneat tranquillitátem; et post hujus témporis decúrsum, ad ætérnam pervéniat hereditátem. Per Dñum.

8 **Pro Prælatis et congregationibus eis commissis**

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui facis mirabília magna solus: prætende super fámulos tuos, et super congregatiónes illis commissas, spíritum grátiæ salutáris; et, ut in veritáte tibi compláceant, perpétuum eis rorem tuæ benedictiónis infúnde. Per Dóminum.

Secreta

Hóstias, quæsumus, Dómine, famulórum tuórum placátus inténde: et quas in honórem nóminis tui devóta mente pro eis celebrámus, profícere sibi séntiant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Quos cæléstì récreas múnere, perpétuo, Dómine, comitáre præsídio: et, quos fovére non désinis, dignos fíeri sempitérna redemptióne concéde. Per Dóminum.

9 **Pro congregatione et familia**

Oratio

Defénde, quæsumus, Dómine, beáta María semper Vírgine intercedénte, istam ab omni adversitáte famíliam: et toto corde tibi prostrátam, ab hóstium propítius tuére cleménter insídiis. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, omnípotens Deus, oblatiónem nostræ devotiónis: et per virtútem hujus sa-

craménti, fámulos tuos a cunctis adversitátibus prótege. Per Dóminum.

Postcommunio

Sumptis redemptiónis nostræ munéribus: præsta, quǽsumus, miséricors Deus; eórum nobis celebratióne, tuæ protectiónis contra omnes adversitátes subsídium. Per Dóminum.

10 Pro concordia in congregatione servanda

Oratio

Deus, largítor pacis, et amátor caritátis: da fámulis tuis veram cum tua voluntáte concórdiam; ut ab ómnibus, quæ nos pulsant, tentatiónibus liberémur. Per Dóminum.

Secreta

His sacrifíciis, Dómine, quǽsumus, concéde placátus: ut, qui própriis orámus absólvi delíctis, non gravémur extérnis. Per Dóminum.

Postcommunio

Spíritum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde: ut, quos uno pane cæléstì satiásti, tua fácias pietáte concórdes. Per Dóminum.

11 Contra persecutores Ecclesiæ

Oratio

Ecclésiæ tuæ, quǽsumus, Dómine, preces placátus admítte: ut, destrúctis adversitátibus et erróribus univérsis, secúra tibi sérviat libertáte. Per Dóminum.

Secreta

Prótege nos, Dómine, tuis mystériis serviéntes: ut, divínis rebus inhæréntes, et córpore tibi famulémur, et mente. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, Dómine Deus noster: ut, quos divína tríbuis participatióne gaudére, humánis non sinas subjacére perículis. Per Dóminum.

12 Contra persecutores et male agentes

Oratio

Hóstium nostrórum, quǽsumus, Dómine, elíde supérbiam: et eórum contumáciam déxteræ tuæ virtúte prostérne. Per Dóminum.

Secreta

Hujus, Dómine, virtúte mystérii, et a própriis mundémur occúltis, et ab inimicórum liberémur insídiis. Per Dóminum.

Postcommunio

Protéctor noster áspice, Deus, et ab inimicórum nos defénde perículis: ut, omni perturbatióne submóta, líberis tibi méntibus serviámus. Per Dóminum.

13 Pro quacumque necessitate

Oratio

Deus, refúgium nostrum, et virtus: adésto piis Ecclésiæ tuæ précibus, auctor ipse pietátis, et præsta: ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Secreta

Da, miséricors Deus: ut hæc salutáris oblátio et a própriis nos reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Postcommunio

Súmpsimus, Dómine, sacri dona mystérii, humíliter deprecántes: ut quæ in tui commemoratiónem

nos fácere præcepísti, in nostræ profíciant infirmitátis auxílium: Qui vivis.

14 Pro quacumque tribulatione

Oratio

Ne despícias, omnípotens Deus, pópulum tuum in afflictióne clamántem: sed propter glóriam nóminis tui, tribulátis succúrre placátus. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, propítius hóstias, quibus et te placári voluísti, et nobis salútem poténti pietáte restítui. Per Dóminum.

Postcommunio

Tribulatiónem nostram, quǽsumus, Dómine, propítius réspice: et iram tuæ indignatiónis, quam juste merémur, avérte. Per Dóminum.

15 Tempore famis

Oratio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, piæ supplicatiónis efféctum: et famem propitiátus avérte; ut mortálium corda cognóscant, et te indignánte tália flagélla prodíre, et te miseránte cessáre. Per Dóminum.

Secreta

Deus, qui humáni géneris utrámque substántiam, præséntium múnerum et aliménto végetas, et rénovas sacraménto: tríbue, quǽsumus; ut eórum et corpóribus nostris subsídium non desit, et méntibus. Per Dóminum.

Postcommunio

Gubérna, quǽsumus, Dómine, temporálibus aliméntis: quos dignáris ætérnis informáre mystériis. Per Dóminum.

16 Pro conservatione fructuum

Oratio

Largíri et conserváre fructus terræ dignáre, Dómine Deus noster, ut temporálibus gaudeámus auxíliis, et spirituálibus proficiámus increméntis. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quǽsumus, omnípotens Deus, sacrándum Unigéniti tui vivíficum Sacrifícium: et præsta; ut per eum nobis fructus nostros conserváre dignéris úberes et innócuos, ad tuam glóriam et honórem, cum quo nobis ómnia bona tribuísti mentis et córporis. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio

Deus, fragilitátis humánæ miríficus consolátor et largífluus bonórum ómnium distribútor: præsta famíliæ tuæ, quam aliméntis spirituálibus refícere dignátus es, fructus quoque terræ quos te auctóre prótulit, jam viréntes tua pietáte duráre illǽsos ac cæléstì maturitáte perféctos, tuis fidélibus elargíri; ut, his auxíliis sufficiénter adjúti, semper fervéntius te laudent, díligant et adórent. Per Dóminum.

17 Tempore terræmotus

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui réspicis terram, et facis eam trémere: parce metuéntibus, propitiáre

supplícibus; ut, cujus iram terræ fundaménta concutiéntem expávimus, cleméntiam contritiónes ejus sanántem júgiter sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Deus, qui fundásti terram super stabilitátem suam, súscipe oblatiónes et preces pópuli tui: ac treméntis terræ perículis pénitus amótis, divínæ tuæ iracúndiæ terróres, in humánæ salútis remédia convérte; ut, qui de terra sunt, et in terram reverténtur, gáudeant se fíeri sancta conversatióne cæléstes. Per Dóminum.

Postcommunio

Tuére nos, Dómine, quǽsumus, tua sancta suméntes: et terram, quam vídimus nostris iniquitátibus treméntem, supérno múnere firma; ut mortálium corda cognóscant, et te indignánte tália flagélla prodíre, et te miseránte cessáre. Per Dóminum.

18 Ad petendam pluviam

Oratio

Deus, in quo vívimus, movémur, et sumus: plúviam nobis tríbue congruéntem; ut, præséntibus subsídiis sufficiénter adjúti, sempitérna fiduciálius appetámus. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quǽsumus, Dómine, plácare munéribus: et opportúnum nobis tríbue plúviæ sufficiéntis auxílium. Per Dóminum.

Postcommunio

Da nobis, quǽsumus, Dómine, plúviam salutárem: et áridam terræ fáciem fluéntis cæléstibus dignánter infúnde. Per Dóminum.

19 Ad postulandam serenitatem

Oratio

Ad te nos, Dómine, clamántes exáudi: et äëris serenitátem nobis tríbue supplicántibus; ut, qui juste pro peccátis nostris afflígimur, misericórdia tua præveniénte cleméntiam sentiámus. Per Dóminum.

Secreta

Prævéniat nos, quǽsumus, Dómine, grátia tua semper, et subsequátur: et has oblatiónes, quas pro peccátis nostris nómini tuo consecrándas deférimus, benígnus assúme; ut, per intercessiónem Sanctórum tuórum, cunctis nobis profíciant ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Quǽsumus, omnípotens Deus, cleméntiam tuam: ut inundántiam coérceas ímbrium, et hilaritátem vultus tui nobis impertíri dignéris. Per Dóminum.

20 Ad repellendas tempestates

Oratio

A domo tua, quǽsumus, Dómine, spiritáles nequítiæ repellántur: et äëreárum discédat malígnitas tempestátum. Per Dóminum.

Secreta

Offérimus tibi, Dómine, laudes et múnera, pro concéssis benefíciis grátias referéntes, et pro con-

cedéndis semper suppliciter deprecántes. Per Dóminum.

Postcommunio

Omnipotens sempitérne Deus, qui nos et castigándo sanas, et ignoscéndo consérvas: præsta supplícibus tuis; ut et tranquillitátibus hujus optátæ consolatiónis lætémur, et dono tuæ pietátis semper utámur. Per Dóminum.

21 Pro peste animalium

Oratio

Deus, qui labóribus hóminum étiam de mutis animálibus solátia subrogásti: súpplices te rogámus; ut, sine quibus non álitur humána condítio, nostris fácias úsibus non períre. Per Dóminum.

Secreta

Sacrifíciis, Dómine, placátus oblátis: opem tuam nostris tempóribus cleménter impénde. Per Dóminum.

Postcommunio

Benedictiónem tuam, Dómine, pópulus fidélis accípiat, qua córpore salvétur, et mente: et cóngruam tibi exhíbeat servitútem, et propitiatiónis tuæ benefícia semper invéniat. Per Dóminum.

22 Pro seipso Sacerdote

Oratio

Omnípotens et miséricors Deus humilitátis meæ preces benígnus inténde: et me fámulum tuum, quem, nullis suffragántibus méritis, sed imménsa cleméntiæ tuæ largitáte cæléstibus mystériis servíre tribuísti, dignum sacris altáribus fac minístrum; ut, quod mea voce deprómitur, tua sanctificatióne firmétur. Per Dóminum.

Secreta

Hujus, Dómine, virtúte sacraménti, peccatórum meórum máculas abstérge: et præsta; ut ad exsequéndum injúncti offícii ministérium, me tua grátia dignum effíciat. Per Dóminum.

Postcommunio

Omnípotens sempitérne Deus, qui me peccatórem sacris altáribus astáre voluísti, et sancti nóminis tui laudáre poténtiam: concéde propítius, per hujus sacraménti mystérium, meórum mihi véniam peccatórum; ut tuæ majestáti digne mérear famulári. Per Dóminum.

23 Pro petitione lacrimarum

Oratio

Omnípotens et mitíssime Deus, qui sitiénti pópulo fontem vivéntis aquæ de petra produxísti: educ de cordis nostri durítia lácrimas compunctiónis: ut peccáta nostra plángere valeámus, remissionémque eórum, te miseránte, mereámur accípere. Per Dóminum.

Secreta

Hanc oblatiónem, quǽsumus, Dómine Deus, quam tuæ majestáti pro peccátis nostris offérimus, propítius réspice: et produc de óculis nostris lacrimárum flúmina, quibus débita flammárum incéndia valeámus exstínguere. Per Dóminum.

Postcommunio

Grátiam Spíritus Sancti, Dómine Deus, córdibus nostris cleménter infúnde: quæ nos gemítibus

lacrimárum effíciat máculas nostrórum dilúere peccatórum; atque optátæ nobis, te largiénte, indulgéntiæ præstet efféctum. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

24 Pro remissione peccatorum

Oratio

Deus, qui nullum réspuis, sed quantúmvis peccántibus, per pœniténtiam pia miseratióne placáris: réspice propítius ad preces humilitátis nostræ, et illúmina corda nostra; ut tua valeámus implére præcépta. Per Dóminum.

Secreta

Præsens sacrifícium, Dómine, quod tibi pro delíctis nostris offérimus, sit tibi munus accéptum: et tam vivéntibus, quam defúnctis profíciat ad salútem. Per Dóminum.

Postcommunio

Exáudi preces famíliæ tuæ, omnípotens Deus: et præsta; ut sancta hæc, quæ a te súmpsimus, incorrúpta in nobis, te donánte, servéntur. Per Dóminum.

25 Pro publice pœnitentibus

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, confiténtibus tibi fámulis tuis pro tua pietáte reláxa peccáta: ut non ámplius ei nóceat consciéntiæ reátus ad pœnam, quam indulgéntia tuæ propitiatiónis prosit ad véniam. Per Dóminum.

Secreta

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut hæc salutáris oblátio fámulos tuos et a própriis reátibus indesinénter expédiat, et ab ómnibus tueátur advérsis. Per Dóminum.

Postcommunio

Omnípotens et miséricors Deus, qui omnem ánimam pœniténtem, et confiténtem tibi, magis vis emendáre, quam pérdere: réspice super hos fámulos tuos; et per hæc sancta sacraménta quæ súmpsimus, avérte ab eis iram indignatiónis tuæ, et ómnia eórum peccáta dimítte. Per Dóminum.

26 Pro tentatis et tribulatis

Oratio

Deus, qui justíficas ímpium, et non vis mortem peccatóris, majestátem tuam supplíciter deprecámur: ut fámulos tuos de tua misericórdia confidéntes, cælésti prótegas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves; ut tibi júgiter famuléntur, et nullis tentatiónibus a te separéntur. Per Dóminum.

Secreta

Hujus, quǽsumus, Dómine, virtúte mystérii, et a própriis nos munda delíctis, et fámulos tuos ab ómnibus absólve peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio

Puríficent nos, quǽsumus, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus: et fámulos tuos ab omni culpa líberos esse concéde; ut, qui consciéntiæ reátu constringúntur, cæléstis remédii plenitúdine gloriéntur. Per Dóminum.

27 Ad repellendas malas cogitationes

Oratio

Omnipotens et mitíssime Deus, réspice propítius ad preces nostras: et líbera corda nostra de malárum tentatiónibus cogitatiónum; ut Sancti Spíritus dignum fíeri habitáculum mereámur. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Secreta

Has tibi, Dómine, offérimus oblatiónes pro salúte nostra: quátenus ánimas nostras ab immúndis cogitatiónibus purges, illæsásque custódias, et Sancti Spíritus grátia illumináre dignéris. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Postcommunio

Deus, qui illúminas omnem hóminem, veniéntem in hunc mundum: illúmina, quǽsumus, corda nostra grátiæ tuæ splendóre; ut digne majestáti tuæ ministráre, teque ætérna caritáte dilígere valeámus. Per Dóminum.

28 Ad postulandam continentiam

Oratio

Ure igne Sancti Spíritus renes nostros, et cor nostrum, Dómine: ut tibi casto córpore serviámus, et mundo corde placeámus. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Secreta

Dirúmpe, Dómine, víncula peccatórum nostrórum: et, ut sacrificáre tibi hóstiam laudis absolúta libertáte possímus; retríbue quæ ante tribuísti, et salva nos per indulgéntiam, quos salváre dignátus es per grátiam. Per Dóminum.

Postcommunio

Dómine, adjútor et protéctor noster: ádjuva nos, et reflóreat cor et caro nostra vigóre pudicítiæ et castimóniæ novitáte; ut per hoc sacrifícium, quod tuæ obtúlimus pietáti, ab ómnibus tentatiónibus emundémur. Per Dóminum.

29 Ad postulandam humilitatem

Oratio

Deus, qui supérbis resístis et grátiam præstas humílibus: concéde nobis veræ humilitátis virtútem, cujus in se formam fidélibus Unigénitus tuus exhíbuit; ut numquam indignatiónem tuam provocémus eláti, sed pótius grátiæ tuæ capiámus dona subjécti. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Hæc oblátio, Dómine, quǽsumus, veræ nobis humilitátis grátiam obtíneat: simúlque a córdibus nostris concupiscéntiam carnis et oculórum, atque ambitiónem sǽculi áuferat; quátenus sóbrie, juste, piéque vivéntes, prǽmia consequámur ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Hujus, Dómine, sacraménti percéptio, peccatórum nostrórum máculas abstérgat: et nos per humilitátis exhibitiónem ad cæléstia regna perdúcat. Per Dóminum.

30 Ad postulandam patientiam

Oratio

Deus, qui Unigéniti tui patiéntia antíqui hostis contrivísti supérbiam: da nobis, quǽsumus, quæ idem pie pro nobis pértulit, digne recólere; sicque exémplo ejus, nobis adversántia æquanímiter toleráre. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Múnera nostræ oblatiónis, quǽsumus, Dómine, súscipe placátus: quæ, ut nobis patiéntiæ donum largíri dignéris, majestáti tuæ devóta offérimus actióne. Per Dóminum.

Postcommunio

Mystéria, Dómine, sacrosáncta quæ súmpsimus, amíssam nobis, quǽsumus, reconcílient grátiam: atque munus patiéntiæ in illátis ómnibus, semper et ubíque protegéndo, impértiant. Per Dóminum.

31 Ad postulandam caritatem

Oratio

Deus, qui diligéntibus te facis cuncta prodésse: da córdibus nostris inviolábilem tuæ caritátis afféctum: ut desidéria de tua inspiratióne concépta, nulla possint tentatióne mutári. Per Dóminum.

Secreta

Deus, qui nos ad imáginem tuam sacraméntis rénovas et præcéptis: pérfice gressus nostros in sémitis tuis; ut caritátis donum, quod fecísti a nobis sperári, per hæc, quæ offérimus sacrifícia, fácias veráciter apprehéndi. Per Dóminum.

Postcommunio

Sancti Spíritus grátia, quǽsumus, Dómine, corda nostra illúminet: et perféctæ caritátis dulcédine abundánter refíciat. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

32 Pro familiaribus et devotis amicis

Oratio

Deus, qui caritátis dona per grátiam Sancti Spíritus tuórum fidélium córdibus infudísti: da fámulis et famulábus tuis, pro quibus tuam deprecámur cleméntiam, salútem mentis et córporis; ut te tota virtúte díligant, et quæ tibi plácita sunt, tota dilectióne perfíciant. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti.

Secreta

Miserére, quǽsumus, Dómine Deus, fámulis et famulábus tuis, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ offérimus majestáti: ut per hæc sancta, supérnæ benedictiónis grátiam obtíneant, et glóriam ætérnæ beatitúdinis acquírant. Per Dóminum.

Postcommunio

Divína libántes mystéria, quǽsumus, Dómine: ut hæc salutária sacraménta illis profíciant ad prosperitátem et pacem: pro quorum quarúmque dilectióne hæc tuæ obtúlimus majestáti. Per Dóminum.

33 Pro amico peccatore

Oratio

Deus, qui justíficas ímpium, et non vis mortem peccatórum, majestátem tuam deprecámur: ut

fámulum tuum, N., de tua misericórdia confidéntem, cælésti prótegas benígnus auxílio, et assídua protectióne consérves; ut tibi júgiter famulétur, et nullis tentatiónibus a te separétur. Per Dóminum.

Secreta

Hujus, quæsumus, Dómine, virtúte mystérii, et a própriis nos munda delíctis, et fámulum tuum N. ab ómnibus absólve peccátis. Per Dóminum.

Postcommunio

Puríficent nos, quæsumus, Dómine, sacraménta quæ súmpsimus: et fámulum tuum N. ab omni culpa líberum esse concéde; ut, qui consciéntiæ reátu constríngitur, cæléstis remédii plenitúdine gloriétur. Per Dóminum.

34 Pro inimicis

Oratio

Deus, pacis, caritatísque amátor et custos: da ómnibus inimícis nostris pacem, caritatémque veram; et cunctórum eis remissiónem tríbue peccatórum, nosque ab eórum insídiis poténter éripe. Per Dóminum.

Secreta

Oblátis, quæsumus, Dómine, placáre munéribus: et nos ab inimícis nostris cleménter éripe, eísque indulgéntiam tríbue delictórum. Per Dóminum.

Postcommunio

Hæc nos commúnio, Dómine, éruat a delíctis: et ab inimicórum deféndat insídiis. Per Dóminum.

35 Pro constituto in carcere, vel in captivitate

Oratio

Deus, qui beátum Petrum Apóstolum, a vínculis absolútum, illæsum abíre fecísti: fámuli tui in captivitáte pósiti víncula absólve; eúmque ipsíus méritis illæsum abíre concéde. Per Dóminum.

Secreta

Super has, quæsumus, Dómine, hóstias benedíctio copiósa descéndat: quæ captívi hujus víncula solvat, et de ejus liberátione nos cito lætíficet. Per Dóminum.

Postcommunio

Preces nostras, quæsumus, Dómine, cleménter exáudi: et per hæc sacraménta quæ súmpsimus, fámulum tuum a vínculis suæ captivitátis absólve. Per Dóminum.

36 Pro navigantibus

Oratio

Deus, qui transtulísti patres nostros per Mare rubrum, et transvexísti eos per aquam nímiam, laudem tui nóminis decantántes: te supplíciter deprecámur; ut in navi fámulos tuos, repúlsis adversitátibus, portu semper optábili, cursúque tranquíllo tueáris. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, quæsumus, Dómine, preces famulórum tuórum, cum oblatiónibus hostiárum: et eos, pro quibus tua mystéria celebrámus, ab ómnibus defénde perículis. Per Dóminum.

Postcommunio

Sanctificáti divíno mystério, majestátem tuam, Dómine, suppliciter deprecámur, et pétimus: ut fámulos tuos, quos donis facis cæléstibus memorári; per lignum sanctæ Crucis, et a peccátis ábstrahas, et a perículis cunctis miserátus erípias. Per Dóminum.

37 Pro salute vivorum

Oratio

Prætende, Dómine, fámulis et famulábus tuis déxteram cæléstis auxílii: ut te toto corde perquírant, et quæ digne póstulant, cónsequi mereántur. Per Dóminum.

Secreta

Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, et has oblatiónes famulórum famularúmque tuárum, quas tibi pro incolumitáte eórum offérimus, benígnus assúme: et, ut nullíus sit írritum votum, nullíus vácua postulátio, præsta, quæsumus; ut, quod fidéliter pétimus, efficáciter consequámur. Per Dóminum.

Postcommunio

Da fámulis et famulábus tuis, quæsumus, Dómine, in tua fide et sinceritáte constántiam: ut in caritáte divína firmáti, nullis tentatiónibus ab ejus integritáte vellántur. Per Dóminum.

38 Pro vivis et defunctis

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, qui vivórum domináris simul et mortuórum, omniúmque miseréris, quos tuos fide et ópere futúros esse prænóscis: te súpplices exorámus; ut, pro quibus effúndere preces decrévimus, quosque vel præsens sǽculum adhuc in carne rétinet, vel futúrum jam exútos córpore suscépit, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, pietátis tuæ cleméntia ómnium delictórum suórum véniam consequántur. Per Dóminum.

Secreta

Deus, cui soli cógnitus est númerus electórum in supérna felicitáte locándus: tríbue, quæsumus; ut, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, universórum, quos in oratióne commendátos suscépimus, et ómnium fidélium nómina, beátæ prædestinatiónis liber adscrípta retíneat. Per Dóminum.

Postcommunio

Puríficent nos, quæsumus, omnípotens et miséricors Deus, sacraménta quæ súmpsimus: et, intercedéntibus ómnibus Sanctis tuis, præsta; ut hoc tuum sacraméntum non sit nobis reátus ad pœnam, sed intercéssio salutáris ad véniam: sit ablútio scélerum, sit fortitúdo fragílium, sit contra ómnia mundi perícula firmaméntum: sit vivórum atque mortuórum fidélium remíssio ómnium delictórum. Per Dóminum.

COLLECTA PRO LUSITANIA

Dicitur haec Collecta, ex Privilegio Sedis Apostolicæ, ab omnibus Sacerdotibus tam sæcularibus quam regularibus, in omnibus Missis, sive privatis, sive conventualibus aut solemnibus, quæcumque sit earum solemnitas; numquam tamen dicitur in Missis Defunctorum. Collecta dicitur post ultimam Orationem, Secretam et Postcommunionem, si Missa habeat plures Orationes; si autem habeat unicam Orationem, dicitur immediate post eam.

2 Dicitur sub eadem conclusione Orationis, cui additur, id est: Per Dóminum vel Per eúmdem Dóminum aut Qui vivis, etc.; quando autem ultima Oratio Missæ concludit Qui tecum, Collecta concludere debet Per eúmdem Dóminum.

3 Ut infra notatur: a) quando in Missa dicitur Oratio A cunctis, in hac Collecta omittuntur verba pacem et salútem ... nequítiam; b) quando dicitur Oratio Ecclésiæ, omittuntur verba et ab Ecclésia... nequítiam; c) quando dicitur Missa pro Pace, vel ex eadem sumuntur Orationes, omittuntur verba pacem et salútem ... tempóribus.

4 Quoties in Missa dicitur Oratio pro Papa, vel vacat Sedes Apostolica, omittuntur verba Papam nostrum N.; eadem norma servari debet in Commemoratione Antistitis, Regis, Reginæ et Principis.

I

Collecta sub regimine monarchico

1 Ordinarie:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., Antístitem nostrum N., Regem nostrum N., Regínam et Príncipem cum Prole régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: pacem et salútem nostris concéde tempóribus, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam; paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

2 Quando dicitur Oratio A cunctis:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., Antístitem nostrum N., Regem nostrum N., Regínam et Príncipem cum Prole régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

3 Quando dicitur Oratio Ecclésiæ:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., Antístitem nostrum N., Regem nostrum N., Regínam et Príncipem cum Prole régia, pópulo sibi commísso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi; pacem et salútem nostris concéde tempóribus; paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

4 Quando dicitur Missa pro Pace, vel ex eadem sumuntur Orationes:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., Antístitem nostrum N., Regem nostrum N., Regínam et Príncipem cum Prole régia, pópulo sibi

commisso, et exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

II

Collecta sub actuali regimine

1 Ordinarie:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., et Antístitem nostrum N., Populúmque Lusitánum cum exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: pacem et salútem nostris concéde tempóribus, et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

2 Quando dicitur Oratio A cunctis:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., et Antístitem nostrum N., Populúmque Lusitánum cum exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

3 Quando dicitur Oratio Ecclésiæ:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., et Antístitem nostrum N., Populúmque Lusitánum cum exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: pacem et salútem nostris concéde tempóribus: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

4 Quando dicitur Missa pro Pace, vel ex eadem sumuntur Orationes:

Et fámulos tuos, Papam nostrum N., et Antístitem nostrum N., Populúmque Lusitánum cum exércitu suo, terra maríque ab omni adversitáte custódi: et ab Ecclésia tua cunctam repélle nequítiam: paganórum et hæreticórum supérbiam déxteræ tuæ virtúte prostérne.

Et famulos

«...Et famulos tuos Papam nostrum N., Antístitem nostrum N., Reipúblicæ Præsidem cum Moderatóribus nostris, ab omni adversitáte custódi. Per Dóminum...»

* A S. C. dos Ritos (Decreto de 27 de Novembro de 1957) concedeu que «em todo o território nacional a peroração *Et famulos* continue a recitar-se em *todas as missas*, exceptuadas as de Defuntos, mas *apenas na 1. oração* da missa e sob uma única conclusão». O texto foi simplificado pela forma que acima se publica.



MISSÆ DEFUNCTORUM

In Missis pro Defunctis Celebrans ante Missam non dicit Ave, M… nec Psalmum Júdica: ad initium Introitus, super se non ducit signum Crucis, sed super librum, et in fine non dicit Glória Patri, sed resumit Réquiem ætérnam. Non dicitur Glória in excélsis, neque ulla fit Commemoratio quæ non sit pro Defunctis et numquam dicitur Allelúja: aqua pro Sacrificio Calici admiscenda non benedicitur, nec incensatur Altare. Ante Evangelium, post Munda cor meum, non dicit Jube, Dómine, nec Dóminus sit in corde, quia non petitur nec datur Benedictio; ad initium Evangelii, nec librum nec seipsum signo Crucis signat, et in fine non dicit Per Evangélica, nec textum osculatur. In fine Psalmi Lavábo non dicitur Glória Patri, numquam dicitur Credo, et, post Agnus Dei, dicitur dona eis réquiem, ut in Ordine Missæ notatur. Omittuntur Orationes Dómine Jesu Christe, qui es vera pax vel Dómine Jesu Christe, qui dixísti, quia non datur pax. In fine Missæ, post Dóminus vobíscum, non dicitur Ite, missa est aut Benedicámus Dómino, sed, omissa populi Benedictione, dicitur versus Altare Requiéscant in pace, et deinde Oratio Pláceat tibi, sancta Trínitas. Reliqua dicuntur et fiunt, ut in aliis Missis.

2 In Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, Missæ dicuntur prout habentur in Proprio Sanctorum, ad diem 2 Novembris, 801.

3 Pro defuncto Summo Pontifice, tum in die obitus, seu depositionis, tum in anniversario, dicitur prima Missa ex iis quæ habentur in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, 801, adhibitis tamen Orationibus, quæ infra habentur inter Orationes diversas. Idem servatur pro defunctis Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis et Sacerdotibus, cum Orationibus propriis item ut infra inter Orationes diversas.

4 Alii Tractus speciales ad libitum Celebrantis, pro diverso Defunctorum genere, infra post Missam diei obitus seu depositionis, [136], notantur.

In die obitus seu depositionis Defuncti

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Oratio

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere, te súpplices exorámus pro ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), quam hódie de sæculo migráre jussisti: ut non tradas eam in manus inimíci, neque obliviscáris in finem, sed júbeas eam a sanctis Angelis súscipi, et ad patriam paradísi perdúci; ut, quia in te sperávit et crédidit, non pœnas intérni sustíneat, sed gáudia sempitérna possídeat. Per Dóminum nostrum Jesum Christum, Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat.

Vel alia Oratio

Absólve, quǽsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), ut defúnctus (defúncta) sǽculo tibi vivat: et, quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thess. 4, 13-18

Fratres: Nólumus vos ignoráre de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et céteri, qui spem non habent. Si enim crédimus quod Jesus mórtuus est, et resurréxit: ita et Deus eos, qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos, qui vívimus, qui resídui sumus in advéntum Dómini, non præveniémus eos, qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu, et in voce Archángeli, et in tuba Dei descéndet de cælo: et mórtui, qui in Christo sunt, resúrgent primi. Deínde nos, qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áëra, et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum hereditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Sequentia

Dies iræ, dies illa,
Solvet sæclum in favílla:
Teste David cum Sibýlla.

Quantus tremor est futúrus,
Quando judex est ventúrus,
Cuncta stricte discussúrus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepúlcra regiónum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupébit, et natúra,
Cum resúrget creatúra,
Judicánti responsúra.

Liber scriptus proferétur,
In quo totum continétur,
Unde mundus judicétur.

Judex ergo cum sedébit,
Quidquid latet, apparébit:
Nil inúltum remanébit.

Quid sum miser tunc dictúrus?
Quem patrónum rogatúrus.
Cum vix justus sit secúrus?

Rex treméndæ majestátis,
Qui salvándos salvas gratis,
Salva me, fons pietátis.

Recordáre, Jesu pie,
Quod sum causa tuæ viæ:
Ne me perdas illa die.

Quærens me, sedísti lassus:
Redemísti, crucem passus:
Tantus labor non sit cassus!

Juste judex ultiónis,
Donum fac remissiónis
Ante diem ratiónis.

Ingemísco, tamquam reus:
Culpa rubet vultus meus:
Supplicánti parce Deus.

Qui Maríam absolvísti,
Et latrónem exaudísti,
Mihi quoque spem dedísti.

Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benígne,
Ne perénni cremer igne.

Inter oves locum præsta,
Et ab hœdis me sequéstra,
Státuens in parte dextra.

Confutátis maledíctis,
Flammis ácribus addíctis:
Voca me cum benedíctis.

Oro supplex, et acclínis,
Cor contrítum quasi cinis:
Gere curam mei finis.

Lacrimósa dies illa,
Qua resúrget ex favílla,
Judicándus homo reus.

Huic ergo parce Deus:
Pie Jesu, Dómine,
Dona eis réquiem. Amen.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 11, 21-27

In illo témpore: Dixit Martha ad Jesum: Dómine, si fuísses hic, frater meus non fuísset mórtuus: sed et nunc scio, quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resúrget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurréctio et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Michaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ pro-

misisti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisisti, et sémini ejus.

Secreta

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), pro qua hóstiam laudis tibi immolámus, majestátem tuam supplíciter deprecántes: ut per hæc piæ placatiónis offícia, perveníre mereátur ad réquiem sempitérnam. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens Deus: ut ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), quæ hódie de hoc sǽculo migrávit, his sacrifíciis purgáta, et a peccátis expiáta, indulgéntiam páriter et vitam cápiat sempitérnam. Per Dóminum.

¶ Sequentes Tractus dici possunt ad libitum Sacerdotis, qui tamen præ oculis habere debet n. 3 superioris Rubricæ.

Alius pro Episcopo vel pro Sacerdote

Tractus Ps. 41, 2-4 Sicut cervus desíderat ad fontes aquárum: ita desíderat ánima mea ad te, Deus. ℣. Sitívit ánima mea ad Deum, fontem vivum: quando véniam, et apparébo ante fáciem Dei mei? ℣. Fuérunt mihi lácrimæ meæ panes die ac nocte, dum dícitur mihi per síngulos dies: Ubi est Deus tuus?

Alius pro Rege

Tractus Ps. 59, 4 et 6 Commovísti, Dómine, terram tuam, et conturbásti eam. ℣. Sana contritiónes eórum, quia mota est. ℣. Ut fúgiant a fácie arcus: ut liberéntur dilécti tui.

Alius pro laico

Tractus Ps. 129, 1-3 De profúndis clamávi ad te, Dómine: Dómine, exáudi vocem meam. ℣. Fiant aures tuæ intendéntes in oratiónem servi tui. ℣. Si iniquitátes observáveris, Dómine: Dómine, quis sustinébit.

Alius pro fœmina

Tractus Ps. 125, 5-6 Qui séminant in lácrimis, in gáudio metent. ℣. Eúntes ibant et flebant, mitténtes sémina sua. ℣. Veniéntes autem vénient cum exsultatióne, portántes manípulos suos.

¶ In die tertio, septimo et trigesimo depositionis defuncti, dicitur Missa ut supra, exceptis Orationibus, quæ dicuntur ut infra.

Oratio

Quǽsumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), cujus depositiónis diem tértium (vel séptimum, vel trigésimum) commemorámus, sanctórum atque electórum tuórum largíri dignéris consórtium: et rorem misericórdiæ tuæ perénnem infúndas. Per Dóminum.

Secreta

Múnera, quǽsumus, Dómine, quæ tibi pro ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.), offérimus, placátus inténde: ut, remédiis purgáta cæléstibus, in tua pietáte requiéscat. Per Dóminum.

Postcommunio

Súscipe, Dómine, preces nostras pro ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N.): ut, si quæ ei máculæ de terrénis contágiis adhæsérunt, remissiónis tuæ misericórdia deleántur. Per Dóminum.

In Anniversario Defunctorum

Introitus — Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 63, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Oratio

Deus, indulgentiárum Dómine: da ánimæ fámuli tui N. (fámulæ tuæ N., vel animábus famulórum, famularúmque tuárum), cujus (quorum) anniversárium depositiónis diem commemorámus, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per Dóminum.

Léctio libri Machabæórum.

2 Mach. 12, 43-46

In diébus illis: Vir fortíssimus Judas, facta collatióne, duódecim míllia drachmas argénti misit Jerosólymam, offérri pro peccátis mortuórum sacrifícium, bene et religióse de resurrectióne cógitans (nisi enim eos, qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur, et vanum oráre pro mórtuis): et quia considerábat quod hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo, et salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut a peccátis solvántur.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

Sequentia Dies iræ, dies illa, ut supra, [134].

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 37-40

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet: et eum, qui venit ad me, non ejíciam foras: quia descéndi de cælo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus, qui misit me. Hæc est autem volúntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die. Hæc est autem volúntas Patris mei, qui misit me: ut

omnis, qui videt Fílium, et credit in eum, hábeat vitam ætérnam, et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Secreta


Propitiáre, Dómine, supplicatiónibus nostris, pro ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N., vel animábus famulórum, famularúmque tuárum), cujus (quorum) hódie ánnua dies ágitur: pro qua (quibus) tibi offérimus sacrifícium laudis; ut eam (eas) sanctórum tuórum consórtio sociáre dignéris. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, Dómine: ut ánima fámuli tui N. (fámulæ tuæ N., vel ánimæ famulórum, famularúmque tuárum), cujus (quorum) anniversárium depositiónis diem commemorámus; his purgáta (purgátæ) sacrifíciis, indulgéntiam páriter et réquiem cápiat (cápiant) sempitérnam. Per Dóminum.





In Missis quotidianis Defunctorum

Missæ dicendæ Feria Secunda

Introitus — *Eccl. precatio*

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus

Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus

Oratio

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, amícos et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Pro omnibus fidelibus defunctis

Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio libri Machabæórum.

2 Mach. 12, 43-46

In diébus illis: Vir fortíssimus Judas, facta collatióne, duódecim míllia drachmas argénti misit Jerosólymam, offérri pro peccátis mortuórum sacrifícium, bene et religióse de resurrectióne cógitans (nisi enim eos, qui cecíderant, resurrectúros speráret, supérfluum viderétur, et

vanum oráre pro mórtuis): et quia considerábat quod hi, qui cum pietáte dormitiónem accéperant, óptimam habérent repósitam grátiam. Sancta ergo, et salúbris est cogitátio pro defúnctis exoráre, ut a peccátis solvántur.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

¶ Sequentia Dies iræ, dies illa, ut supra, [134], quæ in Missis lectis omitti potest ad libitum Sacerdotis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 37-40

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Omne, quod dat mihi Pater, ad me véniet: et eum, qui venit ad me, non ejíciam foras: quia descéndi de cælo, non ut fáciam voluntátem meam, sed voluntátem ejus, qui misit me. Hæc est autem volúntas ejus, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resúscitem illud in novíssimo die. Hæc est autem volúntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Fílium, et credit in eum, hábeat vitam ætérnam, et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále, seu sacerdotále donásti méritum, in cæléstí regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tribue peccatórum.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

Missæ dicendæ Feria Tertia

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Oratio

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus, cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, amícos et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccató-

rum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Thessalonicénses.

1 Thessal. 4, 12-17

Fratres: Nólumus vos ignoráre de dormiéntibus, ut non contristémini, sicut et céteri, qui spem non habent. Si enim crédimus quod Jesus mórtuus est, et resurréxit: ita et Deus eos, qui dormiérunt per Jesum, addúcet cum eo. Hoc enim vobis dícimus in verbo Dómini, quia nos, qui vívimus, qui resídui sumus in advéntum Dómini, non præveniémus eos qui dormiérunt. Quóniam ipse Dóminus in jussu et in voce Archángeli, et in tuba Dei descéndet de cælo: et mórtui qui in Christo sunt, resúrgent primi. Deinde nos, qui vívimus, qui relínquimur, simul rapiémur cum illis in núbibus óbviam Christo in áëra, et sic semper cum Dómino érimus. Itaque consolámini ínvicem in verbis istis.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

¶ Sequentia Dies iræ, dies illa, ut supra, [134], quæ in Missis lectis omitti potest ad libitum Sacerdotis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 51-55

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis et turbis Judæórum: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judæi ad ínvicem, dicéntes: Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam: et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam, * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále, seu sacerdotále donásti méritum, in cæléstí regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

Missæ dicendæ Feria Quarta

Introitus — Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecisti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Oratio

Deus, véniæ largitor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus, cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propinquos, amicos, et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1 Cor. 15, 20-23

Fratres: Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium. Quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et, sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquisque autem in suo órdine: primítiæ Christus.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum hereditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

¶ Sequentia Dies iræ, dies illa, ut supra, [134], quæ in Missis lectis omitti potest ad libitum Sacerdotis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 11, 21-27

In illo témpore: Dixit Martha ad Jesum: Dómine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mórtuus: sed et nunc scio, quia quæcúmque popósceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resúrget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resúrget in resurrectióne in novíssimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurréctio, et vita: qui credit in me, étiam si mórtuus fúerit, vivet: et omnis qui vivit, et credit in me, non moriétur in ætérnum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Dómine, ego crédidi, quia tu es Christus Fílius Dei vivi, qui in hunc mundum venísti.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo

lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed signifer sanctus Michaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quárum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále, seu sacerdotále donásti méritum, in cæléstí regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tribue peccatórum.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

Missæ dicendæ Feria Quinta

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Oratio

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus, cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, amícos et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio libri Apocalýpsis beáti Joánnis Apóstoli. Apoc. 14, 13

In diébus illis: Audívi vocem de cælo, dicéntem mihi: Scribe: Beáti mórtui, qui in Dómino moriúntur. Amodo jam dicit Spíritus, ut requiéscant a labóribus suis: ópera enim illórum sequúntur illos.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

¶ Sequentia Dies iræ, dies illa, ut supra, [134], quæ in Missis lectis omitti potest ad libitum Sacerdotis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Joann. 5, 25-29

In illo témpore: Dixit Jesus turbis Judæórum: Amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mórtui áudient vocem Fílii Dei: et qui audíerint, vivent. Sicut enim Pater habet vitam in semetípso, sic dedit et Fílio habére vitam in semetípso: et potestátem dedit ei judícium fácere, quia Fílius hóminis est. Nolíte mirári hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monuméntis sunt, áudient vocem Fílii Dei: et procédent, qui bona fecérunt, in

resurrectiónem vitæ: qui vero mala egérunt, in resurrectiónem judícii.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Michaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále, seu sacerdotále donásti méritum, in cælésti regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórun nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuásum orátio profíciat supplicántium:

ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

Missae dicendae Feria Sexta

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Oratio

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus, cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres propínquos, amícos et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios. 1. Cor. 15, 51-57.

Fratres: Ecce mystérium vobis dico: Omnes quidem resurgémus, sed non omnes immutábimur. In moménto, in ictu óculi, in novíssima tuba: canet enim tuba, et mórtui resúrgent incorrúpti: et nos immutábimur. Opórtet enim corruptíbile hoc indúere incorruptiónem: et mortále hoc indúere immortalitátem. Cum autem mortále hoc indúerit immortalitátem, tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absórpta est mors in victória. Ubi est, mors, victória tua? Ubi est, mors, stímulus tuus? Stímulus autem mortis peccátum est: virtus vero peccáti lex. Deo autem grátias, qui dedit nobis victóriam per Dóminum nostrum Jesum Christum.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum heréditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

¶ **Sequentia** Dies iræ, dies illa, ut supra, [134], quæ in Missis lectis omitti potest ad libitum Sacerdotis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 6, 51-55

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis, et turbis Judæórum: Ego sum panis vivus, qui de cælo descéndi. Si quis manducáverit ex hoc pane, vivet in ætérnum: et panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigábant ergo Judǽi ad ínvicem, dicéntes: Quómodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducándum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: nisi manducavéritis carnem Fílii hóminis, et bibéritis ejus sánguinem, non habébitis vitam in vobis. Qui mandúcat meam carnem, et bibit meum sánguinem, habet vitam ætérnam: et ego resuscitábo eum in novíssimo die.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Michaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále, seu sacerdotále donásti méritum, in cælésti regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum.

Pro omnibus fidelibus defunctis

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus

Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt, et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnipotens et misericors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

Missae dicendae Sabbato

Introitus Eccl. precatio

Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 64, 2-3 Te decet hymnus, Deus, in Sion, et tibi reddétur votum in Jerúsalem: exáudi oratiónem meam, ad te omnis caro véniet. Réquiem ætérnam.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes, fámulos tuos pontificáli, seu sacerdotáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Oratio

Deus, véniæ largítor, et humánæ salútis amátor: quǽsumus, cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, amícos et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium perveníre concédas.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Oratio

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Léctio Epístolæ beáti Pauli Apóstoli ad Corínthios.

1 Cor. 15, 20-23

Fratres: Christus resurréxit a mórtuis, primítiæ dormiéntium: quóniam quidem per hóminem mors, et per hóminem resurréctio mortuórum. Et, sicut in Adam omnes moriúntur, ita et in Christo omnes vivificabúntur. Unusquísque autem in suo órdine: primítiæ Christus.

Graduale Eccl. deprecatio Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. ℣. Ps. 24, 13 Animæ eórum in bonis demoréntur: et semen eórum hereditet terram. ℣. Ps. 111, 7 In memória ætérna erit justus: ab auditióne mala non timébit.

Tractus Eccl. deprecatio Absólve, Dómine, ánimas ómnium fidélium defunctórum ab omni vínculo delictórum. ℣. Et grátia tua illis succurrénte, mereántur evádere judícium ultiónis. ℣. Et lucis ætérnæ beatitúdine pérfrui.

¶ Sequentia Dies iræ, dies illa, ut supra, [134], quæ in Missis lectis omitti potest ad libitum Sacerdotis.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Joánnem.

Joann. 5, 21-24.

In illo témpore: Dixit Jesus discípulis suis, et turbis Judæórum: Sicut Pater súscitat mórtuos et vivíficat: sic et Fílius, quos vult, vivíficat. Neque enim Pater júdicat quemquam: sed omne judícium dedit Fílio, ut omnes honoríficent Fílium, sicut honoríficant Patrem. Qui non honoríficat Fílium, non honoríficat Patrem qui misit illum. Amen, amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam ætérnam, et in judícium non venit: sed transit a morte ad vitam.

Offertorium Eccl. precatio Dómine Jesu Christe, Rex glóriæ, líbera ánimas ómnium fidélium defunctórum de manu inférni, et de profúndo lacu: líbera eas de ore leónis, ne absórbeat eas tártarus, ne cadant in obscúrum: sed sígnifer sanctus Míchaël repræséntet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus. ℣. Eccl. vox Hóstias et preces tibi, Dómine, laudis offérimus: tu súscipe pro animábus illis, quarum hódie memóriam ágimus: fac eas, Dómine, de morte transíre ad vitam. Quam olim Abrahæ promisísti, et sémini ejus.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále, seu sacerdotále donásti méritum, in cæléstí regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum.

Pro omnibus fidelibus defunctis

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et prǽmium. Per Dóminum.

Communio Eccl. vox Lux ætérna lúceat eis, Dómine: * Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es. ℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine: et lux perpétua lúceat eis. Cum sanctis tuis in ætérnum: quia pius es.

Pro defunctis Episcopis seu Sacerdotibus
Postcommunio

Prosit, quæsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum Pontíficum, seu Sacerdótum, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus
Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens et misericors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti, per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiátæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem.

Pro omnibus fidelibus defunctis
Postcommunio

Animábus, quæsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.

ORATIONES DIVERSÆ
PRO DEFUNCTIS

---

1 Pro defuncto Summo Pontifice
Oratio

Deus, qui inter summos Sacerdótes fámulum tuum N. ineffábili tua dispositióne connumerári voluísti: præsta, quæsumus; ut, qui Unigéniti Fílii tui vices in terris gerébat, sanctórum tuórum Pontíficum consórtio perpétuo aggregétur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quæsumus, pro ánima fámuli tui N., Summi Pontíficis, quas offérimus hóstias: ut, cui in hoc sǽculo pontificále donásti méritum, in cælésti regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit, quæsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui N., Summi Pontíficis, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo sperávit et crédidit, ætérnum cápiat, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

2 Pro uno defuncto Episcopo
Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N. pontificáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quæsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro ánima fámuli tui N. Pontíficis, quas offérimus hóstias: ut, cui in hoc sǽculo pontificále donásti méritum, in cæléstí regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui N. Pontíficis, misericórdiæ tuæ implloráta cleméntia: ut ejus, in quo sperávit et crédidit, ætérnum cápiat, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

3 Pro pluribus defunctis Episcopis

Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulos tuos N. et N. pontificáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregéntur consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro animábus famulórum tuórum N. et N. Pontíficum, quas offérimus hóstias: ut, quibus in hoc sǽculo pontificále donásti méritum, in cæléstí regno Sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum N. et N. Pontíficum, misericórdiæ tuæ implloráta cleméntia: ut ejus, in quo speravérunt et credidérunt, ætérnum cápiant, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

4 Pro Episcopo Cardinali Defuncto, vel Presbytero Cardinali, qui episcopali dignitate auctus fuerit

Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N. Epíscopum (Presbýterum) Cardinálem, pontificáli fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus, pro ánima fámuli tui N., Epíscopi (Presbýteri) Cardinális, quas offérimus hóstias: ut, cui in hoc sǽculo pontificále donásti méritum, in cæléstí regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui N. Epíscopi (Presbýteri) Cardinális, misericórdiæ tuæ implloráta cleméntia: ut ejus, in quo sperávit et crédidit, ætérnum cápiat, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

5 Pro Presbytero Cardinali, qui episcopali dignitate auctus non fuerit, et pro Diacono Cardinali, qui fuerit Sacerdos

Oratio

Deus, qui inter apostólicos Sacerdótes fámulum tuum N. Presbýterum (Diáconum) Cardinálem, sacerdótali fecísti dignitáte vigére: præsta, quǽsumus; ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quǽsumus: pro ánima fámuli tui N. Presbýteri (Diáconi) Cardinális, quas offérimus hóstias: ut, cui in hoc sǽculo sacerdotále donásti méritum, in cælésti regno sanctórum tuórum júbeas jungi consórtio. Per Dóminum.

Postcommunio

Prosit, quǽsumus, Dómine, ánimæ fámuli N. Presbýteri (Diáconi) Cardinális, misericórdiæ tuæ imploráta cleméntia: ut ejus, in quo sperávit et crédidit, ætérnum cápiat, te miseránte, consórtium. Per Dóminum.

6 Item pro uno defuncto Episcopo

Oratio

Da nobis, Dómine, ut ánimam fámuli tui N. Epíscopi, quam de hujus sǽculi eduxísti laborióso certámine, Sanctórum tuórum tríbuas esse consórtem. Per Dóminum.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui N. Epíscopi hæc prosit oblátio: quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Postcommunio

His sacrifíciis, quǽsumus, omnípotens Deus, purgáta ánima fámuli tui N. Epíscopi, ad indulgéntiam et refrigérium sempitérnum perveníre mereátur. Per Dóminum.

7 Item pro pluribus defunctis Episcopis

Oratio

Da nobis, Dómine, ut ánimas famulórum tuórum N. et N. Pontíficum, quas de hujus sǽculi eduxísti laborióso certámine, Sanctórum tuórum tríbuas esse consórtes. Per Dóminum.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, ut animábus famulórum tuórum N. et N. Pontíficum hæc prosit oblátio: quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Postcommunio

His sacrifíciis, quǽsumus, omnípotens Deus, purgátæ ánimæ famulórum tuórum N. et N. Pontíficum, ad indulgéntiam et refrigérium sempitérnum perveníre mereántur. Per Dóminum.

8 Pro uno defuncto Sacerdote

Oratio

Omnípotens sempitérne Deus, cui numquam sine spe misericórdiae supplicátur: propitiáre ánimæ fámuli tui N. Sacerdótis; ut, qui de hac vita in tui nóminis confessióne decéssit, Sanctórum tuórum número fácias congregári. Per Dóminum.

Secreta

Propitiáre, quǽsumus, Dómine, ánimæ fámuli tui N., pro qua tibi hóstias placatiónis offérimus: et quia in hac luce in fide mansit cathólica, in futúra vita ei retribútio condonétur ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Praesta, quǽsumus, omnipotens Deus: ut ánimam fámuli tui N. Sacerdótis, ab Angelis lucis suscéptam, in præparáta habitácula dedúci fácias Beatórum. Per Dóminum.

9 Pro pluribus defunctis Sacerdotibus

Oratio

Omnipotens sempitérne Deus, cui numquam sine spe misericórdiæ supplicátur: propitiáre animábus famulórum tuórum N. et N. Sacerdótum: ut, qui de hac vita in tui nóminis confessióne decessérunt, Sanctórum tuórum número fácias congregári. Per Dóminum.

Secreta

Propitiáre, quæsumus, Dómine, animábus famulórum tuórum N. et N., pro quibus tibi hóstias placatiónis offérimus: et, quia in hac luce in fide mansérunt cathólica, in futúra vita eis retribútio condonétur ætérna. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut ánimas famulórum tuórum N. et N. Sacerdótum, ab Angelis lucis suscéptas, in praeparáta habitácula dedúci fácias Beatórum. Per Dóminum.

10 Item pro uno defuncto Sacerdote

Oratio

Præsta, quæsumus, Dómine: ut ánima fámuli tui N. Sacerdótis, quem, in hoc sæculo commorántem, sacris munéribus decorásti; in cæléstí sede gloriόse semper exsúltet. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quæsumus, pro ánima fámuli tui N. Sacerdótis, quas offérimus hóstias: ut, cui sacerdótale donásti méritum, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut ánimam fámuli tui N. Sacerdótis in congregatióne justórum ætérnæ beatitúdinis júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

11 Item pro pluribus defunctis Sacerdotibus

Oratio

Præsta, quæsumus, Dómine: ut ánimæ famulórum tuórum N. et N. Sacerdótum, quos, in hoc sæculo commorántes, sacris munéribus decorásti; in cæléstí sede gloriόse semper exsúltent. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe, Dómine, quæsumus, pro animábus famulórum tuórum N. et N. Sacerdótum, quas offérimus hóstias: ut, quibus sacerdotále donásti méritum, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut ánimas famulórum tuórum N. et N. Sacerdótum in congregatióne justórum ætérnæ beatitúdinis júbeas esse consórtes. Per Dóminum.

12 Pro uno laico defuncto

Oratio

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur: ut ánimam fámuli tui N., quam de hoc sæculo migráre jussísti; in pacis ac lucis regióne constítuas, et San-

ctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Dóminum.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, ut ánimæ fámuli tui N. hæc prosit oblátio: quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Postcommunio

Absólve, quǽsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória inter sanctos et eléctos tuos resuscitátus respíret. Per Dóminum.

13 Pro pluribus laicis Defunctis

Oratio

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur: ut ánimas famulórum tuórum N. et N., quas de hoc sǽculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtes. Per Dóminum.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, ut animábus famulórum tuórum N. et N. haec prosit oblátio: quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Postcommunio

Absólve, quǽsumus, Dómine, ánimas famulórum tuórum N. et N. ab omni vínculo delictórum: ut in resurrectiónis glória inter sanctos et eléctos tuos resuscitáti respírent. Per Dóminum.

14 Pro una fœmina defuncta

Oratio

Quǽsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére ánimæ fámulæ tuæ N.: et a contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

Secreta

His sacrifíciis, quǽsumus, Dómine, ánima fámulæ tuæ N. a peccátis ómnibus exuátur, sine quibus a culpa nemo liber éxstitit: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, perpétuam misericórdiam consequátur. Per Dóminum.

Postcommunio

Invéniat, quǽsumus, Dómine, ánima fámulæ tuæ N. lucis ætérnæ consórtium: cujus perpétuæ misericórdiæ consecúta est sacraméntum. Per Dóminum.

15 Pro pluribus fœminis defunctis

Oratio

Quǽsumus, Dómine, pro tua pietáte miserére animábus famulárum tuárum N. et N.: et a contágiis mortalitátis exútas, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Dóminum.

Secreta

His sacrifíciis, quǽsumus, Dómine, ánimæ famulárum tuárum N. et N. a peccátis ómnibus exuántur, sine quibus a culpa nemo liber éxstitit: ut, per hæc piæ placatiónis offícia, perpétuam misericórdiam consequántur. Per Dóminum.

Postcommunio

Inveniant, quǽsumus, Dómine, ánimæ famulárum tuárum N. et N. lucis ætérnæ consórtium: cujus perpétuæ misericórdiæ consecútæ sunt sacraméntum. Per Dóminum.

16 Pro patre et matre

Oratio

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti: miserére cleménter animábus patris et matris meæ (paréntum nostrórum), eorúmque peccáta dimítte; meque (nosque) eos in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe sacrifícium, Dómine, quod tibi pro animábus patris et matris meæ (paréntum nostrórum) óffero: eísque gáudium sempitérnum in regióne vivórum concéde: meque (nosque) cum illis felicitáti Sanctórum conjúnge. Per Dóminum.

Postcommunio

Cæléstis participátio sacraménti, quǽsumus, Dómine, animábus patris et matris meæ (paréntum nostrórum) réquiem et lucem obtíneat perpétuam: meque (nosque) cum illis grátia tua corónet ætérna. Per Dóminum.

17 Pro patre tantum

Oratio

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti: miserére cleménter ánimæ patris mei (nostri), ejúsque peccáta dimítte; meque (nosque) eum in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe sacrifícium, Dómine, quod tibi pro ánima patris mei (nostri) óffero: eíque gáudium sempitérnum in regióne vivórum concéde; meque (nosque) cum illo felicitáti Sanctórum conjúnge. Per Dóminum.

Postcommunio

Cæléstis participátio sacraménti, quǽsumus, Dómine, ánimæ patris mei (nostri) réquiem et lucem obtíneat perpétuam: meque (nosque) cum illo grátia tua corónet ætérna. Per Dóminum.

18 Pro matre tantum

Oratio

Deus, qui nos patrem et matrem honoráre præcepísti: miserére cleménter ánimæ matris meæ (nostræ), ejúsque peccáta dimítte, meque (nosque) eam in ætérnæ claritátis gáudio fac vidére. Per Dóminum.

Secreta

Súscipe sacrifícium, Dómine, quod tibi pro ánima matris meæ (nostræ) óffero: eíque gáudium sempitérnum in regióne vivórum concéde; meque (nosque) cum illa felicitáti Sanctórum conjúnge. Per Dóminum.

Postcommunio

Cæléstis participátio sacraménti, quǽsumus, Dómine, ánimæ matris meæ (nostræ) réquiem et lucem obtíneat perpétuam: meque (nosque) cum illa grátia tua corónet ætérna. Per Dóminum.

19 Pro defunctis fratribus, propinquis, amicis et benefactoribus

Oratio

Deus, véniæ largitor, et humánæ salútis amátor: quæsumus cleméntiam tuam; ut nostræ congregatiónis fratres, propínquos, amícos et benefactóres, qui ex hoc sǽculo transiérunt, beáta María semper Vírgine intercedénte cum ómnibus Sanctis tuis, ad perpétuæ beatitúdinis consórtium pervenire concédas. Per Dóminum.

Secreta

Deus, cujus misericórdiæ non est númerus, súscipe propítius preces humilitátis nostræ: et animábus fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, quibus tui nóminis dedísti confessiónem, per hæc sacraménta salútis nostræ, cunctórum remissiónem tríbue peccatórum. Per Dóminum.

Postcommunio

Præsta, quǽsumus, omnípotens et miséricors Deus: ut ánimæ fratrum, propinquórum, amicórum et benefactórum nostrórum, pro quibus hoc sacrifícium laudis tuæ obtúlimus majestáti; per hujus virtútem sacraménti a peccátis ómnibus expiatæ, lucis perpétuæ, te miseránte, recípiant beatitúdinem. Per Dóminum.

20 Pro his qui in cœmeterio requiescunt

Oratio

Deus, cujus miseratióne ánimæ fidélium requiéscunt: fámulis et famulábus tuis, et ómnibus hic et ubíque in Christo quiescéntibus, da propítius véniam peccatórum; ut a cunctis reátibus absolúti, tecum sine fine læténtur. Per eúmdem Dóminum.

Secreta

Pro animábus famulórum, famularúmque tuárum, et ómnium catholicórum hic et ubíque in Christo dormiéntium, hóstiam, Dómine, súscipe benígnus oblátam: ut hoc sacrifício singulári, vínculis horréndæ mortis exúti, vitam mereántur ætérnam. Per eúmdem Dóminum.

Postcommunio

Deus, fidélium lumen animárum, adésto supplicatiónibus nostris; et da fámulis et famulábus tuis, quorum córpora hic et ubíque in Christo requiéscunt, refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem, et lúminis claritátem. Per eúmdem Dóminum.

21 Pro pluribus defunctis

Oratio

Deus, cui próprium est miseréri semper et párcere: propitiáre animábus famulórum, famularúmque tuárum, et ómnia eórum peccáta dimítte; ut mortalitátis vínculis absolútæ, transíre mereántur ad vitam. Per Dóminum.

Secreta

Annue nobis, quǽsumus, Dómine, ut animábus famulórum, famularúmque tuárum hæc prosit oblátio: quam immolándo, totíus mundi tribuísti relaxári delícta. Per Dóminum.

Postcommunio

Deus, cui soli cómpetit medicínam præstare post mortem: præsta, quǽsumus; ut ánimæ famulórum, famularúmque tuárum, terrénis exútæ contágiis, in tuæ redemptiónis parte numeréntur: Qui vivis.

22 Pro pluribus defunctis

Alia Oratio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum misericórdiam concéde perpétuam: ut eis profíciat in ætérnum, quod in te speravérunt, et credidérunt. Per Dóminum.

Secreta

His, Dómine, quǽsumus, placátus inténde munéribus: et quod ad laudem tui nóminis supplicántes offérimus, ad indulgéntiam profíciat defúnctorum. Per Dóminum.

Postcommunio

Súpplices, Dómine, pro animábus famulórum, famularúmque tuárum preces effúndimus: obsecrántes; ut quidquid conversatióne contraxérunt humána, et cleménter indúlgeas, et in tuórum sede lætántium constítuas redemptórum. Per Dóminum.

23 Pro omnibus defunctis

Oratio


Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor: animábus famulórum, famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum; ut indulgéntiam, quam semper optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis.

Secreta

Hóstias, quǽsumus, Dómine, quas tibi pro animábus famulórum, famularúmque tuárum offérimus, propitiátus inténde: ut, quibus fídei christiánæ méritum contulísti, dones et præmium. Per Dóminum.

Postcommunio

Animábus, quǽsumus, Dómine, famulórum, famularúmque tuárum orátio profíciat supplicántium: ut eas et a peccátis ómnibus éxuas, et tuæ redemptiónis fácias esse partícipes: Qui vivis.



ABSOLUTIO SUPER TUMULUM

Lecto Evangelio S. Joannis in fine Missæ, si facienda est Absolutio, Celebrans redit cum Ministris ad medium Altaris, et, facta cum ipsis reverentia Cruci, per viam breviorem descendit ad scamnum, ubi, adjuvantibus sacris Ministris, exuitur Casula, et, deposito etiam Manipulo, accipit Pluviale nigrum: et interim etiam Ministri Manipulum deponunt.

2 Deinde ad medium Altaris revertuntur omnes, et, facta in plano reverentia Cruci, Celebrans birretum a Diacono accipit et caput cooperit; Diaconus transit ad sinistram Celebrantis; et Subdiaconus, sumens Crucem processionalem, cum ea sistit ante cancellos Presbyterii ad Altare conversus, medius inter duos Ceroferarios cum candelabris et cereis accensis, exspectans signum Cærimoniarii, quo facto, per dexteram suam se vertens, et absque ulla Altari reverentia, per latus Evangelii ad feretrum inter Ceroferarios pergit, præeuntibus duobus aliis Acolythis, cum thuribulo et navicula incensi primo, et altero cum vase aquæ lustralis et aspersorio. Deinde alii de Clero per ordinem bini et bini cum cereis accensis, postea Cærimoniarius cum libro, et ultimo Celebrans et a sinistris ejus Diaconus, fimbriam Pluvialis tenens.

3 Cum pervenerint ad locum Absolutionis, stant omnes hinc inde processionaliter juxta feretrum. Si autem defunctus sit Sacerdos vel Clericus in sacris, Subdiaconus, medius inter Ceroferarios, sistit ad pedes feretri, inter feretrum ipsum et januam principalem Ecclesiæ, feretrum respiciens versus Altare, ibique permanet usquedum, Absolutione peracta, Cærimoniarius det signum ad Sacrarium redeundi. Celebrans autem cum Diacono ad caput feretri, inter feretrum ipsum et Altare, se collocat, et aliquantulum ad cornu Epistolæ, ne terga Altari vertat, et directe vel quasi directe respiciat Crucem Subdiaconi. Cum Celebrans ad suum locum pervenerit, birretum deponit et tradit Diacono et ibidem manibus junctis exspectat finem Responsorii. Tum Diaconus transit ad dexteram Celebrantis, Cærimoniarius ad ejus sinistram et Acolythi cum thuribulo et aqua lustrali retro post Cærimoniarium.

4 Si autem defunctus non fuerit Sacerdos vel Clericus in sacris, licet servetur regula supra notata de positione respectu Altaris et feretri; tunc tamen

Subdiaconus manere debet inter feretrum et Altare, feretrum respiciens versus cornu Epistolæ. Celebrans autem se collocat feretrum inter et januam principalem Ecclesiæ. Reliqua, mutatis mutandis, fiunt prout numero præcedenti notatur.

5 Dum chorus cantat ultimam partem primi et ultimi Responsorii, Celebrans, ministrante Diacono naviculam, more solito ponit et benedicit incensum in thuribulo, et cantato ultimo **Kýrie, eléison,** alta voce intonat **Pater noster,** quæ Oratio secreto ab omnibus dicitur. Tum Celebrans accipit aspersorium de manu Diaconi, et, eodem Diacono a dextris comitante et fimbriam Pluvialis sublevante, circumiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter prius a parte dextra et ter deinde a sinistra. Cum Celebrans transit ante Altare majus vel ante Crucem Subdiaconi, profunde se inclinat, nisi Ssmum Sacramentum in Altari asservetur, quia tunc versus Altare genuflectit; Diaconus autem semper genuflectere debet. Deinde Celebrans, tradito aspersorio, recipit thuribulum, et, eodem modo quo asperserat, incensat.

6 Rediens ad suum locum, tradit thuribulum, et, tenente librum Diacono vel Cærimoniario aut aliquo Acolytho, Celebrans junctis manibus prosequitur: **Et ne nos indúcas, etc.,** et alia quæ infra notantur.

7 Dicto **Pater noster** post alia Responsoria, supra, n. 5, non notata, Celebrans, quin ponat incensum in thuribulo, ex proprio loco ter feretrum aspergit et ter incensat.

8 Quando Absolutio fit absente cadavere, omnia servantur ut supra: sed tantumodo dicitur III Responsorium **Libera me** cum reliquis ut infra, [165]-[168].

9 Absolutiones solemnes, quæ in Ritu Bracarensi ad « Castrum doloris » dicuntur, fiunt solummodo in obitu, non autem in anniversario obitus, Summi Pontificis, S. R. E. Cardinalis et domini Archiepiscopi, necnon in Exsequiis pro Rege, pro Duce magnæ auctoritatis, vel pro Domino loci. In iis Absolutionibus, præter ea quæ supra notantur, sequentia specialiter servanda sunt:

a) Finita Missa, et Oratione funebri, si habita fuerit, quatuor Dignitates seu Canonici, Pluviali nigro, super Amictum, Albam et Stolam ejusdem coloris induti et birreto cooperti, e Sacrario, cereos accensos manu dextra deferentes, exeunt et ad Celebrantem bini et bini accedunt;

b) Processio ab Altari ad feretrum fit modo supra, n. 2-4, notato; cum autem hic etiam intervenire debeant supradicti quatuor Absolventes et ulterius alii duo Clerici, ideo sequenti modo ordinatur: Præcedunt duo Acolythi, alter cum thuribulo et alter cum navicula; tum duo alii Acolythi, unus cum libro, alius cum vase aquæ benedictæ; sequitur Subdiaconus Missæ, Crucem deferens inter Ceroferarios; deinde Clerus cum cereis accensis, ut supra, n. 2, notatur; postea quatuor Absolventes parati, etiam cum cereis accensis, bini et bini, per ordinem præcedentiæ in Choro, tum Cærimoniarius et ultimo, ad dexteram Diaconi, Celebrans cereum accensum deferens, qui, pro qualitate defuncti, diversum occupat locum, ut supra, n. 3-4, praecipitur;

c) Pro Celebrante et pro quatuor aliis Absolventibus hoc ordine parari debent sedilia prope feretrum: sedile junioris Absolventis ad angulum pedis dextri, seu a sinistris Subdiaconi; sedile alterius qui eum præcedit, ad angulum sinistri humeri, seu a sinistris Celebrantis; sedile tertii ad angulum sinistri pedis, seu a dextris Subdiaconi; sedile quarti seu senioris, ad angulum dextri humeri, qui est a dextris Celebrantis; sedile tandem Celebrantis, ad caput feretri, ita ut Celebrans in eo sedens Crucem respicere valeat.


d) Cum omnes ad feretrum pervenerint, quilibet Absolvens in scabello sibi parato in suo angulo sedet; Celebrans vero ad caput feretri, assistente sibi Diacono; Chorales autem stant omnes in suis locis. Ubi aliquantisper sedentes quieverint, ad nutum Cærimoniarii, Celebrans et alii Absolventes surgunt, et, depositis birretis, incipiunt solemnes Absolutiones, ut infra.

I

De Absolutione laicorum

Cum Celebrans ad Tumulum pervenerit, chorus cantat

I Responsorium






Dum Cantores repetunt: **Miserére**, Celebrans ponit incensum in thuribulo. Finito Responsorio, Cantores dicunt in cantu:



Et Chorus respondet:




Deinde omnes simul dicunt:



Mox Sacerdos dicit alta voce:




Tum Sacerdos tumulum aspergit et incensat, ut in Rubrica præcedenti, n. 5 et 6, dictum est: deinde, junctis manibus, dicit:





Deinde dicitur alternatim a Choro sine cantu Ps. 120 Levávi óculos meos, quo absoluto, Celebrans prosequitur:



℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. **Oratio**

Non intres in judícium cum servo tuo N. (serva tua N.), Dómine, quóniam nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum tribuátur remíssio: non ergo eum (eam) tua, quǽsumus, Dómine, judiciális senténtia premat, quem (quam) tibi vera supplicátio fídei christiánæ comméndat, sed, grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui (quæ) dum víveret, insignítus (insigníta) est signáculo Sanctæ Trinitátis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Chorus cantat:

II Responsorium





Dicto ultimo **Kýrie, eléison,** Sacerdos cantat: **Pater noster,** et continuo feretrum aspergit et thurificat sine circuitione, et, cantato ℣. **Et ne nos indúcas, etc.,** a Choro dicitur alternatim et sine cantu Ps. 129 **De profúndis,** quo absoluto, Celebrans prosequitur **A porta ínferi, etc.,** et alios Versus ut supra, [164], ac, dicto **Dóminus vobíscum, etc.,** subjungit:


Orémus. Oratio

Fac, quǽsumus, Dómine, hanc cum servo tuo N. (serva tua N.) defúncto (defúncta) misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui tuam in votis ténuit voluntátem: ut sicut hic eum (eam) vera fides junxit fidélium turmis, ita eum (eam) illic tua miserátio sóciet angélicis choris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Chorus cantat

III Responsorium




ne- ris ju-di- cá- re sǽ- cu-lum per i- gnem.
℣. Di- es il-la, di- es i-ræ, ca- lami- tá- tis et mi- sé- ri- æ,
di- es magna et a- má- ra val- de. * Quando cæ- li
mo- véndi sunt et ter- ra. ℣. Tremens factus sum e-go,
et tí- me- o, dum discússi- o vé-ne- rit, at- que
ventú- ra i- ra. † Dum vé- ne- ris ju-di- cá-
re sǽ- cu- lum per i- gnem. ℣. Ré-qui- em
æ-térnam do-na e- is, Dó- mi- ne: et lux perpé- tu- a
lú- ce- at e- is.

Repetitur Líbera me, Dómine, usque ad ℣. Dies illa.

Dum Cantores incipiunt ℣. Réquiem ætérnam, Sacerdos ponit et benedicit incensum, et, finito ultimo Kýrie, eléison, cantat: Pater noster: tum, circumiens feretrum, ter ex qualibet parte aspergit et incensat, et, cantato ℣. Et ne nos indúcas, etc., a Choro dicitur alternatim et sine cantu Ps. 145 Lauda, ánima mea, Dóminum, quo absoluto Celebrans prosequitur ℣. A porta ínferi et alios Versus, ut supra, [164], ac, dicto Dóminus vobíscum, etc., subjungit:

Orémus. **Oratio**

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur: ut ánimam fámuli tui N., quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Si fuerit fœmina, dicatur:

Orémus. **Oratio**

Quǽsumus, Dómine, pro tua pietáte, miserére ánimæ fámulæ tuæ N.: et, a contágiis mortalitátis exútam, in ætérnæ salvatiónis partem restítue. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Deinde Celebrans, faciens manu dextera crucem super tumulum, dicit:

℣. Réquiem ætérnam ✠ dona ei (eis), Dómine. ℟. Et lux perpétua lúceat ei (eis).

Et, dicto per Cantores



Celebrans dicit recto tono:

℣. Anima ejus (Animæ eórum) et ánimæ ómnium fidélium defunctórum per misericórdiam Dei requiéscant in pace. ℟. Amen.

¶ Tunc Celebrans inchoat Antiphonam Si iniquitátes, et cum Clero recitans Psalmum De profúndis, præcedente Cruce, redit cum aliis ad Sacristiam. Ibi, ab omnibus repetita Antiphona Si iniquitátes, Sacerdos, antequam paramentis exuatur, dicit sequentes Preces:

Kýrie, eléison.
Christe, eléison.
Kýrie, eléison.
Pater noster.

℣. Et ne nos indúcas in tentatiónem. ℟. Sed líbera nos a malo.

℣. A porta ínferi. ℟. Erue, Dómine, ánimas eórum.

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. **Oratio**

Fidélium, Deus, ómnium cónditor et redémptor, animábus famulórum famularúmque tuárum remissiónem cunctórum tríbue peccatórum: ut indulgéntiam, quam sem-

per optavérunt, piis supplicatiónibus consequántur: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

℣. Réquiem ætérnam dona eis, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat eis.

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

¶ Versus **Anima ejus**, Antiphona **Si iniquitátes** et Psalmus cum precibus non dicuntur, si Absolutio facta fuerit pro omnibus Defunctis.

II

De Absolutione Sacerdotis vel Clerici

Cum Celebrans ad Tumulum pervenerit, Chorus cantat

I Responsorium




Dum Cantores incipiunt ℣. **Qui ventúrus est,** Sacerdos more solito ponit et benedicit incensum, et, finito **Kýrie, eléison,** cantat:




Pa- ter noster.


¹Tum, circumiens feretrum, ter ex qualibet parte aspergit et incensat, ut in superiori Rubrica n. 5 et 6, dictum est: postea, junctis manibus, cantat:



℣. Et ne nos indú-cas in tenta- ti- ó-nem. ℟. Sed li-be-ra nos



a ma- lo.



℣. A porta in-fe- ri. ℟. E-ru- e, Dómi-ne, á-nimam e- jus.
á-nimas e- ó-rum



℣. Dómi-ne, exáudi o-ra- ti- ó-nem me- am. ℟. Et clamor me- us



ad te vé-ni- at.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Clementíssime Dómine, qui pro nostra miséria ab impiórum mánibus mortis supplícium pertulísti: líbera ánimam Sacerdótis (Diáconi aut Subdiáconi) tui N. de inférni vorágine, et de minístris tartáreis miserátus absólve, et cuncta ejus peccáta oblivióne perpétua dele: et ad lucem tuam Angeli trahant, paradisíque jánuam introdúcant, ut, dum corpus púlveri tráditur, ánimam ejus ad æternitátem perdúcas: Qui vivis et regnas per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

II Responsorium

Deinde Chorus cantat secundum Responsorium Hei, mihi, Dómine, etc., ut supra, [162], et, absoluto ultimo Kýrie, eléison, Sacerdos dicit in cantu: Pater noster, et postea feretrum ter aspergit et thurificat sine circuitione, ut in superiori Rubrica, n. 7, dictum est, et deinde cantat: Et ne nos indúcas, etc., et alios Versus, ut supra, [169], ac, dicto Dóminus vobíscum, subjungit:

Orémus. Oratio

Tu, Dómine, auxílium præstáre dignéris, tu opem feras, tu misericórdiam largiáris: ut spíritum fámuli tui N. Sacerdótis (Diáconi aut Subdiáconi) a vínculis córporis liberátum, in pace Sanctórum tuórum suscípias: ut locum pœnálem, et gehénnæ ignem, flammámque tártari in regióne vivéntium evádat. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

III Responsorium

Postea Chorus cantat tertium Responsorium Peccantem me quotídie, etc., ut supra, [164], et, absoluto ultimo Kýrie, eléison, Sacerdos dicit in cantu: Pater noster, et postea feretrum aspergit et thurificat sine circuitione, et deinde cantat: Et ne nos indúcas, etc., et alios Versus, ut supra, [169], ac, dicto Dóminus vobíscum, subjungit:

Orémus. Oratio

Deus, vitæ dator et humanórum córporum reparátor, qui te a peccatóribus coronári voluísti: exáudi preces, quas speciáli devotióne pro ánima fámuli tui N. Sacerdótis (Diáconi aut Subdiáconi) tibi lacrimabíliter fúndimus: ut liberáre eam ab infernórum cruciátibus, et collocáre inter ágmina Sanctórum tuórum dignéris: veste quoque cæléstì et stola immortalitátis índue eam, et paradísi amœnitátem júbeas introíre: Qui vivis, et regnas per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

IV Responsorium

Tandem Chorus cantat quartum et ultimum Responsorium Líbera me, Dómine, ut supra, [165], et, dum Cantores incipiunt ℣. Réquiem ætérnam, Sacerdos ponit et benedicit incensum, ut post primum Responsorium, et, finito Kýrie, eléison, cantat: Pater noster. Deinde, circumiens feretrum, ter ex qualibet parte aspergit et incensat, ac deinde cantat: Et ne nos indúcas, etc., et alios Versus, ut supra, [169], ac, dicto Dóminus vobíscum, subjungit:

Orémus. Oratio

Satisfáciat tibi, quǽsumus, Dómine Deus noster, pro ánima fámuli tui N. Sacerdótis (Diáconi aut Subdiáconi) beatíssimæ Dei Genitrícis, sempérque Vírginis Maríæ, beatórum Apostolórum Petri et Pauli, omniúmque Sanctórum tuórum orátio, et præséntis famíliæ tuæ húmilis et devóta supplicátio: ut peccatórum ómnium véniam, quam precámur, obtíneat: nec eum patiáris cruciári gehennálibus flammis, quem Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi pretióso sánguine redemísti: Qui tecum et cum Spíritu Sancto vivit et regnat

Deus per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Deinde Celebrans, benedicens feretrum, cantat:

℣. Réquiem ætérnam ✠ dona ei, Dómine.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

Tum duo ex Cantoribus dicunt in cantu:

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Postea omnes ad Sacrarium revertuntur, eo ordine et modo, quod supra, [167]-[168], *dictum est.*

III

Absolutiones solemnes ad Castrum doloris


Ad nutum Cærimoniarii, ut in superiori Rubrica, n. 9, litt. d, notatur, Celebrans surgit et incipit in tono lectionis absolute, Acolytho ministrante librum, sequentem Orationem:

Non intres in judício cum servo tuo, Dómine, quóniam nullus apud te justificábitur homo, nisi per te ómnium peccatórum ei tribuátur remíssio: non ergo eum tua, quǽsumus, judiciális senténtia premat, quem tibi vera supplicátio fídei Christiánæ comméndat, sed, grátia tua illi succurrénte, mereátur evádere judícium ultiónis, qui dum víveret insignítus est signáculo Sanctæ Trinitátis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Qua finita, Celebrans et alii Absolventes sedent et caput cooperiunt, et Cantores incipiunt:

I Responsorium





Deinde cantatur **Kýrie, eléison,** ut supra, [163].

Inchoato Responsorio, Acolythi cum vase aquæ benedictæ, libro, navicula et thuribulo una cum Diacono accedunt ad angulum dexterum ad caput feretri, ubi est dignior Absolvens, ad ejus dexteram persistentes. Dum Cantores incipiunt ℣. **Réquiem ætérnam,** surgunt omnes, detecto capite, et prædictus dignior Absolvens, deponit birretum et cereum in manibus alicujus Clerici, et, ministrante Diacono naviculam, more solito imponit et benedicit incensum in thuribulo. Absoluto ultimo **Kýrie, eléison,** cantat **Pater noster,** et, Diacono comitante et fimbriam Pluvialis a dexteris ejus sustinente, circumiens feretrum et incipiens a parte dextera, ter aspergit quamlibet feretri partem, salutans Crucem et etiam alios Absolventes, dum ante illos transit: deinde simili modo ter ex qualibet parte feretrum incensat, et postea reddit thuribulum Diacono, et, ante suum sedile stans, cantat: **Et ne**

nos indúcas, etc., et alios Versus, ut supra, [169], quibus absolutis, in cantu prosequitur:

Orémus. Oratio

Deus, cui ómnia vivunt, et cui non péreunt moriéndo córpora nostra, sed mutántur in mélius: te súpplices deprecámur, ut súscipi júbeas ánimam fámuli tui N. per manus sanctórum Angelórum tuórum deducéndam in sinum amíci tui Abrahæ Patriárchæ, rursúmque jungéndam córpori in novíssimo judícii magni die; et quidquid vitiórum, diábolo falénte, contráxit, tu pius et miséricors ábluas indulgéndo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Qua Oratione finita, omnes, cooperto capite, sedent, et Cantores incipiunt

II Responsorium

Dicitur in hac secunda Absolutione Responsorium Qui Lázarum resuscitásti, [168]; sed, finito ℣. Qui ventúrus es, dicitur ℣. Réquiem ætérnam, ut supra in I Responsorio, [172], et postea repetitur Tu eis, Dómine, etc., [168], ac deinde Kýrie, eléison, ut supra, [163].

Inchoato secundo Responsorio, Acolythi accedunt una cum Diacono ad secundum digniorem Absolventem, sedentem in angulo ad sinistrum pedem feretri, et ad ejus dextram persistunt, et omnia alia fiunt quæ supra, post primum Responsorium, notata sunt, et, absolutis Versibus, secundum Absolvens subjungit:


Orémus. Oratio

Fac, quæsumus, Dómine, hanc cum servo tuo N. defúncto misericórdiam, ut factórum suórum in pœnis non recípiat vicem, qui tuam in votis ténuit voluntátem; ut sicut hic eum vera fides junxit fidélium turmis, ita eum illic tua miserátio sóciet choris Angélicis. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Qua Oratione finita, omnes similiter, tecto capite, sedent, et Cantores incipiunt

III Responsorium





Deinde cantant **Kýrie, eléison,** ut supra, [163].

Incepto autem tertio Responsorio, Acolythi una cum Diacono accedunt ad tertium digniorem Absolventem, sedentem in angulo ad sinistrum humerum feretri et ad ejus dextram consistunt. Dum incipit ℣. **Réquiem ætérnam,** prædictus Absolvens surgit cum omnibus aliis, et, tradens birretum et candelam, ponit et benedicit incensum, et reliqua peragit quæ post I Responsorium, [172], notata sunt, et, absolutis Versibus, subjungit:


Oratio

Orémus.

Inclína, Dómine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericórdiam tuam súpplices deprecámur, ut ánimam fámuli tui N., quam de hoc sæculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constítuas, et Sanctórum tuórum júbeas esse consórtem. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen,

Qua Oratione finita, omnes, cooperto capite, sedent, et Cantores incipiunt

IV Responsorium



Deinde cantatur Kýrie, eléison, ut supra, [163].

Incepto autem quarto Responsorio, Acolythi una cum Diacono accedunt ad juniorem Absolventem, sedentem in angulo ad dexterum pedem feretri, et ad ejus dexteram consistunt. Dum incipit ℣. Réquiem ætérnam, prædictus Absolvens surgit cum omnibus aliis, et, tradens birretum et candelam, ponit et benedicit incensum, et reliqua peragit quæ post primum Responsorium, [172], notata sunt, et, absolutis Versibus, subjungit:

Orémus.

Absólve, quǽsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N. ab omni vínculo delictórum, ut in resurre-

ctiónis glória inter Sanctos et Eléctos tuos resuscitátus respíret. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Qua Oratione finita, omnes, cooperto capite, sedent, et Cantores incipiunt

V Responsorium

In hac ultima Absolutione cantatur Responsorium Libera me, Dómine, [165], cum ℣. Réquiem ætérnam et Kýrie, eléison, in fine.

Incepto hoc Responsorio, Acolythi una cum Diacono accedunt ad Celebrantem, et ad ejus dexteram consistunt. Dum incipit ℣. Réquiem ætérnam, Celebrans surgit cum omnibus aliis, et, tradens birretum et candelam, ponit et benedicit incensum, et reliqua peragit, quæ post primum Responsorium, [172] notata sunt, et, absolutis Versibus, subjungit:

Orémus.

Absólve, quǽsumus, Dómine, ánimam fámuli tui N., ut defúnctus sǽculo tibi vivat, et quæ per fragilitátem carnis humána conversatióne commísit, tu vénia misericordíssimæ pietátis abstérge. Per Christum Dóminum nostrum.

℟. Amen.

Deinde Celebrans, benedicens feretrum, dicit in cantu:

℣. Réquiem ætérnam ✠ dona ei, Dómine.

Et omnes alii Absolventes, simul cum Celebrante, dextera signum Crucis supra feretrum efformant, nihil dicentes.

℟. Et lux perpétua lúceat ei.

Tunc duo ex Cantoribus dicunt in cantu:

℣. Requiéscant in pace.

℟. Amen.

Deinde Celebrans, Diaconus et quatuor Absolventes caput cooperiunt, et omnes ad Sacrarium revertuntur, eo ordine et modo, quo supra, [167], dictum est.

ORDO
AD FACIENDAM AQUAM BENEDICTAM

Die Dominica, in Sacristia præparato sale et aqua benedicenda, Sacerdos, celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, Alba vel Superpelliceo indutus cum Stola circa collum, primo dicit:

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

Deinde absolute incipit exorcismum salis.

Exorcízo te, creatúra salis, per Deum ✠ vivum, per Deum ✠ verum, per Deum ✠ sanctum: per Deum, qui te per Eliséum prophétam in aquam mitti jussit, ut sanarétur sterílitas aquæ: ut efficiáris sal exorcizátum in salútem credéntium: et sis ómnibus suméntibus te sánitas ánimæ et córporis: et effúgiat atque discédat a loco, in quo aspérsum fúeris, omnis phantásia et nequítia, vel versútia diabólicæ fraudis, omnísque spíritus immúndus, adjurátus per eum, qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sǽculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus. Oratio

Imménsam cleméntiam tuam, omnipotens ætérne Deus, humiliter implorámus: ut hanc creatúram salis, quam in usum géneris humáni tribuisti, bene ✠ dícere, et sanctifi ✠ cáre tua pietáte dignéris; ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis: et quidquid ex eo tactum vel respérsum fúerit, cáreat omni immundítia, omníque impugnatióne spiritális nequítiæ. Per Dóminum. ℟. Amen.

Exorcismus aquæ: et dicitur absolute:

Exorcizo te, creatúra aquæ, in nómine Dei ✠ Patris omnipoténtis, et in nómine Jesu ✠ Christi Fílii ejus Dómini nostri, et in virtúte Spíritus ✠ Sancti: ut fias aqua exorcizáta ad effugándam omnem potestátem inimíci, et ipsum inimícum eradicáre, et explantáre váleas cum ángelis suis apostáticis, per virtútem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi: qui ventúrus est judicáre vivos et mórtuos, et sǽculum per ignem. ℟. Amen.

Orémus. Oratio

Deus, qui ad salútem humáni géneris, máxima quæque sacraménta in aquárum substántia condidísti: adésto propítius invocatiónibus nostris, et eleménto huic multímodis purificatiónibus præparáto, virtútem tuæ bene ✠ dictiónis infúnde: ut creatúra tua, mystériis tuis sérviens, ad abigéndos dæmones, morbósque pelléndos, divínæ grátiæ sumat efféctum; ut, quidquid in dómibus, vel in locis fidélium hæc unda respérserit, cáreat omni immundítia, liberétur a noxa: non illic resídeat spíritus péstilens, non aura corrúmpens: discédant omnes insídiæ laténtis inimíci: et si quid est, quod aut incolumitáti habitántium ínvidet, aut quiéti, aspersióne hujus aquæ effúgiat; ut salúbritas per invocatiónem sancti tui Nóminis expetíta, ab ómnibus sit impugnatiónibus defénsa. Per Dóminum.

℟. Amen.

Hic ter mittat sal in aquam in modum crucis, dicendo semel:

Commíxtio salis et aquæ páriter fiat, in nómine Pa ✠ tris, et Fí ✠ lii, et Spíritus ✠ Sancti.


℟. Amen.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Deus, invíctæ virtútis auctor, et insuperábilis impérii rex, ac semper magníficus triumphátor: qui advérsæ dominatiónis vires réprimis: qui inimíci rugiéntis sævítiam súperas: qui hostíles nequítias poténter expúgnas: te, Dómine, treméntes et súpplices deprecámur, ac pétimus: ut hanc creatúram salis et aquæ dignánter aspícias, benígnus illústres, pietátis tuæ rore sanctífices; ut, ubicúmque fúerit aspérsa, per invocatiónem sancti Nóminis tui omnis infestátio immúndi spíritus abigátur, terrórque venenósi serpéntis procul pellátur: et præséntia Sancti Spíritus nobis, misericórdiam tuam poscéntibus, ubíque adésse dignétur. Per Dóminum ... in unitáte ejúsdem Spíritus. ℟. Amen.

¶ Finita benedictione, Sacerdos celebraturus indutus Pluviali coloris Officio convenientis, accedit ad Altare, et ibi ad gradus cum ministris genuflexus, etiam Tempore Paschali, accipit a Diacono aspersorium, et primo ter aspergit Altare, deinde se, et, erectus, aspergit ministros, incipiens Antiphonam **Aspérges me.** Et Chorus prosequitur: **Dómine, hyssópo, etc.,** ut infra. Interim Celebrans aspergit Clerum, deinde populum, dicens submissa voce cum ministris Ps. **Miserére mei, Deus.**




Ant. Aspér- ges me, *

Dómine, hyssópo, et mundábor: lavábis me, et super nivem dealbábor. Ps. 50, 3 Miserére mei, Deus, secúndum magnam misericórdiam tuam. ℣. Glória Patri.

Et repetitur Ant. **Aspérges me.**

¶ Hæc Antiphona prædicto modo dicitur ad aspersionem aquæ benedictæ in Dominicis per totum annum: excepta Dominica de Passione, et Dominica Palmarum, in quibus non dicitur **Glória Patri**, sed post Psalmum **Miserére** repetitur immediate Antiphona **Aspérges me.** Excepto etiam Tempore Paschali, scilicet a Dominica Paschæ usque ad Pentecosten inclusive, quo tempore cantatur sequens



Ant. Vi- di a- quam

egrediéntem de templo, a látere dextro, allelúja: et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent, allelúja, allelúja. Ps. 117, 1 Confitémini Dómino, quóniam bonus: quóniam in sæculum misericórdia ejus. ℣. Glória Patri.

Repetitur Ant. **Vidi aquam egrediéntem.**

¶ In Dominica vero Trinitatis resumitur Ant. **Aspérges me, Dómine, etc.,** ut supra.

¶ In die sancto Paschæ, et Pentecostes, ubi est Fons baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi, et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta.

¶ Finita Antiphona supradicto modo, Sacerdos qui aspersit aquam, reversus ad Altare, stans ante gradus Altaris junctis manibus, dicat:

℣. Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam. (T. P. Allelúja). ℟. Et salutáre tuum da nobis. (T. P. Allelúja).

℣. Dómine, exáudi oratiónem meam. ℟. Et clamor meus ad te véniat.

℣. Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus. Oratio

Exáudi nos, Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus: et míttere dignéris sanctum Angelum tuum de cælis: qui custódiat, fóveat, prótegat, vísitet, atque deféndat omnes habitántes in hoc habitáculo. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

BENEDICTIONES DIVERSÆ

Benedictio agni in Pascha

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Deus, qui per fámulum tuum Móysen, in liberatióne pópuli tui de Ægýpto, agnum occídi jussísti in similitúdinem Dómini nostri Jesu Christi, et utrósque postes domórum de sánguine ejúsdem agni perúngi præcepísti: ita bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris hanc creatúram carnis, quam nos fámuli tui ad laudem tuam súmere desiderámus, per resurrectiónem ejúsdem Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio ovorum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Subvéniat, quǽsumus, Dómine, tuæ bene ✠ dictiónis grátia huic ovórum creatúræ: ut cibus salúbris fiat fidélibus tuis, in tuárum gratiárum actióne suméntibus, ob resurrectiónem Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Benedictio panis

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine sancte, Pater omnípotens, ætérne Deus, bene ✠ dícere dignéris hunc panem tua sancta spirituáli benedictióne: ut sit ómnibus suméntibus salus mentis et córporis; atque contra omnes morbos, et univérsas inimicórum insídias tutámen. Per Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum, panem vivum, qui de cælo descéndit, et dat vitam et salútem mundo: et tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio novorum fructuum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Béne ✠ dic, Dómine, hos novos fructus N. et præsta: ut, qui ex eis in tuo sancto nómine vescéntur, córporis et ánimæ salúte potiántur. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Benedictio ad quodcumque comestibile

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Béne ✠ dic, Dómine, creatúram istam N., ut sit remédium salutáre géneri humáno: et præsta per invocatiónem sancti nóminis tui; ut, quicúmque ex ea súmpserint, córporis sanitátem, et ánimæ tutélam percípiant. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergatur aqua benedicta.

Benedictio candelarum

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, béne ✠ dic candélas istas supplicatiónibus nostris: infúnde eis, Dómine, per virtútem sanctæ Cru ✠ cis, benedictiónem cæléstem, qui eas ad repelléndas ténebras humáno géneri tribuísti: talémque benedictiónem signáculo sanctæ Cru ✠ cis accípiant, ut, quibuscúmque locis accénsæ sive pósitæ fúerint, discédant príncipes tenebrárum, et contremíscant, et fúgiant pávidi cum ómnibus ministris suis ab habitatiónibus illis: nec præsúmant ámplius inquietáre, aut molestáre serviéntes tibi omnipoténti Deo: Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

BENEDICTIONES
AB EPISCOPIS VEL ALIIS FACULTATEM HABENTIBUS FACIENDÆ

Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, qui per Móysen fámulum tuum pontificália et sacerdotália seu levítica vestiménta, ad expléndum in conspéctu tuo ministérium eórum, ad honórem et decórem nóminis tui fieri decrevísti: adésto propítius invocatiónibus nostris: ut hæc in-

induménta sacerdotália, désuper irrigánte grátia tua, ingénti benedictióne per nostræ humilitátis servítium puri ✠ ficáre, bene ✠ dícere, et conse ✠ cráre dignéris: ut divínis cúltibus et sacris mystériis apta et benedicta exsístant: his quoque sacris véstibus Pontífices, et Sacerdótes, seu Levítæ tui indúti, ab ómnibus impulsiónibus seu tentatiónibus malignórum spirítuum muníti et defénsi esse mereántur: tuísque mystériis apte et condígne servíre et inhærére, atque in his tibi plácite et devóte perseveráre tríbue. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

Deus, invíctæ virtútis triumphátor, et ómnium rerum creátor ac sanctificátor: inténde propítius preces nostras; et hæc induménta levíticæ, sacerdotális, et pontificális glóriæ, minístris tuis fruénda, tuo ore próprio bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris: omnésque eis uténtes, tuis mystériis aptos, et tibi in eis devóte ac laudabíliter serviéntes, gratos effícere dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

Dómine Deus omnípotens, qui vestiménta Pontifícibus, Sacerdótibus, et Levítis, in usum tabernáculi fœderis necessária, Móysen fámulum tuum ágere jussísti, eúmque spíritu sapiéntiæ ad id peragéndum replevísti: hæc vestiménta in usum et cultum mystérii tui bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris: atque minístros altáris tui, qui ea indúerint, septifórmis Spíritus grátia dignánter repléri, atque castitátis stola, beáta fácias cum bonórum fructu óperum ministérii congruéntis immortalitáte vestíri. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Mapparum et Tobalearum, sive linteaminum Altaris

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.
℟. Qui fecit cælum et terram.
℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Exáudi, Dómine, preces nostras, et hæc linteámina sacri altáris úsui præparáta bene ✠ dícere, et sancti ✠ ficáre dignéris. Per Christum Dóminum nostrum. ℟. Amen.

Orémus.

Dómine Deus omnípotens qui Móysen fámulum tuum ornaménta et linteámina fácere per quadragínta dies docuísti: quæ étiam María téxuit et fecit in usum ministérii tabernáculi fœderis; bene ✠ dícere, sancti ✠ ficáre, et conse ✠ cráre dignéris hæc linteámina ad tegéndum, involvendúmque altáre gloriosíssimi Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Corporalium

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Clementíssime Dómine, cujus inenarrábilis est virtus, cujus mystéria arcánis mirabílibus celebrántur: tríbue, quæsumus; ut hoc linteámen tuæ propitiatiónis bene✠dictióne sanctificétur ad consecrándum super illud Corpus et Sánguinem Dei et Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sæcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, bene✠dícere, sancti✠ficáre, et conse✠cráre dignéris linteámen istud ad tegéndum, involvendúmque Corpus et Sánguinem Dómini nostri Jesu Christi Fílii tui: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Orémus.

Omnípotens Deus, mánibus nostris opem tuæ benedictiónis infúnde: ut per nostram bene✠dictiónem hoc linteámen sanctificétur, et Córporis ac Sánguinis Redemptóris nostri novum sudárium, Spíritus Sancti grátia, efficiátur. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte ejúsdem Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

Benedictio Tabernaculi seu Vasculi pro sacrosancta Eucharistia conservanda

℣. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

℟. Qui fecit cælum et terram.

℣. Dóminus vobíscum.

℟. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, majestátem tuam súpplices deprecámur: ut vásculum hoc pro Córpore Fílii tui Dómini nostri Jesu Christi in eo condéndo fabricátum, bene✠dictiónis tuæ grátia dicáre dignéris. Per eúmdem Dóminum nostrum Jesum Christum Fílium tuum: Qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti Deus: per ómnia sǽcula sæculórum. ℟. Amen.


Et aspergatur aqua benedicta.


TONI COMMUNES MISSÆ

I

Toni Orationum

Hic tonus servatur in Solemnibus, Duplicibus, Semiduplicibus et Dominicis.






In Simplicibus, Feriis, Missis Defunctorum Oratio dicitur recto tono; sed, in loco puncti principalis et semipuncti, fit tantum pausa et respiratio.

Eadem norma servatur in Orationibus Aspersionis Aquæ benedictæ, Litaniarum, Benedictionis Cinerum, Candelarum et Olivarum, et aliis huiusmodi; sed in fine ultimæ Orationis et ejus conclusionis ultima syllaba declinatur ad semiditonum.

Quando ante Orationem præmittenda est monitio **Flectámus génua**, nisi aliter propriis locis notetur, dicitur:




Ante Orationem super populum, quæ dicitur in tono feriali:




II
Tonus Prophetiæ










III


Tonus Epistolæ






IV


Tonus Evangelii






V


Tonus « Confiteor »





VI

Ad Benedictionem Pontificalem



Beatae Maríae Vírginis Reginae

Introitus.

GAUDEÁMUS omnes in Dómino, diem festum celebrántes sub honóre beátæ Maríæ Vírginis Regínæ: de cujus solemnitáte gaudent Angeli, et colláudant Filium Dei. (*T. P.* Allelúja, allelúja.)

P. 44, 2 Effúndit cor meum verbum bonum: dico ego carmen meum Regi. Gaudeámus.

℣. Glória Patri. Gaudeámus.

Oratio

CONCÉDE nobis, quæsumus, Dómine: ut, qui solemnitátem beátæ Maríæ Vírginis Regínæ nostræ celebrámus; ejus muníti præsídio, pacem in præsénti et glóriam in futúro cónsequi mereámur. Per Dóminum.

Et, in Missis privatis tantum, fit commemoratio S. Petronillæ Virg.

Oratio

EXÁUDI nos, Deus salutáris noster: ut, sicut de beátæ Petronillæ Vírginis tuæ, festivitáte gaudémus; ita piæ devotiónis erudiámur afféctu. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ

Eccli. 24, 5 et 7, 9-11, 30-31

EGO ex ore Altíssimi prodívi, primogénita ante omnem creatúram; ego in altíssimis habitávi, et thronus meus in colúmna nubis. In omni terra steti et in omni pópulo, et in omni gente primátum hábui, et ómnium excelléntium et humílium corda virtúte calcávi. Qui audit me, non confundétur, et qui operántur in me non peccábunt; qui elúcidant me, vitam ætérnam habébunt.

Allelúja. ℣. Beáta es, Virgo María, quæ sub cruce Dómini sustinuísti. Allelúja, allelúja. ℣. Nunc cum eo regnas in ætérnum. Allelúja.

Extra Tempus Paschale dicitur:

Graduale. Apoc. 19, 16. Ipse habet in vestiménto et in fémore suo scriptum: Rex regum, et Dóminus dominántium. ℣. Ps. 44, 10. Regína adstat ad déxteram ejus, ornáta auro ex Ophir.

Allelúja, allelúja. ℣. Salve, Regína misericórdiæ, tu nos ab hoste prótege, et mortis hora súscipe. Allelúja.

A Feria VI post Ascensionem usque ad Feriam VI ante Vigiliam Pentecostes, dicitur.

Allelúja. ℣. Ps. 46, 6. Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ. Allelúja, allelúja.

℣. Salve, Regína misericórdiæ, tu nos ab hoste prótege, et mortis hora súscipe. Allelúja.

✠ Sequéntia sancti Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 1, 26-33

IN illo témpore: Missus est Angelus Gábriel a Deo in civitátem Galilææ, cui nomen Názareth, ad Vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Vírginis María. Et ingréssus Angelus ad eam, dixit: Ave, grátia plena: Dóminus tecum: benedícta tu in muliéribus. Quæ cum audísset, turbáta est in sermóne ejus: et cogitábat, qualis esset ista salutátio. Et ait Angelus ei: Ne tímeas, María, invenísti enim grátiam apud Deum: ecce concípies in útero, et páries fílium, et vocábis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus Deus sedem David patris ejus: et regnábit in domo Jacob in ætérnum, et regni ejus non erit finis.

Credo.

Offertorium. Regàli ex progénie María exórta refúlget: cujus précibus nos adiuvári, mente et spíritu devotíssime póscimus. (*T. P.* Allelúja.)

Secreta

ACCIPE, quæsumus, Dómine, múnera lætántis Ecclésiæ, et beátæ Vírginis Maríæ Reginæ suffragántibus méritis, ad nostræ salútis auxílium provenire concéde. Per Dóminum.

Pro S. Petronilla

Secreta

ACCÉPTA tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctorum: quorum se méritis de tribulatióne percepisse cognóscit auxílium. Per Dóminum.

Præfatio de B. Maria Virg. Et te in festivitáte.

Communio. Regina mundi dignissima, Maria Virgo perpétua, intercéde pro nostra pace et salúte, quæ genuisti Christum Dóminum, Salvatórem ómnium. (*T. P.* Allelúja.)

Postcommunio

CELEBRÁTIS solémniis, Dómine, quæ pro sanctæ Maríæ, Reginæ nostræ, festivitáte perégimus: ejus, quæsumus, nobis intercessióne fiant salutária; in cujus honóre sunt exsultánter impléta. Per Dóminum.

Pro S. Petronilla

Postcommunio

SATIÁSTI, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Concordat cum originali approbato

Bracarae, 15 Martii, 1956.

† ANTÓNIUS, Archiep. Prim.

DIE 3 SEPTEMBRIS

S. PII X

Papae et Confessoris

Introitus. Ps. 88, 20-22

EXTULI eléctum de pópulo, óleo sancto meo unxi eum: ut manus mea sit semper cum eo, et bráchium meum confírmet eum. ℣. *Ibid.*, 2. Grátias Dómini in ætérnum cantábo: per omnes generatiónes annuntiábo fidelitátem tuam ore meo. ℣. Glória Patri. Extuli.

Oratio

DEUS, qui ad tuéndam cathólicam fidem, et univérsa in Christo instauránda sanctum Pium, Summum Pontíficem, cælésti sapiéntia et apostólica fortitúdine replevísti: concéde propítius; ut, ejus institúta et exémpla sectántes, præmia consequámur ætérna. Per eúmdem Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Thessalonicénses. 1 Thess. 2, 2-8.

FRATRES: Fidúciam habúimus in Deo nostro loqui ad vos evangélium Dei in multa sollicitúdine. Exhortátio enim nostra non de erróre neque de immundítia neque in dolo; sed, sicut probáti sumus a Deo ut crederétur nobis evangélium, ita lóquimur; non quasi homínibus placéntes, sed Deo qui probat corda nostra. Neque enim aliquándo fúimus in sermóne adulatiónis, sicut scitis, neque in occasióne avarítiæ, Deus testis est, nec quæréntes ab homínibus glóriam neque a vobis neque ab áliis. Cum possémus vobis óneri esse ut Christi apóstoli, sed facti sumus párvuli in médio vestrum, tamquam si nutrix fóveat fílios suos. Ita desiderántes vos cúpide volebámus trádere vobis non solum evangélium Dei, sed étiam ánimas nostras, quóniam caríssimi nobis facti estis.

Graduale. Ps. 39, 10-11. Annuntiávi justítiam in cœtu magno; ecce lábia mea non cohíbui: Dómine, tu nosti. ℣. Justítiam non abscóndi in corde meo; fidelitátem tuam et auxílium tuum narrávi.

Allelúja, allelúja. ℣. Ps. 22, 5-6. Paras mihi mensam, inúngis óleo caput meum, calix meus ubérrimus est. Allelúja.

In Missis votivis: Post Septuagesimam, omissis Allelúja, *et Versu sequenti, dicitur:*

Tractus. Ps. 131, 16-18. Sacerdótes ejus induam salúte, et sancti ejus exsultántes exsultábunt. ℣. Illic David suscitábo cornu, parábo lucernam uncto meo. ℣. Inimícos ejus induam confusióne, super ipsum autem fulgébit diadéma meum.

Tempore autem Paschali ommittitur Graduale et ejus loco dicitur:

Allelúja. ℣. Ps. 22, 5-6. Paras mihi mensam, inúngis óleo caput meum, calix meus ubérrimus est. Allelúja, allelúja. *Ps. 25, 8.* Dómine, díligo habitáculum domus tuæ et locum tabernáculi glóriæ tuæ. Allelúja.

† Sequentia sancti Evangélii secúndum Joánnem. Jo. 21, 15-17.

IN illo témpore: Dixit Jesus Simóni Petro: Simon Joánnis, díligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei íterum: Simon Joánnis, díligis me? Ait illi: Etiam, Dómine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. Dicit ei tértio: Simon Joánnis, amas me? Contristátus

est Petrus, quia dixit ei tértio: Amas me? et dixit ei: Dómine, tu ómnia nosti; tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas.

Offertorium. Ps. 33, 12. Venite, filii, audite me; timórem Dómini docébo vos.

Secreta

OBLATIÓNIBUS nostris, quæsumus, Dómine, benígne suscéptis, da nobis, ut hæc divína mystéria, sancto Pio Summo Pontífice intercedénte, sincéris tractémus obséquiis et fideli mente sumámus. Per Dóminum.

Communio. Jo. 6, 56-57. Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui mandúcat meam carnem et bibit meum sánguinem, in me manet et ego in illo.

Postcommunio

MENSÆ cæléstis virtúte refécti, quæsumus, Dómine Deus noster: ut, interveniénte sancto Pio Summo Pontífice; fortes efficiámur in fide, et in tua simus caritáte concórdes. Per Dóminum.

Concordat cum originali approbato

Bracarae, 5 Julii, 1955.

† ANTÓNIUS, Archiep. Prim.

INDICES

INTRODUCTIO MISSALIS

INDEX ALPHABETICUS OMNIUM FESTORUM

A) FESTA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI

B) FESTA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

C) FESTA SANCTORUM

A

B

C

D

E

T

U

V

W

X

Z

COMMUNE SANCTORUM

MISSÆ VOTIVÆ

MISSÆ PRO DEFUNCTIS

BENEDICTIONES

TONI COMMUNES MISSÆ